

BIBLIOTECA DEL DUQUE DE OSUNA





~~24~~=1. 55=2

THESAVRVS ANTIQVITATVM ET HISTORIARVM ITALIAE, PATAVII, FORI-JVLII, ET ISTRIAE.

TOMI SEXTI PARS QVARTA.



THESAVRVS ANTIQVITATVM ET HISTORIARVM ITALIAE,

Quo continentur

Optimi quique Scriptores,

Qui

PATAVII, FORI-JVLII, ISTRIAE,

Confiniumque Populorum ac Civitatium Res Antiquas, aliasque vario tempore gestas, memoriae prodiderunt:

Digeri olim coeptus Cura & Studio

JOANNIS GEORGII GRAEVII.

Accesserunt

Variae & accuratae Tabulae, tam Geographicae, quam aliae, ut & Indices ad singulos Libros locupletissimi:

CVM PRAEFATIONIBVS

PETRI BVRMANNI,

J. U. D. Historiarum, Graecae Linguae, Eloquentiae & Historiae foederati Belgii, in Academia Lugduno-Batava Professoris.

TOMI SEXTI PARS QVARTA.



LVGDVNI BATAVORVM,

Excudit PETRVS VANDER Aa,

Bibliopola, Civitatis atque Academiae Typographus, MDCCXXII.

Cum speciali Privilegio Illustr. ac Praepotent. Ordinum Hollandiae & West-Frisiae.

ANTONII RICCOBONI,

Rhodigini, Publ. Orat. Profess. Patavini,

DE

GYMNASIO PATAVINO

COMMENTARIORUM

LIBRI SEX:

Quibus antiquissima ejus origo & multa præclara ad Patavium pertinentia: Doctoresque clariores usque ad annum 1571. *ac deinceps omnes, quotquot in eo floruerunt, eorumque controversiæ: atque alia memoratu dignissima recensentur:*

Opus ut non amplius pertractatum: sic studiosis antiquitatis valde expetendum.

Editio Novissima, priori nitidior & emendatior.



LUGDUNI BATAVORUM,
Sumptibus PETRI VANDER Aa;
Bibliopolæ, Academiæ atque Civitatis Typographi.

NOVÆ EDITIONIS PRÆFATIO.
BENEVOLE LECTOR.

Cum molirer, Historiám Patavinam *Bernardini Scardeonii in vulgus de novo emittere, incidi in eam cogitationem, me studiosis Antiquitatis optime consulturum; Si* Commentarios de Gymnasio Patavino *Antonii Riccoboni*, Patavii *apud* Franciscum Bolzetam *M. D.* IIC. *impressos recuderem: Quoniam in illis antiquissima Urbis* Patavii *origo, & multa præclara ad* Patavium *pertinentia: Doctoresque clariores usque ad annum* 1571. *ac deinceps omnes, quotquot in eo floruerunt, eorumque controversiæ, atque alia memoratu dignissima recensentur. Propterea diligentia nostra atque studio Editio hæc priori multo nitidior, mendis librariorum negligentia contaminata purior, auctoris vita & effigie è* Tomasino *ad veritatem facta ornatior, elogiis variorum virorum Doctorum, Indiceque cum Cognominibus ante Nomina tanquam notioribus locupletiore auctior in lucem iterum prodit. Præterea etiam scias, nos editionis supra dictæ paginarum numeros in margine adjecisse, si forte Lectori usui & commoditati esse posset. Postremo, Diplomata, Privilegia, Epistolas, Orationes, & quæque memoria digna Characteribus diversis imprimi curavimus, ut ea cæteris statim dignoscere posses. His ut fruaris, ex animo opto. Vale faveque.*

nisi, qui nobiles sunt, etiam se generosos ostendant, & à præstantibus majoribus nequaquam degenerantes, ad illorum imitationem egregie compositi, & ad unam colendam virtutem excellentibus ingeniis natura formati, tempus omne honestissimo litterarum in studio, quæ solæ virtutis sunt administræ, traducitis. Unde factum est, ut & tu, *Augustine*, omnibus amabilis, atque admirabilis sis, & tibi *Erasme*, potissimum præ ceteris Inclyta *Germanorum* Natio se regendam, & gubernandam commiserit. In quo munere ita te gessisti, & geris, ut omnibus fidem, diligentiam, prudentiam tuam haud obscure probaveris, & probes. His ego de rebus cum vos ita admirarer, & colerem, ut inter omnes vestræ ætatis, & dignitatis *Germanos* tamquàm inter stellas majora lumina splendere videremini: merito vos selegi, quibus hoc honoris genus haberem, quod non nisi principibus, & summis viris haberi consuevit, & hoc opus benignitate auctoris, qui & Vos, universamque Nationem vestram plurimi facit, & plurimum celebrat, mihi donatum in vestro Amplissimo nomine posteris proderem, meæ in Vos propensionis, & observantiæ singularis argumentum; sperans fore, ut cum opus sit elegans, numquam amplius pertractatum, & mea quidem sententia studiosis antiquitatis valde expetendum, ne minimum quidem ad vestra Eloquentiæ, & Historiæ studia momenti sit allaturum. quod munus ut benigno animo accipiatis, Vos etiam atque etiam rogo, meque benignitati vestræ etiam atque etiam commendo. Valete. PATAVII. Mense Augusto. M. D. IIC.

ELOGIA IN LAUDEM AUCTORIS.

MARTII RUTILII VICETINI,

Vicarii Episcopalis Vicentiæ,

AD

ANTONIUM RICCOBONUM.

DIVITE dum vena Patavinæ digeris ortum,
Progressumque Scholæ, doctaque facta virûm:
Tu quoque cum multis, quos longa aboleverat ætas,
Devicta, Antoni, morte perennis eris.

Ex TOMASINI *Elogiis Virorum Literis Illustrium.*

ANTONIUS RICCOBONUS secundo Musarum favore *Rhodigii* nascitur Anno M. D. XLI. *Venetiis* & *Patavii* humanioribus literis sub *Paulo Manucio*, *Carolo Sigonio*, & *M. Ant. Mureto*, mox Jurisprudentiæ operam impendit, eâ cum laude; ut adhuc juvenis in patriam vocatus publico stipendio Humanitatis professionem obtinuerit. quam ita diligenter & assiduò gessit; ut bonas literas ibidem post *Cœlii* excessum ferè sepultas in animos civium revocaverit: eaque bonæ frugis incrementa suo tempore protulerit; ut plurimi ex ipsius scholâ Viri celeberrimi prodierint. Rogantibus amicis An. M. D. LXVII. cùm publicè orasset in Jurisprudentiæ laudem; ingentibus ejus meritis suffragantibus, omnium calculis inter cives *Rhodiginos*, quamvis ipse humili loco natus esset, cum totâ familiâ relatus fuit. Scriptioni postea deditus anno sequenti typis vulgavit *Commentarium de Historiâ*, *unà cum fragmentis M. Porcii Catonis*, *Q. Claudii Quadrigarii*, *L. Sisennæ*, *C. Crispi Salustii*, & *M. Terentii Varronis*: quæ scholiis etiam illustravit. Hinc pervagante meliorem orbem longè lateque ipsius famâ, cùm *M. Antonius Muretus* Gallus defuncti *Robertelli* locum, à Gymnasii *Patavini* Moderatoribus oblatum, recusasset, solus *Riccobonus* inter cæteros Italiæ eruditos dignus habitus est, cui prima Oratoriæ facultatis cathedra traderetur: quamvis ipse humaniores literas jam dimittere statuisset: ratus Legum studium ad tenuem familiam suam sublevandam accommodatius. Sic ille An. M. D. LXX. celeberrimum Lyceum ingressus *Joannem Phaseolum* Patavinum collegam habuit: quo duobus post mensibus fatis sublato Gymnasii parietibus hoc distichum incerto Auctore inscriptum fuit.

RICCOBONI *radiis, magno & fulgore* PHASELUS
Bulliit: en coctus vermibus esca datur.

Plura hìc in *Aristotelis Rhetoricam* conscripsit atque vulgavit: *Historiam insuper Gymnasii Patavini* cum elencho Doctorum ac rerum memorabilium contexuit. Vir lætus, suavis, discipulis erudiendis facilis, amicis gratissimus, quorum conversatione plurimùm delectabatur: inter quos *Alexander Massaria* Medicinæ professor, & *Hieronymus Mercurialis*, non solùm medendi peritiâ, sed variâ eruditione clarissimus: in cujus gratiam summam cum *Carolo Sigonio* controversiam suscepit. Nam cùm *Franciscus Vianellus* typis vulgasset Opus de *Consolatione* sub *M. T. Ciceronis* nomine, eâ elegantiâ & eloquentiâ, ut plurimi eruditiores Viri non sine ratione dubii hærerent, *Vianelli* an *Ciceronis* ea esset; *Riccobonus*, ut *Mercuriali* suam sententiam aperiret, Epistolam hac de re publicavit: cui diversi animi *Sigonius* mox respondit: cujus opinionem denuo excussit *Riccobonus*. Insigni quoque Viro *Gaspari Schioppio* cùm de Laureâ *Julio Bordonio* à Doctoribus *Patavinis* collatâ documenta suppeditasset, eruditos in se *Belgas* concitavit: qui *Julii Scaligeri* natales acriùs defenderunt: Summi etiam literarum patroni *Jo. Vincentii Pinelli* favore, ac *Pauli Aicardi* necessitudine in diversa veterum monumenta ex suo arbitrio penetravit. Anno autem M. D. LXXXI. cùm *Patari Buzzacareni* funus elegantissimâ oratione celebrâsset, plurimaque de Urbis splendore appositè commiscuisset, tantâ benevolentiâ civium animos sibi devinxit; ut nemine renitente Civitatis *Patavinæ* jus impetraverit. Ea verò fuit omnium ejus eloquentiæ opinio, ut pro Universitate Philosophorum, Medicorum, ac Theologorum *Sebastiano Venerio* & *Nicolao de Ponte*, Ducibus Venetis, de recenti imperio gratulatus fuerit: ad *Aloysium Mocenicum* Ducem pariter pro patriâ Oratoris munus subierit cum *Bernardino Fornagerio J. C.* Sed neque illud silentio prætereundum, cùm recensen-

da forent Universitatis Statuta, hanc *Riccobono* nostro provinciam demandatam fuisse: & licèt Rectore ob homicidium in exilium acto, tunc negotium intermissum fuerit; ne tamen debito laborum præmio fraudaretur, ipsi concessam ab eâdem Universitate fuisse immunitatem eorum omnium, quæ ex pecuniis Professorum solvi consueverunt. Senex *Patavii* vixit suâ semper sorte contentus ac lætus, sed parum firmâ crurum valetudine. cumque generosioribus vinis maximèque *Vicentinis* delectaretur, sensim contabuit: ac increscente vesicæ calculo, cui obnoxius erat, An. M. D. XCIX. occubuit, cùm Artis Oratoriæ sedem XXX. annos magnâ cum sui nominis laude ac publici loci splendore sustinuisset. Delatus in patriam, ubi in æde *S. Francisci* à *Ludovico Rogato J. C.* Rhodigino solenni oratione laudatus, tumulo conditus est, quem sibi vivens exstruxerat hac inscriptione.

MARIETAE MATRI OPTIMAE,
SIBI, AGNATISQVE
ANTONIVS RICCOBONVS
M. D. XCVI.

Frater postmodum in tanti Viri memoriam statuam cum hoc monumento addidit.

TITVLVS HIC ESTO AETERNVS
ANTONII RICCOBONI V. I. C. RHODIGINI.
PATAVII QVI POLITIORES ELOQVENTIAE ARTES PVBLICE ET GLORIOSE PROFESSVS PER ANNOS XXX. E VITA CESSIT HONORIFICA SEXAGENARIO PROPIOR.
ANNO M. D. XCIX.
P. BARNABAS RICCOBONVS, ABBAS OLIVETANVS FRATRI LAVDATISSIMO
M. DC. XV.

Ejus in manibus doctorum versantur.

Orationum tomi duo.
Historia de Gymnasio Patavino.
De Usu Artis Rhetoricæ.
Comment. in Artem Oratoriam Ciceronis.
Compendium Artis Poëticæ.
Comment. de Historiâ cum fragmentis Veterum Historicorum, quæ scholiis illustravit.
Judicium de Consolatione editâ sub nomine Ciceronis, quatuor disceptationibus explicatum.
Aristotelis item Rhetoricam & Ethicam in latinum vertit, & commentariis illustravit.

E Teatro D'Huomini Letterati
PER
GIOLAMO GHILINI.



ntonio Riccobono, che nella varietà delle buone scienze fu celebre circa gli Anni 1580. *nacque in Rovigo Città del Polesine, alla Republica di Vinezia soggetta, e riuscì così compito in qualunque letteratura, che la sua Patria non può girne se non altera, nè deve invidiar alcun'altra in questa parte di gloria: Ivi publicamente lesse le Lettere Humane, la qual Lettura, oltre a molti altri famosi valent' huomini, esercitò anco Celio Rodigino, che fu trà i dotti eruditissimo, e trà gli eruditi dottissimo: Dopò haver il Riccobono perseverato in questa condotta molti anni con grandissima lode, la rinunziò a fine di trasferirsi a Padoua per poter ivi pigliar la laurea dottorale d'amendue le Leggi da lui già per avanti studiate in quella Università, come dipoi n'hebbe l'intento suo. Nel passaggio, ch'ei fece per Vinezia, mentre ritornava alla sua Patria, mosso dall' esortazioni di Lorenzo Massa, accettò la publica Lettura di Eloquenza Greca, e Latina nello Studio di Padoua. Nel pigliar il possesso di questa sua condotta, recitò successivamente per trè giorni continui, trè Orazioni concernenti alli studii prima dell'arti liberali, dipoi delle Lettere Humane, e finalmente di Rettorica. Questa Lettura, nella qual fu suo collega Giovanni Faseolo Lettore dell'istessa professione in quella Università, haveva egli determinato di tralasciare per esercitar lo Studio delle Leggi, come più opportuno per mantenere la sua povera famiglia, e per migliorare l'humile condizione della sua casa: ma essendone poi stato distolto da questo pensiero, andò egli perseverando nel suo carico, nel quale acquistò a se stesso immortal lode, & a gl'uditori suoi benefizio inesplicabile.* &c.

Les Eloges des Hommes Savans
PAR
ANTOINE TEISSIER.



NTOINE RICOBON nâquit à Rovigo en 1541. Il apprit les belles Lettres sous Paul Manuce, Charles Sigonio, & Antoine Muret, & il profita si bien des leçons que lui donnérent ses illustres Précepteurs, qu'étant extrémément jeune il enseigna à Rovigo avec beaucoup de gloire. A l'âge de vingt-huit ans il publia ses Commentaires de l'Histoire avec les Fragmens des anciens Historiens, qu'il éclaircit par de doctes Remarques. Après la mort de Robortel, il fut appellé à Padoue pour remplir sa place, & pour enseigner l'Eloquence dans cette fameuse Université. Et ayant exercé cette Charge pendant trente ans, il mourut en 1599. suivant Thomasin, & non pas en 1600. comme l'a crû M. de Thou.

Comme Ricobon étoit un des ennemis de Joseph Scaliger, il étoit du nombre de ceux qui lui avoient osé disputer la noblesse de sa naissance, & qui avoient fourni à Scioppius des mémoires pour écrire contre ce grand homme. C'est pourquoi Scaliger dans ses Oeuvres parle de lui avec beaucoup de mépris & le traite de *porcus Ricobonus*.

On loue fort sa Traduction de la Rhétorique d'Aristote: on trouve que les expressions en sont pures & châtiées, & que s'il se fût plus attaché à entendre le sens de son Auteur, il eût pû mériter la louange d'un des plus habiles & des plus parfaits Interprétes. *&c.*

INDEX CAPITUM,

Quæ horum Commentariorum sex libris continentur.

LIBRO PRIMO.

LIBRO SECUNDO.

LIBRO TERTIO.

INDEX CAPITUM.

LIBRO QUARTO.


LIBRO QUINTO.

LIBRO SEXTO.



AN-





ANTONIUS RICCOBONUS,

Publ. Oratoriæ Professor Patav.



1\. ANTONII RICCOBONI

DE GYMNASIO PATAVINO COMMENTARIORUM

LIBER PRIMUS.

CAP. I.

De Origine Gymnasii Patavini.



DE Gymnasio *Patavino* primum carptim, ut quæque memoratu digna ex vetustate rerum omnium confectrice erui potuerunt: deinde ab eo tempore, cum ego ad veterem tradendam eloquentiam *Patavium* accitus sum, id est, ab anno Christi septuagesimo primo supra millesimum, & quingentesimum, aliquanto enucleatius perscripturus, illud in ipso prope vestibulo narrationis meæ ponam, quod mea quidem sententia ignorandum non est, hoc Gymnasium ita antiquum esse, ut ejus origo vetustatis tenebris fuisse obliterata censeatur: quod in statutis legitur Juris studiosorum: solaque consuetudine ortum videri, iccircoque *Jacobum ab Arena*, clarissimum Jurisconsultum, eam quæstionem disputasse, utrum tale Gymnasium legitimum esset, cum privilegio careret; sensisseque quoniam consuetudine longissima niteretur, doctrinas in eo tradi legitime potuisse, cum ejusmodi consuetudo sit similis privilegio, remque efficiat legitimam instar privilegii, immo vero etiam privilegium pariat: *Bartholum* quoque, celeberrimum Jurisconsultum dum quæstionem eandem pertractaret, illud sua confecisse disputatione, Jus Gymnasii, seu licentiam docendi tamquàm ex fonte derivari solitam esse, partim ex solo privilegio, ut olim in *Beritensium* civitate derivata est; partim ex sola consuetudine, ut *Patavii*; partim simul ex consuetudine, & privilegio, ut *Boroniæ*, ubi Gymnasium consuetudine receptum *Lotharii* Imperatoris privilegio dicitur approbatum: & Abbatem *Panormitanum* conscripsis-
1.v. se, hujusmodi Gymnasium, ex tam longi temporis consuetudine generale esse, ut originis memoria exstet nulla: *Franciscum*que *Zabarellam*, eum, qui S. R. E. Cardinalis fuit, literis consignasse, nullam exstare memoriam, quando idem Gymnasium inceperit, etiamsi postea Imperatoria, & Apostolica privilegia nactum fuerit. Cum autem circiter annos mille ducentos, & quatuor etiam *Vicetiæ* Gymnasium floruerit generale apud *S. Vi-*

A *tum*, ubi publicæ erant Scholæ, si fides habenda est Tabulis donationis, quibus Universitas studiosorum Gymnasii *Vicetini* Reverendos Fratres Monasterii *S. Viti*, & *Modesti* Congregationis *Camaldulensis*, quod nunc vocatur *S. Luciæ*, anno millesimo ducentesimo nono, die septimo Julii, in claustris illius Monasterii, jure donavit universo, omnibusque in rem, & in personam actionibus, quas in Ecclesia *S. Viti*, ejusque bonis tum mobilibus, tum immobilibus habebat; quæ Tabulæ leguntur in *Jacobi Marzari* Historia *Vicetina*: ut illud silentio prætercam, quod nonnulli literarum monumentis mandarunt, multos scriptores existimare (quorum tamen fateor me nullam adhuc reperisse auctoritatem) Gymnasium *Patavinum* à
B *Carolo Magno* originem traxisse: memoriæ certe proditum est, *Friderico II.* Imperatore in civitates Ecclesiæ sæviente, præcipueque in *Bononienses*, propterea quòd eos cum *Honorio III.* Pontifice Maximo consentire plus nimio contra se existimaret, dum ipse Summi Pontificis ditionem occupare conaretur, & ob eam causam sacris ei interdictum esset, quod *Bononiæ* Gymnasium erat florentissimum, translatum esse *Patavium*, anno millesimo ducentesimo vigesimo secundo; quadragintaque post annis ab *Urbano IV.* Pontifice Maximo postea vero etiam à *Clemente VI.* denique ab *Eugenio IV.* fuisse comprobatum. Cum autem facta est Gymnasii translatio, civitas *Pa-*
C *tavina*, quæ ab *Henrico IV.* Imperatore circiter annum Christi millesimum nonagesimum libertati restituta, & Consulibus, ac Tribunis usa fuerat, quotannis externum hominem sibi præficiebat, eique tamquàm Regi omne imperium committebat, eundemque vel à vi Regiæ potestatis, quæ vitæ, necisque in omnes erat, vel ab excellentia juris dicendi Potestatem, seu Prætorem appellabat. Itaque tunc erat *Patavii* Prætor *Joannes Rusca Novocomensis*, & quidem Prætor II. nam eam quoque Præturam anno millesimo ducentesi- 2.
D mo gesserat, tunc cum *Patavii* Palatium magnum, seu Prætorium ædificari cœptum est, postea imaginibus Mathematicis mirabiliter ornatum, pri-

mum à *Petro Apono* circiter annum milleſimum trecenteſimum duodecimum excogitatis, deinde poſt incendium factum anno milleſimo, quadringenteſimo vigeſimo elegantiſſime renovatis, ut patet ex publica inſcriptione. De altera vero Præ-tura *Joannis Ruſcæ* in Annalibus *Patavinis*, quorum ego habeo fragmenta, legitur in hunc modum; *Joannes Ruſca Novocomenſis II. Patavii Prætor electus, hoc anno juſte quidem jus dixit, Friderico in civitates Eccleſiæ ſæviente, præcipueque in Bononiam, quam pene evertit, & ſtudium generale, illa fere penitus everſa, Patavium tranſtulit, protinus ab Honorio Pontifice anathemate notatus, Imperialique dignitate privatus.*

CAP. II.

De Confirmatione Gymnaſii Patavini.

Secuta eſt teterrima Tyrannis *Acciolini* ab anno milleſimo ducenteſimo trigeſimo ſeptimo uſque ad annum milleſimum ducenteſimum quinquageſimum ſextum. Qua quidem poſt annos undeviginti *Patavio* liberato Gymnaſium diutius intermiſſum reſtitui cœpit; cumque in eo duæ Univerſitates exiſterent, una Juris Pontificii, & Cæſarei, altera Philoſophiæ, ac Medicinæ: primum tamen unus deligebatur Rector, qui utrique præeſſet Univerſitati: deinde duo quidem creabantur Rectores, unus *Tranſalpinorum*, alter *Ciſalpinorum*; ſed qui utramque æque Univerſitatem, non unus unam, alter alteram, regerent; tuncque ab *Urbano* Pontifice Gymnaſium eſt confirmatum; eaque conſuetudo etiam dominantibus *Scaligeris*, & *Carrarienſibus* perduravit, uſque ad tempus illud, quo in gratiam *Franciſci Carrarienſis* Univerſitas ſtudioſorum Philoſophiæ, ac Medicinæ ab Univerſitate ſtudioſorum utriuſque Juris ſegregata prorſus eſt: factique ſunt duo Rectores inter ſe diverſi, unus, qui uni, alter, qui alteri præeſſet Univerſitati: diviſaque ſtatuta, quæ ante à communibus Rectoribus compoſita fuerant. Duobus enim annis ante Gymnaſium ab
2.v. *Urbano* Pontifice confirmatum, id eſt, anno milleſimo ducenteſimo ſexageſimo, utriuſque Univerſitatis Rector fuit *Goſaldus* quidam *Hiſpanus*, qui nonnulla ſtatuta conſcripſit. Anno autem proximo ſequenti duo Rectores creati ſunt, alter *Tranſalpinus*, *Henricus à Sancta Petronilla*: alter *Ciſalpinus*, *Franciſcus Novarienſis*; quorum uterque ſtatuta condidit permulta. Alii vero alia addiderunt, ut legitur ſtatutorum Univerſitatis Juris ſtudioſorum libri primi capite primo. Jam poſt Tyrannidem *Acciolini* libera fuit civitas *Patavina* ab anno milleſimo ducenteſimo quinquageſimo ſeptimo uſque ad annum milleſimum trecenteſimum vigeſimum ſecundum; imperioque paruit tum *Scaligerorum* annos novem, dato *Patavio* dotis nomine à *Jacobo Carrarienſi*, qui eo fuerat potitus, *Thaddææ Carrarienſi*, *Maſtino Scaligero* nuptæ: tum *Carrarienſium*, quibus rurſus *Patavium* ſubjectum eſt, ab anno milleſimo trecenteſimo vigeſimo ſecundo uſque ad annum milleſimum quadringenteſimum quintum, excepto eo tempore perexiguo circiter annum, & dimidium, cum à *Galeacio Mediolanenſium* Principe hæc ipſa urbs intercepta eſt; poſteaque *Franciſco Carrarienſi* anno milleſimo trecenteſimo nonageſimo reſtituta. Tempore autem *Carrarienſium* à *Clemente VI.* Pontifice Maximo Gymnaſium eſt confirmatum. Et *Franciſco* dominante anno nonageſimo nono ſupra milleſimum, & trecenteſimum Univerſitatum facta eſt ſejunctio, de qua ita in eodem ſtatuto; *Eo autem anno, vigeſimo ſeptimo die Julii, Franciſcus à Mella Catellanus Ultramontanus, & Joan-*
A *nes Fuſuda ex Regno Calabriæ Citramontanus, Rectores Artium, Univerſitatis totius nomine, ut Magnifico Domino Franciſco Carrarienſi, tunc hujus Regiæ Urbis dominium obtinenti morem gererent, acceptа prius ab eo donationis nomine ea domo, quam nunc Univerſitas noſtra poſſidet, hac ſubjectione Artium Univerſitatem liberaliter exemerunt.* Anno autem milleſimo quadringenteſimo quinto *Patavium* in *Venetorum* poteſtatem pervenit; cumque ipſi hanc urbem ad optimarum artium ſtudia eſſe accommodatiorem exiſtimarent, dimiſſo Gymnaſio, quod ante à *Friderico II. Tauriſanis* comprobatum ſub *Scaligeris*, & ſub ipſis *Venetis* floue-
B rat, ſolum permiſerunt *Patavinum*: tuncque ſtu-
dioſi optimarum artium ampliſſimo jure uteban- 3.
tur tum eligendi Doctores publice docentes, tum verò etiam rejiciendi ſuo ipſorum arbitratu. Et anno milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo nono poſt *Urbani IV.* & *Clementis VI.* confirmationes, de quibus ſuperius mentionem fecimus, etiam ab *Eugenio IV. Veneto* Gymnaſium *Patavinum* eſt confirmatum, quorum Pontificum Privilegia deſumpta *Patavii* ex volumine Privilegiorum Sacri Canonicorum capituli hic libet adſcribere.

C

Privilegium Urbani IV.

Urbanus Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei Venerabili Fratri Epiſcopo Paduano Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Lecta coram nobis Fraternitatis tuæ petitio continebat, quòd Rectores Univerſitatis Magiſtrorum, & Scholarium Paduæ deliberatione provida ſtatuerunt, ut Scholares ipſius Univerſitatis, qui debent in Magiſtros aſſumi, coram Epiſcopo Paduano præſentibus Doctoribus Univerſitatis ejuſdem examinari debeant diligenter: & idem Epiſcopus eis, ſi reperiantur ido-
D *nei, debeat docendi licentiam concedere. Et quòd ſtatutum hujuſmodi eſt, ut affirmas, inviolabiliter obſervatum. Nos igitur tuis ſupplicationibus inclinati ſtatutum ipſum, ſicut eſt provide factum, ratum habentes, & gratum auctoritate apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus, decernentes, ut qui ſecus ibidem ſibi magiſtri nomen aſſumpſerit, pro magiſtro nullatenus habeatur. Nulli*
ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ con- 3.v.
firmationis infringere, vel ei auſo temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri,
E *& Pauli, Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum apud urbem veterem V. Idus Januarii, Pontificatus noſtri anno tertio.*

Privilegium Clementis VI.

Clemens Epiſcopus ſervus ſervorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Attendentes provide, quòd ex literarum ſcientia, veluti ex dono cæleſti, ſpiritualiter, & temporaliter bona publica proveniunt, & privata quoque ab ipſius profeſſoribus, præſertim in ſtudiis Generalibus fidelis inſtruitur populus, & reducitur exorbitans ad ſemi-
F *tam veritatis, libenter ea concedimus, quæ Doctorum, & Magiſtrorum, ac Scholarium in ſtudiis Generalibus inſiſtentium commoditatem reſpiciunt, & per quæ ſcientiarum fructus valent adaugeri. Sane petitio venerabilis Fratris noſtri Ildobrandini Epiſcopi Paduani nobis nuper exhibita continebat, quòd in civitate Paduæ de conſuetudine ibidem inviolabiliter obſervata tanto ab hinc tempore, ut de ejus contrario memoria non exſtet, viguit, & adhuc viget in Jure Canonico, & Civili, aliiſque facultatibus præter ſa-* 4.
cram Theologiam ſtudium Generale, ſicuti per totam Italiam, & in aliis mundi partibus eſt aperte manifeſtum,

festum. & quod auctoritas faciendi per Doctores, &
Magistros in eodem studio residentes in jure, ac fa-
cultatibus supradictis examinari scholares ad Docto-
ratum, seu Magisterium promovendos in studio su-
pradicto, & examinatos approbandi, seu etiam re-
probandi similiter & de antiqua consuetudine obtenta
in eodem studio ad Episcopum Paduanum, qui est
pro tempore, pertinet, & pertinere etiam consuevit,
& quòd præfatus Ildobrandinus Episcopus nonnullos
scholares in Jure Civili, & Canonico, ac Medicina
coram se examinari fecit per Doctores ipsius studii,
ipsisque postea licentiam dedit, & quibusdam ex eis
in examinatione prædicta licentiam, & auctoritatem
legendi, & docendi tribuit, sicuti est in supradicta,
& aliis etiam studiis fieri generaliter consuetum. quod-
que dudum Rectores Universitatis Magistrorum, &
Scholarium Paduæ deliberatione provida statuerunt.
Ut scholares ipsius Universitatis, qui deberent in
Magistros assumi, coram Episcopo Paduano, qui es-
set pro tempore, examinari deberent diligenter præ-
sentibus Doctoribus Universitatis ejusdem: & ut eis-
dem scholaribus, si reperirentur idonei, deberet li-
4.v. centiam concedere Episcopus memoratus. quòdque de-
inceps statutum hujusmodi est inviolabiliter observa-
tum. ipsumque statutum sicut erat provide factum,
felicis recordationis Urbanus Papa IV. prædecessor
noster auctoritate Apostolica confirmavit, decernen-
do; ut, qui secus ibidem sibi magistri nomen assume-
ret, pro magistro nullatenus haberetur; prout confir-
matio, & decretum hujusmodi in literis ipsius Urba-
ni prædecessoris nostri de re tali confectis, quarum te-
norem de verbo ad verbum præsentibus inseri fecimus,
plenius continetur. Nos igitur spectantes, quòd ad
civitatem prædictam scholares eò promptius se causa
studendi conferent, quò studium ipsum in eadem civi-
tate majori fuerit auctoritate munitum; ac volentes
propterea præfatum studium, & Doctores, Magi-
stros, & Scholares prædictos prosequi favorabiliter
in hac parte, ipsius Ildebrandini supplicationibus in-
clinati consuetudinem prædictam, & ea, quæ, ut su-
perius narratur, in prædictis ipsius Urbani prædeces-
soris nostri literis continentur, rata, & grata ha-
bentes, auctoritate Apostolica ex certa scientia confir-
mamus, & præsentis scripti patrocinio communimus;
indulgentes nihilominus auctoritate prædicta omnibus,
& singulis Doctoribus, Magistris, & Scholaribus,
ut ipsi, dum in prædicto studio docendo, vel audien-
5. do institerint scholasticis disciplinis, omnibus liberta-
tibus, & immunitatibus, ac privilegiis de jure com-
muni, seu approbata consuetudine concessis, auctori-
tate Apostolica, Doctoribus, Magistris, & Scholæ-
ribus in studiis Generalibus commorantibus, gaudeant,
& utantur; statuentes etiam ad hoc, ut examinatio,
approbatio, & reprobatio Scholarium promovendo-
rum ad Magisterium in studio memorato semper, sicut
fieri debet, cum puritate, & sine fraude procedat,
ut doctores in eodem studio præsentes ab eodem Epi-
scopo requisiti ad examinandum scholares promovendos
ad Magisterium, justo impedimento cessante venire,
& illi, qui in examinatione prædictorum scholarium
ibidem præsentes fuerint, de procedendo sine dolo, &
fraude in omnibus, & singulis actibus in hujusmodi
examinationibus opportunis, & fieri consuetis præ-
stare teneantur in ejusdem Episcopi manibus corpora-
liter juramentum, ac eidem Episcopo, seu ejus vicem
gerenti dumtaxat, votum ipsorum super idoneitate,
ac sufficientia scholaris examinati, utrum scilicet ap-
probandus sit, an reprobandus, secrete, ac sigilla-
tim, & in scriptis exponere, ac manifestare similiter
teneantur. Injungimus etiam Episcopo Paduano, qui
erit pro tempore, sub virtute obedientiæ, auctoritate
5.v. prædicta, ut ipse in examinandis, approbandis, seu
reprobandis personis examinatis, & doctorum appro-
bantium, seu non approbantium scholares examinatos
votis secrete tenendis sine dolo, & fraude procedat.

A Nos insuper irritum decernimus, & inane, si secus
super his à quoquam quavis auctoritate contingeret
attentari. Dictarum autem literarum tenor talis est;
Urbanus Episcopus servus servorum Dei Venerabili
Fratri Episcopo Paduano salutem, & Apostolicam
benedictionem. Lecta coram nobis Fraternitatis tuæ
petitio continebat, quod Rectores Universitatis Ma-
gistrorum, & Scholarium Paduæ deliberatione pro-
vida statuerunt, ut scholares ipsius Universitatis,
qui debent in Magistros assumi, coram Episcopo Pa-
duano præsentibus Doctoribus Universitatis ejusdem
examinari debeant diligenter, & idem Episcopus, si
reperiantur idonei, debeat licentiam docendi concede-
B re, & quòd statutum hujusmodi est, ut affirmas, in-
violabiliter observatum. Nos igitur tuis supplicatio-
nibus inclinati statutum ipsum, sicut est provide fa-
ctum, ratum habentes, & gratum, auctoritate A-
postolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio
communimus; decernentes, ut, qui secus ibidem sibi
magistri nomen assumpserit, pro magistro nullatenus
habeatur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc pa-
ginam nostræ confirmationis infringere, vel ei auso 6.
temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præ-
sumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Bea-
torum Petri, & Pauli, Apostolorum ejus, se nove-
rit incursurum. Datum apud Urbem veterem v. Id.
C Januarii. Pontificatus nostri anno tertio. Hactenus
Urbanus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc pa-
ginam nostræ confirmationis, concessionis, statuti, im-
munitatis, & constitutionis infringere, vel ei auso
temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præ-
sumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Bea-
torum Petri, & Pauli, Apostolorum ejus, se nove-
rit incursurum. Datum apud Villam Novam Avi-
nionensis Diœcesis XVII. Kal. Junii. Pontificatus no-
stri anno quinto.

Privilegium Eugenii IV.

D Eugenius Episcopus servus servorum Dei ad perpe-
tuam rei memoriam.
Dum intra arcana nostræ mentis solerti meditatio-
ne recolimus, quantum ad populum nostræ solicitudini
commissum, Remque publicam debite regendam viri
literarum scientia docti conferant; cura nobis injun-
cta dignum, immo debitum nostrum reputamus, ut
non solum contenti simus studia Generalia concessis sibi
ante Privilegiis gaudere, verum etiam ipsis alia ad 6.v.
ampliorem eorumdem studiorum famam, & gloriam
utilia concedamus; ut, qui in illis voluntarios in hu-
manæ eruditionis subsidium labores suscipiunt, de tan-
to ipsorum beneficio præter divinum, quod non deerit,
E aliquod in terris munus se reportasse lætentur. Du-
dum siquidem felicis recordationis Urbanus IV. præ-
decessor noster, pro felici statu, & incremento studii
Patavini, quod inter cætera Italiæ studia generalia
antiquissimum, & celeberrimum esse constat, non-
nulla per Doctores, & Magistros ejusdem studii sa-
lubriter statuta, & ordinata ratificavit, & appro-
bavit, ac ex certa ipsius scientia confirmavit. De-
inde Clemens VI. prædecessor etiam noster, quæ per
ipsum Urbanum ratificata fuerant, grata habens, &
approbans, quædam alia pro ipsius studii amplifica-
tione statuit, & ordinavit, prout ipsorum literis ple-
nius continetur. Nos igitur attendentes, quòd à ge-
F neralibus studiis omnis divinorum, atque humanorum
institutorum notitia proficiscitur; virique illa insigni-
ti existunt, per quorum salutarem doctrinam effector
omnium Deus agnoscitur, & amatur, justitia coli-
tur, proficientes proficiunt, instruuntur indocti, &
præmiis afficiuntur boni, versutis autem suorum er-
ratorum pœnæ, quas merentur, adjiciuntur; omnis-
que humanæ eruditionis excellentia emanare dignosci- 7.
tur: nec non ad dilectos filios Universitatum prædicti
Patavini studii, quos singulos omni favore prosequi-

mur, nostræ benignitatis oculos convertentes, ne ipsi in sua exercitatione commendabili adversus concessa sibi antea privilegia quomodolibet indebite infestentur, verum potius amplioribus gratiarum attollantur impendiis: motu proprio, non ad alicujus preces, omnia, & singula privilegia, libertates, exemptiones, concessiones, & indulta alia eidem studio tam per prædictos, & alios Romanos Pontifices prædecessores nostros, quàm per Imperatores, aut alios temporales Dominos hactenus concessa, quorum formas, & tenores in præsentibus pro expressis haberi volumus, rata, & grata habentes, illa auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, omnes, & singulos, si qui intervenerint, defectus iisdem motu, atque auctoritate supplentes. Et nihilominus, quò studium ipsum aliquod singulare ex nostræ liberalitatis dono consequatur munus: Ut omnes, & singuli nunc, & pro tempore in eodem studio existentes Doctores, & Scholastici, ac ipsorum familiares, & officiales omnibus, & singulis privilegiis, prærogativis, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, concessionibus, honori-
7.v. *bus, favoribus, & indultis aliis quibuslibet, quocumque nomine censeantur, & quorum formas, & tenores in præsentibus pro sufficienter expressis haberi volumus, gaudeant, & utantur, quibus Romanæ Ecclesiæ, Parisiensis, Oxoniensis, Bononiensis, Salamancensis, studiorum Doctores, & Magistri, eorumque familiares, & officiales ex quibusvis Apostolicis, Imperialibus, seu aliis, Ecclesiasticis, vel temporalibus concessionibus, aut indultis gaudent, & utuntur, gaudere, & uti possunt, ac poterunt in futurum. Utque omnes prædicti, qui beneficiis Ecclesiasticis affecti fuerint, dum ipsi ibi resederint, omnium suorum beneficiorum Ecclesiasticorum, quæ nunc obtinent, & in posterum in quibusvis Ecclesiis, seu locis obtinebunt, quæcumque, quantacumque, & qualiacumque sint, & fuerint, etiamsi in illis personalem primam non fecerint residentiam consuetam, fructus, reditus, & proventus cum ea integritate, cum qua illos perciperent, si in Ecclesiis, seu locis hujusmodi personaliter residerent, quotidianis duntaxat exceptis distributionibus, per septennium percipere queant. Insuper ut ipsi singuli, etiam in Sacris ordinibus constituti, aut dignitates, vel personatus in cathedralibus, aut aliis Ecclesiis, vel Parochiales Ecclesias obtinentes in eodem studio legibus per quin-*
8. *quennium studere, legere, & disputare, ac in eis licentiæ gradum, nec non doctoratus insignia accipere libere, ac licite valeant; motu, & auctoritate prædictis tenore præsentium concedimus, ac de specialis dono gratiæ indulgemus; non obstantibus felicis recordationis Honorii III. Pontificis etiam prædecessoris nostri, & aliis Apostolicis, nec non in provincialibus, & Synodalibus conciliis, edictis, constitutionibus, & ordinationibus, statutis quoque, & consuetudinibus Ecclesiarum, in quibus beneficia hujusmodi fuerint jurejurando, confirmatione Apostolica, vel quacumque firmitate alia roboratis, cæterisque contrariis non obstantibus quibuscumque. Volumus autem, ut beneficia ipsa debitis propterea non fraudentur obsequiis: sed debite sustineantur eorum onera consueta. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ ratihabitionis, confirmationis, suppletionis, concessionis, voluntatis, infringere, vel ei ausu temerario contravenire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem præpotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Florentiæ anno Dominicæ Incarnationis* MCCCCXXXXIX. *Kal. Decembris, Pontificatus nostri anno* IX.

A

CAP. III. 8.v.

De facultate eligendi Doctores.

Cum *Venetus* Senatus anno quadragesimo quinto supra millesimum, & quadringentesimum quam facultatem studiosi habebant tum eligendi, tum rejiciendi Doctores propter nonnullos tumultus eis ademisset: paulo tamen post benigne concessit, ut electio ipsorum Doctorum ad eosdem pertineret, statimque ut facta esset, Prætori, ac Præfecto aperiretur, electique interrogarentur,
B an obstringere se *Venetæ* Reipublicæ vellent, ipsisque ita obligatis constituta in Senatu præmia persolverentur. Anno præterea supra millesimum, & quadringentesimum sexagesimo septimo in *Patavinorum* gratiam Senatus Consultum factum est, ut Interpretes constituerentur duo tertii in Jure Civili, duo itidem tertii in Jure Canonico, ac duo similiter tertii in Medicinis, atque artibus, dato singulis præmio in singulos annos florenorum viginti, factaque electione ab utroque Præside, Prætore, Præfectoque ab utroque Quæstore, à Rectore Universitatis, ab uno ex sapientibus Deputatis ad utilia *Patavinæ* Civitatis; de quibus
C tertiis *Christophori Mauri* Principis ad *Joannem Gradonicum* Prætorem, *Bernardumque Justinianum* Præfectum exstant literæ. At anno millesimo quingentesimo vigesimo tertio decrevit Senatus, ut penes se esset electio Doctorum constituendorum ad præcipuas explicationes Juris Pontificii, Jurisque Civilis, ad duas ordinarias Theoricæ Medicinæ, ad duas ordinarias Practicæ Medicinæ, ad duas ordinarias Philosophiæ: reliquæ vero à studiosis, ad arbitrium nihilominus ipsius Senatus, distribuerentur. Inde statuit, ut aliarum quarumdam explicationum electio non amplius ad Universitates, sed ad se unum spectaret,
D & paucæ quædam reservarentur Universitati Juris studiosorum, ac solæ sex Universitati studiosorum Philosophiæ, & Medicinæ, scilicet locus secundus extraordinariæ Medicinæ, locus primus, & secundus libri tertii *Avicennæ*, uterque itidem locus Sophisticæ facultatis, & explicatio Philosophiæ Moralis, quod usque ad annum millesimum quingentesimum sexagesimum servatum est, cum propter magnos, qui ea de causa oriebantur, tumultus facultas eligendi Doctores studiosis prorsus adempta est, omnisque talis electionis potestas 9.
ad Senatum translata, jure tantum tertiorum *Patavinis* integro reservato.

E

CAP. IV.

De loco Scholarum.

Cum Scholæ essent ad *D. Blasii* in ædibus non admodum commodis, ad alias translatæ sunt, quas anno millesimo quadringentesimo nonagesimo tertio, Præsidibus *Marino Venerio* Prætore, *Marino Leonio* Præfecto, ad *Di. Martini* prope forum vinarium, *Jacobus Bonzaninus Patavinus*, Eques, & J. U. Doctor, *Bernardo Gilo* Rectori Juris studiosorum in emphiteusim concessit, ea
F lege, ut *Venetæ* Reipublicæ expensis ibi Scholæ publicæ constituerentur, & quotannis à Quæstoribus de Doctorum pecuniis quinque, ac quinquaginta ducati jure emphiteutico persolverentur. Cujus pensionis postea dimidiæ partis, scilicet ducatorum septem, & viginti cum dimidio anno trigesimo nono supra millesimum, & quingentesimum, Præsidibus *Francisco Venerio* Prætore, *Hieronymo Cornelio* Præfecto, procurantibus id Gymnasii Moderatoribus, *Sebastiano Justiniano* Equite, *Nicolao Theupolo* Doctore, *M. Antonio Venerio*

Venerio Doctore, facta est liberatio à *Jacobo Bonzanino* juniore *Jacobi* senioris nepote, dum Rector esset Juris studiosorum *Joannes Petrus*, Cæsareus Miles *Hierosolymitanus*. Atque hæc quidem domus caupona erat cum Bovis Insigni. Quæ fuit causa, quamobrem nomen Bovis continuatum sit; scholæque in ea domo constitutæ Bovinæ sint appellatæ. Quas postea quomodo multi Præsides *Veneti* magnifice adornaverint, & novis ædificiis auxerint, atque ad eam, qua nunc florent, pulchritudinem extulerint, breviter adnotandum est.

1543. *Joannes Andreas Baduarius* Prætor, *Philippus Thronus* Præfectus januam posteriorem extruendam curarunt, *Sebastiano Fuscareno* Doctore, & Equite, *Antonio Suriano* itidem Doctore, & Equite Gymnasii Moderatoribus.

1547. *Delphinus Delphinius* Prætor, *Matthæus Dandulus* Præfectus post ingressum anterioris januæ scalam, & partem scholarum sinistram conficiendam mandarunt.

1550. *Nicolaus Pontius*, Doctor, & Eques,
9.v. ac Moderator, eam partem jam inchoatam perfecit.

1552. *M. Antonius Venerius* Doctor, & Eques Prætor, *Franciscus Contarenus* Præfectus partem anteriorem ædificandam jusserunt.

1559. *Nicolaus Pontius* Prætor, *Justinianus Contarenus* Præfectus partem posteriorem.

1571. & 1572. *Jacobus Aimus* Prætor, *Petrus Fuscarus* Præfectus turrim horologii; primum *Nicolao Pontio*, *Friderico Valaressio*, *Marino Caballio*: deinde *Joanne Michaele* Equite, *Jacobo Fuscareno* Doctore, *Jacobo Suriano* Equite, Moderatoribus.

1587. *M. Antonius Memmius* Prætor, *Petrus Marcellus* Præfectus partem dexteram; *Laurentio Priolo* Equite, *Aloysio Georgio*, *M. Antonio Barbaro* Equite, & *D. Marci* Procuratore, Moderatoribus.

1593. *Joannes Superantius* Eques Prætor, *Fridericus Sanutus* Præfectus scalam dexteram, prioremque januam, *Joanne Francisco Priolo D. Marci* Procuratore, *Zacharia Contareno*, *Leonardo Donato* Equite, Moderatoribus.

1594. *Justinianus Justinianeus* Prætor, *Nicolaus Gussonus* Præfectus Theatrum Anatomicum; *Joanne Superantio* Equite, *Marino Grimano* Equite, & *D. Marci* Procuratore, *Leonardo Donato* itidem Equite, & *Marci* Procuratore, Moderatoribus.

CAP. V.

De Horto Medicinali.

Hortum sphæricum, amplum, irriguum inter duo templa augustissima *D. Antonii* Confessoris, & *D. Justinæ* omni genere herbarum medicinalium refertum ad studiosos Medicinæ in re herbaria erudiendos Senatus constituit, suadente id Clarissimo Medico *Francisco Bonafidio Patavino*, qui, posteaquàm ad Medicinam Theoricam extraordinariam, & ad Practicam extraordinariam, & ad Practicam ordinariam, maxima sua cum laude, ac prope incredibili studiosorum juvenum cum utilitate adhibitus est, anno trigesimo tertio supra millesimum, & quingentesimum, referentibus de eo ad Senatum Gymnasii Moderatoribus *Sebastiano Fuscareno*, & *Nicolao Theupolo*,
10. primus simplicium explicator factus id muneris quàm dignissime obivit usque ad annum millesimum quingentesimum quadragesimum nonum: cui postea successit *Gabriel Fallopius Mutinensis*, conjuncta tunc Chirurgia cum simplicium explicatione, ut suo loco apparebit.

CAP VI.

De pecuniis constitutis ad Gymnasii Doctores honorandos.

Ad solvenda Doctoribus præmia, quod vectigal antiquitus Gymnasio à *Carrariensibus* fuerat assignatum, plaustrorum ferratorum, & non ferratorum, ac vectigal, quod Buccaticum nuncupatur, Senatus voluit in emolumentum ipsius Gymnasii continuari, locatum utrumque pretio librarum sexaginta quinque millium sexcentarum viginti septem, solidorum decem, auctumque anno millesimo quingentesimo nonagesimo sexto summa librarum quatuor millium, & quingentarum: adjunxitque vectigal instrumentorum, & testamentorum æstimationis librarum quatuor millium ducentarum triginta septem, solidorum quatuor: & vectigal de peregrinorum schedulis persolvendum, quod valet libras quadringentas quinquaginta novem, solidos duodecim. Summa autem harum omnium pecuniarum conficit libras octingentas viginti tres, solidos sexdecim supra septuaginta quatuor millia, id est, prope quindecim florenorum millia, qui singuli quinque libras valent, quodque nummorum genus fere ad satisfaciendum Doctoribus usurpatur.

CAP. VII.

De Collegiis ad Studiosorum commoda institutis.

Adjuncta sunt ad studiosorum commoditatem, eorum maxime, qui rei familiaris laborant tenuitate, percommoda quædam Collegia, quæ hic libet adscribere.

1. *Pratense* ad *Divi Antonii* Confessoris, institutum à *Pileo*, Comite *Pratæ*, S. R. E. Cardinali, *Patavii*que Episcopo, circiter annum 1420.

2. *Tornacense*, quod *Campionis* est nominatum, in Vico Vinealium, institutum ab *Albicio Brancasicco Lucensi*, Canonico *Taurisano*.

3. *Spinellium* ad pontem Curvum, institutum à *Bellofortio Spinello* filio *Nicolai Neapolitani*, ejus, 10. v. qui Jus Pontificium in Gymnasio *Patavino* professus est, *Venetis*que *Divi Marci* Procuratoribus commendatum, anno 1439.

4. Collegium *Feltrensium* etiam ad *Divi Antonii*.

5. Collegium *Ridium* etiam ad pontem Curvum.

6. Collegium ad *Divæ Catharinæ*, institutum à *Jacobo Aquate* Medico Physico.

7. Collegium *Brixianorum* ad *Divæ Luciæ*.

8. Collegium ad *Divi Leonardi*, institutum à *Thoma Philologo Ravennate*, Philosopho, ac Medico.

9. Collegium *Amulium* quorundam patriciorum *Venetorum* ad *Pratum Vallis*, institutum à M. *Antonio Amulio* Cardinali.

10. Collegium *Cauchum* etiam patriciorum *Venetorum* in Vico Vinealium.

11. Collegium *Priolium* in Vico S. Crucis similiter designatum ad commodum patriciorum *Venetorum*.

CAP. VIII.

De quibusdam Statutis ad utilitatem, & dignitatem Gymnasii Patavini *pertinentibus.*

1458 Paschali Maripetro Principe in *Veneto* Senatu decretum est, ut subditi *Venetæ* Rei-

Reipublicæ ſua exercere ſtudia in aliis Gymnaſiis non poſſent, quàm in *Patavino*; quique alibi ſtuduiſſent, alibique Doctores facti eſſent, ii privilegiis carerent, quibus perfruuntur Doctoris inſignia in *Patavinis* Collegiis conſecuti.

1479. *Joanne Mocenico* Principe in eodem Senatu ſtatutum eſt, ut nullus patricius *Venetus* alicujus publicæ explicationis munus cum publico præmio in Gymnaſio *Patavino* poſſet obtinere, neque ordinarii, neque ſubſtituti nomine.

Præterea vero, ut ad unum, idemque explicandi munus eodem tempore duo *Patavini* Doctores inter ſe concurrentes conſtituti non poſſent, neque ordinarii, neque ſubſtituti nomine: ſed in concurſum *Patavini* ſemper aliquis peregrinus eligeretur.

Atque hæc ſervarentur in utraque facultate tum
11. Pontificii, & Cæſarei juris, tum Philoſophiæ, & Medicinæ, quæ tamquàm neceſſaria ut curarent obſervanda, præſides *Patavii Zacharias Barbarus* Prætor & Propræfectus ejuſque ſucceſſores, publicis literis mandatum eſt; petentibuſque *Patavinis* per legatos ſuos ſecundi capitis abrogationem, quippe quod veteribus ſtatutis adverſari diceretur, idem nihilominus eſt confirmatum, atque ut prorſus obſervaretur, præſidibus *Friderico Cornelio* prætore & *Franciſco Sanuto* præfecto eorumque ſucceſſoribus juſſum.

1489. *Auguſtino Barbadico* Principe Senatusconſultum factum eſt, ut non niſi Doctores in publicis Collegiis Laureati ad docendum in ipſo Gymnaſio admitterentur, iis nimirum ſecluſis, qui Doctores fieri à Comitibus *Palatinis* conſueverunt, de quo publicæ exſtant literæ ad *Chriſtophorum Duodum* Prætorem & *Thomam Lippomanum* Præfectum quodque duobus ante annis *Antonio Venerio* Prætore & *Luca Mauro* Præfecto de explicatore Tabellionatus fuerat conſtitutum.

His addi poſſunt duo, quæ in primis ad Gymnaſii dignitatem, atque honeſtatem pertinere videbantur, publicis olim literis mandata. Ut Doctores tum ordinarii, tum extraordinarii ingredientes ſcholas ad habendas explicationes ſuas cum minori numero, quàm ſex auditorum, pœna librarum decem pro ſingulis hujuſmodi explicationibus punirentur.

Ut quilibet bonarum artium ſtudioſus veſtem indueret oblongam ultra medias tibias, aut uſque ad talos; eamque geſtaret in publicis locis, in Eccleſiis, in ſcholis, propoſita pœna iis, qui contrafacerent, privationis beneficiorum, immunitatum, privilegiorum, juris ſuffragii, omniumque emolumentorum, quibuſcumque Univerſitas gaudet, & librarum ſex parvorum, quotiescumque contrafieret; ac præter veſtem, ſi ipſis ita videretur, faſciam adderent ſericam, aliudve ſignum, quod vellent, honeſtum, ingenuæ diſciplinæ, ac liberalibus ſtudiis conveniens.

CAP. IX.

De bonis artibus, quæ in Gymnaſio Patavino *pertractantur.*

Vetus eſt inſtitutum, ut artium, & diſciplinarum, quæ in pretio ſunt, omnium in hac antiquiſſima urbe univerſo terrarum orbi clariſſimum pateat domicilium; idque præſtantiſſimis undique accitis Doctoribus exornetur; & prom-
II. ptos, expeditoſquè habeat, qui obſcura, & num-
v. quam ſatis patefacta ſapientiæ præcepta docendo colluſtrent, ſtudioſamque optimarum artium juventutem optimis literis publico munere erudiant. Omnis enim ſapientia partim in rebus, partim in moribus, partim in ratione, & mente ſpectatur.

A Cumque res ſint trium generum, aut divinæ, aut naturales, aut Mathematicæ; res quidem divinas tractat Theologia, & Sacra Scriptura, ſimulque Metaphyſica facultas: naturales vero explicat tum Phyſica Medicina, cujus comes, & adminiſtra eſt Chirurgia, & Anatome; tum Phyſica Philoſophia, quæ ſimpliciter rerum naturam perpendit: Mathematicas autem explanat ſcientia Mathematica. Mores præterea conſiderantur tripliciter; aut ſingulorum hominum in Ethicis: aut Rerumpublicarum in Politicis: aut familiarum in Oeconomicis. Et ad facultatem Politicam, & Civilem refertur Jus Pontificium, ac Civile. Ea
B vero, quæ mens ipſa, & ratio excogitavit, quæque extra ipſam locum non habent, diſputant Logica, & Rhetorica. Ad quæ omnia enucleanda, & declaranda hoc Gymnaſium omni ſemper Doctorum genere fuit affluentiſſimum; ſive illud tempus ſpectemus, cum *Patavium* perfrui libertate viſum eſt: ſive illud, cum *Carrarienſibus* ſervivit: (nam parum admodum *Scaligeris* ſubjectum fuit, & ſæviente Tyrannide *Acciolini* intermittere Gymnaſium neceſſe habuit) ſive illud, cum benigniſſimo *Venetorum* obedivit imperio, quemadmodum in perpetuum videtur eſſe obediturum.

C

CAP. X.

De Doctoribus clarioribus Gymnaſii ſub Patavinis.

Tempore *Patavinæ* libertatis (ut nonnullos præcipuos, & clariores commemorem) circiter annum 1300. *Jacobus ab Arena Parmenſis*, & *Rolandus Placiola Patavinus* Jus civile in hoc Gymnaſio docuerunt; quorum primus plures Commentarios edidit *in Codicis libros novem: In primi voluminis pandectarum libros duodecim: In alterius*
D *voluminis libros quatuordecim: In tertii voluminis libros viginti quatuor: De excuſationibus commentarium unum: Diſputationum variarum commentarium unum: De dilationibus in legem primam, capite pan-* 12.
dectarum, Si quis cautionibus judicio ſiſtendi cauſa factis non obtemperaverit: *De exceptionibus: De expendio: De poſitionibus: De poſitionibus, & interrogationibus.* Alter, tamquàm auctor ſummarum Juris civilis, citatur ab Alvaroto *in proœmium Feudorum.* Eum, narrat *Bernardinus Scardeonius*, egregiam operam navaſſe in Legatione ad *Henricum VII.* Imperatorem, qui *Patavio* infenſus minis, dolis, armiſque immaniter ſæviens tollere li-
E bertatem Reipublicæ & ſubjicere ſibi prorſus *Patavium* nitebatur, abrepta jam per dolum *Vicetia*, quæ ſub *Patavinorum* tutela ultra quinquaginta annos quiete, tranquilleque egerat. Ejuſdem ſcripta citat *Baldus* Juriſconſultus tamquàm Juriſconſulti celeberrimi. *Bovatinus* vero *Mantuanus*, qui fuit poſtea *Patavii* Archipresbyter, Jus Pontificium interpretatus eſt. Eodemque tempore *Joannes Anguſola Cæſenas* Juris pontificii explicator fuit.

Anno 1310. *Oldradus à ponte Laudenſis* Jus civile explicavit; cujus exſtant Conſilia, & Quæſtiones. Per idem tempus *Richardus Malumbra*
F *Cremonenſis* idem Jus profeſſus eſt, *Jacobi ab Arena* olim Auditor; qui ſcripſit *Commentarios in Codicis libros novem: In Inſtitutionum libros quatuor: In pandectarum libros quinquaginta: Quæſtiones varias:* & alia multa.

Anno 1314. Floruit in Gymnaſio *Patavino Nicolaus Matarellus Mutinenſis*, qui omnes libros Codicis, & Pandectarum clariſſimis Commentariis illuſtravit: & nonnulla alia conſcripſit. Horum vitas deſcripſit *Guidus Pancirolus*, clariſſimus Juriſcon-

risconsultus in libro *De claris Jurisconsultis*, nondum edito.

Per eadem tempora in eodem Gymnasio claruit *Matthæus Roncalitrius* Logicus, Philosophus, Medicus clarissimus, qui magna sua cum laude prius *Aristotelem*, deinde *Galenum* interpretatus est. Et *Jacobus Ferolivias*, Philosophus, & Medicus celebratissimus; ex quibus ille diem suum obiit anno 1303. hic anno 1313.

CAP. XI.

De Doctoribus clarioribus Gymnasii sub Carrariensibus.

Dum *Patavium* à *Carrariensibus* teneretur, anno 1330. ab *Ubertino III. Carrariensi Reine-*
12. v. *rius Arsendus Foroliviensis* præceptor *Bartholi*, & scriptor egregius, in Gymnasium *Patavinum* honestissime accitus, ac receptus fuit.

Paulo post *Bartholus Saxoferratensis* per aliquos annos Jus civile in eodem Gymnasio docuit; qui *Commentarios in universum prope Jus civile* conscripsit.

Anno 1345. *Bartholomæus Paliarinus Vicetinus* fuit ibidem clarissimus Juris Interpres.

Similiterque *Angelus Paliarinus* ex *Bartholomæi* fratre ortus.

Circiter annum 1353. *Victor Dulcis Feltrensis*, & *Joannes Sanctogeorgianus Bononiensis*, gener *Joannis Andreæ*, celeberrimi Decretalium, & Clementinarum explicatoris, Jus Pontificium explanarunt.

Anno 1360. *Richardus Salicetus* magno invitatus præmio ad Jus civile interpretandum huc se contulit; cujus exstant *Commentarii in Codicem*, & *In primum volumen Pandectarum*, & alia quædam.

Eodem tempore *Salvanus Bononiensis* hic Jus Pontificium publice pertractavit.

Anno 1378. *Baldus Ubaldus Perusinus* à *Francisco Carrariensi* ad Jus Civile profitendum accersitus est; atque non multo post hinc discessit; Jurisconsultus omnium sui temporis celebratissimus; cujus editi sunt *Commentarii in totum corpus Juris civilis*: *In secundum Decretalium*: *Additiones speculi*: *Consilia*: *Practica*: *Margarita*, seu *Repertorium*: *Tractatus de Tabellionibus*.

Anno 1380. *Nicolaus Spinellus* Juris Pontificii in hoc eodem Gymnasio Interpres extinctus est; cujus filium *Bellofortium* Collegium *Spinellium* instituisse ad Pontem curvum, *Venetis*que *Divi Marci* procuratoribus commendasse anno 1439. superius notatum est.

Circiter eundem annum 1380. *Angelus*, frater *Baldi* Jus civile explicavit; qui composuit *Commentarios in Codicis libros novem*: *In primi voluminis pandectarum libros viginti quatuor*: *In alterius voluminis libros quatuordecim*: *In tertii voluminis libros duodecim*: *In Institutionum libros quatuor*: *In Codicis alios libros tres*: *In Auctentica*: *Consilia de sequestro*: & alia.

13. Ejus in hoc Gymnasio collega fuit *Albertus Guidelotius Perusinus*.

Sub idem tempus *Philippus Cassolus Reginus* Jus civile declaravit, tantaque fuit præditus auctoritate, ut Doctorum Doctor nuncuparetur.

Anno 1385. *Petrus ab Ancarano Farnesiorum* castro oriundus, *Bononiensis* Jus civile professus est, *Baldi Perusini* quondam auditor; qui edidit *Commentarios in Decretales*: *In Clementinas*: *In caput de Regulis Juris in sexto*: *In primum*, & *tertium volumen pandectarum*: *Opus consiliorum*. Eum *Pontanus* in suis Consiliis mire laudat.

Iisdem temporibus in hoc ipso floruit Gymna-
A sio *Joannes Ludovicus Lambertacius*, quem sibi in consulendo collegam fuisse testatur in consiliis suis *Angelus Perusinus* frater *Baldi*: & constat vitam cum morte commutasse anno 1400.

Floruit itidem *Benedictus Plumbinus*, qui commentarios pervulgavit in aliquot libros tertii voluminis pandectarum, incipiens à capite de manumissionibus, solennesque fecit Repetitiones, ac eodem anno decessit.

Postea vero à *Francisco II. Carrariensi Bartholomæus Salicetus* ex *Richardi* fratre ortus ad Jus civile declarandum adhibitus fuit; qui scripsit *In Codicis libros novem*: *In Institutionum libros qua-*
B *tuor*: *De usu Feudorum*: alia.

Similiterque *Ludovicus Cortusius Patavinus* in interpretando Jure civili excelluit; quem morientem narrat *Bernardinus Scardeonius* contra communem mortalium morem testamento interdixisse propinquis suis lachrymas, solitasque funerum lamentationes *Ennii* clari vatis exemplo: &, quæcumque lugubria solent ad mœstitiam parari, abesse prorsus voluisse; addita etiam gravi multa heredi, si voluntatem suam exsequi neglexisset. Contra vero pro his acciri jussisse Musicos, cantores, citharœdos, tibicines omnis generis, qui vario concentu una cum clero funeris pompam partim
C præirent, partim subsequerentur usque ad quinquaginta; iisque singulis mercedem dimidii nummi aurei dandam statuisse. Ac mandasse, ut duodecim puellæ innuptæ, viridibus pannis amictæ, feretrum subirent, ac usque ad sepulcrum portarent, quæ omnes pariter de more lætantium, quæcumque vellent, modulantes, alta voce con- 13.
cinerent, relicta singulis certa pecuniæ quantita- v.
te dotis nomine; sane ratum idem, quod olim *Thraces* existimarunt, luctuosa scilicet esse puerperia, & læta funera, quando illa initium laboris essent, hæc finis. Sepultum esse in vetustissima Æde *S. Sophiæ*, centum funalibus incensis,
D & viginti integris datis Clero *Patavino*, qui longo ordine præcedebat, cum omni cucullatorum multitudine, exceptis Eremitanis, quos testamento caverat, ne funeri suo interessent, nimioque illo cucullorum nigrore exsequiarum hilaritatem funestarent. Obiisse autem anno 1418.

Legitur quoque apud eundem *Scardeonium* inter clarissimos in hoc Gymnasio legum, & canonum Interpretes *Patavinos* floruisse circiter annum 1335. *Antonium Sanctangelum*: docuisse annos sex, & triginta: scripsisse *In legem*, *Si insulam*, capite pandectarum de verborum obligationibus: dictum esse solennem Doctorem, quem-
E admodum Baptista Samblasius *in tractatu de Legali studio* confirmat.

Circiter annum 1350. claruisse *Bartholomæum Capivacceum*: consuluisse cum *Baldo*, & *Paganino Sala*, illustribus Jurisconsultis: ejus exstare consultationem contra *Richardum Malumbram* in volumine tertio consiliorum *Baldi*, consilio 419.

Circiter annum 1380. magno in honore fuisse *Aicardum Alvarotum*, cujus consilia citat Grammaticus *Neapolitanus* in suis decisionibus, eum appellans illustrem Doctorem: cujusque frater *Alvarotus* & ipse excelluit in Jure interpretando.

Valde laudatum esse *Zilium Casalem*, eum, qui
F cum *Francisco Carrariensi Venetias* profectus in componendis pacis legibus inter *Venetum* Senatum, & *Ludovicum Ungariæ* Regem, qui *Taurisum* magno exercitu obsidebat, tantum profecit, ut facta pace, solutaque obsidione Rex in patriam redierit, *Veneti*que ea civitate potiti sint; quique ex hac vita excessit anno 1383.

Non parum enituisse *Ottonellum Discalcium*, Jurisconsultum celeberrimum: in legibus interpretandis Doctorem egregium: principibus *Carrarien-*

rarienfibus fumme charum: multis legationibus, aliifque honoribus à *Francifco* juniore decoratum.

Multum illuxiffe *Baldum Bonifacium Plumbinium Francifco Carrarienfi* admodum charum: in
14. arduis negotiis ab eo fæpe adhibitum; præcipueque in legatione ad *Galeacium* Vicecomitem *Mediolani*, à quo *Francifci* patris in cuftodia defuncti corpus *Francifco* filio dari ad fepeliendum ipfe fummis precibus impetravit: denique conditorem infignis *Xenodochii S. Francifci*, quod poftea *Sibylla*, ejus uxor, ornatius, locupletiufque reddidit.

Quod attinet ad Philofophiæ, & Medicinæ Doctores, inter claros hujus Gymnafii Interpretes, qui temporibus *Carrarienfium* floruerunt, valde celebratur *Petrus Pernumia*, Medicus præftantiffimus, & Medicinæ explicator celeberrimus, qui diem fuum obiit anno 1345. Et *Nicolaus Sanctafophia*, Academiæ *Patavinæ* in Medica facultate facile princeps, extinctus anno 1350. cujus duo fuerunt præcellentiffimi filii; tum *Marfilius*, qui fcripfit *Commentarios in Aphorifmos Hippocratis*, & in *Tractatum libri Rhafis ad Almaforem de curatione morborum fingularium*, Artemque Medicam in *Bononienfi* Gymnafio docuit: tum *Joannes*, qui volumen edidit infcriptum *Medicinam practicam*, & in centum, atque octoginta capita divifum; fuitque pater *Bartholomæi*, egregii in Gymnafio *Patavino* Interpretis Medicinæ; ex qua nobili familia merito fapientiæ nomen adepta prodierunt quoque *Galeacius* auctor præclari operis de febribus, & *Gulielmus*, ambo in docendo, & medendo celebratiffimi, & *Bartholomæus* junior, in ftudiis philofophiæ florentiffimus.

Celebratur quoque *Jacobus Zanetinus*, phyficam fumma cum gloria profeffus, & in re Medica maxime laudatus, non fecus ac excelluerat ejus pater *Marcus Zanetus* in Grammaticæ, & Rhetoricæ profeffione. Mortuus eft anno 1388.

Et *Sigifmundus Polcaftrus* ad explicandam publice Medicinam cum maxima ftudioforum utilitate adhibitus; qui de humido radicali in fuis commentariis fubtiliffime difputavit: & opera quædam *Galeni*, doctiffime, ac difertiffime explanavit: quatuorque filiis orbatus jam feptuagenarius alteram uxorem duxit, trefque alios filios ex ea fufcepit, & eorum primogenitum *Antonium* Juris utriufque Doctorem vidit: alterum nomine *Hieronymum* ipfemet philofophica laurea exornavit; annofque natus quatuor, & nonaginta ex hac vita difceffit.

14. v.

CAP. XII.

De Doctoribus clarioribus Gymnafii Jus profitentibus fub Venetis *ab adeptione* Patavii *ufque ad bellum ex fœdere* Cameracenfi *fufceptum.*

Poft *Patavium* anno 1405. in *Venetorum* poteftatem redactum Juri pontificio explicando operam dabat *Francifcus Zabarella Patavinus*, qui idem jus explicavit *Florentiæ*, & fuit Archiepifcopus *Florentinus*, & S. R. E. Cardinalis, extinctufque eft anno 1417. editis *commentariis in Decretales*, *in Clementinas*, *in Naturalem philofophiam*: & luculentiffimis orationibus, atque epiftolis: & libro de horis canonicis: & Repetitionibus variis: & aliis pluribus; ex cujus fchola conftat multos, magnofque Jurifconfultos prodiiffe, in primifque *Nicolaum* Abbatem *Panormitanum*, eum, qui in Jus pontificium tam multa volumina confcripfit. Fuit autem *Zabarella* ob fummam fapientiam fuam non folum ad Archiepifcopatus, & Cardinalatus dignitatem evectus: fed etiam cardinalium ftudio non

A indignus judicatus ipfo pontificatu ante *Martinum V.* cum autem præpotentis Dei voluntate eum adipifci non potuiffet, *Conftantiæ*, ubi Sacra Synodus celebrabatur, extinctus eft, maximo omnium mœrore, ac prope incredibili *Sigifmundi* Imperatoris dolore, qui Sereniffima fua præfentia, Cæfareaque Majeftate funus ejus cohoneftare gravatus non eft, tunc cum *Poggius Florentinus* de eo funebrem habuit orationem.

Anno 1424. *Petrus Maurocenus*, qui poftea fuit Cardinalis, librum fextum Decretorum explicavit cum *Profdocimo* Comite *Patavino*.

B Exftat *Mauroceni* infigne volumen in ipfum *librum fextum Decretalium*.

Comitis autem liber de differentia legum, & canonum in confanguinitate, & affinitate: prima, & fecunda pars in Decretales.

Sub idem tempus idem Jus explanarunt *Joannes Francifcus Pavinus Patavinus*, cujus legitur tum Relatio ad Pontificem Maximum de *Bonaventura à Balneo regio*, qua oftenditur illum dignum effe, qui inter fanctos referatur: tum *Baculus Paftoralis*: *Cofmus Contarenus Venetus*: *Antonius Capiliftius* Abbas, & canonicus *Patavinus*. quibus fuc- 15.
C cefferunt *Francifcus Brevius Venetus* anno 1475. & *Dionyfius Francifcius* itidem *Venetus* an. 1477.

Eadem ætate *Antonius Rofellus Aretinus* Jus Pontificium interpretatus eft; qui fcripfit *De Monarchia Mundi libros tres*: *commentarios* multos *in leges*: *Tractatum de poteftate Imperatoris, ac Pontificis*, & *concilii*: & *An penes Pontificem fit poteftas utriufque gladii*: & *De materia conciliorum*: *De fucceffionibus*: *De legitimatione nothorum*.

Idem Jus profeffi funt *Joannes Jacobus Leoniffa*: & *Joannes Jacobus Canis*; qui fcripfit *De modo ftudendi in Jure*: *De injuriis*, & *damno dato*, & iis, quæ barbare appellantur *Repreffalia*: *De executionibus ultimarum voluntatum*: *De Tabellionibus*: *De ludo haftarum*.

D An. 1431. *Paulus Caftrenfis Patavium* accitus prius *Angelum Perillium Patavinum*: mox *Joannem Francifcum Capiliftium* in Jure civili interpretando collegas habuit: clariffimis commentariis codicem, pandectas, Inftitutiones illuftravit: opus conciliorum in duo volumina divifum confecit: maximæ auctoritatis apud omnes habitus; quod *Florentia* teftatur, cujus ipfe jus municipale inftauravit, & in qua Vicariatus officium in fpiritualibus *Romani* Pontificis decreto exercuit: Jus civile docendo floruit *Florentiæ*, *Senis*, *Bononiæ*,
E *Patavii*.

An. 1440. *Jacobus Zochus Ferrarienfis* Jus pontificium declaravit, qui commentarios edidit *in quartum Decretalium*. Qui filii fint legitimi, c. per venerabilem: & *in quintum de pænitentia*, & *remiffione*. c. omnis.

An. 1447. *Raphael Raimundus Comenfis* ad Jus civile explicandum accerfitus vefpere docuit.

Et *Raphael Fulgofius Placentinus* eodem tempore mane Jus explanavit; quorum uterque præceptoris fui mores imitatus eft *Chriftophori à Caftelliono*, qui contra communem doctrinam ad excitanda ftudioforum ingenia multa tentavit. fcripfit
F *Fulgofius* commentarios in codicem: & in primum, ac tertium volumen pandectarum: confiliaque multa.

Victor autem *Dulcis Feltrenfis* Juris pontificii Interpres fuit; obiitque anno 1483.

Et *Joannes Francifcus Capiliftius Patavinus* ei 15. v.
collega datus eft. per eadem tempora *Joannes ab Imola Bononienfis* Jus civile profeffus eft, qui commentarios edidit *in primum*, *fecundum*, & *tertium Decretalium*: item *in fextum*: & *in Clementinas*: & *in fecundum*, & *tertium volumen pandectarum*: & confilia, in quibus habentur multorum canoni-

ci

ci Juris capitum materiæ fusius, & enucleatius explanatæ.

Antonius autem *à Prato* veteri *Florentinus*, primum vespertinus, deinde matutinus Juris civilis explicator fuit; *Paulum*que *Castrensem* collegam habuit, quo tempore & *Paulus Aretinus* Jus civile interpretabatur.

Et *Jacobus Alvarotus Patavinus* Feudorum libros interpretatus è vita excessit an. 1453. cujus citantur commentarii *de Feudis:* & consilia.

Et *Bartholomæus Cepolla Veronensis*, cum diu Jus civile docuisset, decessit. an. 1470; cujus extant commentarii *De cautelis Juris in causis civilibus: De simulatis contractibus. De prædiis urbanis. De prædiis rusticis: De re militari: De furtis: Consilia criminalia:* & alia.

Ejus fuit collega *Alexander Tartagnus*, cujus leguntur *Consiliorum libri septem.*

An. 1474. *Petrus Franciscus Ravennas* Juris civilis explanator fuit.

An. 1484. *Angelus* Filius *Pauli Castrensis* primum Juris canonici, deinde Juris civilis Interpres fuit; quadragintaque annos jura docuit, ut legitur in Epitaphio ejus, & patris posito ad *S. Mariæ* Servorum à *Nicolao Castrensi Angeli* filio; qui & ipse jus pontificium explicavit; fuitque Canonicus *Patavinus.*

Angelus autem *Aretinus*, quem alias *Angelum Gambilioneum* ab *Aretio* oriundum vocant, commentarios pervulgavit *in Justiniani Institutiones Leonello Estensi* Marchioni *Ferrariæ* inscriptos: & *De testamentis, & clausulis testamentorum:* & *De maleficiis in jure, & clausulis processus Inquisitionalis:* & *in tertium librum codicis de Inventario:* & *Consiliorum volumina duo:* & *Repertorium juris:* & explicationem legis, *Si vacantia, capite codicis de bonis vacantibus, libro decimo.*

16. Eodem tempore *Alexander Nævus Vicetinus* Juris canonici fuit professor; qui scripsit *De gestis Romanorum:* itidem *consilium contra Judæos fœnerantes:* & *consiliorum volumen.* Abbatisque *Panormitani* libros supra omnes editiones locupletavit: commentariumque fecit *in quatuor libros Decretalium.*

Et *Joannes Georgius Branditius Vicetinus Patavii* publice Jus civile declaravit, fecitque commentarios *in Justiniani Institutiones.*

Et *Gallianus Ancaranus*, & *Galeacius Gurges* similiter *Vicetini* fuerunt Juris civilis explicatores.

Anno 1498. *Bartholomæus Sozinus Mariani* senioris filius Jus civile explicationibus suis illustravit; cujus exstant scripta *de Regulis Juris*, & ut ipse appellavit, *fallentiis:* & nonnulla in secundum, & tertium volumen pandectarum, & in omnes octo partes Juris civilis: & *consiliorum volumina quatuor*; quamvis nonnulli putent commentarium de Regulis Juris, earumque fallentiis ipsius *Bartholomæi* non esse.

Sub idem tempus *M. Antonius Baverius Bononiensis* in Jure civili interpretando excelluit; cujus leguntur consilia: & commentarius in Institutiones: & scripta quædam *de legatis, de jurejurando, de mora.*

Anno 1496. *Jason Maynus Mediolanensis Patavium* proposito mille ducatorum præmio vocatus *Antonium Ursatum Patavinum* collegam habuit; ac per tres tantum annos in hoc Gymnasio Jus civile docuit; scripsitque orationem, quam *Romæ* ad *Alexandrum III.* Pontificem Maximum dicitur habuisse: itidemque commentarios *in caput Institutionum de actionibus: in codicem: in pandectas: consilia: Epitalamium ad Maximilianum Romanorum Regem*, in ipsius, & *Augustæ Blancæ Mariæ nuptiis*, impressum cum orationibus *Philippi Beroaldi.*

A *Joannes Campegius Bononiensis Jasoni* successit; collegamque habuit *Hieronymum Buttigellam Ticinensem.* Exstat *Campegii Tractatus de dote:* & *volumen consiliorum:* & alia. *Buttigellæ* autem exstant Repetitiones: & commentarii in codicem, & in multa capita pandectarum.

Petrus Thomas Ravennas eodem tempore ad Jus pontificium interpretandum incubuit. 16. v.

Anno 1502. *Carolus Ruinus Reginus* Juri civili interpretando operam dedit; qui magna nominis celebritate etiam *Bononiæ* docuit. ac scripsit *in primum, & secundum secundi voluminis pandectarum:* B & *consiliorum volumina quinque:* & *in quatuor Juris civilis post meridianos Tractatus.*

Atque hi fere omnes egregie celebrati sunt ab egregio Jurisconsulto Guido Pancirolo *in libro de claris jurisconsultis.*

Hisque addi potest *Franciscus Malchiostrus Parmensis*, quem in hoc Gymnasio Jus profitentem sicarii crudelissime extinxerunt, ut patet ex ejus Epitaphio posito à *Brocardo* fratre in Basilica Eremitarum anno 1507.

Et *Balthasar Carducius Florentinus*, qui Justum Pontificium, tum Cæsareum in eodem Gymnasio docuit.

C Et *Thomas Zanechinus Vicetinus* Juris Pontificii Interpres.

A *Bernardino* autem *Scardeonio* alii multi commemorantur, omnes *Patavini*, de quibus ab eo tantum agebatur; quique à nobis breviter adnotabuntur.

Præter *Franciscum Zabarellam*, de quo supra, *Bartholomæus Zabarella* ex *Andrea Francisci* fratre ortus, Juris Pontificii in Gymnasio *Patavino* explicator: Referendarius Apostolicus: Archiepiscopus primum *Spalatinus*, deinde *Florentinus: Eugenii IV.* Pontificis Maximi in *Hispania* Legatus, in qua legatione obiit anno 1445.

D *Daniel Ridus* circiter annum 1400. Juris civilis Interpres clarissimus.

Bellofortius Chechileus.

Antonius Sanctolunardius.

Præter *Joannem Franciscum Capilistium*, qui quidem in *Patavino* Gymnasio claruit cum collegis præcellentissimis, *Paulo Castrensi, Jacobo Saliceto, Raphaële Fulgosio*; fuitque legatus in Concilio cœpto *Basileæ* primum pro *Venetis* anno 1431. deinde pro *Eugenio IV.*

Anno 1434. etiam *Joannes Fridericus Capilistius* à *Bartholomæo Cepolla* celebratus in consilio 54. E præceptor *Bertachini* clarissimi scriptoris, ut ipse *Bertachinus* confitetur.

Et *Bartholomæus Capilistius*, qui docuit in eodem Gymnasio annos tres, & triginta, obiitque 17. anno 1459.

Marinus Zabarella in legibus publice interpretandis clarissimus, extinctus anno 1427. cujus vestigiis egregie postea institit *M. Ant. Zabarella*, Eques, Juris Pontificii explanator.

Præter *Jacobum Alvarotum*, qui præceptoribus perillustribus operam dedit, in Jure Civili *Bartholomæo Saliceto*, & in Jure Pontificio *Francisco Zabarellæ:* etiam *Petrus Alvarotus*, qui in Jure F interpretando celeberrimi Jurisconsulti *Raphaëlis Fulgosii* collega fuit: scripsitque in caput primi voluminis Pandectarum de pactis, explicans legis, Rescriptum, paragraphum, si pacto.

Et *Comes*, & *Franciscus Alvaroti*, & *Jacobus* junior, Juris interpretes præstantissimi.

Petrus Barbobus, seu *Sozinus*, professor Juris Civilis per annos octo, & viginti, citatus à *Cepolla* in consiliis.

Paulus Doctus in Jure pontificio interpretando excellentissimus.

Joannes Sanlazarus extraordinaria explicatione ordi-

ordinariarum quæstionum Juris Civilis cum maxima omnium admiratione functus.

Laurus Palatiolus explicator Juris Civilis præstantissimus.

Franciscus Verzelesius, clarissimus interpres Juris Pontificii.

Et *Joannes Verzelesius* ejusdem Juris professor egregius, qui cum *Cepolla* sæpe consuluit.

Franciscus Porcellinus, in hoc, & in *Ferrariensi* Gymnasio Juris tum Pontificii, tum Civilis per octo, & triginta annos explanator admirabilis, adhibitus sæpe in consilium cum *Paulo Castrensi*, & *Bartholomæo Cepolla*, ut legitur in eorum consiliis, auctor libri de inventario, & ejus confectione, ac scriptor plurimorum consiliorum.

Joannes à Prato inter Juris Pontificii, & Civilis interpretes acutissimus, qui commentarium edidit in duodecimum librum primi voluminis Pandectarum, explicans in capite, *Si certum petatur*, legem *Certum*, & legem *Omnia:* & legem *Certi condictio*, & legem *Siquis nec caussam.*

Petrus Bagarotus tum docendo, tum consulendo in patrio Gymnasio cum maxima nominis celebritate versatus.

Joannes Baptista Samblasius in legibus publice
17. interpretandis valde laudatus, plurimorum ope-
v. rum scriptor.

Joannes Baptista Rosellus per quinquaginta, & amplius annos Jus civile cum maxima auditorum frequentia professus, auctor consiliorum de Sacro Monte pietatis, instituto *Patavii* anno 1494.

Antonius Turchetus inter Juris interpretes perillustris.

Petrus Canis Joannis Jacobi filius, Juris Pontificii explicator præclarus.

Antonius Zachus in Institutionibus explicandis summam laudem adeptus.

Franciscus Facius in Jure Pontificio explanando summe celebratus.

Antonius Ursatus Jus Civile in publicis scholis per annos quatuor, & triginta interpretatus.

Gaspar Ursatus & ipse Juris Civilis per annos quatuor, & viginti explicator.

Joannes Franciscus Musaptus Juris Pontificii professor celebratissimus, electus circiter anno 1515. & professus usque ad pestilentem annum 1528. cum mortuus est; cujus nomen nunc repræsentatis, qui in aliis generibus literarum omnem superat laudis excellentiam, in cognitione linguarum, *Græcæ*, *Latinæ*, ejusque quam sibi *Etrusci* vindicant, in notitia omnis antiquitatis, in studio Rhetoricæ, Poëticæ, philosophiæ, in veterum poëtarum imitatione, quorum cum laude pulcherrima versibus maxime Græcis pangendis, & orationibus conscribendis contendere merito posse existimatur. Ejusdem *Joannis Francisci* Jurisconsulti præclaris vestigiis institit *Aloysius Alexandri* filius, doctus & ipse literis *Græcis*, & *Latinis*, qui anno 1591. *Salernum* accitus est, ibique Jus Civile docuit usque ad annum 1594. cum ad idem Jus profitendum *Romam* vocatus est, ubi anno 1596. vitam cum morte commutavit, quadraginta tantum annos natus, menses quatuor, dies decem, immortali gloria dignus, postteaquàm corpus tam cito mortale habuit.

Aloysius Pontanus Juris Pontificii explicationem cum magna laude professus.

Ottonellus Pasinus egregie imitatus *Ant. Franciscum* patrem, & *Ottonellum* patruum, egregios jurisconsultos, & proavunculum *Joannem Fran-*
18. *ciscum*, clarissimum scriptorem, adhibitusque primum ad institutiones *Justiniani*, deinde ad Jus pontificium explicandum in sexto Decretalium.

Albertus, seu *Bertucius Bagarotus* Juris itidem pontificii explanator excellentissimus.

CAP. XIII.

De Doctoribus clarioribus Gymnasii Artes profitentibus sub Venetis *ab adeptione* Patavii *usque ad bellum ex fœdere* Cameracensi *susceptum.*

Inter Philosophiæ, Medicinæque professores permulti recensentur; in quibus anno 1428. *Cajetanus Thieneus Vicetinus*, Canonicus *Patavinus*, Philosophus, & Theologus celebratissimus *Patavii* publicum docendi munus obivit, ac Commentarios reliquit *in Aristotelis tres libros de anima: in quatuor libros de cælo, & mundo: in quatuor libros Meteorologicorum: in libros octo physicorum.*

Bartholomæus Montagnana Patavinus Medicæ facultatis professor clarissimus floruit circiter annum 1440. cujus habentur opera luculentissima: consiliaque plurima: & *Tractatus tres de balneis Patavinis*, *de compositione*, & *dosi Medicinarum*, *Antidotarium*; quemque præclare imitatus est *Bartholomæus* junior, Medicinæ itidem explanator, qui obiit anno 1525.

Joannes Antonius Lidius Patavinus in tradenda Medica facultate Princeps claruit circiter annum 1464.

Christophorus Ricinensis Philosophus, & Medicus inclytus vitam cum morte commutavit anno 1480. quem, ut legitur in ejus Epitaphio ad Divi *Bernardini*, universa *Italiæ* Gymnasia peripateticæ Scholæ Principem luxere.

Anno 1487. cum maxima sua laude, ac prope incredibili omnium cum admiratione audita est *Cassandra Fidelis*, Virgo *Veneta*, in Gymnasio *Patavino*, pro *Alberto Lamberto* Canonico *Concordiensi* consanguineo suo, Philosophiæ insignia suscipiente, luculentissimam, quæ edita est, habens orationem. Ad eandem, tamquàm ad literatissimam Virginem exstat epistola *Angeli Politiani* in libro tertio Epistolarum eam tamquàm decus *Italiæ* celebrantis.

Petrus Rocabonella Venetus Philosophiam, Medicinamque quadraginta annis docuit, decessitque anno 1493. cujus Epitaphium legitur ad Divi *Francisci*.

Paulus Bagelardus, seu à *Flumine* primum Phi-
losophiam, deinde Medicinam de superiore loco 18.
professus est; scripsitque *de ægritudinibus infan-* v.
tium ad *Nicolaum Thronum Venetiarum* Principem; morteque sublatus est anno 1494.

Bartholomæus, & *Franciscus Novalii* fratres philosophiam, & Artem Medicam publice docuerunt, & circiter anno 1500. floruerunt.

Medicinam quoque cum maxima gloria professus est *Nicolaus Passer*, seu *Genua*, pater celeberrimi philosophi *M. Antonii*, de quo inferius; atque è vita excessit annum 1522.

Antonius Tubeta Patavinus, *Athenarum* Archiepiscopus, ea, quæ dicuntur Metaphysica, duos, & quadraginta annos interpretatus est; obiitque anno 1518.

CAP. XIV.

De Doctoribus clarioribus Gymnasii Jus profitentibus ab anno 1520. *usque ad annum circiter* 1570.

Susceptum est bellum contra *Venetos* ex fœdere *Cameracensi*, quod quidem anno nono supra millesimum, & quingentesimum ad *Cameracum Belgarum* oppidum initum est inter *Julium II.* Pontificem Maximum Imperatorem *Maximilianum*,

rum, Regem *Galliæ Ludovicum*, Regem *Hispaniæ Ferdinandum*, *Alphonsum* Ducem *Ferrariæ*, *Franciscum* Ducem *Mantuæ*; quo tempore in maximo armorum ardore Gymnasium *Patavinum* parum potuit illucere; donec tam gravi, & periculoso bello anno millesimo quingentesimo decimo septimo finis impositus est. Itaque paulo post clarissimæ ipsius Gymnasii exercitationes diutius intermissæ *Veneti* Senatus jussu restitutæ sunt.

Tunc *Jacobus* quidam *Patavinus* ad Jus Pontificium explicandum adhibitus est.

Eodem tempore *Ant. Franciscus Doctorius Patavinus* idem Jus est professus, collega gravissimorum Jurisconsultorum, atque inter cæteros *Philippi Decii Mediolanensis*, ut tradidit *Bernardinus Scardeonius*, & *Antonii Corseti*, ut observavit *Guidus Pancirolus*; ediditque eruditissima additamenta ad Abbatem *Panormitanum* in Decretales, & ad *Alexandrum Tartagnum Imolensem*; cumque per annos tres, & quinquaginta publice docuisset, anno 1528. diem obiit suum.

19. Reliquit *Decius* in utrumque Jus scripta doctrinæ plenissima; *Consiliorum libros quatuor*: explicationes in *Decretales*, in *Pandectas*, in *Codicem*: Commentarium *in caput de Regulis Juris*; extinctusque est *Senis* anno 1535.

Scripsit Corsetus *de materia Trebellianica*: *de privilegiis pacis*: *fallentias ad Regulam*, quòd spoliatus ante omnia debet restitui: *Tractatum de potestate Regis*: *de bravio*: *de decisionibus gem. Repertorium in Panormitanum*; & quædam alia. Anno 1521. *Pet. Paulus Parisius Consentinus Patavium* ad Jus civile explicandum accitus *Franciscum Sfrondatum Cremonensem* collegam habuit; scripsitque commentarios quosdam in Jus Pontificium, & in quatuor Juris civilis postmeridianos Tractatus.

Anno 1528. *Ludovicus Gometius Hispanus M. Mantuæ Benavidio* ad Jus Pontificium explicandum collega datus est, is, qui *Joannis Nevizani* indicem scriptorum in Jure locupletavit; & multos commentarios fecit in caput Institutionum de actionibus: in caput pandectarum, *Si certum petatur*: in Clementinas: in Decretales: in alia.

Cum autem *Hieronymus Butigella Ticinensis* collega fuerit *Joannis Campegii Bononiensis*, ut supra notatum est; *Butigellæ* successit *Franciscus Burla Placentinus*, annisque duodecim docendo floruit cum *Achille Comite* collega.

Anno 1530. *Marianus Sozinus* junior *Mariani* senioris nepos, qui ante docuerat *Senis*, & *Pisis*, docuit etiam *Patavii*, *Francisco Sfrondato* succedens: inde *Bononiam* honestissime accitus summa cum laude multos ibi annos professus est. Ejus scripta in multas Pandectarum partes leguntur: & in quatuor vespertinas materias in celeberrimis *Italiæ* Gymnasiis pertractatas: magnaque consiliorum volumina.

Joannes Antonius Rubeus Francisco Curtio juniori cum successisset, mortuus est anno 1544. qui fuit Patricius *Alexandrinus*, supremi Senatus *Sabaudiæ* Senator, Eques, Comesque Cæsareus, optimus vir, & J. C. in profitendo jure *Ticini* primum, deinde *Valentiæ*, tum *Taurini*, postremo *Patavii* primum locum summa cum gloria consecutus, ut legitur in ejus Epitaphio ad Divi *Joannis Viridarii*.

Hujus successor fuit *Hieronymus Cagnolus Ver-*
19. v. *cellensis Curtii* Junioris exstant commentarii in aliquot partes pandectarum: & consiliorum volumen.

Rubei quoque in Jus civile, & in tertii voluminis pandectarum caput *de acquirendo rerum dominio*, legem *Ea*, *quæ civiliter*, paragraphum *Post mortem*.

Cagnoli autem *de origine Juris*, *de Regulis Ju-*

A *ris*, *de recta principis institutione*, & opus in tria volumina distributum.

Fabius Acorambonus Eugubinus Mariani Sozini fuit collega; scripsitque ad *Senatus Consultum Trebellianum* in legem *Heredes mei* paragraphum *Cum ita*: *de acquirenda possessione* in legem *Naturali*, paragraphum *Nihil commune*: Unde liberi in legem *Qui se patris*.

Anno 1533. *Viglius Zuichemus Frisius* Institutiones *Justiniani* in hoc Gymnasio disertissime explanavit, is, qui *Theophili* Institutiones Juris civilis in *Græcum* sermonem translatas in lucem eruit, ac studiosis communes fecit cum doctissima
B præfatione ad *Carolum V.* Cæsarem: ediditque etiam commentarios in decem capita secundi libri Institutionum, quibus omnia propemodum Testamentorum jura eleganter, dilucideque sunt explicata.

Anno 1542. *Julius Oradinus Perusinus*, vir acutissimus vespere Jus civile interpretatus est: *Sansovinum*que collegam habuit: cui *Hieronymus Torniellus* successit; scripsitque in legem *Gallus*, secundi voluminis Pandectarum capite de liberis, & posthumis: in librum *de legatis primum*: *de conditionibus*, & *demonstrationibus*: *ad legem Falcidiam*:
C *ad Senatus Consultum Trebellianum*: & in caput tertii voluminis *de verborum obligationibus*: & *de utilitate*, *ac potestate actionum*.

Anno 1548. *Matthæus Gribaldus Cheriensis* collega fuit *Tornielli*, auctor commentariorum in *Pandectas Juris*, & librorum trium *de methodo*, *ac ratione studendi in jure civili*; qui de hæretica pravitate suspectus abire *Patavio* necesse habuit.

Decanus Bonsius Patavinus mane Jus canonicum explanavit; cujus fuit successor *Jacobus Philippus Imolensis*. Ac de his legendus est liber *Guidi Panciroli*, qui est *de claris Jurisconsultis*.

Alii vero multi *Patavini* celebrantur; inter quos
D *Antonius Trapolinus* clarissimi philosophi, & Medici filius, ejus, qui scripsit *de humido radicali*, 20.
& *de actu Medicinarum*, cum maxima auditorum frequentia *Justiniani* Institutiones explicavit.

Post *Antonium Leonium* non modo *Jacobus* ejus nepos, sed etiam *Ludovicus* alter ejusdem nepos Jus civile cum magna sua laude pertractavit.

Bartholomæus Urbinius in Jure Pontificio explicando per annos triginta versatus est.

Hieronymus Justus leges, & decreta circiter annos triginta docuit; cujus filius *M. Antonius* & ipse Juris civilis Interpres fuit.

Lazarus Baldus in legibus explicandis excel-
E luit.

Præter *Franciscum Porcellinum*, quem supra notavi in *Patavino*, & *Ferrariensi* Gymnasio egregium Juris Pontificii, ac Civilis explicatorem se ostendisse, sæpeque cum *Paulo Castrensi*, & *Bartholomæo Cepola* consuluisse, in eorum Consiliis citatum: etiam *Antonius Porcellinus* in legibus de superiore loco interpretandis maximam præstantiam præ se tulit.

Similiterque Clarissimi Juris Interpretes fuerunt *Michael Milliarius*: *Bartholomæus Gloria*: *Franciscus Bradiolus*: *Marsilius Papisavius*: *Alexander Papisavius*: *Joannes Marius Chartularius*: *Julius*
F *Bonocius Tolentinus*: *Georgius Caballinus*: *Ludovicus Braynus*: post *Angelum Buzacharenum*, & *Bernardum Buzacharenum* etiam *Arcuanus* ad Institutiones explicandas adhibitus: *Leo Lazara*: *Michael Marostica*: *Hieronymus Targulinus*: *Sigismundus Brunellus*: *Carolus Guarnacius*: *Vincentinus Rubeus*: *M. Antonius Blancus*: *Nascimbenus Pectenellus* in declaranda arte Tabellionum egregie versatus: *Antonius Bagarotus*: *Hieronymus Campisampetrus*: *M. Mantua Benavidius*: *Baptista Panzeta*: *Petrus Leonius*: *Fridericus Rogerius*: *Anto-*

nius Catarus: Gaspar Fabianus: Daniel Blasius: Annibal Buzacharenus: Philippus Octavianus; de quibus omnibus legendus est *Bernardinus Scardeonius.*

CAP. XV.

Catalogus Doctorum, qui Artes in Gymnasio professi sunt ab anno 1520. usque ad annum circiter 1570.

Quod attinet ad Philosophiæ, & Medicinæ, atque Artium professores, ut in Rotatis paginis à me lecti sunt, hic adscribentur;

20. v. EXPLICATORES THEOLOGIÆ EX DOCTRINA DIVI THOMÆ ELECTI SUNT.

Anno 1520. *Gaspar Perusinus.*
1532. *Thomas Omnibonus Venetus.*
1536. *Bartholomæus Spina Pisanus*, qui scripsit *de potestate Pontificis super conjugiis in gradibus lege Divina prohibitis*, & *de strigibus.*
1545. *Sistus Medices Venetus*, cujus legitur liber *de furore Judæorum*, & alia.
1554. *Hieronymus Vielmius Venetus.*
1561. *Joannes Ambrosius Barbavarius Mediolanensis* auctor *orationis de S. Thoma.*

EX DOCTRINA SCOTI.

Anno 1520. *Simon Ardeus.*
1539. *Hieronymus Girelus Brixianus.*
1566. *Bonaventura Manentus Gabianensis.*

EXPLICATORES SACRÆ SCRIPTURÆ.

Anno 1551. *Adrianus Venetus.*
1565. *Hieronymus Vielmius.*
1571. *Hieronymus Quainus.*

EXPLICATORES EORUM, QUÆ METAPHYSICA DICUNTUR EX DOCTRINA DIVI THOMÆ.

Anno 1520. *Albertus Utinensis.*
1535. *Joannes Franciscus Beatus Venetus.*
1544. *Adrianus Venetus*, qui postea fuit Theologiæ explicator, & Episcopus *Justinopolitanus.*
1551. *Hieronymus Vielmius*, *Venetus*, qui itidem fuit postea Theologiæ explicator, & Episcopus *Argolicensis*, & suffraganeus Ecclesiæ Cathedralis *Patavinæ.*
1552. *Joannes Matthæus Valdensis Siculus.*
1560. *Thomas Peregrinus Venetus.*

21. EX DOCTRINA SCOTI.

Anno 1520. *Jacobus Bargius.*
1563. *Antonius Garignanensis.*
1565. *Martialis Peregrinus Calaber.*

EXPLICATORES MEDICINÆ THEORICÆ ORDINARIÆ.

Anno 1520. *Ludovicus Carrariensis.*
1523. *Joannes Laurentius Saxaferratensis.*
Franciscus Victorius Bergomas, scriptor multarum rerum in Philoso-

A phia, & Medicina, quæ incendio perierunt; de quibus legenda est præfatio *Aldi Manutii Græcis Alexandri Aphrodisiensis* in Topica *Aristotelis* commentariis præfixa.
1524. *Matthæus Curtius Ticinensis* auctor variorum operum *de venæ sectione in pleuritide: de aquæ bonitate:* in *Anatomen Mundini: de methodo dosandi ad Tyrunculos.*
1530. *Ludovicus Charensius Tosettus*, cujus legitur *introductorium in Artem Medicam practicam.*
B 1532. *Benedictus Victorius Faventinus: Franciscus Frigimelica Patavinus.*
1535. *Oddus de Oddis Patavinus.*
1540. *Franciscus Cassianus.*
1541. *Pamphilus Montius Bononiensis.*
1543. *Joannes Baptista Montius Veronensis.*
1551. *Bassianus Landus Placentinus*; cujus celebratur *Iatrologia*, quam adhuc juvenis conscripsit, seu *Dialogi duo* ad *Herculem Estensem* secundum *Ferrariæ* Ducem, quibus continetur methodus ad cognoscendos, & curandos morbos: *de humana historia libri duo*, vel de singularum hominis partium cognitione: orationis *Demosthenis* C contra *Androtionem* latina conversio: *ecphrasis de motu: ecphrasis de tempore: ecphrasis de loco:* præfatio in Aphorismos *Hippocratis:* libellus *de vacuatione:* liber, cui titulus est *Epiphylides:* Annotationes *in Terentium:* paraphrasis in libros *Aristotelis de anima:* commentarius in *Artem parvam: de origine, & causa pestis Patavinæ* anno 1555. 21. v.
de incremento: de natura cœlesti.
1559. *Paulus Crassus Patavinus.*
1563. *Bernardinus Paternus Saloensis.*

EXPLICATORES MEDICINÆ PRACTICÆ ORDINARIÆ.

D Anno 1521. *Christophorus Aretinus.*
1521. *Ludovicus Carrariensis* à theorica ad practicam traductus.
1522. *Hieronymus Bagolinus Veronensis*; qui fecit Annotationes in *Averrois compendium super Aristotelis priora resolutoria:* interpretationem *Joannis Grammatici Philoponi* in *Aristotelis* libros de generatione, & corruptione; & quæstionum moralium *Alexandri Aphrodisiensis*, & de fato: Annotationes, & dubitationes in primum resolutorium *Aristotelis:* Interpretationes *Syriani* in Metaphysica.
E 1524. *Bernardinus Speronius:*
Ludovicus Charensius etiam à Theorica ad practicam translatus.
1527. *Hieronymus Acorambonus Eugubinus*, cujus habetur Tractatus *de catarrho:* item *de usu, & natura lactis:* & *de putredine.*
1528. *Franciscus Victorius Memoria* traductus à Theorica ad practicam.
1531. *Franciscus Bonafidius Patavinus*, qui edidit Tractatum *de pleuritide curanda* adversus *Curtium*; diciturque tres tomos conscripsisse, quorum primus septem volumina comprehendebat; F primo loco commentarios *in Aristotelis libros de spiritibus, & plantis:* secundo *de nominibus ad historiam plantarum pertinentibus:* tertio *de nexu utriusque mundi:* quarto *de semestri partu:* quinto *de disceptatione orta inter Antonium Fumanellum*, & *Bartholomæum Clivanum* Medicos *Veronenses* de vino invicem disceptantes, quorum judex *Fracastorius* fuit: sexto *de nomenclatura simplicium medicamentorum:* septimo *de ponderibus minoribus, & grano.* Alter tomus quatuor libros continebat; primo

mo loco *de fine artis Medicinalis :* secundo *de du-*
22. *plici ratione componendi medicinas :* tertio expositionem *Canonum universalium cum modo curandi spasmum :* quarto *modum intelligendi gradus medicinarum* secundum *Dioscoridem.* Tertius Tomus erat *de pleuritide* cum expositione theorematum, seu canticorum *Avicennæ*, & utrum Medicina sit scientia, an ars : *de sex rebus non naturalibus : de Medicina practica.*

1535. *Franciscus Frigimelica* translatus à Theorica ad practicam.

1540. *Joannes Baptista Montanus Veronensis*; qui *Aetii* Medici libros decem latine convertit, nempe septem priores, & tres posteriores, aliaque complura conscripsit, è quibus edita sunt Metaphrasis summaria eorum, quæ ad medicamentorum doctrinam attinent : libellus *de gradibus, & facultatibus medicamentorum :* expositio in nonum librum *Rasis* ad *Almensorem* Regem *Arabum :* explicationes *in Aphorismos Hippocratis cum tabula de caussa fluoris alvi, & siccitatis,* & altera *de alimentorum differentiis :* libri duo, alter *de fecibus, vel excrementis alvi*, alter *de urinis*; quibus accessit quæstio, quomodo medicamentum æquale, vel inæquale dicatur, videlicet calidum, frigidum, humidum, siccum : Consiliorum Medicinalium centuria prima : in primum *Fen Avicennæ :* in artem curandi ad Glauconem : *de simplicibus medicamentis :* in *artem parvam :* in *primum Hippocratis Epidemiorum : examen Aureæ Alexandrinæ : Idea Hippocratis : de aquis destillatis : de coctione, & præparatione humorum : de differentiis medicamentorum simplicium : explicatio qualitatum simplicium, & compositorum medicamentorum : periocha Methodica in Galeni libros*, de elementis, de atrabile, de natura humana, de temperamentis, & naturalibus facultatibus, de generatione pituitæ : *methodus universalis in artem Galeni ad Glauconem : de componendis medicamentis : explicatio locorum Medicinæ : de morbo Gallico : de uteri affectibus : summaria declaratio eorum, quæ ad universam cognitionem maxime faciunt : de characterismis febrium : quæstiones de febre sanguinis, de febre hectica, de febre pestilente : consultationum Medicarum opus* absolutum, atque perfectum : *de ordine in edendis, legendisque Galeni libris servando.*

1544. *Pamphilus Montius Bononiensis.*

22. v. 1546. *Antonius Fracantianus Vicetinus*; cujus editus est Tractatus *de morbo Gallico.*
Paulus Crassus Patavinus.

1551. *Victor Trincavella.*

1563. *Aloysius Bellacatus Brixianus.*

1564. *Hieronymus Capivacceus Patavinus.*

1569. *Hieronymus Mercurialis Forolivienſis.*

EXPLICATORES PHILOSOPHIÆ ORDINARIÆ.

Anno 1520. *Brandaporus Mediolanensis.*
Hieronymus Bagolinus Veronensis, qui postea adhibitus est ad Medicinam Practicam ordinariam explicandam.

1521. *Joannes Montisdocha Hispanus.*

1524. *M. Antonius Passer* cognomento *Genua Patavinus*, cujus editi sunt commentarii in tres libros Aristotelis *de anima.*

1525. *M. Antonius Zimara Sanctipetrinas*; cujus exstant *Theoremata, seu memorabilium propositionum limitationes : tabula dilucidationum in dicta Aristotelis*, & *Averrois*, ubi verba, & sententiæ utriusque per omnes philosophiæ partes ordine Alphabeti breviter proponuntur, cum indicatione

A locorum, in quibus ipsi auctores de rebus quæsitis copiosius disputant : *solutiones contradictionum in dictis Aristotelis*, & *Averrois* in unum collectæ, & in ordinem redactæ, juxta librorum *Aristotelis*, & *Averrois* contextus.

1532. *Vicentius Madius Brixianus*; cujus leguntur in Aristotelis librum *de Poetica explanationes* communes cum *Bartholomæo Lombardo Veronensi*, & propriæ Annotationes : ac *de ridiculis* liber : & in Horatii librum *de Poetica Interpretatio.*

1543. *Abracius Apulus.*

B 1564. *Franciscus Piccolomineus Senensis.*
Fridericus Pendasius Mantuanus.

EXPLICATORES MEDICINÆ THEORICÆ EXTRAORDINARIÆ.

Anno 1520. *Hieronymus Pedemontius Veronensis.*
Bartholomæus Barisonus Patavinus. 23.
Petrus Novalius Patavinus.

1524. *Petrus Maynardus Veronensis.*
Francisus Bonafidius Patavinus.

C 1526. *Franciscus Frigimelica Patavinus :*
Oddus de Oddis Patavinus.

1527. *Bartholomæus Petronius Patavinus.*

1531. *Magnus Mantuanus.*
Christophorus à S. Maximo Patavinus.

1532. *Octavianus Tabula Vicetinus.*
Ant. Thomas Sapientius Pedemontanus.

1533. *Joannes Olivus à S. Elpidio.*

1534. *Jacobus Ferdinandus à Bario.*

1535. *Josephus Strutius Polonus.*

1536. *Bernardinus Paternus Saloensis.*

1537. *Alexander Landus Veronensis.*

D 1538. *Antonius Fracantianus Vicetinus :*
Joannes Bertonius Tridentinus :
Ludovicus Campilongus Patavinus.

1539. *Franciscus Cyrochus Fulginas.*

1540. *Hieronymus Balneus Bergomas.*

1541. *Josephus Salandrus Bergomas :*
Julius Coradinus Patavinus.

1542. *Hieronymus Donzelinus Brixianus.*

1543. *Paullus Dionysius Veronensis.*

1544. *Pompejus Maceranus Brixianus :*
Baptista Vitanus Comensis.

1545. *Bassianus Landus Placentinus :*
Vincentius Odeschalcus Comensis.

E 1546. *Jo. Baptista Puteus Veronensis.*

1547. *Franciscus Richardus Romanus.*

1548. *Ludovicus Lazizius Veronensis.*

1550. *Albertus Zambonardus Veronensis.*

1551. *Comes Montanus Vicetinus :*
Julius Gellus à Bario.

1552. *Franciscus Urseolus Urbinus.*

1553. *Hieronymus Confalonerius Brixianus.*

1554. *Galeacius Burgofortius Mantuanus.*

1555. *Franciscus Morzentius Brixianus :* 23.
Julius Bonifacius Vicetinus. v.

1556. *Jo. Nicolas Coradinus Ariminensis.*

1557. *Jo. Baptista Arlotus Reginus.*

F 1558. *Hieronymus Sala Brixianus.*

1559. *Gualdus Gualdius Vicetinus.*

1560. *Gaspar Ronchus Brixianus.*

1561. *Hieronymus Capivacceus Patavinus :*
Sebastianus Marcellanus Patavinus.

1566. *Bernardinus Trivisanus Patavinus :*
Albertinus Bottonus Patavinus.

1567. *Ludovicus Aguellius Patavinus.*

EXPLICATORES MEDICINÆ PRACTICÆ EXTRAORDINARIÆ.

Anno 1520. *Hieronymus Urbinius Patavinus:*
Franciscus Lignamineus Taurisanus:
Ludovicus Pasinus Patavinus.
1524. *Hieronymus Bagolinus Veronensis.*
1526. *Franciscus Bonafidius Patavinus.*
1527. *Petrus Maynardus Veronensis:*
Paulus Placiola Patavinus.
1528. *Hieronymus Tolentinus Patavinus:*
Gaspar Marzola Montanianensis.
1529. *Hieronymus Tirabuscus Patavinus.*
1531. *Paulus Crassus Patavinus.*
1532. *Jo. Hieronymus Blasius Patavinus.*
1538. *Christophorus Maximus Patavinus.*
1539. *Aloysius Bellacatus Brixianus.*
1546. *Andreas Appellatus Brixianus:*
Hieronymus Ferrarius Patavinus.
1552. *Hieronymus Capivacceus Patavinus.*
1559. *Nicolaus Curtius Brixianus.*
1562. *Hieronymus Niger Patavinus.*
1564. *Marianus Stephanellus Patavinus.*

24.
EXPLICATORES PHILOSOPHIÆ EXTRAORDINARIÆ.

Anno 1520. *Andreas Aleotus Patavinus:*
Joannes Baptista Confalonerius Veronensis:
Oddus de Oddis Patavinus.
1523. *M. Antonius Genua Patavinus.*
1524. *Spero Speronius Patavinus.*
1526. *Aurelius Thedoldus Patavinus.*
1528. *Vincentius Madius Brixianus:*
Vincentius Catena Vicetinus:
Antonius Frigimelica Patavinus.
1529. *Octavianus Tabula Vicetinus.*
1531. *Abracius Apulus:*
Hieronymus Stephanellus Patavinus.
1532. *Petrus Siculus.*
1533. *Vincentius Silmus Dalmata.*
1540. *Joannes Baptista Balneatus.*
1544. *Bassianus Landus Placentinus.*
1546. *Gabriel Albertus Pedemontanus:*
Joannes Jacobus Calaber.
1552. *Augustinus Brugnara Patavinus.*
1560. *Franciscus Piccolomineus Senensis:*
Archangelus Mercenarius à Monte Sancto.
1563. *Ludovicus Tomitanus Patavinus.*
1567. *Bernardinus Petrella Burgensis:*
Alexander Buccalius Patavinus.
1568. *Comes Jacobus Zabarella.*

EXPLICATOR PARVORUM MORALIUM NATURALIUM.

Anno 1532. *Lombardus Amuleus Patavinus.*
Quæ explicatio non est continuata, sed proximo sequenti anno dimissa.

EXPLICATORES PHILOSOPHIÆ MORALIS.

Anno 1520. *Lucius Carminiola.*
1521. *Antonius Marinus Taurisanus.*
1523. *Palamedes Gualdius à Castro Caro.*
24. v. 1524. *Ludovicus à S. Bonifacio.*
1525. *Hieronymus Adornus Ticinensis.*
1526. *Hieronymus Cepola Bergomas.*

A 1527. *Priscianus Calurius*, post quem locus vacavit.
1530. *Thomas Secundus Cyprius.*
1531. *Joannes Antonius Sinius Cremensis.*
1532. *Marcus Canalius Venetus.*
1533. *Hieronymus Amaltheus Opiterginus.*
1534. *Joannes Marinonius Bergomas.*
1535. *Franciscus Perusinus à Monte Lupono.*
1536. *Matthæus Durastantius.*
1537. *Alexander Zerla Cremensis.*
1538. *Joannes Baptista Aloysius à S. Severino.*
B 1539. *Franciscus Zenalius Brixianus.*
1540. *Joannes Butironus Veronensis.*
1541. *Joannes Baptista Vaccellus Brixianus.*
1542. *Hieronymus Fritius Romanus.*
1543. *Balthasar Aldus Veronensis.*
1544. *Franciscus Squarcia Pedemontanus.*
1545. *Joannes Baptista Alatus Abruciensis.*
1546. *Franciscus Orola Pedemontanus.*
1547. *Pet. Franciscus Zinus Veronensis.*
1548. *Sigismundus Gelous Pannonius.*
1549. *Nicolaus Londa.*
1550. *Petrus Viola Vicetinus.*
1551. *Paulus Pilus Mantuanus.*
1552. *Bernardinus Grippa Mediolanensis.*
C 1553. *Joannes Carnarius Belga.*
1554. *Euangelista Vola Cæsænas.*
1555. *Leontius Calliarius Vicetinus.*
1556. *Christophorus Barabalus à Monte Regali.*
1557. *Rochus Lucius à Monte Florum Marchiæ Ancon.*
1558. *Joannes Baptista Betucius Saloensis.*
1559. *Isidorus Picinardus Cremonensis.*
1560. *Hieronymus Spinatiolus Siculus.*
1561. *Franciscus Robortellus Utinensis* conjunctim cum explicatione earum artium, quæ ad Humanitatem dicuntur pertinere.

D
CAP. XVI.

25.
Catalogus alter Doctorum, qui Artes in Gymnasio professi sunt ab anno 1520. usque ad annum 1570.

EXPLICATORES CHIRURGIÆ.

Anno 1520. *Petrus Maynardus Veronensis.*
1523. *Joannes Baptista Pigafeta Vicetinus.*
E 1525. *Hieronymus Vails Hispanus.*
1527. *Nicolaus Musicus Patavinus.*
1530. *Joannes Baptista Lombardus Patavinus.*
1535. *Franciscus Litigatus Lendenariensis:*
M. Antonius Montagnana Patavinus.
1536. *Paulus Columbus Cremensis.*
1537. *Andreas Vesalius Bruxellensis*; qui scripsit paraphrasim in nonum librum Rasis ad Almensorem Regem Arabum *de affectuum singularum corporis partium curatione: Epistolam*, qua docet venam axillarem dexteri cubiti in dolore laterali secandam: *de humani corporis fabrica* libros septem cum elegantissimis omnium figuris: *Epistolam*, qua rationem docet propinandi radicis chynæ decocti, in qua multa anatomica pertractantur.
F
1544. *Realdus Columbus*, auctor librorum quindecim *de re anatomica*, qui ea continent, quæ raro in Anatome conspiciuntur.
1547. *Joannes Paulus Guiducius Urbinas.*
1551. *Gabriel Fallopius Mutinensis*, cujus legitur Tractatus *de medicatis aquis*, atque *de fossilibus*

ſilibus in Patavina Academia habitus : liber *de morbo Gallico :* liber *de arcanis quibuſdam compoſitionibus medicis*, & quæ extra Medicinam in uſu habentur, ut ſunt varia vina, & Chymica multa, & ſimilia : expoſitio in librum Galeni *de oſſibus : obſervationes Anatomicæ :* Tractatus *de compoſitione medicamentorum*, cui acceſſerunt tabulæ *de cauteriis :* opuſcula tria, quorum primum eſt *de vulneribus :* ſecundum complectitur explicationem in librum Hippocratis *de vulneribus capitis :* tertium continet Tractatum *de vulneribus oculorum*, aliarumque partium capitis: liber *de ulceribus, & tumoribus :* explicationes *de partibus ſimilaribus humani corporis.* A B

1565. *Hieronymus Fabricius ab Aquapendente.*

25. v. EXPLICATORES LIBRI TERTII AVICENNÆ.

Anno 1520. *Albertus Albertinus Vicetinus.*
Nicolaus Monopolitanus.
1521. *Lucas Imolenſis.*
Lucius Cæſar Manfredonienſis.
1522. *Venturas Foreſtus Bergomas.*
Joannes Salicius Patavinus. C
1523. *Eugenius Serivanza.*
Laurentius Manatus Pedemontanus.
1524. *Hieronymus Salinus Veronenſis.*
Joannes Gandinus Bergomas.
1525. *Marcus Fraſcata Brixianus.*
Franciſcus Albanus Bergomas.
1526. *Matthias Maphius Cremenſis.*
Georgius Alemanus.
1527. *Franciſcus Apoſtolius Novarienſis.*
Jo. Baptiſta Palermus Veronenſis.
1529. *Nicolaus à S. Michaele Cremenſis.*
Valentinus Piſcarius Brixianus.
1530. *Chriſtophorus Fridericius Bergomas.* D
Marcus Boſſius Brixianus.
1531. *Aloyſius Bellacatus Brixianus.*
Bernardinus Liſinus Bergomas.
1532. *Hieronymus Amaltheus Opiterginus.*
Georgius Aurelius Liburnenſis.
1533. *Panutius Syllanus Spoletinus.*
Jo. Baptiſta Mantuanus.
1534. *Stephanus Jordanus Bergomas.*
Aloyſius Triviſanus.
1535. *Hieronymus Cerconus Bellunenſis.*
Cornelius Blancus.
1536. *Hieronymus Ricius Murianenſis.*
Laurentius Strangolinus Mantuanus. E
1537. *Nicolaus Flaccus Firmanus.*
Gulielmus Pratarolus Bergomas.
1538. *Gregorius Fanenſis.*
26. *Joannes Butironus Veronenſis.*
1539. *Octavianus Thomaſinus à S. Agatha.*
Alphonſus Lucanus Melphitenſis.
1540. *Antonius Secundus Monopolitanus.*
Joſephus Salandrus Bergomas.
1541. *Robertus Robertinus Brixianus.*
Franciſcus Manfredus Cremonenſis.
1542. *Antonius Gattus Vicetinus.*
Jo. Baptiſta Vaccellus Brixianus.
1543. *Octavianus Monaldus Piſaurenſis.* F
Joannes Gratarolus Bergomas.
1544. *Defendens Galeacius Mediolanenſis.*
Laurentius Monſſilicius Veronenſis.
1545. *Julius Dolionus Bellunenſis.*
Joannes Boſſius Genuenſis.
1546. *Pet. Paulus Vitalis Picens.*
Jo. Maria Salomonius Pedemontanus.
1547. *Matthæus Fucius Tauriſanus.*
Hieronymus Julianus Veronenſis.
1548. *Simon Pellicerius Picens.*
Vincentius Ramuſcus Eugubinus.
1549. *Antonius Saſinanus Picens.*
Paulus Polonus.
1550. *Jo. Franciſcus Comitius Mediolanenſis.*
Baſilius Paravicinus Novocomenſis.
1551. *Albertus Comitius.*
Sentrinus Patavinus.
1552. *Hieronymus Matthæacius Maroſticenſis.*
Joannes Carnarius Belga.
1553. *Victor Rizardus Feltrenſis.*
Antonius Fama Siculus.
1554. *Dietarutus Dietarutius Auximas.*
Nicolaus Curtius Brixianus.
1555. *Jo. Antonius Stricellus Materatenſis.*
Marianus Pius Siculus.
1556. *Jo. Baptiſta Baliſta Parmenſis.*
Scipio Carlius Brixianus.
1557. *Celſus Pigafeta Vicetinus.*
Alexander Brillus Lendenarienſis. 26. v.
1558. *Eraſmus Sydereus Germanus.*
Ludovicus Capellanus Cremonenſis.
1559. *Franciſcus Pulveus Romanus.*
Joannes Montriolus Veronenſis.
1560. *Joſephus Ovitarius Patavinus.*
Antonius Lobetus Pedemontanus.

EXPLICATOR SIMPLICIUM MEDICAMENTORUM IN SCHOLIS.

Anno 1533. *Franciſcus Bonafidius Patavinus.*
1555. *Gabriel Fallopius Mutinenſis* conjuncta Chirurgia cum Simplicium explicatione.
1563. *Bernardinus Triviſanus Patavinus.*

IN HORTO MEDICINALI.

Anno 1561. *Melchior Guilandinus.*

EXPLICATORES LOGICÆ.

Anno 1520. *Guidus Angelus Mengutius Faventinus.*
Joannes Prata Patavinus.
1521. *Pax Bonagentius.*
Chriſtophorus Lignamineus Patavinus.
Richardus Politus Recanatenſis.
1524. *Cola Antonius Landus à Bario.*
1525. *Sylvius Fuſcus Camerinenſis.*
Paulus Carerius Patavinus.
1526. *Thomas Vitus Vicetinus.*
Hieronymus Vitelienſis Fulginas.
Lombardus Amuleus Patavinus.
1527. *Bartholomæus Foſſatus.*
Hieronymus Tirabuſcus.
1528. *Andreas Brentionus Mutinenſis.*
1529. *Policletus Brevius à Monte Arduo.*
Antonius Fracantianus Vicetinus.
1530. *Thaddæus Edentulus ab Urbe Veteri.*
1531. *Juſtinianus Finetus à Monte Lignano.*
Alexander Guantus Patavinus.
1532. *Bartholomæus Carabetus Thuſcus.* 27.
1533. *Jo. Baptiſta Bagolinus Veronenſis.*
1534. *Fr. Stephanus Facinus Cremonenſis Carmelitanus.*
1535. *Juſtinianus Bazutus à Monte Arduo.*
1536. *Dominicus Bonusfilius Bononienſis.*
Antonius à Terra Macra.
1537. *Antonius Bulgaronius Veronenſis.*
1538. *Remigius Melioratus*; qui etiam *Piſis* Philoſophiam profeſſus eſt; ſcripſitque libellum *de putrefactione* contra *Joannem Argenterium*.
Bernardinus Tomitanus Patavinus; cujus edita

dita sunt opera multa; & inter cætera Coridon, sive *de Venetorum laudibus*: Clonicus, sive de *Reginaldi Poli Cardinalis laudibus*: *Introductio ad Sophisticos Elenchos Aristotelis*, & brevis *Methodus diluendorum Paralogismorum* per divisionem præter illa, quæ *Aristoteles* tradidit in Elenchis: *Thetis in adventu Regis Henrici III. Galliæ* Christianissimi, *Poloniæ* Serenissimi ad felicissimam *Venetam* Urbem: & alia complura tum soluta oratione, tum carmine, tum sermone *Latino*, tum *Etrusco* conscripta:

Christophorus Vercius Justinopolitanus.
1540. *Nicolaus Tinctus.*
1541. *Gabriel Albertus Pedemontanus.*
1542. *Nicolaus Guarinonus Comensis.*
1546. *Angelus Thius Apulus.*
Marcus Oddus Patavinus.
1548. *Dominicus Tonellus Feltrensis.*
1549. *Fr. Antonius Feltrensis.*
1550. *Jacobus Gattus Vicetinus.*
1551. *Petrus Viola Vicetinus.*
Jo. Antonius Expertus Patavinus.
1552. *Pet. Maria Arquanus Brixianus.*
1555. *Albertinus Bottonus Patavinus.*
1564. *Comes Jacobus Zabarella Patavinus.*
Bernardinus Petrella Burgensis.
Petrus Fallerotus Patavinus.
1567. *Octavius Amalthæus Opiterginus.*

27. v.

EXPLICATORES SOPHISTICÆ.

Anno 1520. *Cola Antonius Landus à Bario:*
Pax Bonagentius.
1521. *Richardus Politus Recanatensis:*
Julius Cavagninus Brixianus.
1522. *Gabriel Sanius* ordinis *S. Dominici.*
1523. *Rizardus Rizardius Venetus:*
Jo. Franciscus à Salicto Vicetinus.
1524. *Hieronymus Fulgineus:*
Sylvius Fuscus Camerinensis.
1525. *Antonius Thalleus à Coraro:*
Hieronymus Tirabuscus Patavinus.
1526. *Nobilis Socius Cremensis.*
1527. *Andreas Brentionus Mutinensis:*
Julius Maynardus Veronensis.
1528. *Policletus Apulus.*
1529. *Hieronymus Stephanellus Patavinus:*
Thaddæus Edentulus.
1530. *Justinianus Finetus Hispanus.*
1531. *Jacobus à Bario.*
1533. *Vincentius Sardonius:*
Paulus Calvus Bergomas.
1534. *Jo. Nicolaus Paschalis Recanatensis.*
1535. *Remigius Melioratus:*
Andreas Politus Brixianus.
1536. *Antonius Bulgaronius Veronensis.*
1537. *Christophorus Vercius Justinopolitanus:*
Petrus Apostolius Muglensis.
1538. *Livinus Buccensis:*
Fr. Angelus Andrianus ordinis *Minorum.*
1539. *Hieronymus Lulinus Bergomas:*
Jo. Baptista Balneatus Patavinus.
1540. *Joannes Gavius Britannus:*
Realdus Columbus Cremonensis.
1541. *Franciscus Terrinus Genuensis:*
Honoratus Grimaldus Genuensis.
1542. *Joannes Pedemontius Veronensis.*
28. 1543. *Antonius Secundus Monopolitanus:*
Franciscus Magradus Vicetinus:
Andreas Flavus Picens.
1544. *Bartholomæus Valentinus Mediolanensis:*
Joannes Gratarolus Bergomas.

1545. *Jo. Franciscus Colateranus:*
Jo. Carolus Merlus Genuensis.
1548. *Stanislaus Polonus:*
Jo. Andreas Rubeus Apulus.
1549. *Joannes Stuppinus.*
1550. *Alexander Montainus Picens:*
Lucas Gemma Parmensis.
1551. *Alphonsus Corsutus Romanus.*
1552. *Camillus Venturonus Picens:*
Jo. Jacobus Birettus Siculus.
1553. *Jo. Baptista Rota Saloensis:*
Bernardinus Crippa Mediolanensis.
1554. *Franciscus Porellus Siculus:*
Petrus Gonescius Polonus.
1555. *Sylius Perotus à Saxoferrato:*
Nicolaus Curtius Brixianus.
1556. *Julius Burgarutius Campionensis:*
Franciscus Faustinus Perusinus.
1557. *Dominicus Calamardius Saloensis:*
Fridericus Fajanus Mantuanus.
1558. *Marinus Masutius Picens:*
Rochus Lucius à Monte florum.
1559. *Prosper Columbus Romanus:*
Celsus Pigafeta Vicetinus.
1560. *Jacobus Cleopisius Neapolitanus:*
Jacobus Ardelinus Germanus.

EXPLICATORES MATHEMATICARUM DISCIPLINARUM.

Anno 1520. *Thomas Philologus*; qui excelluit etiam in Medica facultate; scripsitque librum *de vita ultra annos centum, & viginti producenda*: & *morbi Gallici sanandi modos* omnes, vini, ligni, & aquæ, unctionis, 28. v. ceroti, suffumigii, & cæterorum; instituitque collegium, de quo supra.

1521. *Fridericus Delphinus Patavinus*; qui scripsit *de fluxu, & refluxu maris*: itemque *de motu octavæ Sphæræ.*

1543. *Petrus Catena Venetus*; qui edidit quædam *de Sphæra.*

1559. *Franciscus Barotius*, Patricius *Venetus*; cujus exstat *Cosmographia in quatuor libros distributa*; & admirandum illud *Geometricum problema* tredecim modis demonstratum, quod docet duas lineas in eodem plano designare, quæ numquam invicem coincidant, etiamsi in infinitum protrahantur, & quanto longius producuntur, tanto sibi invicem propiores evadant.

EXPLICATORES HUMANITATIS GRÆCÆ, AC LATINÆ.

Anno 1520. *Marinus Becichemus Scodrensis*; qui Rhetoricam profitebatur; cujusque opera quædam edita sunt, prælectio in *Plinium* cum aliis quibusdam: *Ratio scribendarum Epistolarum*: *Castigationes in libros Ciceronis de oratore*, *de Inventione*, & in *Rhetorica ad Herennium*: *tres orationes*, altera *ad Serenissimum Venetorum Principem Antonium Grimanum*, altera ad *piissimum Cardinalem Marcum Cornelium*, tertia *ad Andream Priolum*, philosophum eloquentissimum; qui denique (ut hoc obiter notem) dum Rotata pagina Doctorum Gymnasii *Patavini* pervulgaretur, anno 1521. statim post *Joannem Montisdocham Hispanum*, & *Brandaporum* philosophos ordinarios, mandato Præsidum, *Marini Georgii* Doctoris, & Prætoris, *Andreæque* Magni Præfecti, ac cum consensu Rectoris, *Joannis Carrariensis*, Philosophiæ, ac Medicinæ Doctoris fuit pronunciatus, obiitque anno 1526.

Romulus Amasæus Utinensis, qui literas *Græcas* interpretabatur, ac latine convertit *Xenophontis* libros septem *de Cyri minoris expeditione:* & *Pausaniam:* composuitque *Scholas duas de ratione instituendi*; & *de dignitate linguæ Latinæ adversus Etruscos* libros duos.

1526. *Bernardinus Donatus Veronensis*, *Amasæi* successor; qui edidit opusculum *de Plato-*
29. *nicæ*, atque *Aristotelicæ* Philosophiæ differentia, ubi *Georgii Gemisti* super eadem re libellum in dialogum redegit, & quædam de suo adjecit: *Aristotelis*que Oeconomicorum libros duos Latinos fecit: & è *Galeno* librum de cognoscendis, curandisque animi morbis convertit.

1530. *Lazarus Bonamicus Bassianensis*; à quo epistolæ carmine sunt conscriptæ ad *Ursinum Velium Silesium*, ad *Donatum Rullum Venetum*, ad *Altenerium Avogadrum Veronensem*, ad *Carolum Capellum*, & *Matthæum Dandulum Venetos*, ad *Diegum Mendozam Hispanum*, ad *Fridericum Fregosium Genuensem*, & alia quædam, & epistolæ quindecim soluta oratione eleganter exaratæ, quæ cum aliorum clarorum hominum epistolis conjunctæ sunt: qui cum *Becichemo*, & *Donato* successisset, institutum pervulgandi professores Rhetoricæ in Rotata pagina statim post philosophos ordinarios, quemadmodum fuisse pervulgatum ipsum *Becichemum* post *Joannem Montisdocham Hispanum*, & *Brandaporum*, modo notavi, dimissum est.

1545. *Joannes Faseolus Patavinus*, qui tempore *Bonamici* vespere cœpit publice docere, & *Simplicii* commentarios primus latine convertit, ac cum eis tres epistolas edidit cultissimas; quarum prima imperitos, & inelegantes interpretes deserendos monet: altera *Arabas* relinquendos probat: tertia ad bonos, probatosque auctores perlegendos invitat.

1552. *Franciscus Robortellus Utinensis Bonamici* successor, qui sex post annis in Gymnasium *Bononiense* invitatus, profectusque est.

1560. *Carolus Sigonius Mutinensis*, post quem anno proximo sequenti revocatus est *Robortellus* in Gymnasium *Patavinum*, ut Humanitatem profiteretur conjunctim cum Morali Philosophia; diemque suum obiit an. 1563. cum multo ante *Sigonius* post habitum satis longum cum *Robortello*, & quidem honorificum concursum *Bononiam* se contulisset.

Scripsit *Robortellus* variorum locorum Annotationes in auctores aliquot utriusque linguæ, nempe in omnes *Callimachi* hymnos: in Apophthegmata *Erasmica* quædam *Diogenis Cynici* ex *Laertio* non bene versa: in aliquot locos *Horatii*, *Cæsaris*, *Tibulli*, *Catulli*, *Propertii*, *Ciceronis* Rhe-
29. toricæ, Poeticæ, Oeconomicæ *Aristotelis: de*
v. *historica facultate disputationem:* item *Laconici*, seu *Sudationis explicationem: de nominibus Romanorum: de Rhetorica facultate:* explicationem *in Catulli Epithalamium:* Annotationum *in varia tam Græcorum, quàm Latinorum loca* libros duos: *Oden Græcam:* quæ βιοχρηστωδία inscribitur: explanationes *in primum librum Aeneidos Virgilii:* explicationes *in librum Aristotelis de poetica:* Paraphrasim *in Horatium de Poetica:* explicationes *de Satyra*, *Epigrammate*, *Comœdia*, *Salibus*, *Elegia:* Annotationes *in obscuriora loca Familiarium Epistolarum Ciceronis:* Scholia *in Aeschyli Tragœdias septem:* conversionem Latinam *Aeliani de militaribus ordinibus more Græcorum instituendis:* librum *de artificio dicendi: Tabulas oratorias: de nominibus arborum: de convenientia supputationis Livianæ cum marmoribus: de Republica Romana:* multa contra *Carolum Sigonium.*

Ipsius autem *Caroli Sigonii* opera sunt Scholia, quibus *T. Livii Patavini* historiæ, & earum Epitomæ partim emendantur, partim etiam explanantur: in eosdem libros Chronologia ipsorum & auctorum verbis confirmata, & impressa cum *Livii* historia ab eo emendata: *Fasti consulares, ac triumphi acti à Romulo Rege usque ad Tiberium Cæsarem:* in *Fastos*, & *triumphos*, id est, in universam *Romanam* historiam Commentarius: *de nomine Romanorum* liber: *de antiquo jure civium Romanorum* libri duo: *de antiquo jure Italiæ* libri tres: *de antiquo jure provinciarum* libri duo: *de Republica Hebræorum* libri septem: *de Republica Atheniensium* libri quatuor, cum libro *de Atheniensium*, *Lacedæmoniorumque temporibus: de lege Curiata Magistratuum, atque Imperatorum, ac jure eorum* liber: *de vita, & rebus gestis P. Scipionis Aemiliani* liber: *orationum volumen: emendationum* libri duo, in quibus *Francisci Robortelli* reprehensionibus respondet, ac vicissim multa in ejus scriptis reprehendit: Aristotelis Rhetoricorum libri tres *Latine* conversi: *de dialogo* liber: Historia *de regno Italiæ:* Historia *de regno Orientali:* libri *de judiciis: collectio fragmentorum Ciceronis* cum Scholiis: *de consolatione* edita sub nomine *Ciceronis orationes duæ:* eadem de re dialogus *sub nomine Accusatoris.*

1567. *Joannes Faseolus Robortello* successit. 30.

1571. Ego ipse *Faseolo* collega datus sum.

Atque hæc habui, quæ altius repetendo strictim explicarem usque ad annum millesimum quingentesimum septuagesimum primum, cum in hoc Gymnasium receptus sum. Consequens modo est, ut quæ deinceps in eo evenerint memoratu digna, aliquanto enucleatius exprimam; &, quæ facta sit inter Gymnasii Doctores mutatio, quæque ipsis, & eorum auditoribus magna, & memorabilia contigerint, observem. Quod, quam diligentissime potero, efficiam, si prius notavero, nos hoc totum temporis spatium felicibus auspiciis quinque Principum *Venetorum*, quatuor *Patavii* Episcoporum, multorum Præsidum, Moderatorum, atque utriusque Universitatis Rectorum feliciter transegisse. Quos ne sæpius ego singulis annis, & in singulorum annorum narratione nominem, ut semel hoc ipso labore defungar, omnes in unum locum conducam.

CAP. XVII.

De iis, quorum auspiciis Gymnasium est gubernatum post annum 1570.

1571. *Venetiarum* Princeps erat is, qui superiore proximo anno in *Petri Lauredani* locum electus fuerat, *Aloysius Mocenicus*; extinctusque est septimo anno sui Principatus.

Ei successit *Sebastianus Venerius*; qui cum sequenti proximo anno diem suum obiisset, successorem habuit *Nicolaum Pontium*, postea vita functum anno 1585.

In hujus locum *Paschalis Ciconia* suffectus est; Principatumque administravit usque ad an. 1595. cum ipse vitam cum morte commutavit, *Marinus*que *Grimanus*, qui nunc floret, principem in Republica locum est consecutus.

Cum autem *Patavii* Episcopus sit *Patavini* Gymnasii, ut vocant, Cancellarius, Episcopatum anno 1571. is gerebat, qui superiore proximo anno *Francisci Pisani* Cardinalis successor factus fuerat, *Nicolaus Ormanetus Veronensis*, obiitque an. 1577.

In ejus locum *Fridericus Cornelius* successit, qui anno 1586. ad Cardinalatum evectus est, sibique in *Patavino* Episcopatu Coadjutorem cum futura post mortem suam successione constituit *Aloysium*

Cornelium ex *M. Antonio* ipsius fratre ortum, A
30. atque ex hac vita discessit anno 1590.
v. *Aloysius* an. 1594. decessit: ejusque locus *Marco Cornelio* datus est, cujus præstantissima nunc administratione perfruimur.

Eodem anno 1571. fuerunt *Patavii* Præsides *Joannes Aimus* Prætor: *Petrus Fuscarus* præfectus 1572. iidem.

1573. *Gaspar Rhenerius*: *Victor Bagradenus.*

1574. *Jacobus Fuscarenus* Doctor: *Franciscus Duodus.*

1575. Iidem.

1576. *Paschalis Ciconia*, qui postea Princeps factus est: *Aloysius Georgius.* B

1577. Iidem.

1578. *Hieronymus Priolus*: *Vidus Maurocenus.*

1579. *Aloysius Justinianus*: *Franciscus Cornelius.*

1580. Iidem.

1581. *Aloysius Grimanus*: *Daniel Priolus.*

1582. *Marcus Cornelius*: *Laurentius Bagradenus.*

1583. *Natalis Donatus*: *Andreas Fuscarenus.*

1584. *Andreas Bernardus*: *Laurentius Donatus.* C

1585. Iidem.

1586. *M. Antonius Memmius*: *Petrus Marcellus.*

1587. *Georgius Contarenus*: *Marinus Grimanus* Eques.

1588. Iidem.

1589. Idem *Georgius Contarenus* Prætor, & Propræfectus.

1590. *Joannes Superantius* Eques: *Fridericus Sanutus.*

1591. *Joannes Baptista Veturius*: idem *Fridericus Sanutus.*

1592. Idem *Joannes Baptista Veturius Vincentius Gradonicus* Eques. D

1593. *Justinianus Justinianeus*: *Nicolaus Gussonus.*

1594. *Thomas Maurocenus*: *Zacharias Contarenus.*

1595. Iidem.

1596. *Fridericus Rhenerius*: *Hieronymus Surianus.*

1597. *Aloysius Bagradenus*: *Dominicus Delphinius.*

Quemadmodum autem Gymnasio moderando primum quatuor primarii cives *Patavini* præfici consueverunt, ut statutum quoque fuisse legitur an. 1420. *Marco Dandulo* Prætore, *Laurentio Bagradeno* Præfecto: sic postea tres Viri studiorum, & Moderatores Gymnasii electi sunt per biennium primarii Reipublicæ *Venetæ* Senatores; &, quamvis tres constitui soleant: tamen, quia eorum aliqui non solum morte quandoque præripiuntur, E
31. sed etiam ad alia munera publica adhibentur: iccirco non trium semper, sed interdum unius, nonnumquam duorum fit electio; erantque anno 1571. Moderatores *Fridericus Valaressius*: *Nicolaus Pontius* Doctor, & Eques, qui postea fuit Princeps: *Marinus Caballius* Eques; quorum duo priores, absente Reipublicæ causa tertio, me delegerunt. F

An. 1572. die 22. Aprilis declarati sunt tres Viri Literarii *Joannes Michael* Eques: *Jacobus Surianus* Eques: *Jacobus Fuscarenus* Doctor.

1573. 27. Julii, *Petrus Sanutus.* 17. Septembris *Michael Surianus* Eques.

1574. 20. Junii, *Joannes Donatus*: *M. Antonius Barbarus* Divi *Marci* Procurator: *Nicolaus Pontius* Doctor, Eques, Procurator *Marcius.*

1575. 15. Decembris: *Franciscus Venerius*: *Paulus Theupolus* Eques: *Jacobus Fuscarenus* Doctor.

1578. 20. Decembris, *Aloysius Georgius* Consiliarius: *Franciscus Longus*: *Joannes Michael* Eques, Consiliarius.

1580. 4. Maji, *Joannes Superantius* Eques: *Joannes Donatus.*

1581. 14. Aprilis, *Paulus Theupolus* Eques Divi *Marci* Procurator.

1582. 15. Maji, *Joannes Corarius* Eques: *Franciscus Longus.*

1583. 18. Junii, *Jacobus Superantius* Eques, Procurator *Marcius*:
7. Januarii *Leonardus Donatus.*

1584. 3. Maji, *Vincentius Maurocenus* Eques Divi *Marci* Procurator:
24. Augusti *Marinus Grimanus*, qui nunc Princeps est.

1585. 23. Januarii, *Joannes Michael* Eques Divi *Marci* Procurator.

1586. 9. Maji, *Laurentius Priolus* Eques, qui postea ad Patriarchatum *Venetiarum* evectus est, deinde à *Clemente VIII.* Pontifice Maximo Cardinalis declaratus. 24. Septembris *Aloysius Georgius.*

1587. 30. Januarii *M. Antonius Barbarus* Eques, Divi *Marci* Procurator. 31.
v.

1588. 3. Octobris *Gabriel Cornelius*: *Jacobus Fuscarenus* Eques, Procurator *Marcius.*

1589. 1. Septembris *Fridericus Sanutus.*
25. Januarii *Leonardus Donatus* Eques.

1590. 3. Martii *Joannes Franciscus Priolus*, Divi *Marci* Procurator.
20. Octobris *Zacharias Contarenus.*

1591. 12. Martii *Aloysius Georgius*, Procurator *Marcius*: *Joannes Michael* Eques Procurator *Marcius.*
16. Octobris *Joannes Supernanus* Eques.

1593. Ultimo Julii *M. Antonius Barbarus* Eques, Procurator Divi *Marci.*
26. Septembris *Marinus Grimanus.*

1594. 12. Martii *Leonardus Donatus* Eques, Procurator Divi *Marci.*
30. Decembris *M. Antonius Barbarus* Eques, Procurator Divi *Marci.*

1595. 9. Maji *Nicolaus Gussonus*: *Hieronymus Capellius*: *Mathæus Zanius.*

1596. Mense Martio *Jacobus Fuscarenus* Eques, Procurator *Marcius* in locum *Hieronymi Capellii* designati Legati, seu, ut appellant, Baili ad Regem *Turcarum.*

1597. 26. Junii in locum *Nicolai Gussoni*, & *Matthæi Zanii* *Joannes Superantius*, & *Paulus Paruta.* Divi *Marci* Procuratores.

Ac præerat quidem anno 1571. Universitati Juris studiosorum *Joannes Cladius Cretensis* Rector: Universitati vero studiosorum philosophiæ, ac medicinæ *Faustus Durastantius Picens* Prorector substitutus.

1572. *Bartholomæus Botia Cretensis* Rector: idem *Durastantius* Rector.

1573. *Pompejus Brigida Cyprius* Prorector: *Bene-*

Benedictus Flanginus Cyprius Prorector. A

1574. *Josephus Spinellius Castrofranciensis* Rector : *Constantinus Paleocapa Cretensis* Eques Rector.

1575. *Bernardinus Nigrinus Lantianensis*
32. Rector : *Jacobus Paleocapa Cretensis* Rector,

1576. Idem *Bernardinus Nigrinus* : primum *Nicolaus Caballius Veronensis* : deinde *Antonius Buclarinus Veronensis* Prorector.

1577. Idem *Bernardinus Nigrinus* Rector : B *Stephanus Cereolus Coloniensis* Rector.

1578. *Petrus Polidorus Picens* : idem *Stephanus Cereolus*.

1579. Idem *Petrus Polidorus* : *Dominicus Slatarichius Ragusinus* Rector.

1580. *Aloysius Ancaranus Spoletinus* Rector : *Flaminius Franciscinus* Rector.

1581. *Julius Abaquius Vicetinus* Rector : idem *Flaminius Franciscinus*.

1582. *Renatus Julianus Bertiniolus Gallus* C Rector.

Petrus Antonius Roncatus Veronensis Rector.

1583. *Thomas à Scharustein Germanus* Rector : *Nicolaus Andronicus Tragurinus* Rector.

1584. Idem *Thomas* : *Alphonsus Tragetinus Brixianus* Prorector substitutus.

1585. *Andreas Auria Castrofranciensis* Rector : *Jacobus Savojanus* ex urbe *Nauplio* Prorector.

1586. *Jo. Franciscus Lombardus Cretensis* D Rector : idem *Jacobus Savojanus* Rector.

1587. *Alexander Puteus Pedemontanus* Prorector substitutus : *Franciscus Magnus Veronensis* Prorector.

1588. *Fabius Turca Taurisanus* Rector : *Jo. Paulus Ubaldinus Muglensis* Rector.

1589. *Antonius Ulastus Cretensis* Rector : *Vincentius Lumatius Mantuanus* Rector.

1590. *Lancellotus Lancellotius Asculanus* Rector : E *Augustinus* Dominicus *Fulginas* Prorector.

1591. *Petrus Alzanus Bergomas* Rector, qui proximo sequenti anno, cum discessurus esset *Patavio*, miserrime necatus est : idem *Augustinus* Rector.

1592. *Antonius Cerro Bergomas* Rector : *Jacobus Donatus Veronensis* Prorector; quo propter nonnullas rixas in exilium pulso *Marius Bibilaqua Saloensis* Vicarius in reliqua parte an- 32. ni Universitatem administravit, e- v. lectus Substitutus ab ipsa Universitate.

1593. *Nicolaus Bolitius Ascruvinus* Rector : *Georgius Pipanus Polonus Cracoviensis* Rector.

1594. Idem *Nicolaus Bolitius* : *Antonius Savoldus Brixiensis Syndicus*, loco deficientis Rectoris.

1595. *Ant. Prosper Genuensis* Prorector : *Marius Bibilaqua Saloensis* Syndicus, loco deficientis Rectoris.

1596. *Dardius Cavacia Vicetinus* Syndicus : *Jo. Jacobus Grandius Veronensis* Syndicus, loco deficientis Rectoris.

1597. *Hieronymus Parolarius Coloniensis* Rector. *Matthias Jacobeus Ripensis Danus* Syndicus, loco deficientis Rectoris.

Serviebant tamquàm summi Administri Gymnasii *Patavini*, quos Bidellos Generales appellant, eodem anno 1571. Universitati Juris studiosorum successor *Sylvestri Basilicæ*, *Antonius Centofantius*: in cujus locum postea suffectus est *Bernardinus Marostica* : inde *Josephus Mainus* : inde *Baptista Tolfa* : & anno 1597. *Jo. Antonius Zarra*.

Universitati autem studiosorum Philosophiæ ac Medicinæ is, qui superiore proximo anno *Jacobo Ceronio* successerat, *Antonius Nonius*. Cumque hic anno 1572. è vita excessisset, successorem habuit *Andream Talentum*, bonis literis præditum, ac poëtica facultate instructum : eoque anno 1574. peracerba morte subtracto, & quidem cum magno universi Gymnasii mœrore (honeste enim serviebat, quàm qui honestissime) delatum est munus ipsius filio *Baptistæ Talento* : cujus anno 1576. demortui locus *Antonio Rosato* datus est, viro solertissimo, ac diligentissimo, tenente locum inferioris Bidelli *Leone Talento* altero *Andreæ* filio, viro probo, & omnibus studiosis charo.

FINIS PRIMI LIBRI.

LIBER SECUNDUS.

CAP. I.

De Doctoribus Gymnasii Patavini *Anno* 1571.

HÆC erat quasi facies Gymnasii *Patavini* anno septuagesimo primo supra millesimum, & quingentesimum, cum in tantam ego claritatem receptus sum.

Explicabat Jus Canonicum matutinum *Jacobus Menochius Ticinensis* in primo loco : *Michaël Quarantoctius Patavinus* in secundo.

Jus Canonicum vespertinum *Gaspar Fabianus Patavinus* in primo loco : *Guarinus Soacia Patavinus* in altero : *Clemens Thealdinus Patavinus* in tertio.

Jus Civile ordinarium matutinum *Marcus Mantua Patavinus* in primo loco : *Tiberius Decianus* F *Utinensis* in æqualitate primi loci : *Martinus Rutilius Vicetinus* in tertio.

Jus Civile ordinarium vespertinum *Joannes Cephalus Ferrariensis* in primo loco : *Franciscus Mantica Utinensis* in secundo : *Bonifacius Rogerius Patavinus* in tertio : *Franciscus Zabarella Patavinus* in tertio *Patavino*.

Eam partem Juris, quæ dicitur ad crimina per-

tinere, *Bartholomæus Sylvaticus Patavinus.*

Artem Actuariorum *Joannes Leonissa Patavinus.*

Contextum, glossema, & *Bartholum*, mane *Nicolaus Bottonus Patavinus* in primo loco: *Petrus Antonius Godius Vicetinus* in secundo.

Vesperi *Terentius Terentianus Patavinus* in primo loco.

Justiniani Institutiones *Philippus Octavianus Montanianensis* in primo loco: *Sebastianus Monticulus Vicetinus* in secundo: *Laurentius Castellanus Patavinus* in tertio.

33. v. Sextum Juris Canonici *Franciscus Branca Patavinus.*

Jus Civile meridianum *Bartholomæus Sforcia Patavinus.*

Theologiam desierat explicare ex doctrina Divi *Thomæ* Magister *Ambrosius Barbavarius Mediolanensis* accitus à *Hieronymo Ruvereo Taurini* Archiepiscopo, eo, qui postea Cardinalis factus est: sed proximo sequenti anno revocatus est, ut tempus suæ conductionis absolveret: explicabat autem ex doctrina *Scoti* Magister *Bonaventura Manentus Gabianensis.*

Sacram Scripturam Magister *Hieronymus Quainus* ex eorum ordine, quos *Servitas* appellant.

Ea, quæ Metaphysica nuncupantur, ex doctrina *S. Thomæ* Magister *Thomas Peregrinus Venetus*: ex doctrina *Scoti* Magister *Martialis Peregrinus Calaber.*

Medicinam Theoricam ordinariam *Bernardinus Paternus Saloensis* in primo loco: *Paulus Crassus Patavinus* in secundo.

Medicinam Practicam ordinariam *Hieronymus Mercurialis Forolíviensis* in primo loco: *Hieronymus Capivacceus Patavinus* in secundo.

Philosophiam ordinariam desierat explanare *Fridericus Pendasius Mantuanus* in Gymnasium traductus *Bononiense*: solus explicabat *Franciscus Piccolomineus Senensis*, quo cum ille habuerat loci æqualitatem.

Medicinam Theoricam extraordinariam *Bernardinus Trivisanus Patavinus*: *Albertinus*que *Bottonus Patavinus* in primi loci æqualitate: & *Ludovicus Agnellius Patavinus* in tertio loco.

Medicinam practicam extraordinariam *Marianus Stephanellus Patavinus*: & *Nicolaus Curtius Brixianus*; ambo in primi loci æqualitate: ac *Hieronymus Niger Patavinus* in tertio loco.

Chirurgiam *Hieronymus Fabricius* ab *Aquapendente.*

Simplicia medicamenta *Melchior Guilandinus*, non in Scholis, sed in horto Medicinali.

Philosophiam extraordinariam *Archangelus Mercenarius Picens* in primo loco: Comes *Jacobus Zabarella Patavinus* in secundo loco.

Logicam *Bernardinus Petrella Burgensis* in primo loco: *Faustinus Summus* in altero.

34. Mathematicas disciplinas *Petrus Catena Venetus.*

Humanitatem, & Rhetoricam Græcam, atque Latinam *Jo. Faseolus Patavinus*; cui ego Senatus *Veneti* decreto collega datus sum.

Jam vero de his singulis breviter agendum est: postea vero de eorum successoribus.

CAP. II.

De Jacobo Menochio.

Jacobus Menochius, homo per se cognitus, nulla commendatione majorum, ex Academia *Ticinensi* ad Gymnasium subalpinum *Montis Regalis* multo ante ab *Allobrogum* Duce, *Hemanuele Philiberto* fuerat accitus, omnique humanitatis, & A benignitatis genere honoratus; ac *Thomæ Langusci Stropianæ* Comitis, Magnique ut appellant, Cancellarii, atque *Cassiani Putei*, qui Senatui præsidebat, clarissimo testimonio apud Principem illum ita laudatus, ut dignus factus sit, quem illi suis literis ad se vocaret, & ad declarandum suum ipsius jus in Marchia *Montis Ferrati* adhiberet. Cumque circiter annos sex in percelebri *Montis Regalis* Gymnasio floruisset, à Republica *Veneta* honestissimo præmio invitatus est, ut primi Interpretis Juris pontificii matutini in *Patavina* Academia personam sustineret. quod ipse munus anno 1566. accepit, & usque ad annum 1572. continua-

B vit, cum cessante propter incommodam valetudinem *Martio Rutilio Vicetino*, ad Jus civile matutinum interpretandum *Tiberii Deciani* collega factus est: & quidem collega in secundo loco. nam anno tantum 1582. extincto *Tiberio Deciano* primum locum est consecutus. Jam, cum Jus Pontificium matutinum per sex annos, & Jus civile matutinum aliis sex annis docuisset, à *Francisco Mediceo* Magno *Etruriæ* Duce octingentorum aureorum præmium, ut *Pisano* in Gymnasio primum Juris Cæsarei interpretandi locum obtineret, ei propositum fuit: sed se eam conditionem recusasse in quadam præfatione, quam *Ticini* ha-

C buit, testatus est, tum quòd *Pisani* aëris intemperies suæ parum conduceret valetudini: tum quòd tanta esset *Patavini* Gymnasii celebritas, ut cum eo *Pisanum* comparare posse nemo merito videretur: tum quòd Respublica *Veneta* eodem propemodum dato præmio uti ejus opera diutius voluisset. Quatuor autem alios hoc ipso in Gymnasio annos floruerat, cum *Bononiensis* Senatus 34. v.
suis ad eum literis, & nuntio misso, illustri Equite, *Lucio Magio*, cive *Bononiensi*, promisso mille aureorum præmio ipsum in suam Academiam conducere conatus est. Convenerant: eò erat profecturus: itineri se accingebat: cum Reipublicæ

D *Venetæ* studio effectum est, ut vinculum, quo se hic cum illis obstrinxerat, dissolveretur. Itaque suum in hoc Gymnasio explicandi munus continuavit, & principibus *Venetis* honestissime serviendo tres, ac viginti annos complevit, non solum ad docendum, verum etiam ad gravissima eorum cum *Gregorio XIII.* Pontifice Maximo negotia conficienda honorifice adhibitus. Cumque anno 1588. *Nicolaus Gratianus*, qui eruditione, ac religione Gymnasium *Ticinense* valde illustraverat, ex hac vita excessisset, *Menochius* Senatus *Mediolanensis* decreto accitus fuerat, ut in ejus demortui locum succederet. Quo etiam tempore *Fer-*

E *dinandus Mediceus*, Magnus *Etruriæ* Dux per literas *Jo. Baptistæ Arcimboldi* sibi charissimi eum iterum in Gymnasium *Pisanum* invitaverat, proposita ea numorum vi, quæ nemini fortasse alii fuerat antea numerata. Conditionem tamen non accepit, quòd jam fidem suam *Mediolanensi* Senatui obstrinxisset. Cum enim se excusasset, quòd onus docendi horis vespertinis, quemadmodum *Gratianus* fecerat, quominus ipse subiret, impedimento sibi esset non satis firma valetudo, quæ, ut novis susceptis laboribus, ac vigiliis profiteri Jus civile horis pomeridianis posset, minime ferre videbatur, suamque operam in horas matuti-

F nas, quibus semper antea professus fuerat, detulisset: eum voti compotem Senatores *Mediolanenses* fecerunt, constituto ei præmio mille aureorum, quantum etiam à *Venetis* acceperat. Quamobrem anno 1589. ad id munus obeundum se contulit; luculentamque habuit præfationem, ex qua mecum communicata hæc omnia sumpsi, factus aliquot post annis Senator *Mediolanensis*, in quo Senatu adhuc floret. Ejus præclarissima exstant opera signata ad gloriam sempiternam;

Tracta-

Tractatus de arbitrariis judicum quæstionibus, & caussis.

De adipiscenda, & retinenda possessione Commentarii.

De recuperanda possessione Commentarii.

In omnes præcipuas recuperandæ possessionis consti-
35. *tiones commentarii cum Responsis caussæ Ferrariensis datis à multis Italiæ Jurisconsultorum collegiis.*

Ad librum secundum de arbitrariis judicum quæstionibus, & caussis, adjuncta centuria quinta, centum casus judicibus arbitrarios continens, ad quotidianum usum in forensibus negotiis perutilis.

Consiliorum, seu Responsorum Tomi permulti.

De præsumptionibus, conjecturis, signis, & judiciis Tomi tres.

CAP. III.

De Michaele Quarantoctio.

Michael *Quarantoctius* Nobilis *Patavinus* originem traxit à præstantissimo viro, *Quarantoctio Florentino*, eo, qui obsidente *Patavium* exercitu *Veneto* adversus *Carrarienses*, ad portam *S. Crucis* cum uno comite muros ascendit, occisisque vigiliis, reque *Galleacio Gonzagæ* Summo *Venetarum* copiarum Imperatori significata, & præsidiis ab eo missis, causa fuisse dicitur, cur ipsa porta caperetur, & per eam exercitus introduceretur, Principe *Michaele Steno*, anno 1404. ut Bernardinus Corius narrat *in Historia Mediolanensi*. Quamobrem ipse *Quarantoctius*, tamquàm benemeritus, magnis muneribus fuit donatus, & præfectura Militari honoratus, civisque *Patavinus* factus. Idemque anno 1437. custodiæ Palatii *Bononiensis*, ubi *Eugenius IV.* Pontifex Maximus *Venetus* ex familia *Condolmeria* tunc residebat, summo cum imperio præfectus est. Ejus Frater *Michael Quarantoctius* senior, Jùris Pontificii, ac Cæsarei Doctor celeberrimus, circiter annum 1441. in Ditione Ecclesiastica civitates administravit, is, qui anno 1435. cum esset Præses *Patavini* Jurisconsultorum collegii, auctor fuerat illius statuti, *Ut cuncti Doctores ipsius Collegii in die festo Divi Antonii Confessoris, & in solennibus ejus dici supplicationibus circumspecte procederent, cum cereis in manibus, & pellibus de ipsorum collo pendentibus, singulis comitati minoribus Franciscanis.* Quod pium institutum etiam Philosophorum, & Medicorum collegium est imitatum.

Ac in familia quidem *Quarantoctia* ab his duobus, qui modo nominati sunt, *Patavii* propagata ortus *Michael* junior, cum in legum divinarum, & humanarum studio plurimum profecisset, datisque egregiis doctrinæ suæ documentis summa
35. v. cum laude doctoris insignia fuisset consecutus, anno 1564. factus est explicator Juris civilis in tertio loco: anno 1566. adhibitus ad textum, glossam, & *Bartholum* horis vespertinis in primo loco explicandum: anno 1568. electus ad Jus Pontificium matutinum in secundo loco explanandum, collega celeberrimi J. C. *Jacobi Menochii*: anno 1577. ad explicationem Feudorum traductus: quam usque ad annum 1586. cum *Sebastiani Monticuli*, Interpretis Juris canonici vespertini collega factus est, propter præstantiam suam omnibus probatam continuavit; etiamsi anno 1579. S. C. factum esset, ut explanatio Feudorum à Gymnasii Moderatoribus uni eorum, qui Jus civile in secundo loco explanarent, aut alicui alteri, prout eis visum fuisset, committeretur: neminem enim ipsi Moderatores *Michaeli Quarantoctio* præferendum judicarunt. Idem anno 1594. propter celebrem famam doctrinæ, experientiæ, integritatis suæ (ut in literis publicis legitur ea
A de re datis) Auditor Rotæ Civilis *Genuensis* declaratus est ad ordinarias *Genuæ* causas dijudicandas, & à Principe illius Reipublicæ ac Senatoribus honestissime invitatus. Quam tamen dignitatem recusavit, ne suo ipsius Principi, atque adeo suæ patriæ deesset: vir non solum jurisprudentia, sed etiam bonitate clarissimus, vereque dignus, qui & avunculum habuerit excellenti pietate virum, Archiepiscopum *Urbini*, Prolegatum *Bononiæ*, *Antonium Janotium*, & duos fratres præstantissimos, tum *Horatium* virum religiosum, Theologiæ Doctorem, per quatuor, & viginti
B annos in multis muneribus *Patavinæ* Ecclesiæ Administrum, atque inter cætera *Nicolai Ormaneti*, Episcopi *Patavini*, Vicarim: tum *Camillum* J. C. & oratorem egregium, in *Patavino* foro, & in caussis criminalibus magna cum laude versatum, Principis *Venetiarum*, & Ducis *Ferrariæ* Equitem. Obiit diem suum anno 1597.

CAP. IV.

De Gaspare Fabiano.

Gaspar *Fabianus* civis *Patavinus* ad Jus Canonicum vespertinum interpretandum anno
C 1560. in locum M. *Antonii Zabarellæ* fuerat electus; vir, donec vixit, semper summæ habitus auctoritatis propter celebrem famam doctrinæ, ac probitatis suæ, atque ab omnibus, tamquàm alter *Aristides*, justissimus celebratus, ita ut non 36.
solum ad eum publice docentem plurimi studiosi confluerent, verum etiam ad ejus judicium, tamquàm sapientissimum, & sanctissimum maximus undique concursus fieret, atque in eo prorsus omnes conquiescerent. Diu tenuit primum locum Juris Pontificii vespertini explicandi, qui eo extincto datus est *Sebastiano Monticulo Vicetino* an-
D no 1582.

CAP. V.

De Guarino Pisone Soacia.

Guarinus *Piso Soacia Patavinus*, cujus majores ex oppido *Rhætorum Soaci Patavium* venerant, fuit vir doctissimus, atque in studio legum *Hieronymi Cagnoli* alumnus præstantissimus: qui, cum primum Doctoris insignia est consecutus, ad Institutiones *Justiniani* Imperatoris explicandas adhibitus est; etiamsi ab eo munere postea in-
E commoda valetudine impeditus cessare necesse habuerit. Artem deinde oratoris, & advocati *Venetiis*, & *Patavii* maxima sua cum laude, atque eorum, quos defendebat, utilitate exercuit. Rursus ad publicum explicandi munus est revocatus; factusque Interpres Textus, Glossæ, & *Bartholi* anno 1568. Inde explicator Juris Canonici vespertini anno 1570. postea ad tertium locum Juris Civilis matutini anno 1574. est traductus: & anno 1575. dignus habitus, qui celeberrimi J. C. *Jacobi Menochii* in æqualitate secundi loci collega esset. Anno autem 1579. in duo clarissima Gymnasia magno proposito præmio est invi-
F tatus, *Taurinense*, & *Pisanum*; elegitque *Pisanum*, ubi tredecim annis Jus civile matutinum in primo loco professus est usque ad mortem suam, quam obiit anno 1591. Pridie Non. Augusti, *Patavii*, quò incommoda valetudine laborans se contulerat, ut melioris aëris beneficio, medicorumque *Patavinorum* præstantia suam recuperaret sanitatem, quod tamen ipse obtinere non potuit: nulla funeris pompa sepultus, quoniam ita ipsemet mandasset, alioqui omni honore quàm dignissimus. Reliquit duos filios magna virtute præstantes, & magnos Jurisconsultos, *Petrum*, &

Thaddæum; quorum quidem primus anno 1589. die 12. Maji à Præsidibus *Salerni*, per *Jo. Angelum Papium* utriusque signaturæ, ut appellant, Referendarium in *Sixti V.* Pontificatu electus est ad Jus civile ordinarium matutinum interpretan-
36. v. dum, constituto ei præmio trecentorum aureorum, à quo munere infirma valetudine laborans anno 1591. vix potuit cessationem impetrare, & cum ea tantum conditione, ut posteaquàm esset sanitati pristinæ restitutus, ad publice docendum rediret, quod tamen diutius ægrotans præstare non potuit, ita ut in ejus locum sufficere alterum necesse fuerit, suffectusque sit *Aloysius Musaptus Alexandri* filius *Patavinus*: anno autem 1593. cum jam convaluisset, literis *Galli* celeberrimi J. C. die 2. Septembri *Romæ* datis invitatus est in Gymnasium *Messanense* ad declarandum quoque Jus civile ordinarium matutinum, proposito quadringentorum aureorum præmio; quod cum ipse recusasset, *Galeotus Ferrus Patavinus* accepit. Alter vero *Guarini* filius ad Jus Pontificium matutinum in hoc Gymnasio explanandum adhibitus est, ut suo loco apparebit. Ejusdem *Guarini* exstant duo opera utilissima; *unum de Romanorum, & Venetorum magistratuum inter se comparatione ad legem primam*, capite Pandectarum de officio ejus, cui mandata est jurisdictio, & in superiora de magistratibus capita: alterum in scriptum *In Feudorum usus præludia*, methodice, diligenterque conscripta.

CAP VI.

De Clemente Thealdino.

Nulla urbs in *Italia* feracior est hominum in optimarum artium studiis excellentissimorum, quàm *Patavium*, ubi inter alios quàmplurimos ortus est *Clemens Thealdinus*, & electus anno 1565. ad Jus Pontificium vespertinum de superiore loco profitendum, collega clarissimorum Jurisconsultorum, *Gasparis Fabiani*; & *Guarini Pisonis Soaciæ*, quod munus ipse præclare obivit usque ad mortem suam, dato ejus loco *Paulo Bradiolo*, *Julii* optimi civis *Patavini*, & maximi J. C. filio anno 1576.

CAP. VII.

De Mantua Benavidio.

Marcus Mantua Benavidius Patavinus in patria sua majores omnes gessit dignitates: ac pro ea etiam honestissimo legationis munere functus est, cum *Francisco Donato Venetiarum* Principi nomine publico principatum est gratulatus. Ad criminum caussas pertractandas, & defendendas magna sua cum laude adhibitus eloquentia sua
37. nonnullis ad summum supplicium condemnatis vitæ peperit incolumitatem. Cœpit publice docere anno 1517. fuitque Interpres primum Institutionum *Justiniani* cum ejusdem muneris collega *Nicolao Janotio Patavino*, eo, quem *Urbini* Dux consiliarium, Episcopus *Forolivienſis* parentem habuit: deinde sexti voluminis Juris Canonici cum *Ludovico Gometio Hispano*, eo qui *Romæ* fuit postea, ut appellant, Rotæ Auditor, cujusque monumenta exstant literarum præclarissima: præterea Juris civilis cum *Vincentio Dallochio Bononiensi*, & *Aloysio Descaltio Patavino*: inde Juris Canonici cum *Balthassare Cardutio Florentino*, eoque ex hac urbe profecto cum *Bernardino Claricino Bononiensi*: rursus Juris civilis cum *Francisco Curtio Ticinensi*, cum *Jo. Antonio Rubeo Alexandrino*, cum *Hieronymo Cagnolo Vercellensi*, cum *Tiberio Deciano Utinensi*. Anno 1572. ad Jus Ca-
A nonicum matutinum interpretandum in locum *Jacobi Menochii* traductus est. Anno 1574. altissimum, & eminentissimum in Scholis dignitatis locum, quem supraordinarium nominant, obtinuit, cum facultate publice docendi, & non docendi ex arbitrio suo. Cujus valde laudandus est conatus in multis operibus conficiendis, & libris, ac voluminibus conscribendis, flagrantissimumque quotidianis laboribus, atque assiduis vigiliis suis præclara literarum studia juvandi desiderium; cum ediderit varios tum in *Jus Cæsareum*, tum in *Jus Pontificium Commentarios*, *Collectanea*, *Consilia*, *Scholia*, *Apophthegmata*,
B *Problemata*, *Dialogos*, *Enchiridia*, *Epitomas*, *Centurias*, *Orationes*, *Epistolas*, & id genus alia longe plura, quam ut hic commemorari posse commode videantur. Ut taceam ingentes divitias ab eo partas, magnificentissimas ædes erectas, amplissimum Musæum mirabiliter adornatum. *Bononienses* maxima ei præmia proposuerunt, ut eum in suum ipsorum Gymnasium adducerent. Et non modo Rex *Lusitaniæ* eundem accersendum curavit: sed etiam *Paulus III.* Pontifex Maximus inter eos, quos appellant Rotæ Auditores, habere concupivit. aliique Principes eum expetiverunt: sed nemo potuit ei persuadere, ut patriam suam
C relinqueret, ingratique animi crimen in Principes *Venetos* committeret, a quibus tantopere fuerat honoratus. Comes, & Eques amplissimis Privilegiis a Summis Principibus est factus, & de- 37. v.
claratus, primum a *Carolo V.* Imperatore anno 1545. deinde a *Ferdinando* itidem Imperatore, anno 1561. deniquè à *Pio IV.* Pontifice Maximo anno 1564. Qui plura de hoc viro præstantissimo cupit cognoscere, legat funebrem orationem meam de eo habitam anno 1582.

D

CAP. VIII.

De Tiberio Deciano.

Tiberius Decianus Utinensis, posteaquam Doctoris insignia est consecutus, præcipuas patriæ suæ dignitates administravit; deque rebus gravissimis ad *Venetiarum* Principem Legatus missus est: aliquod temporis spatium amicorum temporibus transmisit, summaque animi, & corporis contentione in privatorum periculis caste, integreque versatus est, potissimum *Venetiis*, ubi ad eum audiendum, tamquam alterum *Demosthenem*, vel alterum *Ciceronem* maximus fiebat hominum con-
E cursus: assessor fuit tum *Vicetiæ* amplissimo viro *Laurentio Venerio*; tum *Patavii* ei, qui postea factus est Cardinalis, *Bernardo Naugerio*; tum *Veronæ Francisco Venerio*, ei, qui *Venetorum* Principatum adeptus est. Cum autem esset assessor *Naugerio*, deficiente in hoc Gymnasio explicatore ejus partis juris, quæ ad crimina dicitur pertinere propter mortem *Marci Blanci Patavini*, hujusmodi onus anno 1549. sibi honorifice impositum feliciter sustinuit. Ex qua publici muneris functione ad exercendum *Veronæ* judicium, ut *Francisco Venerio* gratificaretur, se contulit, ita tamen, ut ei Juris publice interpretandi locus re-
F servaretur; ac *Verona* reversus in locum *Hieronymi Cagnoli*, tunc extincti, ad explicationes Juris civilis ordinarias, & matutinas suffectus est anno 1552. ætatis suæ 43. cum ortus esset anno 1509. Habuit collegam in Jure civili interpretando primum *Marcum Mantuam Benavidium*: deinde *Franciscum Manticam* civem suum: postremo *Jacobum Menochium Ticinensem*; maximo semper auditorum concursu honoratus, & sæpius, quam quisquam alius unquam, de Jure consultus. Edidit *Responsorum volumina tria una cum Apologia pro Juris-*

con-

consultorum Responsis adversus Andream Alciatum: & reliquit edendum *Tractatum criminalem*, qui utramque continet Censuram, duobusque Tomis distinctus est, ac post ejus mortem editus. De
38. hoc quoque qui plura velit cognoscere, potest meam legere anno 1582. in ejus funere habitam orationem.

CAP. IX.

De Martio Rutilio.

Martius *Rutilius Vicetinus* illustribus institit vestigiis celeberrimi patrui sui, *Bernardini Rutilii* ejus, qui vitas descripsit veterum Jurisconsultorum, aliaque opera edidit, quorum celebri fama annos natus circiter quatuor, & triginta ad primam Cathedram Juris Civilis in Gymnasium *Avinionense* invitatus est, etiamsi, cum ad illud iter se accingeret, acerba morte fuerit præreptus anno 1538. Adhibitus est *Martius* primum ad textum, glossam, & *Bartholum* explicandum anno 1564. cum tantum egregia documenta dedisset doctrinæ, ac præstantiæ suæ publicis disputationibus, & adversus Doctores publice docentes doctis argumentationibus, sed nondum Doctoris insignia esset consecutus. Itaque adeptus est id muneris novo exemplo, quamvis nondum Doctor: decreto enim Senatus fuerat prohibitum, ut illi, qui Doctoris laurea coronati non essent, ad publicas cathedras aditum haberent. Sed paria sunt, Doctorem esse, & qualibet honesta Doctoris Cathedra dignum se ostendisse. Postea factus Doctor electus est ad Jus Canonicum vespertinum interpretandum an. 1568. collega *Gasparis Fabiani*, & an. 1571. Jus Civile ordinarium matutinum interpretabatur, collega *Marci Mantuæ*, & *Tiberii Deciani*. Cum autem propter nimios labores, diuturnasque vigilias suas incommoda valetudine multos menses, circiterque duos annos laborasset, nec propterea dimissus esset, sed propter excellentissimam in hoc Gymnasio operam suam per tot annos cognitam, & perspectam diutius expectatus fuisset, dum convalesceret: tandem ipse ex consilio Medicorum an. 1572. necessario se excusavit, vixque missionem impetravit. Inchoaverat commentarium, ac prope finem perduxerat, de Doctoribus, ubi disertissime declarabat originem dandorum Doctoris Insignium, qui talia Insignia dare, qui accipere possent, multaque alia ad hujusmodi rem pertinentia: sed propter infirmam valetudinem perficere eum non potuit, cultui divino mirifice deditus, & nunc summus in Episcopatu *Vicetino* Vicarius, successor in eum Vicariatum religio-
38. fissimi viri, *Antonii* fratris sui, fulgensque simul
v. clarissimo lumine *Petri Pauli*, alterius fratris, J. C. eximii, ac superioribus annis in hoc ipso Gymnasio præstantissimi Interpretis Juris civilis ordinarii vespertini, ut suo loco declarabitur.

CAP. X.

De Joanne Cephalo.

Joannes *Cephalus Ferrariensis* in tribus floruit clarissimis *Italiæ* Gymnasiis, *Ferrariensi*, *Ticinensi*, *Patavino*: clarissimosque Jurisconsultos Collegas habuit; *Ferrariæ* Roncagallum; *Ticini Franciscum Alciatum*, propter summam sapientiam suam, singularemque probitatem postea evectum ad Cardinalatum; *Patavii*, quo in locum *Julii Salerni* an. 1565. accitus est, primum *Guidum Pancirolum*, deinde *Franciscum Manticam*, *Bonifacium Rogerium*, *Franciscum Zabarellam*. Ejus tam celebris fuit fama, ut in aliis multis Gymnasiis summopere fuerit expetitus, potissimumque *Bononiæ*, quo sæpe honestissimis præmiis invitatus est; ac *Pisis*, quo admodum reverendus, & illustris vir nomine *Tonsus*, illius Gymnasii tunc Moderator, cum se ob id unum *Patavium* contulisset, an. 1579. honestissime accersivit, proposito præmio mille, & trecentorum aureorum. Idem ex diuturno sex, & quadraginta annorum profitendi tempore bis habuit jus Comitis *Palatini*, quod viginti annorum spatio acquiritur ex libro Codicis duodecimo, capite de professoribus, qui in urbe *Constantinopolitana* docentes ex lege meruerunt comitatum; Senatorque *Mediolani* dicitur esse potuisse, si relinquere publicum interpretandi munus voluisset, procurante id potissimum excellentissimo viro *Gabriele Cueva*, *Mediolanensis* ditionis Gubernatore, qui per prudentissimum ejus consilium magnum quendam Ducatum fuerat consecutus.

Exstat hujus celeberrimi J. C. *Consiliorum*, *seu Responsorum Juris volumina quinque*; de cujus laudibus ego funebrem habui orationem an. 1580. ut, qui plura de eo velit cognoscere, eam possit perlegere.

CAP. XI.

De Francisco Mantica.

Franciscus *Mantica Utinensis* primum explicavit textum glossam, & *Bartholum*: deinde an. 1560. in secundo Institutionum loco, quem *Ni-* 39.
colaus Gratianus tenuerat, positus est: postea an. 1566. Jus civile matutinum in tertio explanavit: inde ad secundum Juris civilis vespertini traductus est, eumque an. 1571. tenebat: anno autem 1582. secundum Juris civilis matutini obtinuit; Doctor in quotidianis studiorum laboribus, assiduisque vigiliis numquam defessus, & ob id summam doctrinam consecutus, ut luce clarius constat ex præclarissimo ejus opere de conjecturis ultimarum voluntatum; & ut re ipsa est comprobatum: siquidem cum à Summo Pontifice *Sixto V.* honestatis, amplitudinisque gratia an. 1586. Reipublicæ *Venetæ* facultas data esset ponendi *Romæ* unum de suis in numero eorum, quos nominant Rotæ Auditores, atque ex publico decreto nominati fuissent quatuor, de quibus unus ab ipso Pontifice eligeretur, is propter doctrinæ suæ præstantiam, simulque morum integritatem, ac modestiam cæteris prælatus est, & electus in locum *Hippolyti Aldobrandini*, ad Cardinalatum evecti, ac factus etiam an. 1596. ab ipso *Hippolyto Aldobrandino*, nunc *Clemente VIII.* Pontifice Maximo, S. R. E. Cardinalis.

CAP. XII.

De Bonifacio Rogerio.

Bonifacius *Rogerius* fuit Reginus, & *Patavinus*, Filius *Friderici* ejus, qui ob insignem Juris Pontificii, & Cæsarei doctrinam *Patavii* inter summos legum Interpretes permultos annos de Republica literaria optime meritus est, atque adeo à Summo Imperatore *Carolo V.* dignus habitus, qui Equestris ordinis dignitate ornaretur; quemadmodum & ipse *Bonifacius* cum se peregregium legum Interpretem præstitit: tum Nobilis, & Miles, & Eques Auratus, sacrique *Lateranensis* Palatii, Aulæque Cæsareæ, & Imperialis Consistorii à *Maximiliano II.* Imperatore an. 1569. declaratus est: & à *Rudolpho II.* an. 1583. in eadem dignitate confirmatus, amplissimoque privilegio auctus. Primum autem textum, glossam, & *Bartholum* horis vespertinis cœpit explicare lo-

co

co *Friderici* parentis sui incommoda valetudine laborantis: deinde à senatu ad id munus obeundum an. 1563. electus est: postea vero ad Jus civile vespertinum in tertio loco explicandum an. 1566. adhibitus: inde in secundo loco an. 1572. positus, collega *Francisci Manticæ* cum loci æ-
39. v. qualitate. Quod ipse munus usque ad mortem suam, id est, usque ad an. 1591. quam dignissime obivit multis modis honoratus, & in primis florenorum septingentorum præmio, ad studiosorum utilitatem concurrens cum Jurisconsultis præclarissimis, atque inter cæteros cum *Joanne Cephalo Ferrariensi*, cum eo, qui modo nominatus est, *Francisco Mantica Utinensi*, cum *Guido Pancirolo* cive suo Regino. charus fuit multis Principibus, & S. R. E. Cardinalibus, in primisque *Nicolao Sfrondato*, qui anno, cum ille obiit, erat Pontifex Maximus *Gregorius XIV.* nuncupatus: *Hieronymo Ruvereo: Scipioni Gonzagæ*; *Francisco Mariæ* ex Marchionibus *Montis S. Mariæ*; ex quibus *Ruvereus*, cum esset Archiepiscopus *Augustæ Taurinorum*, mandatoque Ducis *Allobrogum* clarissimum perquireret. J. C. qui in locum succederet celeberrimi viri, *Guidi Panciroli*, ex Gymnasio illius civitatis in *Patavinum* acciti, una cum cæteris, quibus id negotium datum fuerat, inter multos, qui proponebantur, Jurisconsultos præclarissimos statuit ad eam successionem ipsum *Bonifacium Rogerium* invitare; literisque de hoc datis honestissimum ei præmium septingentorum aureorum proposuit; quod quidem munus quo minus ipse susciperet, se excusavit, ne *Veneto* Principi, & Senatui, cui erat addictus, & obstrictus, minus gratus, minusque beneficiorum, & ornamentorum memor videretur. Controversiam habuit de præsessione cum *Angelo Matthæacio*, de qua infra. Duo reliquit Consiliorum satis magna volumina, quæ typis impressa sunt. Fuitque ut appellant, sapiens Deputatus ad utilia *Patavinæ* civitatis. plura de eo legi possunt in ea, quam ego de ipso habui, funebri oratione.

CAP. XIII.

De Francisco Zabarella.

Zabarellæ quam excellenter floruerint inter publicos Interpretes in Gymnasio *Patavino*, satis apparere potest ex iis, quæ supra notavimus de *Francisco Zabarella* Cardinali: de *Bartholomæo Zabarella* Archiepiscopo *Florentino*: de *Marino Zabarella*: de *M. Antonio Zabarella*. Ex hoc ortus est is, qui an. 1571. electus est *Joannis Cephali* collega tertius ad Jus Civile vespertinum interpretandum *Franciscus Zabarella*, vir ut nobili
40. genere ortus, sic nobilibus moribus præditus, & non minori probitate, quam doctrina ornatus, qui usque ad annum 1580. quo ipse *Cephalus* est mortuus, tale munus honestissime continuavit.

CAP. XIV.

De Bartholomæo Sylvatico.

Bartholomæus Sylvaticus Nobilis *Patavinus* cœpit *Justiniani* Institutiones in secundo loco explicare, collega primum *Guidi Panciroli* Regini, deinde *Philippi Octaviani Montanianensis*; idque muneris obivit ab anno 1555. usque ad annum 1559. cum facto S. C. de vallibus exsiccandis, cœptisque ad culturam reduci agris, qui inculti erant, ipse, qui ex iis una cum fratribus circiter quadringenta jugera possidebat, utilitati rei suæ domesticæ consulens ab Institutionum explicatio-

A ne cessavit usque ad annum 1562. quo in locum *Philippi Octaviani Montanianensis* delectus est collega *Francisci Manticæ Utinensis*: cumque maximum J. C. se ostendisset, vir altissima mente præditus, & optimis, ac suavissimis moribus ornatus, atque ita dignus, ut nulla tanta existat dignitas, quæ ejus doctrinæ, ac virtuti debita non videatur, dignus visus est, qui a primo loco Institutionum ad explanandam eam partem juris, quæ ad crimina dicitur pertinere, anno 1563. in locum *Antonii Catari*, celeberrimi J. C. extolleretur. Dumque id publicum munus obiret, praxim conjunxit cum theoria, pluribusque in periculo ca-
B pitis patrocinatus est tanta eloquentiæ, & sapientiæ præstantia, ut eorum plerosque a summo supplicio liberaverit: ac persuasissimum habens, Duri hominis, vel potius vix hominis videri capitis periculum inferre multis; nec ignorans, quam sordidum ad famam fuerit nomen accusatoris *M. Bruto*, summo genere nato, illius filio, qui Juris Civilis in primis peritus fuit, neminem unquam accusavit, nullumque contra reos consilium dedit, sed in hominum defensione perpetuo versatus est, potiusque nocentes, & nefarios defendit, id quod vult multitudo, patitur consuetu-
C do, fert etiam humanitas, quam innocentes in judicio capitis arcessivit, id quod sine scelere præstari nullo modo potest. Adhibitus postea est ad Jus Pontificium matutinum explicandum an. 1575. in locum *Benedicti Bariselli Montanianensis*; nec ob id desiit reos defendere, quousque Consultor Principis factus est, quo nimirum tempore non solum ab officio defensoris, verum etiam ab omnibus dignitatibus, & muneribus publicis; quæ ipse 40. v.
cum maximo patriæ suo commodo, atque ornamento administrabat, se abduxit. Anno enim 1581. mense Februario Consultor Reipublicæ *Venetæ* delectus est, qui una cum *Erasmo Gratiano Utinensi* de jure, cum opus esset, ipsi Reipublicæ
D consuleret, duobusque muneribus quasi gladius Delphicus fungeretur, tum Interpretis in Gymnasio *Patavino*, tum Consultoris, cum res postularet. ob quam secundi muneris functionem quoniam sæpe necesse haberet ad *Venetiarum* Principem se conferre, iccirco aliud munus, quod sibi propter præstantiam suam deferebatur, accipere non potuit, interpretandi Juris civilis matutini, in cujus studium longe plures incumbere notum est, ita ut ejus explicatio non sine magno detrimento intermitti posse videatur, quod de jure non evenit Pontificio. Præterea propter idem Con-
E sultoris munus aliam non accepit *Bartholomæus* dignitatem, ad quam prior est invitatus. Cum enim *Sixtus V.* Pontifex Maximus honoris gratia *Venetæ* Reipublicæ facultatem dedisset ponendi unum de suis *Romæ* in numero eorum, quos appellant Rotæ Auditores, *Patavii* Præsides, *Andreas Bernardus* Prætor, & *Laurentius Donatus* Præfectus, nomine publico ab eo petierunt, an vellet in eo dignitatis gradu collocari; quibus modestissimus, & Principi suo obsequentissimus Doctor respondit, contentum esse se eo munere, quod jam sibi publico esset decreto delatum, eoque libentissime fungi, nec quidquam ulterius quære-
F re, nisi si aliter Principi suo placeret, cui ut obsequeretur, paratum esse se patriam, familiam, liberos relinquere, atque in omnem locum, quocumque juberetur, proficisci. Id quod etiam publicis patet literis. Quo responso publice cognito, senatui placuit ejus voluntati nullam vim afferre: eaque dignitas postea *Francisco Manticæ Utinensi* delata est, qui Jus civile matutinum in hoc Gymnasio interpretabatur, quemque a *Clemente VIII.* Pontifice Maximo factum fuisse Cardinalem superius narratum est. Nec mirum profecto, si *Bar-*

ſi *Bartholomæi Sylvatici* opera multis modis publice expetita eſt: ſemper enim ſe oſtendit præſtantiſſimum, ſimulque fideliſſimum, & inflammato quodam ſtudio, atque incredibili devotionis ardore Reipublicæ deditiſſimum, qui in pectore,
41. & corde nomen *Venetum* ſculptum geſtaret, una cum perilluſtri Equite, *Hieronymo* fratre ſuo, qui poſteaquam *Hippolyto Eſtenſi* Cardinali tum *Romæ*, tum in *Gallia* honeſtiſſime ſervivit, in patriam reverſus omnem operam ſuam ſenatoribus *Venetis* dicavit. Itaque multos legatos a Senatu ad Principes miſſos fideliſſime, magnificentiſſimeque eſt comitatus; ivitque cum *Mattheo Zanio* ad Ducem *Urbini*: cum *Jacobo Superantio Byzantium*: cum *Vincentio Throno*, *Hieronymo Lippomano*, *Matthæo Zanio* in *Hiſpaniam*; quæ Legatio *Philippo* Regi Catholico adeptam *Luſitaniam* gratulata eſt: cum *Franciſco Contareno* ad Ducem *Mantuæ*, cui ductam uxorem ille eſt gratulatus: cum eodem *Contareno* ad Magnum *Etruriæ* Ducem, & ad celebres ejus nuptias: cum *Marino Grimano*, qui nunc Princeps eſt, & a quo Equeſtri dignitate eſt decoratus, ad *Clementem VIII.* Pontificem Maximum ſtatim ut is ad Pontificatum evectus eſt; hiſque omnibus operam nobiliſſimam, elegantiſſimamque navavit. Neque vero ſolum *Bartholomæus Sylvaticus* ſe totum Principi ſuo conſecravit: verum etiam filios, quos ſatis multos habet, & quidem omnes bene educatos, beneque inſtitutos, ac generoſis animis præditos, nequaquam a præſtantia majorum ſuorum, & a ſplendore virorum perilluſtrium, parentis, patruique degenerantes; ex quibus cum *Aloyſius*, Juris Pontificii, & Cæſarei Doctor, in Eccleſia Cathedrali factus fuiſſet Archidiaconus, exiſtimaſſetque ſe maxime Reipublicæ ſerviturum, dum Eccleſiæ, & Deo ſerviret; *Petrus* rei militari prorſus deditus, & *Jo. Baptiſta*, juris utriusque itidem Doctor, facti ſunt ipſius Reipublicæ clariſſimi adminiſtri. Siquidem *Petrus*, poſteaquam e ludo, atque pueritiæ diſciplina, bellis graviſſimis tum in *Belgio*, tum in *Gallia* geſtis, atque acerrimis hoſtibus in militiæ diſciplinam ſe dediſſet, ſcientiamque rei militaris cum maximo vitæ ſuæ periculo, & pila etiam vulneratus unius de iis tormentis militaribus, quæ ſæpe nullum robur vitare, nulla fortitudo poteſt, ſatis comparaſſe viſus eſt, ita charus fuit Principi, & Senatui univerſo, ut primum declaratus ſit unus de Reipublicæ Proceribus ad ſerviendum Principi deſignatis, deinde *Marani* Præſidio Præfectus ſub nomine Gubernatoris, atque in Conſilium etiam adhibitus, quamvis junior, de præſtantia, & fideli-
41. v. tate, aliiſque conditionibus nonnullorum Præfectorum. Ac de eo quidem datæ ſunt literæ, quæ hic adſcribentur ad perpetuum decus præſtantiæ in juvene ſingularis.

Dux Maynius Locum tenens Generalis Regni, & Coronæ Galliæ. Notum facimus Petrum Sylvaticum, Nobilem Italum, ſanctæ conjunctioni, & fœderationi Catholicorum ſpatio unius anni, quo apud nos fuit, egregiam, & præſtantem operam navaſſe, quæcumque occaſiones oblatæ fuerint: utque id omnibus patere poſſit, has litteras dedimus noſtro ſigillo munitas. Auguſtæ Veſſonum die, 24 *Aprilis*, 1590.

Sereniſſimo Venetiarum Principi Alexander Farneſius S. D.

Sereniſſime Princeps, Cum Petrus Sylvaticus neceſſe nunc habeat ſe in Italiam conferre ad abſolvendam vulneris curationem facti pila minoris tormenti militaris a perduellibus, ſuperioribus proximis menſibus, occaſione honeſtiſſima ſerviendi Regiæ Majeſtati, quo quidem ejus brachium eſt valde impeditum: non ſolum ei poteſtatem conceſſi veniendi: ſed etiam, ut meo ſatisfaciam officio, & documento, quod
A *ipſe hoc, aliiſque temporibus dedit præſtantiæ ſuæ, non potui non ei has litteras dare ad veſtram Serenitatem; non equidem, ut eum benignitati veſtræ commendem, plusquam efficere debeat cognitio, quam ipſa habet parentis, illiusque familiæ univerſæ: ſed ut eam certiorem faciam, quodcumque beneficium, & ſignum honoris ipſe acceperit a veſtra Serenitate, optime collocatum iri; mihique ita gratum fore, ut ei plurimum debeam. Vale. Brixelli. die* XXVI. *Septembris* 1591.

Has literas commemoravit Senatus in decreto, quod *Petrum Sylvaticum* ad rem militarem pro
B Republica deſignavit, conſtituto ei præmio quadringentorum ducatorum, die 19. Februarii, 1592. poſt quod decretum idem Præfectus eſt præſidio *Marani* ſub nomine Gubernatoris, die 8. Octobris, 1593. & ad eum, tamquam rei militaris peritiſſimum, quamvis adoleſcentem, hæ literæ ſunt perſcriptæ;

Moderatores Militiæ Clariſſimo viro, Sebaſtiano Lando, Præſidi Marani, S. D.

Cum valde cupiamus propter onus nobis impoſitum moderandi militiam univerſam habere claram, diſtinctamque notitiam eorum, qui in ſchedula hic incluſa notati ſunt, Præfectorum a Gubernatore Sylvatico: 42.
C *voluimus has litteras ad tuam dare Amplitudinem, ut noſtro ipſorum nomine ipſi Gubernatori deſiderium noſtrum aperias, videlicet cognoſcendi ex ejus litteris jurejurando confirmatis, quales omnino illi Præfecti ſint, quam honeſte ſerviant, an milites habeant bene compoſitos, an umquam militaverint, an bonum ab eis opus expectari poſſit. quod nobis ſignificari volumus, quam fieri poſſit, occultiſſime. Amplitudo tua curet, ut quamprimum de his ipſis rebus certiores efficiamur. Vale. Venetiis. die* IV. *Februarii.* 1594.

Hæc ad juvenem; qui profecto, ſi diutius vixiſſet, omnem ſuperaturus eſſe in re militari laudis excellentiam videbatur: ſed vix annos natus qua-
D tuor, & viginti mortuus eſt; ſi modo mortui dicendi ſunt, qui pro Republica extincti perpetua gloria, & laude lucere exiſtimantur. Præclare enim ſcriptum eſt, *Qui pro Republica vitam reddiderunt, nunquam eos exiſtimandos mortem potius, quam immortalitatem aſſecutos. Et, Iis, qui ob Rempublicam mortem obierunt, merito pro brevi vita diuturnam memoriam reddi ſolitam. Et Eos, qui pro Republica ceciderunt, in perpetuum per gloriam intelligi vivere.* Sic *Petrus Sylvaticus* poſt militiam anno ætatis ſuæ undeviceſimo pro Chriſti fide ſuſceptam, & fortem operam per totum quadrien-
E nium navatam, ac vulnera excepta, dum *Marani* præſidium gubernaret, acerba morte præreptus, immortalitatem potius, quam mortem, & pro brevi vita diuturnam memoriam fuiſſe aſſecutus, atque in perpetuum per gloriam vivere putandus eſt. *Jo.* vero *Baptiſta*, vir non minori probitate, ac morum candore, quam doctrina præditus, & philoſophiæ quoque, cui ante ſtudium legum aſſiduam operam dedit, bonarumque litterarum cognitione ornatus, ad Feuda explicanda in hoc Gymnaſio adhibitus eſt; præclareque inſiſtit veſtigiis parentis ſui fixis ad memoriam hominum ſempiternam una cum *Benedicto*, fratre, qui &
F ipſe philoſophiæ Doctor declaratus, & magnum curſum, atque progreſſum faciens ad excellentiam Medicinæ, ſe nequaquam degeneraturum eſſe a præſtantia majorum ſuorum profitetur.

Anno autem 1582. idem *Bartholomæus Sylvaticus* Conſultor Reipublicæ, ut cum *Eraſmo Gratiano* ad Aulam Cæſaream ſe contulit, dati enim 42. v.
fuerant comites ampliſſimis legatis *Joanni Michaeli*, & *Joanni Gritto*, primariis Senatoribus, ut cum de finibus *Fori Julii* inter Domum *Auſtriacam*, & Rempublicam *Venetam* eſſent controverſiæ, *Rudolphuſque II.* Imperator ſuam ipſius ope-

ram Senatui *Veneto* detulisset ad tales controversias amice sedandas, ipsis legatis adessent in consilio; ex quibus *Gratianus* quidem ob publica negotia *Venetias* missus amplius non rediit: *Sylvaticus* vero usque ad illius negotii finem in *Germania* permansit, egregieque se gessit; à quo finium negotio per annos duos, mensesque quatuor pertractato posteaquam reditum est, Senatus, ut gratum animum ostenderet in consultores suos, *Sylvaticum*, & *Gratianum*, ex publico decreto eos Equites declaravit, aureoque torque donavit æstimationis trecentorum aureorum cum Insigni *S. Marci*, in quo hæc verba leguntur; SENATUS DECRETO FIDEI, VIRTUTISQUE TESTIMONIUM.

Idem *Sylvaticus* anno 1596. cum *Franciscus Mantica Utinensis Romæ* pro Republica *Veneta* Rotæ Auditor ad Cardinalatum evectus esset, pro ejus successione ad munus Auditoris Summo Pontifici a Senatu propositus est cum *Camillo Peregrino Veronensi*, *M. Antonio Martinengo Brixiano*, & *Veneto*, *Laurentio Preciato Bergomate*, ac *Veneto*, & quidem propositus primus, licet ei non modo alienior ab hujusmodi dignitate animus, sed etiam filiorum numerus dicatur maxime obstitisse, quominus ipse eligeretur. Hac de re *Joannes Delphinius*, ordinarius apud Pontificem Maximum *Venetus* Legatus ad ipsum *Sylvaticum* has literas dedit.

Quod te nominatum viderim inter quatuor ab excellentissimo Senatu propositos pro successione Auditoris Rotæ, non modo mihi jucundum fuit, verum etiam præstantissimæ virtuti tuæ debitum, maximisque promeritis tuis congruens. Quamobrem tum ut officio meo satisfacerem, tum propter publicam rationem, tum propter meam in te benevolentiam nulla alia re excitatus, nisi mea ipsius conscientia, singularique de te opinione, superiori proxima hebdomade satis longum, & honoratum cum Summo Pontifice de te, ac virtutibus tuis sermonem habui; de quo dies abhinc octo quid publice perscripserim, facile intelligere potuisti.
43. *Nunc vero reliquum est, ut tibi aperiam, ejus sanctitatem ita se ostendisse scientem ornamentorum tuorum, ut, si liberorum multitudinem non habuisses, sine dubio cæteris omnibus præferendus esse videreris, nulla habita ratione trium, & sexaginta annorum; quod tamen plurimum interesse ejus Beatitudo arbitratur. propterea que superioribus proximis diebus reverendum virum, Camillum Peregrinum Veronensem, jam diu unum de illis, qui referendis negotiis sunt constituti, delegit. De quo te volui certiorem facere, simulque id tibi affirmare, quod est verissimum, hanc nominationem, quam secutam esse sine ulla tua ambitione, immo vero etiam sine assensu tuo omnibus patefeci, auxisse hic maxime hominum de te existimationem, usque adeo, ut debeamus omnes contenti esse, gratiasque præpotenti Deo agere, quod per reliquum tempus vitæ tuæ perfrui patriæ quiete, atque tranquillitate queas, fortasse commodius, & lætius, quam hic faceres. Id quod Divina Majestas tibi diutius concedat, eaque cum felicitate, quam optas. Interim tibi affirmo, quæcumque occasiones mihi oblatæ fuerint, me effecturum profecto, ut meam optimam, sinceramque voluntatem re ipsa cognoscas. Vale. Romæ. XIII. Kal. Augusti. 1596.*

Missus est *Sylvaticus* anno 1597. Comes *Aloysii Mocenici*, cognomento Philosophi, Senatoris sapientissimi, atque eloquentissimi ad fines regendos inter Rempublicam *Venetam* & *Alphonsum II. Ferrariæ* Ducem: eique etiam collega datus est in ipsa negotii pertractatione *M. Antonius Peregrinus Patavinus*, auctor præclarissimorum operum *de Jure Feudi*, & *de Fideicommissis*, vir doctissimus, & disertissimus, & in *Patavino* foro princeps, qui & ipse Consultor Reipublicæ quamvis

A non petens, electus est. Quod finium negotium extincto ipso *Alphonso II.* confici non potuit. Scripsit *Sylvaticus* multa consilia de rebus gravibus, præcipue vero in causis sibi commissis ad referendum in Jurisconsultorum Collegio *Patavino*, ubi referendi munus ei deferri plerumque consuevit. Commentarios composuit in eas partes Juris tum Civilis, tum Pontificii, quas publice explicandas suscepit; qui quidem si edentur, non est dubium, quin plurimum luminis Juris studio, & adjumenti legum studiosis importaturi sint. Inter cæteros autem Commentarium confecit, quem
B mecum pro singulari ejus in me benevolentia communicatum utilissimum, & omnis doctrinæ plenum judicavi, de Jurisdictione sæculari in personas, & res Ecclesiasticas, vel mistas. 43. v.

Principi in Ecclesiam quæ jurisdictio detur,
Hoc libro monstrat præclare Bartholomæus
Sylvanus Doctor, quo non civilior alter
Moribus, & generoso animo, non doctior alter:
Quo merito urbs Patavina suo lætatur alumno,
Legum Explanatore, a Consiliisque Senatus,
Magno Equite, ac generis Sylvani lumine claro.

C

CAP. XV.

De Joanne Leonissa.

1571. Joannes *Leonissa Patavinus* Artem Tabellionum cœpit interpretari, vir doctus, & diligens; cujus de majoribus unus fuit *Jacobus Leonissa* ille, quem a *Bernardino Scardeonio* memoriæ proditum est docuisse & ipsum multos annos in hoc Gymnasio Jus Pontificium: factum Canonicum Ecclesiæ Cathedralis in *Romana* Curia aliquandiu floruisse, & a *Pio II.* Pontifice Maximo universæ *Flaminiæ* Legatum a latere anno 1460. constitutum esse: posteaque ad
D *Romanorum* Regem Nuncium, & Exactorem Apostolicum creatum in utroque munere sapientissime se gessisse: denique in patriam reversum in sacrarum literarum studium incumbentem, officiaque Ecclesiastica exercentem, senectutem egisse tranquillissimam: scripsisse in studio legum præclara multa, in primisque Consilia, quæ apud *Petrum Leonissam* pronepotem suum, J. C. doctissimum reperiebantur: mortem obiisse anno 1474.

CAP. XVI.

De Nicolao Bottono.

E

Originem traxit *Nicolaus Bottonus Patavinus* a *Bottonis* illis, qui antiquitus duo tenuisse oppida in agro *Parmensi* dicuntur. Cum autem *Obelerius Obelezerius Lothario Caroli Magni* Imperatoris filio in *Italiam* venienti *Venetias* prodere tentasset, illo a populo interfecto, *Gentilis Bottonus* pacis auctor fuit inter *Lotharium*, & *Venetos* componendæ, anno 884. *Gregorio II.* Pontifice Maximo sedente. *Bernardus* vero *Bottonus* circiter an. 1240. glossemata in Decretales *Gregorii IX.* edidit, dum eas *Bononiæ* interpretaretur; ubi præter Juris Pontificii interpretationem primum Ca- 44.
F nonicus est creatus: deinde Sacri Palatii Quæstor declaratus, quem tunc summi Pontificis Auditorem vocabant, & in cujus locum postea duodecim Rotæ Auditores successerunt: denique Academiæ *Bononiensis* Cancellarius factus, id est, ut quidam interpretantur, Judex constitutus, & vita ibidem cum morte commutata, magno cum honore in majori templo humatus. Horum posteri rerum suarum domicilium *Patavium* transtulerunt, & in hac civitate inter cæteros claruit alter *Bernardus Bottonus* copiis militum Reipublicæ *Venetæ*

tæ Præfectus, qui ad pacem cum Imperatore, atque Archiducibus *Austriæ* faciendam missus fines etiam inter eos, & Rempublicam *Venetam* posuit: similiter vero etiam cum *Albertino* fratre, Philosopho, & Medico, de quo agetur infra suo loco, ipse *Nicolaus*, qui cum optime vestigiis insisteret signatis ad gloriam sempiternam superius nominati *Bernardi Bottoni*, primi, ut appellant, Decretalium Glossatoris, anno 1564. ad interpretandum textum, glossam, & *Bartholum* mane in primo loco electus est: seque ostendit Juris peritissimum, atque in tractandis legum quæstionibus acutissimum. Quamobrem anno 1574. Juris Canonici vespertini in secundo loco, quem *Guarinus Piso Soacia* tenuerat, interpres factus est: proximoque sequenti anno, IV. Kal. Maji e vita excessit, atque admirabile sui desiderium reliquit, cum utilissimus Gymnasio existimaretur; cui quidem mortuo id honoris est habitum, ut Moderatorum mandato reliqui temporis præmium usque ad annum completum ejus filiis, & heredibus fuerit persolutum.

CAP. XVII.

De Pau. Antonio Godio.

Cum aliis multis rebus alias multas *Italiæ* urbes *Vicetia* vicit, jucundissimi cæli clementia, fertilissimæ terræ halitu, placidissimorum fluminum afflatu, pulcherrimorum collium amœnitate, amœnissimorum agrorum ubertate, plurimorum fructuum varietate, frumenti copia, leguminum abundantia, vini præstantia, magnitudine pastionis, multitudine earum rerum, quæ exportantur, universa re cibaria, & felici prorsus, ac plane divino genio suo per quam omnibus excolendo: tum in primis vicit virorum generosissi-
44. v. morum excellentia, omni genere laudis ornatissimorum, & non solum armis, verum etiam literis præstantissimorum; quos omnes si recensere vellem, præterquam quod difficulter orationis exitum invenirem, non parum viderer a proposito aberrare. Quamobrem id tantum dicam, quod ad rem præsentem attinet, multos doctissimos, & disertissimos *Vicetinos* in hoc Gymnasio illuxisse, atque inter cæteros non parum floruisse *Pau. Ant. Godium*. Juris doctissimum, & ad omnem de jure quæstionem declarandam aptissimum, qui anno 1571. collega erat *Nicolai Bottoni* in secundo loco ad textum, glossam, & *Bartholum* interpretandum, atque in eo munere obeundo valde excellebat, etiamsi proximo sequenti anno eam interpretationem dimiserit.

CAP. XVIII.

De Terentio Terentiano.

Terentius Patavinus ex *Terentia* familia ortus, *Alexandri Terentii* frater, Juris peritissimi, & in Ecclesia Cathedrali Canonici religiosissimi, atque nonnumquam in Episcopatu Vicarii Generalis meritissimi, vir ad cathedram natus, ac ad docendum ita accommodatus, ut juris studiosi, cum eum audirent, melius non quærerent; primum electus est ad Sextum volumen juris Canonici explicandum: deinde anno 1570. adhibitus ad textum, glossam, & *Bartholum* vesperi in primo loco explanandum: & anno 1577. ad Jus Pontificium traductus, & positus in loco *Michaelis Quarantottii*, cui pro Jure Canonico munus explicandi Jus Feudorum delatum est, factusque collega celeberrimi J. C. *Bartholomæi Sylvatici*. Quam interpretationem anno 1590. cum egregie obiret, vitam cum morte commutavit, maximumque legum studiosis sui desiderium reliquit propter præstantiam ingenii, ac doctrinæ suæ in hoc Gymnasio fructuosissimam. Scripsit commentarios in Institutiones *Justiniani*: in omnes eas partes Juris Civilis, quæ solent publice explicari; itidemque in partes Juris Canonici: & consilia prudentissima; quæ quidem si edentur, non poterunt legum studio non maximum importare adjumentum. suscepit filios generosissimos, *Joannem*, & *Alexandrum*, ex quibus ille disputatis publice Juris Pontificii, ac Cæsarei quæstionibus, & utriusque juris Doctor factus, ac datis magnæ præstantiæ documentis, se similem fore patri in legitimæ scientiæ exercitatione ostendit: 45.
hic vero se dedit rei familiari administrandæ propter probitatem suam, & ingenuum animum, atque propensionem ad bene de omnibus merendum omnibus charus, atque jucundus.

CAP. XIX.

De Philippo Octaviano.

Philippus Octavianus Montanianensis factus est Institutionum Interpres an. 1553. collega *Guidi Panciroli*: inde an. 1561. adhibitus ad Jus Canonicum mane interpretandum loco *Philippi Porcii Romam* tunc profecti: denique an. 1567. ad Institutiones revocatus in locum *Francisci Manticæ Utinensis*, qui in secundo loco Juris civilis vespertini positus fuerat. Iccirco autem est revocatus, quia in ea explicatione mirabiliter excellebat, omnemque superabat laudis excellentiam, dum ad ipsarum Institutionum interpretationem altiores omnes de jure quæstiones tam facile adhiberet, ut studiosi juvenes maximum fructum eo audiendo, ac prope incredibilem utilitatem reportarent, cum maxima delectatione conjunctam: erat enim facetus, quam qui maxime. Diem suum obiit. an. 1588.

CAP XX.

De Sebastiano Monticulo.

Sebastianus Monticulus Vicetinus semper studiosissimus fuit, ac propter assiduum studium, magnamque ingenii perspicacitatem ad quamlibet de jure quæstionem decidendam maxime idoneus; electus primum ad interpretandum textum, glossam, & *Bartholum* horis matutinis an. 1562. postea ad explicandas Institutiones *Justiniani* an. 1565. inde traductus ad Jus Canonicum vespertinum an. 1576. in locum *Ottonelli Discalcii*, qui *Donato Finæ* successerat ad criminalia explananda: denique a secundo loco Juris Pontificii vespertini ad primum, quem tenuerat *Gaspar Fabianus*, anno 1582. translatus. Exstat ejus Commentarius in tres titulos Institutionum *de rerum divisione: de rebus corporalibus*, & *incorporalibus: de actionibus*; ac Tractatus *de inventario heredis*, cum glossemate ad legem ultimam capite Codicis *de jure deliberandi*: & cum altero glossemate ad auctenticum *de heredibus*, & *Falcidia*: & *cum Antiphanutio*, hoc est, defensione ejusdem adversus *Phanutium*.

CAP. XXI. 45. v.

De Laurentio Castellano.

Laurentius Castellanus Patavinus habitus est perspicacissimus, & diligentissimus legum contemplator, atque ad juvenum studia summopere adjuvanda maxime aptus, & natus; ad locum tertium *Patavinorum* electus an. 1566. & ad secundum locum traductus an. 1584. atque ad eam partem juris, quæ crimina dicitur pertractare, adhi-

bitus an. 1589. in locum *Ottonelli Discalcii*. Ejus edita est clara, & subtilis interpretatio in Rubricam, & Principium Institutionum *de testamentis ordinandis*: ac solennis *explicatio quaestionum*, quae a Doctoribus disputantur.

CAP. XXII.

De Francisco Branca.

Franciscus Branca Patavinus an. 1571. sextum volumen Juris Pontificii publice tractabat; adhibitus postea ad interpretandum textum, glossam, & *Bartholum* in locum *Nicolai Bottoni* an. 1574. & ad explicandas *Justiniani* Institutiones in primo loco post mortem *Philippi Octaviani* anno 1588.

CAP. XXIII.

De Bartholomaeo Sforcia.

Bartholomaeus Sforcia Patavinus augebat numerum praestantium Jurisconsultorum in *Patavino* Gymnasio docentium, dum an. 1571. Jus civile meridianum magna sua cum laude, & non parva Juris studiosorum cum utilitate publice explicabat, clarumque specimen dabat ingenii, atque industriae singularis.

CAP. XXIV.

De Bonaventura Manento.

Bonaventura Manentus Theologiam ex doctrina *Scoti* interpretatus est ab an. 1566. usque ad an. 1587. id est, per annos unum, & viginti. Ortus est in nobili oppido *Gabiano*, quod in agro floret *Brixiano*, ex familia *Manenta*, ex qua praestantissimi viri prodierunt, atque inter caeteros clarissimi Jurisconsulti *Antonius* pater, & *Franciscus* filius, nobiles *Brixiani*, nunc vocati *Gabiani*, & *Jo. Dominicus*, egregius Philosophus, ac Medicus praestantissimus, *Marcus*que *Antonius* ejusdem ordinis, cujus est & ipse *Bonaventura*, Minoris *Franciscani*, Theologus praeclarus, & con-
46. cionator disertissimus. Cumque eas artes, quae ad Humanitatem pertinent, studiosissime persecutus esset, Musicaeque simul operam dedisset; ad majora studia, ad quae erat maxime aptus, & natus, animum appulit; primumque *Brixiae* studere coepit philosophiae, ac Theologiae, audivitque per aliquot annos *Antonium Sapientium Augustanum*, tunc in conventu *Brixiano* Regentem, qui postea summus extitit *Franciscanae* Religionis Magister: deinde *Patavii* auditor fuit assiduus eloquentissimi Philosophi *M. Antonii Genuae*; subtilissimi Metaphysici *Jacobi Bargii*; acutissimi Philosophi, ac Theologi, *Hieronymi Girelli*; tantumque profecit, ut magno suo cum honore publicas disputationes habuerit, tum *Veronae*, tum alibi, in Comitiis Generalibus *Franciscanorum*; Doctorisque insignia honestissime est consecutus; factusque Regens in eo ipso Conventu, ubi ejus studia initium habuerant. Fuit postea Regens in Conventu *Utinensi*, tunc cum sancta Sedes Apostolica eum Quaesitorem delegit haereticae pravitatis in Patriarchatu *Aquilejensi*. Inde rexit studia in conventu *Patavino* an. 1565. simulque à Senatu *Veneto* ad Theologiam ex doctrina *Scoti* explicandam electus est: quo quidem tempore cum congressiones fierent, & circuli disputantium Doctorum, dici non potest, quam ipse in illis congressionibus, & circulis mirabiliter excelleret, quem adspectabant, cujusque ob os omnes studiosi ora obvertebant sua. atque hujusmodi cer-
A tamina cum magna universi Gymnasii admiratione per quindecim annos exercuit: eodemque temporis spatio per tres annos *Divi Antonii* provinciam summa sua cum laude, ac omnium approbatione administravit. Denique à Cardinali *Turriano*, Episcopo *Cenetensi*, accitus, & à sancta Sede Apostolica Quaesitor summus haereticae pravitatis in ea dioecesi universa declaratus, publicum docendi munus dimisit, & difficulter quidem, ac non sine molestia Moderatorum Gymnasii, sed merito, & tamquam miles emeritus potestatem impetravit cessandi à publicis explicationibus, seque recipiendi in oppidum *Seravallium*,
B ubi adhuc Deo, & Sanctae Ecclesiae Catholicae, atque Apostolicae *Romanae* quam honestissime servit.

CAP. XXV. 46. v.

De Hieronymo Quaino.

Hieronymus Quainus Servita *Patavinus* an. 1571. ad sacram Scripturam interpretandam electus fuit; qui, cum ostendisset se in concionando plurimum valere, post duos gravissimos, sapientissimosque Sacrae Scripturae Interpretes, *Adrianum Venetum*, factum postea *Justinopolitanae*
C Ecclesiae Episcopum, & *Hieronymum Gulielmium*, Episcopum *Argolicensem*, dum publico interpretandi munere fungeretur, incertum reddebat, quidnam in ipso plus posset, sacrarumne literarum doctrina, an eloquentia. Gratulatus fuerat superiori proximo anno *Nicolai Ormaneti*, Episcopi *Patavini* adventum pro Theologorum Collegio elegantissima, quae extat, oratione. Alteram habuit in Gymnasio *Patavino*, cum Actus Apostolorum in ipso principio professionis suae inciperet explicare, quae itidem oratio in manibus studiosorum versatur. Diem suum obiit an. 1582.

D CAP. XXVI.

De Thoma Peregrino.

Thomas Peregrinus Venetus ordinis Praedicatorum ad explicanda ex doctrina *Divi Thomae* ea, quae Metaphysica dicuntur, an. 1560. *Jo. Matthaeo Valdinae Siculo* successit; tantumque in eo munere obeundo profecit, ac tantam sibi auctoritatem summa sapientia sua comparavit, ut, tamquam *Pythagoras* alter observaretur, atque susciperetur, &, quidquid de doctrina *Aristotelis*, & de eorum, quae ab *Aristotele* tradita sunt, in-
E telligentia ipse statuisset, ab eo recedere prope nefas esset, primariique Philosophi eum consulere, tamquam quoddam Philosophiae oraculum, non erubescerent. Vitam cum morte commutavit anno 1583.

CAP. XXVII.

De Martiali Peregrino.

Martialis Peregrinus Calaber ordinis Minorum *Franciscanorum* ad explananda ex doctrina *Scoti* eadem Metaphysica an. 1565. adhibitus est,
F vir omnium confessione doctissimus, & in disputando acutissimus, successor *Antonii Garinianensis*, qui *Jacobino Bargio* successerat. Obiit an. 1575.

CAP. XXVIII. 47.

De Bernardino Paterno.

Bernardinus Paternus Saloensis parentem habuit Medicum clarissimum; cumque in Philosophiae, & Medicinae studiis admirabilem cursum, ac

ac prope incredibilem progressionem fecisset ad excellentiam, oblata occasione *Jacobino Bargio* præceptori suo, qui Metaphysica explicabat, propter negotia quædam *Franciscanæ* religionis *Romam* proficiscendi, ab eo delectus est (quod per Gymnasii leges licebat) qui ejus ipsius munus in florentissima obiret Academia, adhuc adolescens, annos natus novemdecim; eaque documenta dedit ingenii, atque doctrinæ suæ, ut omnes eum admirarentur, & colerent. *Venetiis*, *Patavii*, *Veronæ* publicas disputationes cum maxima omnium, qui affuerunt, admiratione, summaque sua cum laude habuit. In *Veneto* Philosophorum, ac Medicorum Collegio incredibili omnium applausu an. 1536. ætatis suæ, 27. Philosophiæ ac Medicinæ Doctor declaratus est. Conductus fuit in tria celeberrima Gymnasia ad Medicinam Theoricam ordinariam explanandam, *Ticinense*, *Pisanum*, *Montis Regalis*: dumque *Ticini* publice doceret, propter maximas, clarissimasque virtutes suas, & ingenii, ac doctrinæ præstantiam, *Francisco Venerio*, egregio philosopho, *Veronæ* Prætore maximopere favente, dignus visus est, qui jure *Veronensis* civitatis cum familia sua universa donaretur. Floruit *Romæ* apud *Marinum Grimanum* Cardinalem, qui eum propter famæ celebritatem ad se vocaverat, & in domum suam insigni cum honore receperat. Cum in Gymnasio *Patavino* secundum Medicinæ Theoricæ extraordinariæ locum an. 1536. obtinuisset, proximo sequenti anno ab eo munere cessavit. Sed postea *Bassiano Lando Placentino* an. 1563. successit ad Medicinam Theoricam ordinariam explicandam, in tali professione ex *Galeni* doctrina ita excellens, ut *Galeni* anima nuncuparetur, & ne *Galenus* quidem ipse, si reviviseceret, posse melius mentem suam exprimere existimaretur, incredibiliter ab aliis principibus expetitus, atque inter cæteros à *Stephano Bathoreo*, *Poloniæ* Rege, qui eum amplissimo proposito præmio invitavit. Ex hac vita excessit an. 1592. Ejus editus est Tractatus *de humorum purgatione in morborum initiis*
47. *tentanda*: & *tractatus probans cœnam uberiorem*
v. *prandio esse debere*: & post obitum *explanationes in primam partem primi Canonis Avicennæ*.

CAP. XXIX.

De Paulo Crasso.

Paulus Crassus Patavinus an. 1559. cœpit cum *Bassiano Lando Placentino* ad studiosorum utilitatem concurrere in declaranda Medicina Theorica ordinaria: & post mortem *Bassiani* fuit collega *Bernardini Paterni* in secunda cathedra; vir non solum Medicæ scientiæ, sed etiam eloquentiæ laude clarissimus, optimisque literis tum *Græcis*, tum *Latinis* ornatissimus. Edidit *Anatomen*, seu de humani corporis Fabrica *Theophili Protospatharii*, quam de *Græco* in *Latinum* sermonem convertit, & præclarum *opus Arethei*, *Græci* Medici præcellentissimi: & *Rufi Ephesii opuscula*: & *Galeni* complures libros à se latine conversos. Scripsit idem *Crassus* de balneis agri *Patavini*: & Annotationes *in Theophrasti libros de plantis*. Ex hac vita excessit an. 1574.

CAP. XXX.

De Hieronymo Mercuriali.

Hieronymus Mercurialis Foroliviensis, ut in Medica facultate excelleret, non contentus iis, quæ tum vetustiores, tum recentiores Medici tradiderunt, philosophiam studiosissime persecutus

A est: antiquitatem scientia, & memoria comprehendit: literarum *Græcarum*, & *Latinarum* rationem percepit. Summa ei fuit amicitiæ necessitudo cum *Alexandro Farnesio*, Cardinali amplissimo, apud quem ipse *Romæ* diu vixit, & magno in honore fuit, quousque Senatus *Veneti* decreto an. 1569. munus ei delatum est, ut in Academia *Patavina* principem interpretandi Medicinæ Practicæ locum obtineret, quæ ante *Antonius Fracantianus Vicetinus* cum maxima sua laude tenuerat, extinctus an. 1567. Dignus visus est *Mercurialis*, qui an. 1583. à *Maximiliano II.* Imperatore ad ipsum curandum propter famæ celebritatem
B accerseretur, literis datis ea de re ad *Nicolaum Pontium Venetorum* Principem, ut ei potestatem concederet ad ipsum Imperatorem eundi, quemadmodum maxime cupiebat; quod iter impetrata licentia ipse fecit quam felicissime, Imperatorique mirabiliter satisfecit; à quo non mo- 48.
do magnis laudibus, verum etiam multis muneribus est exornatus, scilicet trecentis scutatis, torque alteros trecentos valente, duobus magni pretii equis, satisfactioneque pro impensis itineris; Comitisque atque Equitis dignitate honoratus. Ejus comites in eo itinere fuerunt *Hercules Saxonia Patavinus*, & *Antonius* Tertius *Vicetinus*,
C donati & ipsi aureo numismate, ac mirifice honorati. Discessit ex hoc Gymnasio *Mercurialis* an. 1587. in Gymnasium accitus *Bononiense*, constituto ei præmio mille ducentorum scutatorum, mutuoque datis duobus millibus in ejus postea præmio compensandis. Exstant hujus celeberrimi Medici multa, eademque præclara opera;

Variarum lectionum libri quatuor, in quibus complurium, maxime vero Medicinæ scriptorum infinita prope loca vel corrupta restituuntur, vel obscura declarantur, cum *Alexandri Tralliani* Epistola *de Lumbricis* ejusdem opera *Græce*, & *La-*
D *tine* edita.

Variarum lectionum libri duo quatuor prioribus additi.

Variarum lectionum in Medicinæ scriptoribus, aliisque libri sex priores recogniti, & aucti.

De arte Gymnastica libri sex.

De morbis cutaneis, & *omnibus corporis humani excrementis* Tractatus ex ore *Mercurialis* excepti, & in quinque libros digesti, opera *Pauli Aicardi*; quibus accessit pulcherrimus Tractatus *de decoratione*.

E *Explicationes de pestilentia*, in quibus de peste in universum, præsertim vero de *Veneta*, & *Patavina* singulari quadam eruditione disputatur, à *Hieronymo Zacho* exceptæ, & in capita divisæ.

De Morbis Puerorum, item *de venenis*, & *morbis venenosis* Tractatus locupletissimi varia doctrina referti, non solum Medicis verum etiam philosophis maxime utiles, ex ore ejus diligenter excepti, atque in tres libros digesti opera *Alberti Schelgii Ubaschaviensis*.

Censura, & *dispositio operum Hippocratis* edita locupletior, & emendatior.

Hippocratis opera omnia Græce, & *Latine* edita, ac Scholiis illustrata ab eodem.

Galeni opera latine conversa ab eodem emen- 48.
F data. v.

Responsorum, & *consultationum Medicinalium Tomus primus* à *Michaele Columbo* collectus.

Responsorum, & *Consultationum Medicinalium Tomus secundus*. Tractatus *de compositione medicamentorum tres libros* complectens. Item *de morbis oculorum*, & *aurium*, ipso explicante *Patavii* diligenter excepti, & à *Michaele Columbo* editi.

Liber de morbis muliebribus.

Prælectiones Pisanæ.

CAP. XXXI.

De Hieronymo Capivacceo.

Hieronymus Capivacceus Patavinus anno 1552. electus fuit ad Medicinam Practicam extraordinariam explicandam in tertio loco; idque munus obivit uſque ad an. 1561. cum ad Medicinam Theoricam extraordinariam in ſecundum locum traductus eſt. Anno autem 1564. *Antonii Fracantiani* collega factus eſt ad Medicinam Practicam ordinariam interpretandam, & poſt mortuum *Fracantianum Hieronymi Mercurialis* primum in ſecundo loco, poſtea in æqualitate primi loci. Cum autem ex veteri inſtituto inter profeſſores collegas congreſſiones, & diſputationes fierent vehementes, & fructuoſæ ad rerum veritatem perſcrutandam, ipſe per literas Ducales diei XI. Octobris, An. 1575. id honoris eſt conſecutus, ut tamquam miles emeritus in militia literaria à talibus congreſſionibus & diſputationibus circulisque contentioſis immunis eſſet. An. 1587. à Magno *Etruriæ* Duce, *Franciſco Mediceo* eſt per literas invitatus ad principem in Gymnaſio *Piſano* locum Medicinæ Practicæ interpretandæ maximo propoſito præmio, ſcilicet mille, & quingentorum ſcutatorum in ſingulos annos, quingentorumque pro impenſis itineris, atque tranſvectionis, & duorum millium mutuo dandorum, atque in ipſius poſtea præmio compenſandorum. Quibus tamen peramplis conditionibus ipſe prætulit commoditatem, ac dignitatem Gymnaſii *Patavini*; maluitque in hac urbe patria ſua longe minori præmio perfrui, videlicet octingentorum, & triginta florenorum, quam illuc ad tam amplum ſtipendium ſe conferre. Mortuus eſt an. 1589. vir
49. ſola quidem Medica laude inter literatos, ſed ſumma ornatus, proptereaque ad plurimas curationes adhibitus, & maximo auditorum concurſu honoratus, ingenteſque divitias conſecutus, ut vel auſus ſit montes muris ſepire, nedum magnificentiſſimas ædes fabricare. Ejus edita ſunt opera hæc; *Medicina Practica, ſeu Methodus cognoſcendorum, & curandorum omnium corporis humani affectuum* in ſeptem libros diſtributa: Tractatus *de urinis*: Libellus *de ratione componendi medicamenta*: *Explicationes triginta quatuor de methodo medendi*: Liber *de methodo Anatomica*: Liber *de differentiis doctrinarum, ſeu de methodis.*

CAP. XXXII.

De Franciſco Piccolomineo.

Franciſcus Piccolomineus Senenſis ex illuſtriſſima familia ortus, cum in *Senenſi* Gymnaſio Logicam tribus annis interpretatus eſſet; & in *Maceratenſi* Philoſophiam ordinariam per annum docuiſſet; atque in *Peruſino* per decem annos idem munus obiviſſet: in magna celebritate famæ *Patavium* invitatus eſt; primumque fuit explicator Philoſophiæ extraordinariæ in primo loco, tenente ſecundum *Archangelo Mercenario*, electus anno 1560. cum ipſo *Mercenario*; qui duo *Jo. Gabrieli Alberto Pedemontano*, & *Jo. Jacobo Calabro*, alteri primum, alteri ſecundum locum obtinenti ſucceſſerunt, cum *Auguſtinus Brugnara Patavinus* tertium poſſideret: deinde vero Philoſophiæ ordinariæ in æqualitate loci cum *Friderico Pendaſio Mantuano* an. 1564. quorum uterque *M. Antonio Genuæ Patavino* philoſophorum tunc coryphæo collega datus eſt, traducto *Abracio Apulo* à ſecundo loco philoſophiæ ordinariæ ad primum extraordinariæ, cum ſecundum teneret *Archangelus Mercenarius*, & tertium *Ludovicus Tomitanus Patavinus*. An. autem 1571. *Friderico Pen-*
A *daſio* in Gymnaſium *Bononienſe* profecto, erat ſine collega; vir multiplici rerum cognitione fulgens, non minus *Platonicus*, quam *Ariſtotelicus*; cujus exſtat univerſa *Philoſophia de moribus in decem gradus redacta*: & *Commentarii in Philoſophiam naturalem Ariſtotelis*: in libros *de cœlo*: *de generatione*: *Meteorologicorum*: *de anima.*

CAP. XXXIII. 49. v.

De Bernardino Triviſano.

Bernardinus Triviſanus Patavinus annos natus
B vix octodecim an. 1544. nondum Doctoris inſignia conſecutus, qui in urbe *Salerno* Logicam publice explicaret, dignus habitus eſt: poſtea vero *Patavii* Philoſophiæ, ac Medicinæ Doctor ſummo collegii conſenſu cum an. 1547. declaratus fuiſſet, an. 1563. Simplicium medicamentorum Interpres factus eſt: inde Medicinæ Theoricæ extraordinariæ explicator electus; quem quidem locum duodecim annos cum magna nominis prædicatione obtinuit: poſtremo Medicinæ Theoricæ ordinariæ explanator declaratus anno 1578. collega *Bernardini Paterni*. Deceſſit anno 1583. mea funebri oratione exornatus.

C

CAP. XXXIV.

De Albertino Bottono.

Albertinus Bottonus Patavinus, cum Logicam cœpiſſet explicare an. 1555. in tertio loco, ſucceſſor *Jo. Antonii Experti Patavini*, & Collega *Bernardini Tomitani*, ac *Pet. Mariæ Arquani*; idque muneris per ſex annos obiviſſet (ab eo enim munere ceſſavit an. 1561.) ad Medicinam Theoricam extraordinariam explanandam adhibitus eſt an. 1566. factuſque poſtea Interpres Medicinæ
D Practicæ extraordinariæ in primo loco an. 1576. & Medicinæ Theoricæ ordinariæ in ſecundo, an. 1583. quem propter famæ celebritatem Gymnaſii Moderatores delegerunt, priuſquam ipſe tale munus petierit, ita ut, cum ivit ad petendum, jam factam eſſe ſui electionem intellexerit, & loco petendi gratias ipſis Moderatoribus egerit. Diem ſuum obiit an. 1596. cum *Horatii Augenii* collegæ ſui conſenſu parilitas primi loci ei data fuiſſet. Ejus exſtant *de morbis muliebribus libri tres*: *de vita conſervanda opus*: *de ratione conſultandi in re medica diſputatio.*

E

CAP. XXXV.

De Ludovico Agnellio.

Ludovicus Agnellius Patavinus magnam ſpem ſui concitaverat præclaris, quæ dederat, documentis ingenii, atque doctrinæ ſuæ. Itaque factus fuerat collega *Bernardini Triviſani* in tertio loco ad Medicinam Theoricam extraordinariam explanandam, ſucceſſor *Sebaſtiani Marcellani Patavini* an. 1564. ſucceſſit poſtea *Hieronymo Nigro* 50. ad Medicinam Practicam extraordinariam declarandam an. 1574. Obiitque an. 1575.

F

CAP. XXXVI.

De Mariano Stephanello.

Marianus Stephanellus Patavinus ad Medicinam Practicam extraordinariam in primo loco interpretandam *Aloyſio Bellacato Brixiano* ſucceſſit an. 1564. Deceſſit an. 1575.

CAP.

CAP. XXXVII.

De Nicolao Curtio.

Nicolaus Curtius Brixianus, cum explicasset librum tertium *Avicennæ* an. 1554. & Sophisticen an. 1555. & positus fuisset in secundo loco Medicinæ Practicæ extraordinariæ, successor *Andreæ Appellati* itidem *Brixiani* an. 1559. collega erat *Mariani Stephanelli* in æqualitate primi loci an. 1571. successitque *Paulo Crasso*, Philosopho, & Medico celeberrimo ad Medicinam Theoricam ordinariam explicandam, collega *Bernardini Paterni* anno 1574. cumque in patriam suam ivisset, ut *Patavii* pestilentiam fugeret, in *Brixiæ* pestem incurrit, eamque vitare non potuit. an. 1576.

CAP. XXXVIII.

De Hieronymo Nigro.

Hieronymus Niger Patavinus electus est an. 1562. collega *Mariani Stephanelli* in tertio loco ad Medicinam Practicam extraordinariam explanandam, successorque *Hieronymi Capivaccei*, qui ad Medicinam Theoricam ordinariam traductus fuerat. an. autem 1574. cum adhuc floruisset in publico docendi munere, ad plurimas ægrotorum curationes adhibitus id exsequi diutius non potuit.

CAP. XXXIX.

De Hieronymo Fabricio.

Hieronymus Fabricius ab *Aquapendente* electus est Chirurgiæ professor in locum *Gabrielis Fallopii Mutinensis*, an. 1565. tribus scilicet annis post ejus mortem, de quo illud à quodam amico meo satis eleganter conscriptum exstat;

Martia Fabricio jactat se nomine Roma:
Pendula Fabricios tu quoque gignis Aqua.

Donatusque fuit jure *Patavinæ* civitatis. An. autem 1584. præter munus, quod adhuc ipse obi-
50. verat, Chirurgiæ interpretandæ, alterum mu-
v. nus à Senatu consecutus est Anatomes quotannis pertractandæ in hunc scilicet modum, ut per omnes hyemis menses ipsam Anatomen declararet, membra humani corporis incideret, dissectionem ostenderet, resque omnes explicaret ad negotium Anatomicum pertinentes: post menses vero hyemis Chirurgiam doceret; quas explicationes Senatus voluit, & jussit esse ordinarias Medicinæ, omnibusque iis dignitatibus, & utilitatibus ornavit, quæcumque primis locis ordinariis Medicinæ Theoricæ, & Practicæ in Gymnasio conceduntur; ut ob id necesse fuerit eum in collegium Philosophorum, & Medicorum recipere, & an. etiam 1597. in Rotata pagina professorum Gymnasii ante Philosophos ordinarios pervulgatus fuerit. Ejus exstant *quinque libri disputationum de Chirurgia* ex ejus ore exceptarum, & eo inscio editarum, quæ sunt imperfectæ, cum eis desint peculiaria humorum, vulnerum, ulcerum; & Chirurgiæ operationes; & Icones instrumentorum. Ejusdem propediem edentur opera quædam perquam utilia, & gravia, Medicinæque studiosis maxime expetenda, *De visione, & oculis: De voce, & ejus instrumento Larynge: De auditu, & meatu auditus.* Præterea vero etiam Magnum opus Anatomicum, scilicet *Totius animalis fabricæ Theatrum: Anatomica Methodus: De partibus similaribus, & dissimilaribus*; Utrum actiones sint partium similarium, an organorum.

A

CAP. XL.

De Melchiore Guilandino.

Melchior Guilandinus an. 1561. electus est Horti Medicinalis custos, ad ostendendas ibi herbas, earumque nomina, & vires aperiendas. Cum autem in Rotata pagina professorum Gymnasii non commemoraretur, sed tantum fieret mentio ejus, qui in scholis simplicia medicamenta explicaret; an. 1583. in ipsius gratiam mandato Moderatorum Gymnasii statim post Chirurgum est nominatus ad hunc modum; *Ad explica-*
B *tionem simplicium locus vacat in Gymnasio: sed excellens vir. Melchior Guilandinus, ut sui moris est, docebit in Horto Medicinali suo tempore, more solito.* An. autem 1589. ex hac vita excessit: testamentoque bona sua dedit partim Reipublicæ *Venetæ*, partim Clarissimo viro, *Benedicto Georgio*, *Aloysii Marcii* Procuratoris filio; cui domui præ 51.
cæteris semper charissimus fuerat. Ejus exstat *Papyrus*, hoc est, *Commentarius in tria C. Plinii majoris de papyro capita cum Hieronymi Mercurialis repugnantia*, qua pro *Galeno* strenue pugnatur, & ipsius *Guilandini* disputatione pro sententia à se pronunciata. Libri, qui erant in ejus Bibliotheca,
C sane multi, & exquisiti, in *Divi Marci* Bibliotheca positi sunt, & in armariis ejusdem pecunia confectis, siquidem cum libris mille scutatos Reipublicæ reliquerat: cætera *Benedicto Georgio.* Fuit vir sine dubio literatissimus, qui instar *Gorgiæ* de qualibet re proposita cum ad alia omnia, tum ad stirpes, & herbas pertinente doctissime, ac disertissime disputabat.

CAP. XLI.

De Archangelo Mercenario.

D Archangelus Mercenarius à *Monte Sancto* munus docendi philosophiam extraordinariam in secundo loco cœpit obire, cum *Franciscus Piccolomineus Senensis* primum teneret, an. 1560. postea primum locum adeptus collegam habuit in secundo *Bernardinum Petrellam Burgopolitanum* an. 1567. deinde Comitem *Jacobum Zabarellam*, electum an. 1568. cum *Petrella* ad Logicam fuit revocatus. an. autem 1577. ei datus est locus secundus Philosophiæ ordinariæ. Decessit an. 1585. Ejus exstant *in plurima Aristotelis perobscura, & nonnulla Averrois loca Dilucidationes.* Ejusdem *obscuriorum locorum, & quæstionum Philosophiæ natura-*
E *lis Aristotelis*, ejusque *Interpretum Dilucidationes*; quibus accesserunt *Disputationes de putredine* ejusdem *Mercenarii*, & *Thomæ Erasti* adversariæ quatuor.

CAP. XLII.

De Jacobo Zabarella.

Jacobus Zabarella Patavinus, cum originem traheret à *Jacobo IV.* quem *Maximilianus* Imperator fecerat Comitem cum filiis, & posteris omnibus primogenitis, ita ut ob id etiam ipse, tamquam primogenitus, Comes esset; postea-
F quam in primo loco fuit Logicus, electus an. 1564. successor *Bernardini Tomitani Patavini*: factus est collega *Archangeli Mercenarii Picentis* ad declarandam Philosophiam extraordinariam in secundo loco an. 1568. obtinuit vero æqualitatem primi loci cum eodem *Archangelo Mercenario* an. 51.
1574. & post eum elatum ad secundum locum Phi- v.
losophiæ ordinariæ, an. 1577. in prima Cathedra Philosophiæ extraordinariæ est collocatus: & post ejusdem mortem, an. 1585. in secundum locum

cum successit Philosophiæ ordinariæ. obiitque an. 1509. à me copiosa oratione in funere laudatus. Ejus exstant *Tabulæ Logicæ: Opera Logica: Commentarii in duos Aristotelis libros posteriores Analyticos: de ordine doctrinæ Apologia: de constitutione Naturalis scientiæ liber: Triginta libri in naturalem Philosophiam.*

CAP. XLIII.

De Bernardino Petrella.

B*ernardinus Petrella Burgopolitanus* locum secundum Logicæ obtinuit, collega Comitis *Jacobi Zabarellæ* an. 1564. cum ambo *Bernardino Tomitano*, & *Pet. Mariæ Arquano* successissent: postea factus fuit collega *Archangeli Mercenarii* ad philosophiam extraordinariam interpretandam an. 1567. sed proximo sequenti anno ad Logicam, in qua mirandum in modum excellere videbatur, in primam Cathedram revocatus est; cum alteram teneret *Octavius Amaltheus Opiterginus*, filius *Hieronymi* ejus, qui an. 1531. ad primum locum libri tertii *Avicennæ* in eodem Gymnasio adhibitus est, collega *Georgii Aurelii Liburnensis*: & anno proximo sequenti ad explicationem Philosophiæ Moralis traductus. Editi sunt *Petrellæ Logicarum disputationum libri septem: & in duos Aristotelis libros posteriorum Analyticorum Commentarii.*

CAP. XLIV.

De Faustino Summo.

F*austinus Summus*, civis *Patavinus*, vir doctus, & magna probitate præditus, an. 1571. cessante *Octavio Amaltheo Opitergino* cœpit Logicam in secundo loco profiteri, oriundus per lineam fœmininam ab *Ugoloto Blancardo*, nobilissimo cive *Parmensi*, viro tantæ auctoritatis, & existimationis apud *Joannem Galeacium* Vicecomitem, *Mediolani* Ducem, ut an. 1399. pro eo factus sit summus *Veronæ* Præfectus. Cujus Præfecturæ tempore emit à nobili viro *Mapheo Petronio Francisci* filio castellum, seu Arcem *Gallinellæ* in agro *Parmensi*. atque cum quatuor generosas suscepisset
52. filias, *Catarinam*, *Joannam*, *Agnetem*, *Palmam*, ut cæteras nobilissime collocavit: ita tertiam matrimonio dedit *Joanni Summo*, civi *Cremonensi*, eique nomine dotis inter alia constituit castellum, seu Arcem *Gallinellæ*. an. 1410. die 19. Junii: qui præterea tenebat, tamquam patrimonium suum, castellum *Plebis Altæ Villæ*, concessum majoribus suis an. 1331. à *Joanne* Rege *Boemiæ*, ac *Poloniæ*, comiteque *Lucemburgi*, ac Domino *Prussiæ*: & castellum quoque *S. Danielis*: & *Villam Summi* in agro *Cremonensi*. Cumque ortum esset bellum inter Ducem *Mediolani*, & *Venetam* Rempublicam conjunctam cum *Florentinis*, Marchione *Estensi*, *Jo. Francisco Gonzaga*, *Amadeo* Duce *Sabaudiæ*, *Alphonso Aragonensi*, & *Senensibus*, quod ab an. 1424. usque ad an. 1428. perduravit; facta pace per Cardinalem *S. Crucis* legatum Pontificis Maximi & *Nicolaum Estensem* Marchionem: idem *Joannes Summus* declaratus est Reipublicæ *Venetæ* fidelis, & nobiliter subditus: renovatoque eodem bello an. 1431. pro *Venetis* operam navavit peregregiam. cujus rei caussa cum *Ugoloto* filio suo captus, ac *Mediolanum* perductus, non solum suis rebus omnibus, sed etiam vita ipsa privatus est; ejusque uxor *Agnes* cum quatuor filiis, *Joanne*, *Jacobo*, *Bosello*, *Gregorio*, & *Joanna* sorore, *Venetias* profecta, à Republica *Veneta* in memoriam optime meriti viri, & filii sui, honeste remunerata, & anno 1462. die 16. Martii jussu Senatus à *Patavii* Præsidibus

A jure *Patavinæ* civitatis donata. Horum nobilissimorum parentum nepos fuit ex *Gregorio* filio *Ugolotus*: ex *Ugoloto* Pronepos *Jo. Antonius*: ex *Jo. Antonio* abnepos *Faustinus*, philosophiæ Doctor, & in Gymnasio *Patavino* Logicæ explicator.

CAP. XLV.

De Petro Catena.

P*etrus Catena Venetus* electus est ad Mathematicas disciplinas declarandas in locum *Friderici Delphini Patavini* an. 1547. & mortem obiit an.
B 1577.

CAP. XLVI.

De Joanne Faseolo.

N*otavi superius *Joannem Faseolum Patavinum* tempore *Lazari Bonamici Bassianensis* cœpisse vesperi Humanitatem publice docere: & primum latine convertisse *Simplicii* commentarios, at- 52.
que cum eis edidisse tres epistolas mea quidem v.
sententia cultissimas. Is post profectum *Bononiam Carolum Sigonium* an. 1563. & extinctum *Patavii Franciscum Robortellum* an. 1567. cum ipsi *Robortello* successisset, quam habuit primam solennis
C gratia prolusionis orationem, in ejus primis verbis omnino defecit, ut sine recitatione ipsius orationis de cathedra descendere necesse habuerit, præsentibus Præsidibus, *Joanne Moccnico* Prætore, ac *Marco Grimano* Præfecto, atque Rectore Universitatis studiosorum Philosophiæ, ac Medicinæ *Alberto Cymerlino Veronensi*, magnoque auditorum concursu, ut in hujusmodi principiis solet evenire. Vix enim ea verba proferre potuit, *placuit Serenissimo Venetiarum Principi, placuit excellentissimo Senatui, placuit Illustrissimis Gymnasii Moderatoribus*; cum statim obmutuit; ita ut a jocosis juvenibus in multis Scholarum locis per-
D scriptum sit, *per verbum placuit Faseolus displicuit.* Sed ipse postridie excusans, quantum potuit, reticentiam suam, pluribus verbis ostendit, non nunquam vel summis oratoribus non satis ex sententia eventum dicendi procedere: *L. Crassum*, virum eloquentissimum, sic initio cujusdam accusationis exanimatum esse, ut *Q. Maximus* consilium dimiserit, simul ac eum fractum, ac debilitatum metu vidit: *Ciceroni* pro familiari reo summum oratorem non respondisse *Hortensium*: ab eodem *Cicerone* hominem audacissimum *Catilinam* in Senatu accusatum obmutuisse: *Ciceroni* quoque
E privata in causa magna, & gravi cum cœpisset *Curio* pater, vir disertissimus, respondere, eum subito assedisse, dicentem sibi venenis ereptam memoriam esse: ipsum similiter *Ciceronem* in causa *Miloniana* illa tanta dicendi felicitate, quæ in eo maxime laudata est, destitutum fuisse: *Demosthenem* oratorum Principem in Senatu *Athenarum* verba facturum *Phocionis* viri gravissimi præsentia ita conturbatum esse, ut nihil dicere aliud potuerit, nisi *Phocionem* suorum verborum novaculam esse: eundem *Demosthenem* apud *Philippum Macedonum* Regem orationem habiturum sic expavisse, ut paucis admodum verbis expressis obmutuisse
F feratur: *Theophrastum*, qui a divinitate loquendi nomen invenit, apud *Alexandrum Magnum* dictu- 53.
rum nihil prorsus effari potuisse: alios quamplurimos in exordiendis orationibus eodem modo affectos fuisse, ut cum disertissimi essent, tamen infantissimi visi sint: sic se quoque, qui nequaquam cum illis comparandus esset, in eandem defectionem incidisse, in quam illi multo eloquentiores, multoque clariores incidissent; quorum exemplo, ut se maxime consolaretur, sic venire in spem fore, ut apud omnes propter rei naturam,

atque difficultatem excusatus haberetur. Qua ha-
bita pereleganti excusatione ad explicandam *Cice-
ronis* orationem pro *Rabirio* perduellionis reo ag-
gressus est; seq. maxime eloquentem ostendit.
An. autem 1571. circiter finem mensis decem-
bris diem suum obiit, vir sine dubio doctissi-
mus, & disertissimus, literarumque *Græcarum*,
& *Latinarum* peritissimus.

CAP. XLVII.

De Antonio Riccobono.

Tametsi nonnulla de se dicere, inquit *Aristote-
les*, aut invidiam, aut loquacitatem, aut
obtrectationem habet: tamen, quia id de me fa-
cere necesse habeo, quam modestissime faciam,
breviterque declarabo, quomodo *Joanni Fasolo*
ad veterem tradendam eloquentiam collega datus
fuerim. Is enim profecto ad excellentem quan-
dam hominum existimationem ex eloquentiæ stu-
dio profluxerat: sed, cum in ex ordienda præ-
fatione sua, ut modo notavi, obmutuisset, mul-
tum eam famam deminuere, quæ de eo celebris
erat, visus est, ita ut de altero Humanitatis ex-
plicatore, qui cum ipso ad studiosorum utilitatem
concurreret, cogitari cœptum sit. Qua de re
cum an. 1570. ad *M. Antonium Muretum Gallum*,
qui *Romæ* erat, perscriptum fuisset, atque is pro-
pter maxima commoda, & ornamenta, quibus
ibi perfruebatur, quæque omnibus commodis, at-
que ornamentis *Patavinis* anteponebat: se *Roma*
discessurum esse negasset: invitatus sum ego ad
has literas pertractandas eo ipso tempore, cum
de iis relinquendis cogitabam; immo vero, cum
jam statueram ipsas mihi esse dimittendas, legum-
que studium, tamquam ad tenuem familiam meam
sublevandam accommodatius, in quod aliquot an-
nos *Patavii* incubueram, vel ex consilio virorum
optimorum, *Riccoboni* avi, & *Andreæ* patris mei,
53. v. pro virium mearum modulo exercendum. Cum
enim *Rhodigii*, quæ patria mea est, in eum lo-
cum successissem, quo in loco cum alii quondam
summi viri, tum *Ludovicus Cælius Rhodiginus*
maxima ingenii, ac doctrinæ commendatione flo-
ruit, multisque annis publice eas artes, quæ ad
Humanitatem pertinent, docuissem: tandem ali-
quando ut huic professioni finem imponerem, &
ex meo legum studio aliquem fructum percipe-
rem, statui Doctoris insignia, quæ nondum fue-
ram consecutus, quam primum petere, eaque de
caussa an. 1571. *Patavium* profectus Juris utrius-
que Doctor declaratus sum; cumque in patriam
rediturus *Venetias* ivissem, ut ibi aliquot senato-
res patronos meos consalutarem, eosque ad alendam
ipsorum in me benevolentiam viserem; vir clarissi-
mus à secretis illustrissimorum Gymnasii Modera-
torum, *Laurentius Massa*, cujus amorem, & gra-
tiam *Prosper Fulgineus Rhodiginus*, Medicus præ-
cellentissimus, mihi conciliaverat, me statim ut
vidit, adhortari cœpit, ut ad hoc munus veteris
tradendæ eloquentiæ, quam me si non assecutum,
at certe semper secutum esse profitebar, in tam
celebri Gymnasio animum appellerem: statutum
apud Moderatores esse, *Joanni Faseolo* ut daretur
collega: *M. Antonium Muretum* id oneris recusas-
se: scire se, si nollem eas literas relinquere, ad quas
natus, & factus essem, me gratiæ multum habi-
turum, ac pro comperto habere, mihi tale mu-
nus delatum iri, si permitterem, ut ipse pro me
peteret, meque *Nicolao Pontio*, & *Friderico Va-
laressio*, qui tunc Gymnasii moderationem tracta-
bant, absente *Marino Caballio* eorum collega, pro-
poneret. Quid plura? Visa est mihi res dignissi-
ma, quam experirer, etiam semotis prioribus co-

A gitationibus, & rationibus meis. Gratias egi *Mas-
sæ*, quod mihi tam præclaram offerret occasio-
nem: eum rogavi, si speraret se mihi talem di-
gnitatem confecturum esse, ut me Moderatori-
bus commendaret: professusque sum me plurimum
ei propterea debiturum. Quamobrem ipse multis
apud illos, magnisque laudibus studia mea peror-
navit; tantumque profecit, ut ipsi referre decre-
verint, & retulerint in Senatu de tam præstanti
munere mihi deferendo explicandæ Humanitatis
in Gymnasio *Patavino*, id est, ut ego merito in-
terpretabar, in conspectu *Italiæ*, in oculis gen-
tium, in luce hominum, atque omnino in ipso
B doctrinarum domicilio. Itaque hanc muneris de- 54.
lationem non parum afferentem secum utilitatis,
& commodorum, multumque amplitudinis, &
ornamentorum, viro clarissimo, *Laurentio Massæ*,
patrono meo, acceptam refero: omniaque ipsi
pro ea me debere confiteor: eamque clamoribus
fori, vel judicandi professioni merito antetuli: at-
que cum *Patavium* venissem mense Novembri,
in primo studiorum curriculo tribus continuis
diebus tres habui orationes; primam de studiis li-
beralium artium: alteram de studiis Humanitatis:
tertiam de studio artis Rhetoricæ; factoque mihi
aditu ad Rhetoricam *Aristotelis* interpretandam,
C satis fauste divino beneficio pergere visus sum:
perque duos tantum menses *Joannem Faseolum* col-
legam habui, qui circiter Kal. Januarii è vita mi-
gravit, in scholarum parietibus illo elegantiore,
quam veriore disticho perscripto, quod non sine
rubore hic noto;

Riccoboni radiis, magno & fulgore phaselus
Bulliit: en coctus vermibus esca datur.

Facere autem hoc in loco non possum, quin
commemorem summam *Patavinorum* benignita-
tem in concedendo mihi jure *Patavinæ* civitatis.
An. enim 1581. cum in funere exornassem *Pata-
rum Buzacharenum Patavinum*, atque in eo exor-
D nando non modo laudes familiæ *Buzacharenæ*, ve-
rum etiam *Patavii*, ut fieri solet, expressissem,
injectus est sermo à benignissimis viris, atque in-
ter cæteros ab illustri Præfecto, *Roberto Trapoli-
no*, de me donando tali jure, si id mihi gratum
fore significassem. Quod cum ad me sermone ami-
corum perlatum esset, statim has supplices literas
ad *Patavii* Consilium exaravi;

*Cum tanti faciam, quanti debeo, hanc generosissi-
mam Patavii Nobilitatem, potius ut vobis occasio-
nem offeram exercendæ vestræ benignitatis, vosque
certiores faciam de mea singulari in tantum honorem
propensione, quam propter ulla merita mea, addu-
E ctus nimirum excellenti quadam æmulatione nonnullo-
rum Humanitatis professorum, præcipueque M. An-
tonii Mureti, qui jus civitatis Romanæ petiit, atque
impetravit, Caroliqne Sigonii, qui factus est civis Bo-
noniensis: vobis etiam, atque etiam supplico, ut
posteaquam tot annos fui in hac urbe præclarissima
prorsus deditus, & addictus huic felici genio Pata-
vino, hanc mihi gratiam concedere ne gravemini, ut* 54. v.
*appellari civis Patavinus queam, faciens eo pluris
hanc dignissimam civitatem, quo ipsa magis Romanam,
Bononiensem, aliorumque populorum superat originis
vetustate; affirmoque vobis nulla re alia moveri me ad
supplicandum, quam unius honoris ratione; atque
F unicuique vestrum me vobis in perpetuum devinctum
iri polliceor, perinde ac semper contuli, ac conferam,
quantum voce, quantum lingua, quantum aliqua, si
qua est in me, dicendi facultate possim, ad vestras
maximas, clarissimasque virtutes perpetuo prædi-
candas. Valete.* His perlectis literis in Consilio,
statim summo omnium consensu *Patavina* sum ci-
vitate donatus. Quamobrem in eorum profectus
Collegium, qui Sapientes Deputati ad utilia *Pa-
tavinæ* civitatis appellantur, universæque ipsius

civitatis præ se ferunt auctoritatem, hanc gratiarum actionem habui;

Decet, Patres generosissimi, hanc antiquissimam patriam vestram vetus retinere institutum eorum hominum honorandorum, in quibus species aliqua virtutis reperiatur; eoque maior ejus benignitas censeri debet; quo ii minores sunt, qui ab ipsa honorantur; id quod nimirum significat, eos tanto honore dignos esse potius, quia ita digni facti sint, quam propter sua ipsorum promerita. Et vero non admodum magnum fuit ab ipsa antiquitate nonnulla sublimia ingenia decorari, quæ numquam satis poterant honorari: sed majus profecto censendum est, atque haud scio, an maximum, eosdem honores ab hac beneficentissima civitate iis haberi, qui nullo modo cum veteribus sint comparandi. Ecquis enim est, qui miretur, multas civitates Homerum expetivisse, qui universo terrarum orbi extitit admirabilis, ita ut eum Colophonii civem esse dicerent suum. Chii suum vindicarent, Salaminii repeterent, Smyrnei suum esse confirmarent, Rhodii similiter, Argivi, Athenienses de ejus origine pugnarent inter se, atque contenderent? Cui mirum videatur, Archiam poetam Antiochenum à Tarentinis, Rheginis, Neapolitanis, Heracliensibus, Romanis civitate, cæterisque præmiis donatum fuisse, qui cum literam scripsisset nullam; magnum numerum optimorum versuum de iis ipsis rebus, quæ tum agerentur, conficiebat ex tempore, ac revocatus eandem rem dicebat commutatis verbis, atque sententiis,
55.
cumque accurate, cogitateque scribebat, sic probabatur, ut ad veterum scriptorum laudem facile perveniret? Cui sit admirabile alios præstantissimos viros eodem modo honoratos fuisse, qui cum honorarentur, honor profecto major honorantibus, quam illis ipsis, qui honorabantur, contingebat? In quibus divinis ingeniis quoniam certo sciebam me numerari merito non posse, quippe qui ab eo, quod singulare, atque eximium existit, longe abessem: iccirco, tametsi cupiditate ardebam prope incredibili, ab hac honoratissima civitate ut honorarer, patefacere tamen desiderium meum non audebam, nimirum veritus, ne in aliquem arrogantiæ, & vanitatis notam incurrerem, à qua quidem animus meus valde semper alienus fuit. Cumque ancipiti cogitatione distractus essem, eam tandem opinionem concepi, quam verissimam esse comperi, hanc generosissimam civitatem, quæ spectare mentem hominum, potiusque benignitatem, atque humanitatem suam, quam eorum merita solita esset intueri, mihi esse gratificaturam; dumque cuperem me plurimum unicuique vestrum debere, quo minora existerent promerita mea, ei me vobis magis devinctum iri. Nec vestrum aliqui defuerunt, qui vix significato eo, quod concupiscerem, benignissima ducti natura, & officiosissima, totique benefaciendi cupiditate inflammati, sponte mihi omnem operam suam, officiumque detulerunt, atque effecerunt profecto, ut illud petere ausus sim, quod tam prompte, ac benigne datum est. Quamobrem, si benignitas, si humanitas, si beneficentia, si liberalitas, si virtutes omnes, quæ ad morum facilitatem, ac mansuetudinem pertinent, ullum in terris hoc tempore habeant domicilium, eas nimirum Patavii; & in vestris singulorum tectis, atque penatibus habitare; hocque in loco virtutem illam sane excellentem maxime florere, quæ homines Deo quam simillimos reddit, mihi facile persuasi. Etenim in Deo cum alia omnia præstantissima, & optima sunt, tum nihil præstantius, & melius, quam præclara quædam de hominibus benemerendi voluntas. Qua divina virtute cum divinitus erga me usi fueritis, tantas vobis gratias agere debeo, quanta gaudendi occasio mihi oblata est: tantumque me percipere gaudium decet, quantum mi-
55. v.
hi honorem habitum esse cognosco: tantusque in me collatus est honor, quam hæc civitas existit honorata, cujus particeps pro vestra benignitate factus sum. Itaque si Patavium illa est urbs antiquissima, quæ antiquitate
A
ipsi gentium Principi Romæ, Bononiæ, ac plerisque aliis Europæ, totiusque orbis terrarum urbibus antecellit, quarum paucissimæ videntur posse cum Patavio comparari: si hæc illa est civitas generosissima, quæ tam multas perpessa procellas, atque tempestates potuit tamen se ipsam aliquo modo conservare, cum aliud evenerit Lavinio Patavii Fratri, aliud Albæ longæ ejusdem Nepti, quæ quidem post genitam Romam ipsius Patavii Proneptim interierunt: si hoc honoris, & dignitatis verum est domicilium: quæ causa est, cur me insigniter honoratum esse non ducam, qui in tantum splendorem receptus sim? cumque infinitum, & immortale sit beneficium acceptum, cur etiam, atque
B
etiam, ac immortaliter eo ipso non gaudeam? Atque cum tantum in me gaudii propter tantum boni, quod sum consecutus, exortum sit, cur maximas vobis gratias non agam? Sum igitur non modo civis Rhodiginus, verum etiam beneficio vestro Patavinus. Ac Rhodigium quidem originis mihi patria est, simulque quantum potuit, ornamenti patria, cum in suum me Consilium cooptaverit: Patavium vero altera patria mea ad eum me gradum extulit dignitatis, ut quodammodo me felicem existimem, qui tanto fuerim splendore collustratus. Ex illa natus sum dives, & bonus demissæ cujusdam fortunæ: ab hac factus sum dives, & bonus præstantioris conditionis. Quapropter, si quæ
C
divitiæ in me sunt, non pecuniarum, & prædiorum, quibus ego ut adhuc minime affluxi, sic animus meus parum cupidus carere facile potuit, sed studii, industriæ laborum, vigiliarum: si qua bonitas in me est, præter eam, quam Christianus quilibet profitetur, bonitas, inquam, facultas, potestas officii, operæ, obsequii, gratificationis, observantiæ: omnes divitias, omnemque bonitatem meam, si modo divitiarum, bonitatisque nomen aliqua ex parte mihi tribuendum videtur, vobis do, dico, addico; vesterque Riccobonus Rhodiginus, benignitateque vestra Patavinus totum se vestræ tradit humanitati, Deum Opt. Max. qui mentem omnium perspicit, clara voce contestans, quan-
D
tum studio, officio, labore, diligentia, ingenio, industria efficere umquam potero, id totum perpetuo 56.
serviturum esse, cum vobis universis, tum ei præcipue, qui, cum me vix de facie nosset, mecumque collocatus esset antea numquam sua ipsius impulsus benignitate, atque bonitate ad hoc bonum mihi conficiendum ultro se detulit, auctorque hujus beneficii singularis esse voluit. De cujus peregregii viri gravitate, magnificentia, magnanimitate, prudentia, præstantia, auctoritate, moderatione in hujus civitatis muneribus obeundis, multa quidem sæpe audiveram: sed tantæ in homine prope ignoto exornando, atque insigniter extollendo humanitatis, quantam in me ipso
E
expertus sum, prorsus nullum sensum habueram. Quocirca tam benigno patrono meo ipse omnia, quæ à gratissimo proficisci animo possunt, obsequia me debere confiteor; vestrumque unicuique, qui summo mihi consensu favistis, tam debeo, quam qui maxime: atque si rebus ipsis vestra explere merita non potero, at saltem grata animi benevolentia assequar, qua una debent vel gravissima, atque immortalia beneficia compensari; &, quantum voce, lingua, dicendi facultate potero, tantum ad vestræ præstantiæ prædicationem perpetuam libentissime conferam.

Hæc ego dixi pro gratiarum actione; qua quidem habita, hoc privilegium mihi datum est;

F
In nomine præpotentis Dei, Nos Doctus Doctius Eques, Jo. Franciscus Musaptus, Robertus Trapolinus, Albertus Comes, Sapientes Deputati ad utilia Patavinæ civitatis, Antonio Riccobono, civi Rhodigino, Legum Doctori, in Florentissimo Gymnasio Patavino Humanitatem profitenti S.D.

Semper fuit Trojani proprium sanguinis jus suum cum viris virtute præstantibus communicare. Itaque Romani cognati nostri præclarissimi, ab Aenea, & Ascanio, Heroibus Trojanis, orlundi, quam plurimis gratuito

tuito civitatem impertiti sunt; quos sine dubio anteferendos esse Thebanis, Lacedæmoniis, Atheniensibus, alioquin omnem laudis excellentiam superantibus, qui vel nullos, vel paucos in jus civitatis suæ admisisse, ac hospites quoque expulisse commemorantur, doctissimi homines censuerunt. Et Antenor, qui post Trojæ excidium (quemadmodum etiam Aeneas) in Italiam venit, cum urbem Patavium in hac
56. v. *camporum, colliumque amœnitate condidisset, multos ad hanc rerum ubertatem, & copiam confluentes benigne excipiendo civium suorum numerum mirabiliter auxit; cujus præclaris institutis diligentissime servandis se potuit hæc civitas tam multos abhinc annos ab interitu vindicare. Et nos ejus, à quo originem trahimus, insignibus vestigiis insistendo, tametsi hanc ipsam urbem laudari audimus rebus quibusdam, quæ fortasse nec nobis dissimulandæ, nec aliis contemnendæ sunt, originis vetustate, viarum commoditate, ædium elegantia, agrorum, & montium fertilitate, fontium, & fluminum pulchritudine, civium in armis, & litteris excellentia, publici Gymnasii celebritate, utriusque Collegii, tum Jurisconsultorum, tum Philosophorum, & Medicorum, immo vero etiam tertii Theologorum, claritate, quibus quidem rebus justo judicio hæc urbs cum omnibus Italiæ urbibus certare merito posse existimatur: tamen nullam sane laudem majori studio consectamur, nullumque decus, atque ornamentum antiquius habemus, quam ut jure civitatis nostræ, omnibusque honoribus, quibuscumque possumus, virtute præstantes viros donasse, ac decorasse dicamur. Quorum in numero cum esse te maxima tua cum laude notissimum, atque exploratissimum sit, qui cum in clarissimo Jurisconsultorum collegio Legum Doctor nemine penitus dissentiente declaratus es, &, posteaquam in locum Caroli Sigonii Mutinensis, viri Clarissimi, ad veterem eloquentiam tum Græcam, tum Latinam in Florentissimo Gymnasio tradendam publico illustrissimorum Senatorum decreto successisti, præstantiæ tuæ mira dederis documenta; cumque observaverimus in honestissimis muneribus publice obeundis, & in privatis quoque collocutionibus fuisse te semper Patavini nominis observantissimum, hujusque urbis præconem eloquentissimum, allatis magnificæ Universitati nostræ litteris, quibus suppliciter petebas, ut te in numerum Patavinorum civium cooptaremus; næ (ita nos Deus amet) propensam tuam in nos voluntatem charissimam, & jucundissimam habuimus; statimque communi omnium consensu, & summo civium legitime congregatorum honori tuo libentissime suffragantium studio, ac prope incredibili universi populi lætitia, & applausu, approbantibus id illustrissimis præsidibus hujus magnificæ urbis, A-*
57. *loysio Grimano Prætore, ac Daniele Priolo Præfecto, viris integerrimis, hodierno die te, quique ex te, liberisque tuis nascentur, omnes in numerum civium Patavinorum adsciscimus, deligimus, adscribimus, referimus, & adscitum, delectum, adscriptum, relatum communi omnium voce comprobamus, hujusque civitatis jus, quam possumus, amplissimum tibi, posterisque tuis omnibus, ex te, liberisque tuis orituris concedimus, & impertimur, atque in Patavinam Nobilitatem, ac civium, qui in hac urbe orti sunt, cœtum te cum filiis, nepotibus, & à te descensuris omnibus recipimus, & aggregamus. Idque eo libentius facimus, quod hac in re putamus nos valde gratificari non solum Rhodiginæ civitati, quæ cum voluerit esse te inter Consiliarios non ad certum tempus, sed toto vitæ spatio illam Communitatem gubernantes, lætabitur cives suos à nobis magnifieri: verum etiam Serenissimo Senatui Veneto, cujus ditioni subjecti sumus, cujusque in te honorando quasi prærogativam, tunc potissimum datam, cum ad prin-*

A *cipem veteris tradendæ eloquentiæ in celeberrimo Gymnasio locum honestissimo ille te præmio extulit, facile suffragia nostra, quæ jus civitatis tibi dederunt, sunt consecuta; & quia simul in spem certissimam venimus fore, ut, quemadmodum jurasti, leges omnes, quibus teneris, tibi servandas existimes: ut juri Veneto, & Patavino pareas: ut munera obeas, & onera subeas, quæ sunt tibi cum cæteris civibus communia: ut pro Sereniss. Rep. Veneta, & pro Mag. Civitate Patavina, cum offeretur occasio, tibi propugnandum putes, atque utriusque jura, cum per auctoritatem licebit, defendas: ut imperio Veneto, Patavinæque communitati fidelis sis: ut imminenti a*
B *civibus pericula tollere studeas: ut concordiam inter discordes cives procures: ut amicis fidem serves: denique ut omnia optimi civis officia exsequaris, nihilque omittas eorum, quæ Patavino nomine digna esse existimentur. Quamobrem, Antoni Riccobone, civis noster nobis charissime, nobiscum gaudebis pleno Patavii jure; omnibusque privilegiis, prærogativis, beneficiis, muneribus, qualiacumque, & quantacumque nobis ipsis concessa sunt, tum in urbe, tum extra urbem, perfrueris. Quod Reip. Venetæ, populoque Patavino, ac familiæ tuæ bonum, faustum, felix, fortunatumque sit. Cui nostro privilegio, decreto,* 57.
C *statuto nemo contradicere, contravenire, aut aliquid* v.
derogare audeat; quique adversari, repugnare, obsistere visus fuerit, legum inimicus, adversarius, obtrectator habeatur. Ex Tabulario Patavinæ Communitatis. V. Kal. Februarii. 1571.

Addam illud, quod Universitas studiosorum Philosophiæ, ac Medicinæ fecit, ut me honoraret. Cum enim an. 1583. consilium ei accidisset sua statuta renovare: id muneris mihi detulit. quod cum ego adhibita summa diligentia obivissem, omniaque illa exscribenda curassem, prout
D fuerant emendata, & ad Senatus *Veneti* voluntatem, horumque temporum consuetudinem accommodata, ivi etiam cum Rectore ipsius Universitatis, & Consiliariis ad Principem *Venetiarum* in excellentissimum Collegium ad petendam illorum confirmationem, illaque reliquimus in Senatu confirmanda. quod sine dubio factum fuisset, si Universitas eam rem diligentius curasset. Quoniam vero propter homicidium quoddam abire Rector coactus est, cui tale negotium maximæ erat curæ, succedentibus aliis Rectoribus res minime procurata est, ut de ea nihil confectum fuerit. Cumque in eo negotio multos ego labo-
E res suscepissem, & in aliis etiam rebus semper me promptum, paratumque ad gratificandum, & serviendum ipsi Universitati ostendissem; mihi data est immunitas eorum omnium, quæ persolvi ei ex pecuniis professorum consueverunt.

CAP. XLVIII.

De quibusdam explicationibus an. 1571. Gymnasio deficientibus.

Deficiebat an. 1571. explicatio Philosophiæ Moralis, cujus fuerat posterior explicator
F *Franciscus Robortellus* conjunctim cum Rhetorica, atque Humanitate: & explicatio Sophisticæ in primo, & in secundo loco, quorum uterque an. 1561. vacare cœpit: & explicatio parvorum naturalium *Aristotelis*, quæ an. 1532. *Lombardo Amuleo Patavino* data fuerat: & explicatio libri tertii *Avicennæ* in utroque loco: & explicatio Simplicium medicamentorum in Scholis; quæ postea, ut infra apparebit, sunt restitutæ, præter illam Sophisticæ, & illam parvorum naturalium.

FINIS LIBRI SECUNDI.

58. # LIBER TERTIUS.

De Successoribus Doctorum, qui anno 1571. & sequentibus annis in Gymnasio docuerunt.

CAP. I.

De Successoribus Jacobi Menochi.

HAbuit successores *Jacobus Menochius* an. 1572. ad Jus Canonicum matutinum *M. Mantuam Benavidium*, de quo supra. An. 1589. ad Jus Civile matutinum *Angelum Matthæacium Marosticensem*, quamvis *Bassiani* ortum, & *Patavii*, ac *Venetiis* educatum; qui, posteaquam multis in locis *Veneto* imperio subjectis Assessor fuit, atque *Venetiis* multos annos Advocati munere functus est, an. 1578. Pandectas ex publico decreto cœperat interpretari maxima studiosæ juventutis frequentia, ita ut præstantiæ suæ clarissima dederit documenta, non modo cum oratoriam artem in *Veneto* foro professus est, ibique regnavit gloriosissime, adhibitus ad causas majores, & graviores: verum etiam cum ad Pandectas Juris Civilis explicandas primus omnium in hoc Gymnasio aggressus est, tanto studiosorum juvenum concursu, ut eorum multitudinem vix perampla caperet Schola; quod munus cum ipse multos annos obivisset, eo temporis spatio ne artem quidem oratoris prorsus dimiserat, sed oblata sibi occasione defendendi *Maynardum Bigolinum Patavinum* peculatus accusatum, maxima eloquentia sua eum in periculo capitis, tamquam Sacri Montis pietatis depeculatorem, à summo supplicio liberaverat, tunc cum judices confessi sunt servatum esse eum primum à suspendio, deinde vero etiam ab amputatione manus
58. v. vi unius eloquentiæ *Matthæacianæ*, qui tantum in exilium pulsus fuit. Et vero existit *Matthæacius* orator, & J. C. egregius, immo vero etiam Philosophus, & Astrologus non contemnendus; talisque perspectus, & cognitus usque adeo, ut *Venetiis* ad publicas de Philosophia disputationes semper vocaretur, ac sæpe de rebus philosophicis disputaret, tum apud *Jo. Antonium Fachinetum Bononiensem*, qui tunc erat Legatus Pontificis Maximi apud Principem *Venetiarum*, fuitque postea Pontifex Maximus *Innocentius IX.* appellatus, tum apud *Aenonæ* Episcopum *Lauredanum*, qui unaquaque hebdomade literatis viris convivium apparare solitus erat, eoque perpetuo *Matthæacium* invitabat, maxime vero cum aliquis Philosophus magni nominis affuturus esset, ut sæpe aderat *Spero Speronius*, sæpe *Archangelus Mercenarius*, quibuscum ille acerrime disserere consuevit: ut faciebat quoque cum iisdem, & aliis in celebri Academia *Francisci Venerii*, Philosophi summi, ita ut vix ei à quoquam resisti posse videretur. nam, quod attinet ad Astrologiam, præter alia, quæ dedit, in ea scientia excellentiæ suæ argumenta, etiam ex stellarum observatione præviderat, dum munus obiret Pandectarum, se prima Juris Civilis cathedra esse potiturum, duobus ante annis, quam potitus sit. Id quod cum inter cæteros *Philippo Octaviano Montanianensi* asseverasset, præsente viro excellentissimo *Melchiore Chartulario*, aliisque permultis, ut ex ore ipsius *Octaviani* egomet audivi, irridebatur quidem ante eventum prædictio talis, sed postea nobis maximam admirationem attulit, ita ut *Matthæacius* nonsolum amabilis omnibus, verum etiam admirabilis cœperit videri. In magna igitur famæ celebritate in locum *Menochii* ad Jus civile matuti-
A num explanandum adhibitus est; qui etiam an. 1583. in *Dolanam* Academiam fuerat invitatus, proposito præmio quadringentorum scutatorum, centumque pro viatico: &, posteaquam munus interpretandi Juris civilis matutini obire cœpit, an. 1590. in Gymnasium *Firmanum* vocatus est, propositis loco præmii septingentis scutatis, & in viaticum octoginta; quas ipse conditiones recusavit. An. autem 1594. à *Rudolpho II.* Imperatore Comes, & Eques factus est. Ejus exstant duo libri *de via, & ratione artificiosa Juris universi:* & *Apologia adversus Bonifacium Rogerium*, de qua infra.

B CAP. II. 59.

De Successore Angeli Matthæacii *ad Pandectas.*

Cum an. 1579. *Angelus Matthæacius* ab explicatione Pandectarum ad explicandum Jus civile matutinum traductus fuisset. an. 1590. ei successit ad explanandas pandectas *M. Antonius Ottellius Utinensis*; qui ortus ex familia præstantibus ad laudem viris affluenti, in præclaris literarum studiis æmulus esse voluit fratrum suorum juris utriusque Doctorum, *Hieronymi* defuncti summo sui desiderio relicto propter magnam præ-
C stantiam suam, & *Ottellii* adhuc in celebri urbe *Utino* inter præcipuos Jurisconsultos florentis, sæpeque tamquam prudentissimi, atque optimi civis ad gubernacula illius nobilis civitatis elati. Cum autem clara documenta dedisset doctrinæ suæ non solum an. 1574. cum Juris Pontificii, & Cæsarei Doctor maximo Collegii *Patavini* consensu declaratus est deferente Doctoris insignia Clarissimo J. C. *Tiberio Deciano* cive suo, quo se dignum alumnum ostendit: sed etiam per novem annos, quibus in patria sua ex publico decreto *Justiniani* Institutiones cum summa laude expli-
D cavit, propter famæ celebritatem apud Gymnasii Moderatores, senatumque *Venetum* in hoc Gymnasium facilem aditum habuerat, etiam nullo vacante loco publicarum explicationum, sed concessa explicatione, quæ tunc non habebatur, capitis de Regulis Juris, tantum ut Doctor præstantissimus in hanc Academiam introduceretur, & postea oblata occasione ad majora munera, & altiores dignitatis gradus adhiberetur: quemadmodum post explicatum per quatuor annos ipsum caput de Regulis Juris ad interpretandas Pandectas adhibitus est, & ad majores quasque Gymnasii dignitates adhiberi merito posse existimatur, communi omnium opinione *Tiberii Deciani*, ce-
E leberrimi præceptoris sui, gloriam æquaturus, magnumque lumen adjuncturus clarissimæ patriæ suæ, ex qua *Amasei*, *Robortelli*, *Deciani*, *Manticæ*, aliique præclarissimi viri prodierunt.

CAP. III.

De Successore M. Antonii Ottellii *ad Caput de Regulis Juris.*

Vacavit explicatio capitis de Regulis Juris ab
F an. 1590. cum *M. Antonius Ottellius* ad Pandectarum interpretationem est constitutus, usque ad an. 1597. cum successio ipsius *Ottellii* ad 59. v.
tale caput explicandum senatus decreto data est *Octavio Salgerio Patavino* Doctori magno ingenio,

nio, & magna doctrina prædito, ut summa sane omnia ab eo expectari posse videantur.

CAP. IV.

De Successoribus Michaelis Quarantoctii.

Michaeli *Quarantoctio* successerunt, an. 1577. in secundum locum Juris Canonici matutini *Terentius* in *Terentia* familia ortus, de quo supra.

An. 1587. ad Feuda explananda *Hercules Borsatius Mantuanus*, Doctor ingeniosissimus, atque doctissimus, an. 1589. magno universi Gymnasii mœrore extinctus: & post mortem *Borsatii Victor Saxonia Patavinus:* & an. 1594. *Jo. Baptista Sylvaticus.* An. 1597. ad Jus Canonicum vespertinum interpretandum *Angelus Saxius Patavinus*; qui tametsi inferiora Gymnasii munera non obivisset, tamen propter certissimam spem, quæ habebatur, de ejus ingenio, & doctrina ad hoc præcipuum adhibitus est, ope, atque opera in primis *Pauli Parutæ Marcii* Procuratoris, ejusdemque Moderatoris Gymnasii *Patavini*, ac justissimi virtutum, quibus præditus est *Saxius*, existimatoris.

CAP. V.

De Successore Gasparis Fabiani.

Locus primus interpretandi Juris Pontificii vespertini, quem diu tenuerat *Gaspar Fabianus*, *Sebastiano Monticulo* propter præstantiam ingenii, ac doctrinæ an. 1582. datus est.

CAP. VI.

De Successoribus Guarini Pisonis Soaciæ.

Successores fuerunt *Guarini Pisonis Soaciæ* in secundum locum Juris Canonici vespertini, an. 1574. *Nicolaus Bottonus*, de quo supra. Et an. 1575. *Ottonellus Discalcius Patavinus*; cujus de majoribus unus fuit *Partenopæus* ille *Discalcius*, vir magnanimus, & arte militari admodum præstans; qui, cum *Galeacius Mediolanensium* Princeps *Carrariensibus Patavium* intercepisset, & per annum ac dimidium tenuisset, an. 1390. XIII. Kal. Julii. *Francisco* Juniori *Carrariensi* egregiam operam navavit in hac urbe recuperanda, eique clam ingresso cum centum ballistariis præsto fuit
60. in platea Carmelitarum, pelle vituli, quem in cœna ipsi comederant, vexilli instar hastæ appensa. quæ res principi & ad conferrenda præsidia *Galeacii* Ducis, & ad excitandos civium animos mirabiliter profuit. Originem traxit *Ottonellus* ab *Ottonello Discalcio*, qui fuit. J. C. clarissimus, & in interpretandis legibus præcellentissimus, Vicarius in Urbe *Belluno* an. 1375. sub regimine Nobilis Militis *Parcevalli Vienichii* Præfecti honorandi pro principibus, & Ducibus *Austriæ*, *Alberto*, & *Leopoldo* fratribus, civitatis *Belluni*, & *Feltriæ* Dominis: ac Prætor *Taurisi* an. 1381. pro *Francisco Carrariensi*, *Patavii*, *Taurisi*, & locorum ad eas urbes pertinentium Domino; cujus præclaris vestigiis signatis ad gloriam sempiternam institit ejus abnepos *Aloysius Discalcius*, præstantissimus J. C. in hoc Gymnasio multos annos Jus Civile summa cum laude professus, & in foro etiam *Veneto* diu ita versatus, ut nec eloquentia in disserendo, nec sapientia in consulendo cuiquam cederet. Hic ætate jam ingravescente *Antonium Discalcium* filium suum, insignem J. C. omnis clientelæ suæ patronum fecit, & in patriam reversus studiis amœnioribus,

A quatenus à consiliis litigantium, & à publicis negotiis vacare licebat, operam dedit, *Aloysioque* nepoti mirabiliter progresso ad legitimam scientiam cum magna sua lætitia insignia Doctoris suis ipsius manibus dedit; cujus Frater *Ottonellus* similiter factus est Juris utriusque Doctor; primumque *Justiniani* Institutiones explanavit, electus an. 1565. in locum *Cæsaris Mationii Cæsænatis:* deinde, ut modo notavi, an. 1575. Jus Canonicum vespertinum cœpit interpretari loco *Nicolai Bottoni:* postea declaratus est ejus partis Juris civilis, quæ ad crimina dicitur pertinere, Interpres, an. 1576. Postremo adhibitus ad Jus
B civile matutinum interpretandum, primum in secundo loco an. 1586. deinde in æqualitate primi loci an. 1596. creatusque Eques à *Paschali Ciconia* Principe *Venetiarum*, & Comes, atque Eques à *Rudolpho II.* Imperatore.

Post *Nicolaum* autem *Bottonum*, & *Ottonellum Discalcium* successores habuit *Guarinus Piso Soacia* in secundum locum juris Canonici vespertini an. 1576. *Sebastianum Monticulum:* an. 1586. *Michaelem Quarantoctium:* an. 1597. *Angelum Saxium*; de quibus omnibus supra.

In tertium autem locum Juris civilis matuti- 60.
ni, quem an. 1575. reliquit, cum ei data est æ- v.
C qualitas secundi loci cum *Jacobo Menochio*, successorem habuit neminem: itidemque in secundum locum, propter senatus decretum de dimittendis quibusdam Gymnasii explicationibus, in quibus erat *Soaciæ* explicatio. An. enim 1579. S. C. in hanc sententiam factum est, *Cum Gymnasium nostrum Patavinum nos deceat moderari, proponitur decernendum, ut hujusmodi fiat moderatio, post completos scilicet quatuor annos certos in eorum conductionibus expressos, qui publica obeunt docendi munera inferius adscribenda; Ut quatuor professores Juris Pontificii ad duos redigantur, qui doceant aut collegæ inter se in eadem hora, aut unus mane, alter*
D *vespere, prout à Gymnasii Moderatoribus magis convenire fuerit judicatum, cum illi duo, & tertius Patavinus satisfacere studiosis possint. Ut professores Juris civilis, qui una cum professoribus in loci paritate, & tertio Patavino septem existunt, ad duos matutinos & duos vespertinos cum tertio Patavino reducantur. Ut explicatio Feudorum finita præsenti conductione à Moderatoribus uni eorum committatur, qui Jus Civile in secundo loco explicant, aut alicui alteri, prout eis melius visum fuerit; cum talis explicatio diebus tantum festis habeatur. Ut, cum introducta sit nuper Pandectarum interpretatio, tum in gratiam studiosorum, tum eò quia talis interpre-*
E *tatio etiam in aliis Gymnasiis hoc ipso tempore floreat, duæ cessent de explicationibus textus, glossæ, & Bartholi, cum tertius explicator sexti voluminis Juris Pontificii retinendus sit; qui una cum Pandectarum explicatore poterit supplere; siquidem ipsa Pandectarum explanatio textum explanat. qui quidem ea hora profiteantur, quæ à Moderatoribus fuerit præstituta. Ut tertius Interpres Institutionum Justiniani cesset; cum præter duos tertius Patavinus queat sufficere. Ut cessent explicatores Medicinæ Theoricæ extraordinariæ, & Medicinæ Practicæ extraordinariæ, in secundo loco, cum unus pro dictis locis una cum tertio Patavino satisfacere posse videatur,*
F *præter præcipuos explicatores ordinarios dictæ professionis, qui quatuor sunt, & cum his septem erunt. Ut interpretatio tertii libri Avicennæ cesset, tamquam supervacanea. Ut tollatur locus secundus Phi-* 61.
losophiæ extraordinariæ; cum primus una cum tertio Patavino satis esse queat, præter ordinarios Philosophos, qui cum his quatuor erunt.

Quod quidem decretum in Senatu probatum est, videlicet de dimittendis

Duabus explicationibus Juris Pontificii:

 Dua-

Duabus Juris Civilis:
Una Feudorum:
Duabus textus, glossæ, & *Bartholi:*
Una Institutionum:
Duabus Medicinæ extraordinariæ:
Duabus tertii *Avicennæ:*
Una Philosophiæ extraordinariæ;
Quæ fuerunt numero tresdecim.

Propter hoc decretum inter alios dimissus est *Guarinus Piso Soacia*, qui Jus civile matutinum in secundo loco interpretabatur; statimque cum propter famæ celebritatem in duo clarissima Gymnasia invitatus fuisset, *Taurinense*, & *Pisanum*, se contulit in *Pisanum*, ut superius quoque narravimus.

CAP VII.

De Thaddæo Pisone Soacia.

1592. Adhibitus est ad Jus Canonicum matutinum in tertio loco explanandum *Thaddæus Piso Soacia Guarini* filius, cujus nuper editus est commentarius *de sponsalibus*, *& matrimonio* in caput decimum libri primi Institutionum *Justiniani*, & promissi sunt Commentarii in omnes ipsarum Institutionum libros. obtinuit hic cum fratribus suis, duobus post annis, amplissimum de origine familiæ suæ à Republica *Rhætorum* testimonium; quam familiam, cum supra de eorum patre agerem, ex oppido *Rhætorum Soaci Patavium* translatam fuisse observavi: & de qua hæ publicæ litteræ datæ sunt. *Nos oratores Excelsæ Reip. Rhæticæ fidem facimus indubitatam, quod cum apud nos clarum sit, ut ex scripturis, & majorum nostrorum monumentis constat, ob Romanorum victorias in regionibus nostris, & Romani Imperii decursiones, ac ærumnas fere totam Romanam Nobilitatem hic salvam extitisse, atque in hodiernum diem tanti exitus solatio felicissime vivere, suisque ante-*
61. *cessorum nominibus, ac Insignibus unamquamque pro-*
v. *sapiam ubique gloriosissimam ostendi; cumque de iis una reperiatur Pisonum familia, quæ alias Soaciæ domicilium rerum suarum collocaverat, multis insignibus viris, & honoribus clara; quæque studiorum occasione Patavii suos lares defixit, ibique magnis nominibus fulget; quoniam nullo umquam tempore hujusmodi familiæ, tantorumque virorum consortium oblivioni est demandandum: ideo ita cupientibus talis familiæ viris præclaris, Petro, & Thaddæo, J. U. Doctoribus, & Antonio eorum fratre, filiis Clarissimi, & magni nominis J. C. Guarini Pisonis cognomento Soaciæ; nos libenter concedimus, decernimus, statuimus, ut, nulla obstante temporis horum virorum, & descendentium domicilii in provincia nostra præscriptione, omni tempore gaudere possint privilegiis, & immunitatibus, quibus gaudent, & gaudere possunt aliæ familiæ, & prosapiæ de numero, & ordine Dominorum, & Nobilium hujus excelsæ Reip. nostræ Rhæticæ. In quorum fidem præsentes hasce sigillo nostro munitas dedimus. Churiæ, in Rhætia superiori. die X. Julii,* 1594.

Paulus Florenus Præses Reip. Rhæticæ.
Jacobus Montalta à secretis Reip. Rhæticæ.

CAP. VIII.

De Successoribus Clementis Thealdini.

Clementi *Thealdino* in tertium locum Juris Canonici vespertini successit an. 1576. *Paulus Bradiolus Julii*, Clarissimi J. C. filius, vir doctissimus, & disertissimus, qui præstantiam animi singularem amabilissima præsentia præ se ferebat. an. 1579. *Hermes Forcatura*, Doctor & ipse egregius, & egregiis animi bonis ornatissimus. an.
A 1590. *Ubertinus Milliarius*, non minus assiduitate, & diligentia, quam ingenio, & doctrina præstans.

CAP. IX.

De Successoribus M. Mantuæ Benavidii.

Marcus *Mantua Benavidius* habuit successores in Jus civile matutinum an. 1572. *Jacobum Menochium:* in Jus Canonicum matutinum an. 1574. *Benedictum Barisellum Montanianensem*, virum quidem in foro *Venetiarum* Ecclesiastico excellentissimum, & clarissimum, sed propter æta-
B tem ingravescentem, & magis fori, quam Scho- 61.
larum consuetudinem, non satis, ut nonnulli arbitrabantur, accommodatum ad munus publici Interpretis obeundum, qui eodem, quo cœpit publice docere, anno vitam cum morte commutavit. an. 1575. *Bartholomæum Sylvaticum*, de quo plura superius.

CAP. X.

De Successoribus Tiberii Deciani.

Primus locus Juris Civilis matutini explanandi,
C quem maxima sua cum laude, ac prope incredibili omnium cum admiratione *Tiberius Decianus* obtinuerat, datus est an. 1572. *Jacobo Menochio*; an. 1589. *Angelo Matthæacio*; de quibus plura superius notata sunt, quam ut hic longiori oratione debeant recenseri.

CAP. XI.

De Successore Martii Rutilii.

Martius *Rutilius* cum propter incommodam valetudinem missionem impetrasset, suc-
D cessorem habuit in tertium locum Juris Civilis matutini an. 1574. *Guarinum Pisonem Soaciam*; de quo supra.

CAP. XII.

De Successore Joannis Cephali.

In primum locum Juris civilis vespertini, in quo *Joannes Cephalus* mirabiliter claruerat, an. 1582. *Guidus Pancirolus Reginus* successit; qui quidem natus an. 1523. die 17. Aprilis patrem habuit *Albertum* omnium patriæ suæ celeberrimum J. C. & virum omnium consensu integerrimum.
E A *Sebastiano Corrado* primum, deinde à *Bassiano Lando* literis eruditus *Græcis*, & *Latinis*, anno ætatis decimo quarto prima Juris rudimenta accepit; exactoque triennio *Ferrariam* profectus *Pasetum*, & *Hippolytum Riminaldum* audivit: deinde *Ticini*, ac *Ferrariæ Alciatum*; & *Bononiæ Marianum Sozinum:* postremo *Patavii* septimum studiorum suorum annum egit. Hic publice disputando cum ad aliquam hominum existimationem profluxisset, adhuc Scholasticus, necdum Doctoris insignia consecutus, an. 1547. à Republica *Veneta* ad interpretandas *Justiniani* Institutiones
F est constitutus, præmio tantum quinquaginta florenorum, cum postea ad mille sexcentos octoginta pervenerit. Laurea vero Jurisconsulti in Collegio *Patavino* à *Marco Mantua* accepta per 62.
septennium in eo munere obeundo perseveravit. v.
Cumque hinc abiisset *Matthæus Gribaldus*, ad ordinarias Juris civilis explicationes vespertinas in secundum locum traductus est; eumque tenuit sexdecim annos; quoniamque primum locum, quem ob diuturnos labores, assiduasque vigilias suas, atque auditorum frequentiam, & applausum sibi quodammodo deberi censebat, bis exteris

ris datum vidisset, ab *Allobrogum* Duce an. 1571. accitus *Simoni Cravetæ* primam Juris civilis Cathedram vespere obtinenti successit, ac *Bernardi Troti* collega duodecim annis in *Taurinensi* Gymnasio docuit, ubi mille aureorum stipendio est honoratus; aliosque centum *Carolus Hemanuel* patri defuncto succedens adjunxit, plures quoque daturus, nisi Præfecti Gymnasio argumentati fuissent, minime expedire, ut tam amplum stipendium in exemplum transiret. Interea *Joanne Cephalo Patavii* extincto, primum à Republica *Veneta* propositum est *Pancirolo* præmium mille ducatorum, quod ipse recusavit: deinde post mortem *Tiberii Deciani*, qui an. 1582. diem suum obiit, rursus est invitatus propositis mille scutatis loco præmii; quod sibi tandem aliquando accipiendum statuit, ea potissimum de causa, quia ob aeris *Taurinensis* gravedinem fere oculos amiserat. Itaque, quamvis ab eo Principe, & ab ea civitate mirum in modum amatus, & honoratus, illinc discessit. Ac tunc quidem ipse *Carolus Hemanuel* ei stipendium volebat augere, usque ad mille, & quingentos aureos, ut eum retineret: sed ipse, ne prorsus cæcaretur, discedere coactus est: discedentique civitas honoris ergo duo pocula argentea, inaurataque totidemque salaria rasa donavit, eumque civem suum declaravit. *Patavium* igitur venit *Pancirolus* maxime ab omnibus expectatus, & expetitus, ubi postea stipendium ejus auctum est usque ad mille sexcentos octoginta florenos per reliquam ipsius vitam; primusque ipse fuit, qui in hoc Gymnasio mille aureorum numerum præmio suo pertransiverit. *Volumen Responsorum:* & *in Notitiam utriusque Imperii Romani Commentarium* edidit. Aliud opus *De origine*, *& auctoritate Jurisconsultorum*, & *De viris illustribus* composuit. Plurium quoque illustrium virorum, qui in jure nominantur, vitas, & catalogum
63. conscripsit. Et opus *De origine*, *& auctoritate Equitum*. Et aliud *Antiquitatum Juris*. Et aliud, in quo plurimæ novæ legum explicationes continentur. Et *De Numismatis antiquis*. Et *Commentarium in universa Tertulliani opera*. Præter ordinarias explicationes ordine dispositas.

CAP. XIII.

De Successore Francisci Manticæ.

Cum *Franciscus Mantica* in secundo loco Juris civilis vespertini diu illuxisset, & in parilitate talis loci *Bonifacium Rogerium* collegam habuisset; factusque fuisset collega *Jacobi Menochii* in Jure civili matutino explanando an. 1582. tandem numeratus inter eos, quos appellant Rotæ Auditores an. 1586. successorem habuit in secundum locum ipsius Juris civilis matutini *Ottonellum Discalcium*.

CAP. XIV.

De Successoribus Bonifacii Rogerii.

Bonifacio *Rogerio* in locum secundum Juris civilis vespertini successit quidem an. 1592. *Petrus Paulus Rutilius Vicetinus:* an. autem 1597. *Joachimus Scainus Saloensis.*

Ac *Petrus* quidem *Paulus* fuit non solum maximus J. C. sed etiam in præclaris literarum studiis Rhetoricæ, Poeticæ, Historiæ, Philosophiæ Moralis, & Civilis, omnium optimarum artium ad summam laudem versatus, qui diu munus oratoris, & advocati cum maxima sua laude, ac nominis celebritate *Venetiis* obiverat, præcipueque in foro regnaverat Ecclesiastico, & fuerat Reipublicæ *Venetæ* in rebus Ecclesiasticis Con-

A sultor, atque in eum locum successor, quem olim *Hieronymus Gygas* tenuerat, quique postea *Cornelio Frangipani*, propter ejus summum ingenium, maximamque doctrinam, ac singulare in ipsam Rempublicam studium, atque admirabilem fidem datus est. Cum autem tantum per annum conductus fuisset, nova Senatui de eo deliberatione in finem ipsius anni reservata: fratre suo extincto, qui erat Vicarius in Episcopatu *Vicetiæ*, post annum completum loco petendæ confirmationis, & in publico docendi munere continuationis, ad fraternam hereditatem satis locupletem, & rei domesticæ tuitionem vocatus, dimissionem petiit,
B & vix quidem propter utilitatem, quam afferebat, sed beneficii loco tandem impetravit, non accepta honestissima conditione, quæ à viro illustrissimo, *Aloysio Georgio*, uno de Gymnasii Moderatoribus offerebatur, præmii duplicati. *Vicetiam*que profectus in illud nobilissimum Jurisconsultorum Collegium summo consensu est cooptatus; data etiam dignitate Vicarii Episcopalis *Martio* fratri, viro præcellentissimo, ei, quem supra notavi fuisse in hoc Gymnasio tum Juris civilis, tum Pontificii interpretem præstantissimum. 63. v.

Joachimus vero, qui *Petro Paulo Rutilio* suffectus est, Assessor fuerat multis in locis; *Bergomi*
C Maleficiorum Judex cum *Georgio Cornelio* Prætore: *Taurisi* etiam Maleficiorum Judex bis, nimirum cum *Aloysio Michaele*, & cum *Petro Gritto* Prætoribus: *Feltriæ* Vicarius cum *Andrea Gabriele* itidem Prætore: *Bononiæ* autem, ut appellant, Auditor Rotæ, non modo per quinque annos, quibus illud publicum munus solet perdurare, sed etiam, quod minime concedi consuevit, per alios quinque annos, ac bis Prætor ejusdem civitatis: cumque designatus esset Juris Pontificii in *Bononiensi* Gymnasio explicator; ejusmodi tamen munus non obivit: sed *Patavium* honestissimo præmio in secundum locum Juris Civilis vespertini
D conductus est collega celeberrimi J. C. *Guidi Panciroli.*

CAP. XV.

De Successore Francisci Zabarellæ.

Diu perseveravit *Franciscus Zabarella* in tertio loco Juris Civilis vespere explicandi usque ad annos circiter 1580. in eodem loco florere cœpit an. 1590. *Claudius Curtivius Patavinus*, excellenti ingenio, magnaque doctrina præditus; an. 1589. die 4. Decembris electus ad Jus Civile vespertinum in tertio loco explicandum: licet in
E ejus electione nominatus sit successor non *Francisci Zabarellæ*, qui talem locum tenuerat, sed *Victoris Saxoniæ*, qui Jus Civile meridianum explicaverat. Idem *Curtivius* cum an. 1596. suum munus intermisisset, accitus ad jurisdictionem *Gemonæ* sub nomine Præfecti exercendam, quod non minus in judicando, quam in docendo excellere videretur: tamen proximo sequenti anno idem munus cum magna sua laude repetiit, veteremque industriam suam sane egregiam, & præclaram revocavit.

CAP. XVI. 64.

F

De Successoribus Bartholomæi Sylvatici.

Cum explicaret *Bartholomæus Sylvaticus* eam juris civilis partem, quæ ad crimina dicitur pertinere, in eam explicationem successorem habuit an. 1575. *Donatum Finam Sangrensem*, qui *Neapoli* per quindecim dies subtilissimas quæstiones de jure propositas publice disputaverat, ac Doctoris insignia magno suo cum honore fuerat con-

consecutus: *Cæsenæ* nobilissimæ urbis à summo Pontifice habuerat administrationem, adeoque illi civitati charus extiterat, ut omnium senatorum consensu civitate donatus sit: cum *Venetæ* classis Imperatoribus, *Hieronymo Zanio*, & *Sforciæ Pallavicino* auditor summus eligendus esset, qui eorum nomine jus diceret, tale munus sibi delatum prudentissime administraverat, ut postea suis omnibus in rebus non modo *Zanium*, verum etiam *Pallavicinum* adjutorem habuerit, & patronum, atque à Senatu *Veneto* suæ industriæ, & fidei privilegia, testimoniaque amplissima obtinuerit: *Patavii* Jus Civile quindecim annis privatim docuerat: librum ediderat inscriptum *Enchiridion utriusque juris*, qui omnibus juris civilis studiosis maxime necessarius est judicatus, pluribusque in locis Typis impressus: denique à Jurisconsultorum Universitate summa contentione fuerat postulatus apud Moderatores Gymnasii, ut criminalium quæstionum explicator constitueretur. quod summo universi Gymnasii gaudio factum est. Cum autem extinctus esset an. 1576. suffectus est *Ottonellus Discalcius*: & *Ottonello* adhibito ad secundum locum Juris civilis matutini an. 1586. successit *Laurentius Castellanus*: & *Castellani* mortui an. 1594. datus est locus *Victori Saxoniæ*.

CAP. XVII.

De Successore Nicolai Bottoni.

In locum *Nicolai Bottoni*, qui horis matutinis textum, glossam, & *Bartholum* explicaverat, successit an. 1574. *Franciscus Branca*, vir in tractandis legibus acutissimus. quæ explicatio S. C. superius memorato dimissa est. & in locum ejusdem demortui an. 1575. ad interpretandum Jus canonicum vespertinum in secunda Cathedra, *Ottonellus Discalcius*. & *Ottonello* traducto ad criminalia explananda an. 1576. *Sebastianus Monticulus*.
64. v. & dato primo loco *Monticulo* an. 1582. tandem factus est successor *Michaël Quarantoctius* an. 1586.

CAP. XVIII.

De Successore Pau. Antonii Godii.

Collega fuit *Pau. Antonius Godius Nicolai Bottoni* in textus, glossæ, & *Bartholi* matutina explicatione: cui successit an. 1574. *Galeacius Bigolinus Patavinus*, non solum juris civilis, & Pontificii, verum etiam facultatis oratoriæ, & poeticæ laude ornatissimus. Quæ explicatio, ut modo notavi, fuit S. C. dimissa.

CAP. XIX.

De Successoribus Terentii Terentiani.

Terentius in *Terentia* familia ortus successores habuit in explicationem vespertinam textus, glossæ, & *Bartholi* an. 1577. *Galeacium Bigolinum*, de quo modo facta est mentio: & in explanationem Juris Canonici matutini an. 1591. *Antonium Zoncham Patavinum*; ex ea domo natum, quæ *Bergomi* antiqua est, *Bergomoque Venetias*, & *Patavium* est traducta; non solum Juris Pontificii, & Cæsarei doctissimum, & in disputandis quæstionibus inter cæteros Doctores acutissimum, sed etiam poetam non spernendum, cujus ego vidi carmina ad veterum poetarum imitationem egregie formata; & oratorem disertissimum, ac propter eloquentiam suam ad habendas publicas orationes sæpe adhibitum, atque inter cæteras pro Capitulo Parochorum ad gratulan-

A dum *Aloysio Cornelio Patavii* Episcopo an. 1588. & *Marco Cornelio Aloysii* successori an. 1595.

CAP. XX.

De Successoribus Philippi Octaviani.

Philippus Octavianus diu tenuit primùm locum Institutionum *Justiniani* Imperatoris explicandarum. Ejus successor fuit an. 1588. *Franciscus Branca*, superius à nobis commemoratus. an. 1589. *Aloysius Durantius Venetus*, non solum J. C. egregius, sed etiam in aliis literarum studiis
B laudabiliter versatus. An. autem 1592. *Fabricius Cæconius*, qui easdem quoque Institutiones *Venetiis* per undecim annos explanaverat, non solum uniusque juris, sed etiam Philosophiæ Doctor.

CAP. XXI. 65.

De Successoribus Sebastiani Monticuli.

In locum secundum Institutionum interpretandarum, quem tenuerat *Sebastianus Monticulus*, post eum traductum ad Jus Canonicum vespertinum an. 1576. successit *Laurentius Castellanus*. &
C an. 1586. *Franciscus Branca*. & an. 1588. *Aloysius Durantius*. & an. 1589. *Marcus Trivisanus*, qui obiit an. 1594. & an. 1596. *Octavius Livellus* post philosophiæ studium ad legitimam philosophiam ita applicatus, ut in ea plurimum profecisse videatur.

CAP. XXII.

De Successoribus Laurentii Castellani.

Tertius locus Institutionum declarandarum, in quo fuerat *Laurentius Castellanus*, datus est an. 1577. *Ubertino Fabiano Patavino*, dum is celeri gradu sequeretur facem sibi mirifice prælu-
D centem *Gasparis Fabiani*, optimi, ac clarissimi parentis sui. Inde *Marco Trivisano*. Inde *Octavio Livello*. Inde *Joanni Chartulario*. Obtinuit postea secundum locum, in quem quos successores habuerit, in superiori proximo capite est declaratum. Ad explicandam autem eam partem juris, quæ ad crimina dicitur pertinere, ei successit an. 1594. *Victor Saxonia*.

CAP. XXIII.

De Successoribus Francisci Brancæ.

E Nec ad interpretandum sextum volumen Juris Canonici *Francisco Brancæ* successor declaratus est ullus, nec ad explanandum textum, glossam, & *Bartholum*, quæ interpretatio inter eas, quas Senatus dimisit, enumerata est: sed in primum locum Institutionum explicandarum successit an. 1589. *Aloysius Durantius*. an. 1592. *Fabricius Cæconius*.

CAP. XXIV.

De Successore Bartholomæi Sforciæ.

F Ad Jus civile meridianum explanandum *Bartholomæi Sforciæ* successor factus est *Victor Saxonia*: qui postea ad Feuda declaranda: denique ad interpretandam eam partem juris, quæ ad crimina dicitur pertinere, adhibitus est.

CAP. XXV.

De Successoribus Jo. Ambrosii Barbavaræ.

Cessaverat quidem an. 1571. à munere explicandi Theologiam ex doctrina *S. Thomæ Jo. Ambro-*

65. v. *Ambrosius Barbavarius Mediolanensis* ordinis Fratrum Prædicatorum accitus à *Hieronymo Ruvereo Taurini* Archiepiscopo, ut superius quoque notavi: sed proximo sequenti anno à Gymnasii Moderatoribus ad finiendum tempus conductionis suæ est revocatus; quo finito an. 1573. discessit: atque in ejus locum Sanctus *Cythinius Utinensis* ejusdem ordinis prædicatorum suffectus est. Et an. 1582. *Egidius Marchesinus Bononiensis*, non solum maximus Theologus, sed etiam eloquentissimus Concionator. Et an. 1586. *Alphonsus Sotus Theologus* celebratissimus. Et an. 1593. *Angelus Andronicus Venetus*, Philosophiæ, & Theologiæ laude clarissimus; qui maxima sapientia, & probitate ornatus ad eam hominum existimationem profluxit, ut, cum *Venetiis* degeret, plurimi Patricii, & Senatores *Veneti* apud eum de peccatis suis confiterentur, ac salutem animarum quærerent; necesseque habeat propter tales confessiones in Gymnasii vacationibus *Venetias* se conferre, ab omnibus fere summopere expetitus, & accersitus. cumque adhibitus esset an. 1584. ad ea explicanda, quæ Metaphysica nuncupantur, atque in ea explicatione maxime excellere videretur: dici tamen non potest, quam præcipue inter Theologos eniteret, & omnem laudis excellentiam superaret. Quæ caussa fuit, quamobrem ad explicandam Theologiam postea traductus fuerit, & factus sit collega celeberrimi Theologi, *Hieronymi Pallanterii*. Electus est etiam hujus Provinciæ in sua Relig. Admin.

CAP. XXVI.

De Successore Bonaventuræ Manenti.

Ad explicandam Theologiam ex doctrina *Scoti Bonaventuræ Manento* successit *Hieronymus Pallanterius*, natus loco nobili, & celebri *Flaminiæ* oppido, *Bononesio* nuncupato, propterea quod à *Bononiensibus* fuerit conditum, ut ille cecinit ad hunc modum;

Nobile Castellum, cui docta Bononia nomen
Indidit, auspiciis semper felicibus usa:

atque ex familia *Pallanteria*, claris semper viris affluentissima; in qua floruerunt inter cæteros

1. *Jo. Franciscus*, vir præstantissimus:
2. *Achilles*, vir gratiosissimus:
3. *Alexander Achillis* filius, de quo mentio est honestissima apud Platinam *in vita Pii IV.* Pater
66. *Pompeji* Protonotarii Apostolici: *Caroli*, Equitis *S. Lazari*: *Cæsaris*, Equitis *S. Stephani*; fraterque *Catarinæ*, *Francisco Genasio* nuptæ, Medico celeberrimo, matrisque quinque Doctorum præcellentissimorum.
4. Alter *Hieronymus*, Clericus sæcularis, poeta in sermone *Italico* excellens, in convertendis *Virgilii* Bucolicis admirabilis, in conficiendis elogiis præclarus:
5. *Christophorus*, Theologi nostri patruelis, Equitum Præfectus:
6. *Jo. Paulus*, ejusdem Patruelis, ordinis Minorum *Franciscanorum*, ipsius Theologi alumnus, & Theologus egregius, Commentariis suis *in quatuor libros sententiarum*, & *in omnes psalmos* clarissimus:
7. *Diophœbus*, Theologi nostri frater, Decurio in bello *Senensi*, & à *Cosmo*, Magno *Etruriæ* Duce venationi nemorum *Pisanorum* Præfectus.

Cum autem *Hieronymus* nomen dedisset in Religionem Minorum *Franciscanorum*; & *Cremonæ* audivisset *Marcum Tartesium*, maximum oratorem, *Joannem*que *Musonium*, eximium poetam; quorum alterum orationibus conficiendis, alterum versibus pangendis, atque inter cætera Christi perpessione primum Heroice, deinde Sapphice exprimenda, peregregie est imitatus; ac *Ferrariæ* se dedisset in disciplinam tum *Philippi Brasci Faventini*, summi Theologi, & Metaphysici, tum *Vincentii Madii*, philosophi celeberrimi: fuit primum *Ferrariæ* Magister studentium, & Logicæ Interpres: deinde *Bononiæ* explicator Philosophiæ, usus disciplina tum *Jo. Antonii Delphini* à *Casale* Majori, viri celebratissimi; tum *Francisci Visdomini Ferrariensis*, concionatoris præclarissimi. Cumque in Comitiis Generalibus *Florentinis* decrevisset Pater Generalis *Antonius Sapiens Augustanus* propter negotia gravissima Religionis B in *Hispaniam* proficisci, sex de præstantioribus ingeniis secum ducere statuit, ac *Hieronymum* in primis delegit, qui jam dederat præstantiæ suæ clarissima documenta. Sed extincto eo in itinere, factus est Regens in Conventu *Ferrariensi*, & publicus *Ferrariæ* Metaphysicus. Inde à *Felice Pyreto* ex *Monte Alto*, qui Generalatum adeptus est, & postea fuit Cardinalis, & Pontifex Maximus *Sistus V.* nuncupatus, ad Theologiam in *Ticinensi* Gymnasio interpretandam missus est, atque 66. v. in eum locum successit, quo in loco cum alii quondam summi viri ordinis Minoris *Franciscani* per annos circiter ducentos, tum *Franciscus Savonensis*, qui postea fuit *Sistus IV.* & *Petrus* C *Candianus*, qui fuit *Alexander V.* & *Gometius Ulyssiponensis*, qui fuit Archiepiscopus *Ragusii*, maxima cum ingenii, ac doctrinæ laude floruerunt. Tenuit eam cathedram circiter quinque annos prope incredibili auditorum cum admiratione, solus novo exemplo, cum ante eum, & post eum nemo fere sine collega eam tenuisse memoretur. Accitus deinde fuit à Cardinali *Borromeo*, Archiepiscopo *Mediolani*, cui charissimus extitit in collegio pauperum clericorum, honestissimeque servivit circiter quatuor annos, explicans quatuor partes catechismi *Romani*, quatuor Evangelistas, D multasque summas exemplorum ad conscientiam pertinentium. Cumque ad cathedram suam *Ticinensem* reversus esset, à Cardinali ex *Monte Alto Romam* accersitus est, atque in ejus familiam receptus anno sanctissimi Jubilei 1575. ac apud eum fuit circiter octo annos; atque si continuare maximos labores, maximasque vigilias, quas quotidie suscipiebat, potuisset, evecto ad Pontificatum ipso Cardinali ex *Monte Alto* aliquot post annis, elatisque aliis, qui ei servierant, ad Cardinalatus, Prælaturas, & dignitates Ecclesiasticas, ipse quoque communi omnium judicio Cardinalis factus fuisset. Sed defessus, non satiatus, cum E ab eo discessisset, primum fuit Regens *Bononiæ*, illiusque conventus gubernator; immo vero etiam totius provinciæ *Bononiensis* Administer: deinde in locum *Bonaventuræ Manenti* Theologus hujus Gymnasii electus est, delato ei munere Regentis, atque Administri etiam hujus provinciæ *S. Antonii*, ac dato gratis honore collegii Theologorum, quo similiter *Ticini* potitus fuerat; cognitus non solum magnus Philosophus, & Theologus, tum in publicis disputationibus, quas *Romæ* ter habuit, præsentibus multis, magnisque Cardinalibus, & *Mediolani*, & *Florentiæ*; tum vero, cum fuit Regens in conventibus præcipuis, *Ferrarien-* F *si*, *Ticinensi*. *Mediolanensi*, *Bononiensi*, *Patavino*: sed etiam magnus orator, partim in munere concionandi, quod in nobilioribus *Italiæ* suggestis obivit; partim etiam in sacello Pontificio apud summum Pontificem *Pium V.* in die Ascensionis 67. Domini habita luculentissima oratione de ascensu Servatoris: apud *Gregorium XIII.* in die omnium Sanctorum de gloria beatorum: *Mediolani* in funere *Caroli V.* Imperatoris de summis ejus laudibus: *Ticini*, & *Patavii* initio explicationum sua-

rum de dignitate Sacræ Theologiæ, aliisque disciplinis ad ejus usum, & servitium reducendis: nomine *Patavini* Theologorum collegii ad *Aloysium Cornelium* Episcopum, qui *Friderico* patruo Cardinali successit in Episcopatum, & ad *Marcum*, qui fuit successor *Aloysii* in eorum ad Episcopalem dignitatem ingressione; charus, & jucundus Cardinalibus, & principibus, non solum Cardinali ex *Monte Alto*, dum honestissime ei servivit: sed etiam *Hemanueli Philiberto*, *Allobrogum* Duci: *Alphonso II. Ferrariæ* Duci: *Hippolyto II.* Cardinali *Estensi*: *Aloysio* itidem Cardinali *Estensi*: *Alexandro Estensi*, principi generosissimo, dum is *Patavii* esset studiorum caussa: Cardinali *Sfrondato*, qui fuit *Gregorius XIV.* Pontifex Maximus à quo summa omnia sperare poterat, si is diutius vixisset: in primis autem quinque Tutelaribus *Franciscanæ* Religionis, *Rudolpho Pio*, Cardinali *Carpensi*: Cardinali *Borromeo*: Cardinali *Alciato*: Cardinali *Ruvereo*: Cardinali *Cusano*, qui gubernationem conventus *Divi Antonii* Confessoris ab eo diutius continuari voluit: præterea Cardinali *Palæoto*, *Bononiæ* Archiepiscopo. Fuisset autem declaratus summus Magister, &, ut appellant, Pater Generalis *Franciscanæ* Religionis, nisi magis virtutis semper, quam honoris studio incensus extitisset, & ab omni prorsus prensatione alienum se ostendisset: cum tamen uno, aut altero suffragio, ab eo, qui nunc Generalatum administrat, quamvis sapientissimo, atque optimo, sit superatus. Magnum igitur accessit lumen Gymnasio *Patavino*, cum tam clarus Theologus multis posthabitis præclarissimis; & præstantissimis Theologis, dato ei majori præmio, quam ulli umquam alii in principio talis professionis datum sit, delectus est; vere *Hieronymus*, & sacrum nomen; vereque *Pallanterius*, quasi *Pallantherus*, & *Pallade*, ac sapientia floridus.

CAP. XXVII.

De Successoribus Hieronymi Quaini.

67. v. An. 1582. Ad declarandam Sacram Scripturam in locum *Hieronymi Quaini* demortui successit *Alphonsus Sotus Florentinus*, plurimum sine dubio & ipse valens tum scientia Theologiæ, tum concionandi facultate. Et an. 1587. *Alphonso Soto* ad explicandam Theologiam ex Doctrina Divi *Thomæ* traducto, *Jo. Franciscus Contarenus*, Patricius *Venetus*, ordinis observantium *Dominicanorum* suffectus est. Et an. 1589. cum *Contarenus* diem suum obiisset, ejus successor est declaratus *Franciscus Zambertus Venetus* Ordinis Carmelitani, qui ea, quæ Metaphysica nuncupantur, in Gymnasio *Ticinensi* cum magna sua laude explicaverat, eratque tunc ordinis sui in hac provincia Administer. Et an. 1594. mortuo *Zamberto Alphonsus Sotus* à Theologia interpretanda ex doctrina Divi *Thomæ* ad Sacram scripturam explanandam est revocatus.

CAP. XXVIII.

De Successoribus Thomæ Peregrini.

Locum demortui *Thomæ Peregrini*, celebratissimi Metaphysici, obtinuit primum an. 1584. *Angelus Andronicus Venetus*, summus Philosophus, ac Theologus, & propter magnam famæ celebritatem dignissimus habitus, qui tanti viri successor declararetur: eoque postea ad Theologiam interpretandam ex doctrina Divi *Thomæ* traducto, electus est *Livius Leonius Patavinus* ordinis Prædicatorum summo ingenio, summaque doctrina ornatus, & admirabili quodam cursu progrediens ad præmia immortalitatis.

CAP. XXIX.

De Successoribus Martialis Peregrini.

Successores fuerunt *Martialis Peregrini* ad ea, quæ dicuntur Metaphysica ex doctrina *Scoti* explicanda, primum an. 1575. *Carolus Billeus Siculus*, vir maximæ doctrinæ, & ingenii excellentissimi. Deinde post mortem *Billei* an. 1580. *Salvator Bartholutius*; qui ortus *Aesisii*, nobili loco, & celebri *Umbriæ* urbe, parentem habuit virum optimum, *Joannem Bartholutium*, duosque proavos præstantissimos ordinis Minorum *Franciscanorum*; alterum *Rufinum Bartholutium*, Theologum, & Musicum præcellentissimum, eum qui primus fecit modos figuratos cum partibus chori disjunctis, tantopere postea ab *Adriano* illo Musicorum coryphæo probatos, & auctos, clarissimaque dedit documenta Musicæ præstantiæ suæ cum in aliis præcipuis *Italiæ* urbibus, tum 68. maxime *Venetiis*, *Patavii*, *Bononiæ*: alterum *Jo. Franciscum Bartholutium*, optimis moribus præditum, atque in agendo ita excellentem, ut cum proventus administrasset conventus *Aesisiatis* maxima cum laude prudentiæ suæ, atque utilitate conventus ipsius, Cardinalis *Carpensis*, *Rudolphus Pius*, Tutelaris *Franciscanæ* Religionis in Comitiis Generalibus *Aesisii* an. 1559. celebratis, quibus ipse præerat, custodem sacri conventus eum declarari voluerit; quæ dignitas antea nonnisi Sacræ Theologiæ Magistris tribui solita erat. *Rufino* autem *Salvatoris* cura commissa est, & post ejus mortem *Jo. Francisco*; qui juvenem animadvertens ad religionem propensum, fecit, ut in *Franciscanam* Religionem nomen daret, studiumque Musicæ, ad quod minus propendere videbatur, in præclara literarum studia converteret; eumque misit *Cremonam*, ubi artes, quæ ad Humanitatem pertinent, maxime florebant. In ea urbe *Salvator* operam dedit clarissimis viris, *Tartesio*, & *Musonio*, literasque *Latinas*, & *Græcas* didicit, ac nobiles artes, Rhetoricam, & Poeticam, percepit, admirabiliterque progressus est ad bene loquendi, eleganterque scribendi excellentiam; quam semper cum magna sua laude præ se tulit. Cumque satis instructus esset humaniorum disciplinarum cognitione, graviorum studiorum caussa *Bononiam* profectus præstantissimos nactus est præceptores; tum Logicæ *Nicolaum Turcam* tum Philosophiæ *Ant. Franciscum Fabium*; utrumque *Bononiensem*: tum Theologiæ *Antonium Delphinum* a *Casale* Majori in omni doctrinæ genere versatissimum; *Franciscum Visdominum Ferrariensem*, concionatorem eloquentissimum, & gravissimum; *Octavianum Ravennatem*, imitatorem, explicatorem, defensorem doctrinæ *Scoti* diligentissimum: quibus ducibus cum plurimum profecisset, factus est primum in Comitiis Generalibus *Aesisii* an. 1559. Magister studii in conventu *Bononiæ*, idque muneris tribus annis obivit: deinde in Comitiis Generalibus *Mediolani* an. 1562. post quæstiones disertissime disputatas, insignia Doctoris a Patre Generali, & Summo Magistro Sapiente *Augustano* est consecutus; statimque *Patavium* missus Magister Artium in Gymnasium conventus *Patavini*: inde ab eodem vocatus ad Concilium *Tridentinum*, ut ibi solennem ora- 68. tionem haberet pro *Franciscana* Religione: postea v. in comitiis Generalibus *Romæ* an. 1568. quibus præerat *Fr. Felix Pyretus* à *Monte Alto*, Vicarius Generalis Apostolicus, & Episcopus *S. Agathæ*, qui postea fuit Cardinalis, & Pontifex Maximus sub

sub nomine *Sisti V.* declaratus Regens Magnæ Domus *Venetiarum:* in Comitiis *Camerini* an. 1571. Regens in Conventu *Patavino*, ubi inter alios quamplurimos honestissime servivit, tanquam præceptor Rhetoricæ, Logicæ, Philosophiæ *Francisco Mariæ* ex Marchionibus Montis, qui postea factus est Cardinalis: an. 1577. in *Perusino:* an. 1578. iterum in *Veneto*, ubi Rhetoricam, Logicam, Philosophiam, Theologiam, non modo *Franciscanis*, quorum regebat studia, sed etiam Patriciis *Venetis* tanta omnium admiratione interpretabatur, ut prope incredibilis ad eum audiendum concursus fieret, multique per eum, & eo duce excellentem cursum fecerint, præstantemque progressionem ad sapientiæ, atque eloquentiæ excellentiam, atque inter cæteros *Stephanus Theupolus*, is, qui Academicas edidit Contemplationes. Orationem autem habuit in multis comitiis, tum generalibus, *Aesisii*, *Mediolani*, *Florentiæ:* tum Provincialibus, *Taurisi*, *Cremonæ*, *Utini*, *Rhodigii*; quem ego ipse audivi patriam meam tam mirabiliter exornantem, ut melius non quærerem; quo cum etiam disputavi, propositis ab eo in illis Comitiis *Rhodigii* non solum de Logica, Philosophia, Theologia, sed etiam de Rhetorica ingeniosissimis quæstionibus. *Aesisii* etiam funebrem orationem habuit in Ecclesia Cathedrali in obitu Episcopi *Laurentini* ex *Monte Politiano:* & *Venetiis* in Ecclesia *S. Stephani* in obitu Patris Generalis Eremitani, *Christophori Patavini:* & *Patavii* in templo Divi *Antonii* in obitu *Francisci Robortelli Utinensis.* Concionatus quoque est disertissime in pluribus *Italiæ* urbibus, *Tauriso*, *Placentia*, *Florentia*, *Cremona.* Atque obscurissimo Doctori suo *Scoto* singulare lumen afferre visus est, emendando Collibita ejus, scriptum *Oxoniense*, disputationes: illustrando præclaris annotationibus omnia: conficiendo syllabum describendo vitam: faciendo Apologiam in Scotomastigas: explicando formalitates *Antonii Siretti*, factas ad mentem *Scoti.* Ut mirum non sit in magna celebritate famæ, si à pluribus ma-
69. gnis viris expetitus, & invitatus fuerit, atque inter cæteros ab *Adamo Conascio Polono*, Episcopo *Posnaniensi:* & à *Christophoro Madrutio*, Cardinali *Tridentino:* aliisque Episcopis, & Cardinalibus, qui eum apud se habere maxime cupiverunt. Quamobrem Moderatores Gymnasii *Patavini* eum facile delegerunt *Caroli Billei* successorem ad ea, quæ Metaphysica dicuntur, in *Patavino* Gymnasio interpretanda, collegam celebratissimi Metaphysici, *Thomæ Peregrini*, faventibus ei potissimum propter maximam ejus præstantiam ipsis perspectam, & cognitam amplissimis Senatoribus *Paulo Theupolo* Equite, & Divi *Marci* Procuratore, *Franciscoque Venerio*, philosopho celeberrimo. Idem in conventu Divi *Antonii* Confessoris ad numerum Patrum *Patavinorum* una cum eximio Theologo, *Hieronymo Pallanterio*, propter illius conventus conservationem, utilitatem, & ornamentum est aggregatus: atque in *Patavinum* Theologorum collegium honestissime cooptatus.

CAP. XXX.

De Successore Bernardini Paterni.

1592. In locum demortui *Bernardini Paterni*, qui diu Medicinam Theoricam interpretatus est, *Horatius Augenius* à *Monte Sancto* successit, vir præstantissimus, parente clarissimo natus *Ludovico Augenio*, eo, qui annos septuaginta in præcipuis *Flaminiæ*, *Piceni*, *Etruriæ* civitatibus cum maxima famæ celebritate exercuit Medicinam; nomenque suum reddidit immortale;

A & charissimus fuit *Clementi VII.* Pontifici Maximo cui honestissime servivit; Medicusque intimus, ac familiarissimus *Alberti Pii*, & *Leonelli* fratrum Comitum *Carpensium*, summeque dilectus à *Rudolpho Pio*, Cardinali, *Leonelli* filio: tantoque in honore habitus apud Ducem *Guisium*, & fratres, aliosque Principes *Gallos*, cum in *Italiam* exercitum duxerunt summo Pontifici *Paulo Caraffæ* gratificati, ut præter magnam vim numorum honoris causa ei datorum, etiam ejus patriam, *Montem Sanctum*, ab omnibus oneribus, quæcumque alia loca ob ipsius exercitus transitum sustinebant, immunem fecerint: quatuorque
B reliquit filios, omnes insigniter honoratos; duos Jurisconsultos clarissimos, *Simonem*, & *Fabricium*, quorum primus bis fuit Auditor Rotæ *Perusinæ:* alter Jus Pontificium in Gymnasio *Romano*, & *Maceratensi* cum magna sua laude interpretatus 69.
est, Vicariatusque officia splendide obivit: *Læ-* v.
lium Equitem Divæ *Mariæ Lauretanæ:* & ipsum *Horatium*, Philosophum, Medicum, Theologum præcellentissimum, in quo spem suam omnem collocaverat; quique cum in Gymnasio *Maceratensi* Logicam duobus annis; & in *Romano* Medicinam Theoricam extraordinariam quinque annis; & in *Taurinensi* Medicinam Practicam ordi-
C nariam in prima cathedra sexdecim annis, videlicet sex cum collega *Joanne Costeo* ex *Laude Pompeja*, & decem sine collega interpretatus fuisset: tandem in hoc Gymnasium ad Medicinam Theoricam ordinariam explanandam, proposito nongentorum florenorum præmio accitus, ac perductus est. Ejus exstant *de sanguinis missione libri decem: Disputationum* ejusdem argumenti *libri septem: Epistolarum Medicinalium libri viginti quatuor* duobus voluminibus comprehensi: liber *de partu hominis:* alia.

CAP. XXXI.

De Successoribus Pauli Crassi.

D
1574. Cum ex hac vita excessisset *Paulus Crassus*, Philosophus, & Medicus celeberrimus, collega *Bernardini Paterni* ad Medicinam Theoricam ordinariam explicandam, ejus loco potitus est *Nicolaus Curtius Brixianus*, vir doctissimus, corpore quidem parvo, unde *Nicolinus* nuncupabatur, sed ingenio magno, ac doctrina prope singulari. An. autem 1578. ejus demortui successor factus est *Bernardinus Trivisanus Patavinus*, qui Medicinam Theoricam extraor-
E dinariam explanabat. Et an. 1583. post mortem *Trivisani*, electus est *Albertinus Bottonus*, de quibus omnibus plura superius.

CAP. XXXII.

De Successore Hieronymi Mercurialis.

1587. Cum ex hoc Gymnasio discessisset *Hieronymus Mercurialis*, in ejus locum *Alexander Massaria Vicetinus* electus est, vir exquisitæ literaturæ, & *Græcis* doctus literis, atque *Latinis*, quas à clarissimis didicit nostri ordi-
F nis viris, primum *Vicetiæ* à *Jacobo Grifolo Lucinianensi*, qui multos annos ibi publice docuit: deinde *Patavii* à *Lazaro Bonamico Bassianensi*, literarum *Græcarum*, & *Latinarum* explicatore celeberrimo; rectissimamque studiorum rationem secutus est, ut *Latina* cum *Græcis* conjungeret, & 70.
non rivulos, sed fontes ipsos peteret disciplinarum, ac simul *Græca* intelligeret, & *Latine* loqueretur. Quod tam egregie est assecutus, ut nec ejus intelligentia firmius esse quidquam, nec

ejus elocutione aut purius, aut rotundius, aut minus spinosum videatur. Cumque in omni actione sua semper appetiverit principatum, ut eam obtineret, duces sectatus est eos, qui suarum principes essent professionum, præter *Grifolum*, & *Bonamicum*, in Logica *Tomitanum*: in Philosophia ordinaria *Genuam*: in Philosophia extraordinaria *Albertum*: in Metaphysicis *Bargium*: in Medicina Theorica *Oddum* seniorem: in Medicina Practica *Fracantianum*: in Chirurgia, & Anatome *Fallopium*. Ac philosophiæ, Medicinæque insignia consecutus unum de principibus locis inter Philosophos, & Medicos tenuit, tum *Vicetiæ* annos quinque, & viginti, Medicinam exercens peregregie, atque in clarissima Olympicorum Academia modo Anatomen, modo *Aristotelis* Meteora, modo aliquid aliud ejusmodi singulari sua cum laude, ac prope incredibili Academicorum omnium cum admiratione explanans: tum *Venetiis*, quo quidem à multis amicis, & patronis suis, in primisque ab iis, qui *Vicetiæ* præsides fuerant, partim Prætores, partim Præfecti, ejusque operam Medicam sane egregiam, & præclaram cum sua, & suorum salute experti fuerant, eumque sæpe in Academia doctissime, disertissimeque disputantem audiverant, invitatus fuerat; & quo etiam animus propendebat, ut ibi commodius, & splendidius opera quædam sua ederet Medica. Itaque eo profectus an. 1578. dici non potest, quantum cursum, quantumque progressum fecerit per novem annos ad nominis celebritatem, summæque excellentiæ gloriam. ibique typis imprimendos dedit duos luculentissimos libros suos *de peste*; de quibus placet adscribere duo præclarissima testimonia, alterum *Andreæ Dudithii*, alterum *Montani Vicetini*, utriusque doctissimi, ac clarissimi. *Dudithius* enim ita scripsit *Vvinceslao Raphano*, Medico, ut constat ex *tertio Tomo Consiliorum*, *& Epistolarum* Joannis Cratonis; *Aveo tuum judicium cognoscere de Massaria, atque illius libro de peste; quem invitus patior à mea bibliotheca abesse; ita mihi visus est elegans esse, & bene rem*
70. v. *examinare. Si eum librum tuus librarius istic habet, eme mihi quovis pretio.* Montanus vero *libro tertio de morbis* ex Galeni sententia; *Aureus*, inquit, *de peste Tractatus est editus ab Alexandro Massaria, patriæ nostræ lumine, ac ornamento, in quo pestis natura verissime, atque elegantissime describitur; quod hactenus ab alio nemine factum est.* Hæc illi. Cum autem *Massaria* non minus in Medicina Theorica, quam in Practica valere, atque excellere videretur, cupientibus Gymnasii Moderatoribus *Bernardino Paterno* gratificari, ut à primo loco Theoricæ ad primum locum Practicæ, quem *Mercurialis* tenuerat, traduceretur, reque tractata, & confecta cum *Massaria*, ut ipse *Paterno* succederet, notatum quidem est decretum de Theorica *Massariæ*, ac Practica *Paterno* committenda: sed, cum tale decretum in Senatu lectum esset, nonnullique Senatores rem dissuasissent, atque inter cæteros Senator eloquentissimus, *Aloysius Mocenicus*, argumentatus esset, minime expedire, ut *Paternus*, qui diu Theoricam explicaverat, ad Practicam explicandam adhiberetur; & *Massariam* quidem in utraque præstare, sed tutius esse, ut qui Practicam exercuisset, etiam Practicam explanaret; tantumque sua profecit persuasione, ut iis, de quibus agebatur, inscientibus decretum fuerit conversum, *Paternus*que in Principe loco Medicinæ Theoricæ, aucto ejus præmio, per honorifice sit confirmatus, princeps vero locus Practicæ cum præmio octingentorum florenorum *Massariæ* datus; qui profecto eum non accepisset, nisi fuisset primus locus, quotus erat alter ei assignatus. Idque sine dubio maximum fuit

A decus, atque ornamentum, ut, cum alii diu soleant in Gymnasio laborare, quo ab inferioribus gradibus ad superiores perveniant, ipse tamen, qui munus docendi in nullo ante publico Gymnasio obiverat, incertumque erat, quo exitu tale munus obiturus esset, propter solam hominum existimationem sane excellentem, & præclaram, ad quam medendo profluxerat, unum de principibus locis, & quidem cum tam amplo præmio sit consecutus. Cumque hoc fuerit admirabile: illud tamen extitit admirabilius, quantum in ipso initio professionis suæ omnibus excellere visus sit, ut, cum Medico jam confirmatæ auctoritatis,
B & gloriæ, *Hieronymo Capivacceo*, collega datus sit, statim parem comparaverit auctoritatem, magnumque auditorum numerum habere cœperit, 71.
ac communem opinionem excitaverit in animis studiosorum, non posse melius quæri, quam illud ipsum, quod ab eo præstaretur, neminemque nec peritiorem, nec magis idoneum ad docendum, nec robustiorem, ac vehementiorem ad tolerandos docendi labores eligi potuisse; quamvis multos habuerit competitores, Medicos præstantissimos, & præclarissimos, atque inter cæteros *Jacobum Scutellarium* Medicum Imperatoris, qui
C quidem id muneris omni petebat contentione, omnemque conatum amicorum, & patronorum complurium adhibebat ad eam petitionem. Statim igitur orationem habuit maximo literatorum hominum concursu, quorum multitudinem vix amplissima capiebat Schola, de retinenda *Hippocratis*, & *Galeni* doctrina contra nonnullos rerum omnium novatores; quæ oratio meo quidem judicio multas valebat orationes; ut, quemadmodum *L. Philippus* dixisse dicitur, non se *Cn. Pompejum* pro consule, sed pro consulibus ad bellum maximum, formidolosissimumque contra *Sertorium* in *Hispaniam* mittere: sic ego *Massariæ* ora-
D tionem non pro oratione, sed pro orationibus, & quidem pro tribus orationibus existimem; siquidem cum in ea ageret de ducibus in medicinæ studio sectandis, eam in tres partes distribuerat, ita uberes, & locupletes, ut earum unaquæque instar esset integræ orationis. ostendebat enim alios addictos esse *Græcis Medicis*, & in primis *Galeno*: alios *Arabibus*, præcipueque *Avicennæ*: alios veterum nulli, sed recentiore aliqua doctrina mirum in modum oblectari; ut inter cæteros *Fernelium*, atque *Argenterium*. Ac in prima quidem earum parte in tertios invehebatur, maximeque
E in *Argenterium*, qui vel ipsum *Aristotelem*, in Logica, in Ethicis, in Meteoris, in Metaphysicis, in universa Philosophia, simulque *Hippocratem*, & *Galenum* reprehendere ausus est, suamque in infinitum effrenatam jactavit audaciam; similiterque in *Fernelium*, qui & ipse *Aristotelem*, *Hippocratem*, *Galenum* magnis conviciis insectari minime erubuit: in altera vero parte *Arabes* cum *Græcis* comparabat, hosque illis, & *Hippocratem* ac *Galenum Avicennæ* insigniter præferebat: in tertia autem de præstantia *Hippocratis* & *Galeni* disputabat; omnesque medicæ facultatis studiosos ad pervolvenda eorum in primis exemplaria, &
F condiscenda præcepta, eosque imitandos, observandos, suspiciendos cohortabatur. Quam vero 71. v.
sit indefessus in docendo non in scholis modo, sed etiam extra scholas, satis declarat utilissimum ejus institutum propter utilitatem suam perpetuo retinendum, atque ad posteros propagandum, eundi statim post publicas explicationes suas per totum tempus interjectum inter initium Novembris, cum publicum explicandi munus revocatur, & sanctum Pascha singulis prope diebus ad Nosodochium Divi *Francisci* cum magna juvenum rei Medicæ studiosorum multitudine, ac visitandi,

&

& adjuvandi omnium prope generum ægrotos ibi languentes, eligendique aliquem insignem morbum, de quo die præstituta ipso præsente disputent aliqui de provectioribus auditoribus suis, qui ad eam præclaram, & egregiam exercitationem frequentes dant nomina, vel nuper Doctores facti, vel proxime ad excellentiam progressi, praxim Medicam discere cupientes; quibus ipse diligenter auditis tamquam Doctor Doctorum, quæ bene sint disputata, probet, quæ male, corrigat, & non magis ægrotis prosit optimum dando consilium suum, quam sanis, & bene valentibus optimam commonstrando consultandi rationem, optimosque Medicos conformando, priusquam se applicent ad medendum; ut hujusmodi institutum appellari merito possit præstantissimorum Medicorum seminarium, singulare sine dubio afferens humano generi beneficium, ejusque auctori gloriam sempiternam. Neque vero solum sapientiæ & eloquentiæ laude floret *Massaria*; sed etiam magnificentiæ, ac liberalitatis commendatione. ornavit enim ædes suas magnificentissime, multum tapetium, multum peristromatum, multum omnis generis ornamentorum splendide adhibendo, ut qui nam ex personis honoratis eo magnificentius habitet, nominari posse nemo videatur: easque patere vult hospitibus quamplurimis, qui apud eum sæpissime diversantur; atque in easdem maximam recipit hominum multitudinem, præsertim tempore nundinarum Divi *Antonii* Confessoris, non solum *Vicetinorum* qui *Patavium* confluunt ad solennes, quæ tunc fiunt, supplicationes, cum thesaurus ipsius Divi *Antonii* circumfertur, Doctoresque utriusque Collegii tum Jurisconsulti, tum philosophi, & Medici, singuli
72. singulis minoribus *Franciscanis* comitati pie procedentes conspiciuntur: verum etiam *Venetorum*, atque *Patavinorum*, in primisque mulierum honestissimarum, quæ in ædes ad illud nobile spectaculum se recipiunt; quibus quotannis jentaculum magnificentissimum, omnemque superans magnificentiam ipse apparare consuevit, cum placentis, & vinis, aliisque rebus pretiosissimis ad id reservatis. Nec minus liberalis in pauperes, & egenos, quam splendidus in nobiles, & illustres existit, ita ut cum *Cimone Atheniensi* omnium liberalissimo comparari merito posse videatur. ille enim si quem egere civem intelligebat, eum suis facultatibus adjuvabat: hic præter alias eleemosynas singulis diebus Veneris per totum annum centum, & pluribus pauperibus dat panem liberalissime. Ille domi convivium parari jubebat, quo pauperes convenirent: hic in die Veneris, qui sanctus appellatur, & in Vigilia Natalis Domini quotannis duodecim egenis prandium ita lautum præbet, ut apparatum esse viris illustribus videatur; certamque pecuniæ quantitatem subministrat. Ille prædiorum suorum sepes auferri jubebat, ut omnes, etiam indigni arbitrio suo fructus possent percipere: hic longe prudentius bona quidem sua cum amicis dignis communicat, præcipueque cellam vinariam, quæ semper vinorum pretiosissimorum plena est, cætera vero in usum reservat congruentem magnificentiæ, atque liberalitatis. Hæc de *Massaria* mea quidem sententia numquam satis laudato, qui pluribus sane verbis in his debebat libris celebrari, quorum ipse pars magna fuerit, cum in primo die anni millesimi quingentesimi nonagesimi sexti, quo hæc cœpi scribere, convivio lautissimo amicis suis apparato, perillustri Equiti, Oratori, & Poetæ *Baptistæ Guarino Ferrariensi*; clarissimo Chirurgo, & Anatomico *Hieronymo Fabricio* ab *Aquapendente*; excellentissimo explicatori libri tertii *Avicennæ Antonio Nigro Patavino*; præstantissimo

A Simplicium medicamentorum interpreti *Prospero Alpino Marosticensi*; doctissimo viro *Paulo Aicardo Genuensi*; & mihi: inter alia, de quibus tunc collocuti sumus, sane præclara, & jucunda, primus sermonem injecerit de hujusmodi Commentariis conficiendis; meque nihil tale cogitantem ad eos conscribendos cohortatus sit, atque inflammaverit.

CAP. XXXIII. 72. v.

De Successore Hieronymi Capivaccei.

In locum demortui *Hieronymi Capivaccei* an. 1590.
B suffectus est *Hercules Saxonia* ad Medicinam Practicam ordinariam explicandam, collega *Alexandri Massariæ*. Is habuit patruum magnum *Victorem*, qui Medicinam Theoricam extraordinariam cum maxima sua laude professus est: & avum *Hieronymum*, qui *Ragusium* ad medicandum magno præmio accitus destitit publice docere; atque inde in patriam reversus totum medendi studio se dedit, cum eximio splendore familiæ, atque excellenti utilitate patriæ suæ: & patrem *Ludovicum*, magnum philosophum, paternæ gloriæ successorem: & patruum *Franciscum*, celebrem J. C. habetque fratrem *Victorem*, J. U. Docto-
C rem clarissimum, qui primum Jus civile meridianum explanavit: inde Feuda interpretatus est: postea adhibitus est ad eam partem declarandam, quæ ad crimina dicitur pertinere. Cum primum autem *Hercules* Philosophiæ, ac Medicinæ Doctor factus fuit, per annum, & dimidium munus Logici obiverat: deinde vero ad librum tertium *Avicennæ* declarandum adhibitus fuerat, tanto auditorum concursu, atque applausu, in primis *Germanorum*, ut cum ea explicatio enumerata fuerit inter tresdecim à Senatu dimissas, quod superius narravi, Natio *Germana* quatuor miserit Legatos ad Principem *Venetiarum*, ut de hac sola reti-
D nenda, quam habebat *Hercules*, ei supplicarent. Quod quidem cum factum fuisset omni contentione, nec contra S. C. jam pervulgatum id potuisset obtineri, necesse ipse habuit, ut Nationi sui amantissimæ, atque observantissimæ gratificaretur, & satisfaceret, talem explicationem per annum privatim in amplo *Trivisanarum* ædium conclavi à clarissimo Medico, *Bernardino Trivisano*, socero suo, sibi concesso continuare. Cumque postea per annum Medicinam Theoricam extraordinariam interpretatus esset, à multis patriciis, & senatoribus *Venetis* rogatus est, ut *Vene-*
E *tias* rerum suarum domicilium transferret, ibique curandis, & sanandis ægrotis operam daret. quod cum ipse fecisset, dici non potest, quam facile ad hominum existimationem profluxerit, ut inter præcipuos Medicos haberetur, & honestissimum, atque amplissimum faceret lucrum. Ibique circiter octo annos floruit. Cumque post mor- 73.
tem *Hieronymi Capivaccei* non facile invenirentur, qui ejus successione digni essent; maximeque aptus, & natus existimaretur *Hercules* ad cathedras tenendas, & Medicinam de superiore loco profitendam, conati sunt Gymnasii Moderatores ei persuadere, ut hoc præclarissimum onus subire ne gravaretur. Idque ita persuaserunt, ut, ta-
F metsi perspicerent, propter ejus discessum maximo commodo, quod ipse doctrina, & diligentia sua *Venetiis* afferret, illum populum esse cariturum, tamen, cum ne hoc quidem modo privari prorsus illa civitas tanto bono videretur propter *Patavii* vicinitatem, unde præcellentissimi Medici facili negotio accersuntur, Gymnasii utilitatem cæteris rebus antetulerint, eique id muneris summo consensu suo, cunctisque Senatus suffragiis detulerint.

CAP. XXXIV.

De Successoribus in secundum locum Philosophiæ ordinariæ.

1564. **M**arco *Antonio Genuæ Patavino*, tunc summo Philosophorum dati fuerant collegæ ad Philosophiam ordinariam explanandam *Franciscus Piccolomineus Senensis*, & *Fridericus Pendasius Mantuanus*, traducto *Abracio Apulo* à secundo loco Philosophiæ ordinariæ ad primum extraordinariæ. An. autem 1571. profecto in Gymnasium *Bononiense Pendasio*, solus *Piccolomineus* Philosophiam ordinariam tractabat; idque muneris obivit solus usque ad an. 1577. cum est declaratum, ut ipse in prima Cathedra, *Archangelus* autem *Mercenarius* à *Monte Sancto* in altera profiteretur. Mortuo autem *Mercenario* an. 1585. Comes *Jacobus Zabarella* suffectus est: extinctoque *Zabarella* an. 1589. in ejus locum successit an. 1591. *Cæsar Cremoninus Centensis*; qui quidem in Gymnasio *Ferrariensi* primum Philosophiam ordinariam matutinam in secundo loco magna cum laude fuerat interpretatus: deinde ad secundum locum Philosophiæ vespertinæ traductus: postea in primo collocatus: denique ad secundum in Gymnasium *Patavinum* accersitus, ut celebratissimi Philosophi, *Francisci Piccolominei* collega esset, vir ingeniosissimus, doctissimus, disertissimus, ad quamlibet quæstionem explanandam maxime a-
73. ptus, & promptus, non solum Philosophica, sed
v. etiam Poetica, & oratoria laude clarissimus; ut merito ille cecinerit;

Cæsar erat, bello qui solus vinceret orbem:
Qui fando vincat, Cæsar & unus adest.
Sed priscus solo quæsivit Marte triumphos:
Hic sophia, eloquio, carmine victor erit.

Ejus exstat liber in Procemium Physicorum *Aristotelis*, continens Tractatum *de Pædia*: *Descriptionem universæ Naturalis Aristotelicæ Philosophiæ*: Præfationem in ipsos libros *de Physico Auditu*.

Et *Fabula Pastoralis* eo sermone, quem sibi *Etrusci* nunc vindicant, eleganter conscripta, cum hac inscriptione, *Pompæ Funebres*, seu *Amyntas*, *& Cloris*.

CAP. XXXV.

De Successoribus Bernardini Trivisani.

Fuit successor *Bernardini Trivisani* ad Medicinam Theoricam extraordinariam in primo loco explicandam an. 1577. post traductum *Trivisanum* ad Medicinam Theoricam ordinariam in locum *Pauli Crassi*, *Marcus Oddus Patavinus*; qui postea translatus est ad Medicinam Practicam extraordinariam an. 1583. & vitam cum morte commutavit an. 1591. Ediderat autem *Oddi de Oddis* patris sui *expositionem in primam Aphorismorum Hippocratis sectionem*: libros novem *de pestis*, & *pestiferorum omnium affectuum caussis*, *signis*, *præcautione*, *& curatione*; cum *Apologia pro Galeno* tum in Logica, tum in Philosophia, tum etiam in Medicina; & cum tractatione *de cænæ*, *& prandii portione*; denique cum *Apologia pro germana*, *& nondum explicata Aristotelis*, *& Galeni sententia de putredine adversus Argenterium*: *expositionem in librum Artis Medicinalis Galeni*: *Interpretationem* etiam *in Aphorismorum Hippocratis priores duas sectiones*. De suo autem pervulgaverat *de componendis medicamentis*, & *aliorum dijudicandis methodum* exactissimam, & dilucidissimam.

In eundem primum locum Medicinæ Theoricæ extraordinariæ successit an. 1583. *Aemilius Campilongus Patavinus*, qui an. 1577. secundum locum obtinuerat. & an. 1591. post mortem *Mar-*
A *ci Oddi* à medicina Theorica extraordinaria ad Practicam traductus est; tunc cum, tametsi eodem anno in primo loco Thæoricæ præmio dato 74.
ducentorum florenorum fuerat confirmatus: tamen propter celebrem famam suæ etiam in Praxi Medica excellentiæ, ob quam ad plurimas ægrotorum curationes adhibebatur, atque inter præcipuos Medicos practicos habebatur, ei vel inscio, nedum non petenti, à Gymnasii Moderatoribus *Oddi* successio assignata est, ut in primo loco Medicinam Practicam extraordinariam interpretaretur. Et an. 1596. locus secundus Medicinæ Theoricæ ordinariæ, quem tenuerat *Al-*
B *bertinus Bottonus*, eidem datus est, ut *Horatii Augenii* collega esset.

Ad eandem Medicinam Theoricam extraordinariam in primo loco declarandam pro *Aemilio Campilongo* adhibitus est *Annibal Bimbiolus*, cum *Venetiis* in patriam magno suo honore revocatus fuisset. Cum enim an. 1577. Medicinam Practicam extraordinariam cœpisset explicare, affinis *Hieronymi Capivaccei*, ejusque præclarissimis vestigiis optime insistens signatis ad gloriam sempiternam, an. 1590. domicilium rerum suarum *Venetias* transtulerat. Itaque ibi ei persuasum est, ut ad publicum docendi munus *Patavium* redi-
C ret.

Hos igitur habuit *Bernardinus Trivisanus* in primum locum Medicinæ Theoricæ extraordinariæ successores, *Marcum Oddum*, *Aemilium Campilongum*, *Annibalem Bimbiolum*.

In secundum autem locum Medicinæ Theoricæ ordinariæ an. 1583. *Albertinum Bottonum*: an. 1596. *Aemilium Campilongum*.

CAP. XXXVI.

De Successoribus Albertini Bottoni.

D **H**abebat, cum veni *Patavium*, æqualitatem primi loci cum *Bernardino Trivisano* ad Medicinam Theoricam extraordinariam interpretandam *Albertinus Bottonus*: cui successit in secundum locum an. 1577. *Aemilius Campilongus*: an. 1583. *Hercules Saxonia*, qui an. 1585. cessavit ab eo munere obeundo, ut *Venetias* se conferret, quemadmodum fecit.

CAP. XXXVII.

De Successore Ludovici Agnellii.

E **I**n tertia Cathedra diu Medicinam Theoricam extraordinariam professus est *Ludovicus Agnellius*: cujus locus vacavit an. 1577. & datus est *Nicolao Trivisano* an. 1585.

CAP. XXXVIII.

De Successoribus Mariani Stephanelli. 74. v.

Successor fuit *Mariani Stephanelli* in primum locum Medicinæ Practicæ extraordinariæ an. 1577. *Albertinus Bottonus*: an. 1583. *Marcus Oddus*: an. 1591. *Aemilius Campilongus*, de quibus supra: an. 1596. *Jo. Thomas Minadous Rhodigi-*
F *nus*, in ea familia ortus, quæ originem trahens à *Syracusis*, inde *Neapolim*, & *Manfredoniam* translata est, atque in earum civitatum utraque plurimum claruit: patreque natus *Jo. Baptista*, Philosopho, & Medico præstantissimo, cujus quidem pater *Annibal* fratrem habuit patruelem *Petrucium*, Philosophum clarissimum, Philosophiamque in *Pisano* Gymnasio professum: frater vero fuit *Aurelius*, qui *Neapoli*, & in Regno *Neapolitano* honestissimas obivit administrationes, & *Carolum*

rolum V. multis in bellis comitatus est: filii vero fuerunt Doctores præstantissimi, tum *Annibal*, J. U. D. pluribus in locis Assessor, *Patavii*, *Belluni*, *Cremæ*, *Venetiæ*, *Utini*, *Taurisi*, *Saloi*, *Brixiæ*: tum *Aurelius* Philosophus, & Medicus egregius: tum ipse *Jo. Thomas*, qui duobus *Syriæ* Consulibus *Venetis*, *Theodoro Balbo*, & *Joanni Michaeli* Medicam operam navavit peregregiam: aliquot annos apud *Gulielmum* Ducem *Mantuæ* Medici officio functus est: *Utini*, *Montaniani*, *Rhodigii* publicis, & quidem insolitis medendi præmiis est honoratus: præter Theoremata in hoc Gymnasio per tres dies tunc disputata, cum Philosophiæ, & Medicinæ insignia adeptus est, in lucem, & adspectum hominum produxit philodicum, seu *de diæta in morbis acutis*: *Disputationes Medicinales*: *Historiam de bello Persico sermone Italico* conscriptam: *Apologiam latinam ipsius Historiæ ad objectiones Leunclavii.*

CAP. XXXIX.

De Successoribus Nicolai Curtii.

Erat in æqualitate primi loci cum *Mariano Stephanello* ad Medicinam Practicam extraordinariam declarandam *Nicolaus Curtius*: qui an. 1574. *Paulo Crasso* demortuo suffectus est ad Medicinam Theoricam ordinariam explanandam. Itaque an. 1575. *Curtio* successit in secundum locum practicæ extraordinariæ *Fabius Niphus Neapolitanus*,
75. vir versatilis ingenii, & maximæ eruditionis, ac non mediocris eloquentiæ; qui quidem per aliquot menses publice docuit: sed cum in cathedra à nonnullis agnitus Apostata, & propterea accusatus fuisset, posteaquam à sanctissimo quæsitionis officio in jus vocatus, ac comprehensus est, ut vitæ suæ redderet rationem, noctu ex altissimo loco Episcopatus, in quem erat conjectus, chorda ex linteis, culcitra, aliisque rebus, quomodo potuit, confecta periculosissime descendit, & aliquandiu latuit, sibique salutem fuga quæsivit. Hic autem secundus locus datus est an. 1578. *Annibali Bimbiolo*: sed S. C. postea dimissus est. At in secundum locum Medicinæ Theoricæ ordinariæ extincto *Curtio* successit *Bernardinus Trivisanus*: inde *Albertinus Bottonus*: inde *Aemilius Campilongus*, ut supra quoque notatum est.

CAP. XL.

De Successoribus Hieronymi Nigri.

Tenebat tertium locum Medicinæ Practicæ extraordinariæ *Hieronymus Niger*: cui successit an. 1574. *Hieronymus Bradiolus*, unus de præcipuis alumnis *Hieronymi Capivaccei*, summæ expectationis juvenis, tam studiosus, & assiduus in Medicinæ præceptis pertractandis, ut summus Medicus evasurus esse videretur; qui tamen an. 1576. morte præreptus est; eoque majus sui desiderium reliquit, quo majorem præstantissimi cujusdam cursus, ac prope incredibilis progressionis ad summam in Medica facultate excellentiam excitaverat expectationem; ac præcellentissimum J. C. parentem suum, *Julium Bradiolum*, prorsus miserum reddidisset, qui inter multos filios suos in hoc ipso præcipuam spem collocaverat, nisi ea sapientia fuisset præditus, ut statim secum statuerit in Dei voluntate esse conquiescendum, nec dolorem continuandum; ubi profici nihil possit. In eum locum successit an. 1577. *Annibal Bimbiolus*, qui an. proximo sequenti à tertio ad secundum est translatus: & an. 1591. *Alexander Vigontia*, Philosophus egregius, & Me-

A dicus præstantissimus, ex præclarissimis majoribus ortus, de quibus plura *Bernardinus Scardeonius*, Canonicus Patavinus *lib* II. *classis* 8. & *lib.* III. *classis* 13. & an. 1598. post restitutum secundum locum, qui an. 1579. fuerat dimissus, & *Vigontiæ* datum, *Jo. Petrus Peregrinus* excellentissimi philosophi, ac Medici *Jo. Baptistæ*, filius, Doctor doctissimus. 75. v.

CAP. XLI.

De Successore Melchioris Guilandini.

B Locus *Melchioris Guilandini* in horto Medicinali datus est, *Jac. Antonio Cortuso Patavino*; qui præter generis nobilitatem, de qua plura scripsit *Bernardinus Scardeonius*, sibi decus, & ornamentum suis ipsius studiis, & virtutibus comparavit. semper enim fuit studiosus, quam qui maxime; ac, tametsi Medicinam numquam professus est: tantopere tamen simplicium medicamentorum cognitione est delectatus, & herbarum omnium, fruticum, arborum, vires tam exacte cognovit, ut qui hujus rei peritior nostris temporibus fuerit, nominari posse nemo videatur. Ei quarundam rerum inventio aliis incognitarum accepta
C refertur, atque inter cæteras ejus herbæ, quæ ab ipsius cognomine *Cortusa* est nuncupata; de qua clarissimus Philosophus, & Medicus *Castor Durantius* à *Gualdo* civis *Romanus in herbario suo Romæ edito an.* 1584. ad hunc modum scripsit;

Nervorum lenit, juncturarumque dolores.
Cortusa: atque eadem jucundo spirat odore:
Confirmat, stringit, tum vulnera, & ulcera sanat:
Hæc etiam ruptis, discenthericisque medetur:
Spiritui, & cerebro confert, prodestque malignis
Ulceribus strictis, quibus est & fistula nomen:
Calfacit, attenuatque, exsiccat denique & ipsa.

D Idem ab eodem nominatur plantarum inventor, ubi agitur de *Doronico*, & ponuntur hi versus;

Ignoto fuerat Doronicus ante veneno:
Sed tu tanta orbi dona hæc, Contuse, tulisti
Expertus canibus: magnas hinc reddere grates,
Et servatorem nostræ te dicere vitæ
Debemus, violasque tibi jam, & lilia plenis
Dent nymphæ manibus, sertis frontemque coronent.

Sed longius progrederer, si colligere testimonia doctissimorum virorum de maximis, clarissimisque *Jac. Antonii Cortusi* virtutibus vellem. Maximam igitur semper habuit in re Medica auctoritatem, quamvis non Medicus: factusque est in
E patria sua provisor sanitatis an. 1575. cum *Jo. Baptista Zabarella*, tunc cum princeps, & senatus 76.
Venetiarum pro admirabili sua providentia, & benignitate voluit, ut Provisores sanitatis *Patavii*, *Vicetiæ*, *Taurisi*, *Bassiani*, *Cittadellæ* sua sententia decernerent, quid agendum esset de animalibus quadrupedibus, cornutis, & non cornutis deducendis ex montibus, qui hæc loca circumstant, quorum numerus ad duos milliones, sexcenta, & quinquaginta quatuor millia perveniebat, ne ibi fame perirent, quo tempore pestilentia *Tridentum*, locaque finitima valde affligebat; cui deductioni *Germani* Principes summopere adversaban-
F tur. Ei tamen rei prudentissimum remedium allatum est per ipsorum Provisorum sententiam mense Augusto pronunciatam in *Vicetiæ* Prætorio, ubi aderant *Nicolaus Donatus* Prætor, & *Hermolaus Pisanus* Præfectus. Adhibitusque est ad idem munus providendæ in patria sua sanitatis *Jac. Antonius Cortusus* anno pestilentissimo 1576. cum *Matthæo Cumano* Equite, *Annibale Buzachareno*, Doctore, & *Jacobo Rubeo*. Verum, cum *Cumanus* incommoda valetudine laborare cœpisset, & *Buzacha-*

zacharenus se legitimis de caussis excusasset, ac *Rubei* prohibita esset consuetudo propter ejus nepotem peste infectum: necesse habuit ipse solus totum illud onus sustinere, tunc cum optime disposuit omnia, quæ ad medicandi negotium pertinerent, distribuens Medicos, Aromatarios, & Tonsores per singulas partes civitatis, cæteraque omnia efficiens, quæ charissimæ patriæ suæ utilia esse posse viderentur, etiam cum maximo vitæ periculo, cum & ipse peste vulneratus sit, & ob id necesse habuerit suam ipsius domum relinquere, atque in aliam se recipere, ubi sibi ipsi medicatus est, seque sanavit; immo vero etiam morbo laborantibus custodibus domus suæ, & filiæ quoque, ac nepti, quas servaverat, alteram in Monasterio *S. Matthiæ*, alteram in Monasterio Beati *Peregrini*, ac perductis in suos ipsius agros, fuerit necessarius Medicus, & Aromatarius, & Tonsor, omnesque divino beneficio incolumes conservaverit. Nec destitit ejus patria ipsius opera præcellentissima, & fidelissima uti in aliis gravissimis negotiis, atque inter cætera in moderatione census generalis Reverendi Cleri magnificæ Civitatis, & totius agri *Patavini*, tunc cum ei mandatum est à *Bartholomæo S. Crucis* Ar-
76. v. chidiacono *Patavino*, & summo Vicario Episcopi *Patavini*, ac *Gaspare Rhenerio* Prætore, *Victoreque Bagradeno* Præfecto, mense Majo, an. 1573. ut una cum *Hieronymo Marcatello* Canonico *Patavino*, & *Francisco Romaro Montanianensi*, viris cum ipso delectis, & constitutis ad revisionem bonorum cultorum, & incultorum, quam primum se conferret in Præturam *Saccensem*, Vicariatum *Consylvanum*, & *Anguillariæ* ad munus sibi delatum obeundum; simulque mandatum est Prætori *Saccensi*, Vicario *Consylvii*, & *Anguillariæ*, Presbyteris omnibus, Deputatis, Decanis, Massariis, Communibus, hominibus cujusque loci, ut eis faverent, atque auxiliarentur, obedirentque in omnibus, quæcumque pertinere ad eorum officium viderentur.

CAP. XLII.

De restituta explicatione Simplicium in Scholis.

1593. Adhibitus est ad explicationem simplicium post *Franciscum Bonafidium*, qui eam instituit, & *Gabrielem Fallopium*, ac *Bernardinum Trivisanum*, diu intermissam, *Prosper Alpinus Marosticensis*, præcellentissimo Medico *Francisco* parente natus; qui, cum fuisset an. 1578. Syndicus Universitatis studiosorum Philosophiæ, ac Medicinæ, & Doctoris insignibus eodem anno perornatus esset, in *Ægyptum* profectus est cum *Georgio Aimo* consule *Veneto* an. 1580. ad *Venetam* Nationem ibi commorantem curandam, & sanandam: & accitus est *Genuam* an. 1586. à *Jo. Andrea Auria* Principe, classis *Hispanæ* Imperatore, ut ei Medicam operam navaret, quemadmodum fecit: denique *Patavium* se contulit ad munus, quod modo notavi, obeundum, vir ingenio versatili, maximaque eruditione præditus. Ejus exstat Libellus *de Balsamo*: libri quatuor *de Medicina Ægyptiorum*: liber *de plantis Ægypti*.

CAP. XLIII.

De Successoribus Archangeli Mercenarii.

Archangelo Mercenario in primum locum Philosophiæ extraordinariæ successit an. 1577. *Jacobus Zabarella* post eum translatum ad secundum locum philosophiæ ordinariæ: & an. 1585. *Joannes Carpinetus Patavinus*, posteaquam extincto *Mercenario Zabarella* factus est in secunda cathedra philosophus ordinarius: & an. 1589. *Octavius Roscius Brixianus* post mortem *Carpineti*: & anno 77.
1591. *Camillus Bellonius* post obitum *Roscii*, ortus ex ea familia, in qua claruerunt viri præstantissimi, atque inter cæteros *Rubinus Venetiis* nobili monumento sepultus ad templum S. *Mariæ* Servorum an. 1382. *Rubini* filii, *Joannes* Philosophus, ac Medicus, *Hieronymus*que egregiis animi bonis ornatissimus: *Jacobus Hieronymi* filius, & *Rubini* nepos, suis virtutibus clarissimus; *Jacobi* filii, *Joannes* Episcopus *Teni* circiter an. 1463. & *Dominicus*, quem an. 1458. ad Rubricandum, ut ajunt, in Tabulario Reipublicæ *Venetæ*, decreto excelsi collegii, & Senatus fuisse constitutum publicis literarum monumentis constat; quemque Ducalem Secretarium appellatum in mandato quodam procurationis, scripto an. 1482. manu Actuarii *Paxini Grataroli* ego ipse legi. *M. Antonius Dominici* filius, Juris Cæsarei, ac Pontificii Doctor: *Jacobus M. Antonii* pronepos, *Jacobi* nepos, *Baptistæ* filius, etiam Juris utriusque Doctor; & quidem ortus ex *Nicolao*, ejusdem *M. Antonii* nepote, ejusdemque *Jacobi* filio, viro prudenti, & probo, qui quidem inter multas, magnasque laudes suas eam præcipue est consecutus, quod octo filios à se susceptos liberaliter instituerit, & ad verum decus, veramque gloriam, quæ à sola virtute proficiscitur, feliciter direxerit; *Jacobum* poëtam Tragicum, & Comicum: *Joannem* non solum Philosophiæ, sed etiam Juris Pontificii, ac Cæsarei Doctorem, in Theologiæ studio versatum, & Canonicum *Patavinum*, atque Interpretem Philosophiæ Moralis: eum, qui modo nominatus est, *Camillum*, philosophum præclarum: *Marium* Juris utriusque Doctorem: *Octavium* in plæclaris literarum studiis longe progressum, ac nisi morte præreptus fuisset, sine dubio longius progressurum: *M. Antonium* philosophum, ac Theologum: *Tiberium* bonis moribus præditum: *Carolum* divino cultui deditum, qui Monachus factus est S. *Benedicti* in conventu *Veneto* S. *Georgii*, *Aloysius* nuncupatus. Fuit igitur *Camillus Bellonius* unus de successoribus *Archangeli Mercenarii* ad Philosophiam extraordinariam in primo loco explanandam. Nam in secundum locum Philosophiæ ordinariæ fuit successor an. 1585. *Jacobus Zabarella*: & an. 1591. *Cæsar Cremoninus*, ut superius est notatum.

CAP. XLIV. 77. v.

De Successoribus Jacobi Zabarellæ.

Locum secundum Philosophiæ extraordinariæ, quem tenuit *Jacobus Zabarella*, obtinuit an. 1577. *Joannes Carpinetus* philosophus doctissimus, & modestissimus: & an. 1585. locum tertium post dimissum locum secundum *Jacobus Pernumia*, originem trahens à *Petro* illo *Pernumia* Medico sui sæculi præcellentissimo, qui cum in re Medica *Patavii* cæteris omnibus, & curando, & docendo præstaret, missus fuit ad *Franciscum Carrariensem* seniorem, dum is arcta custodia à *Galeacio Mediolanensium* Principe teneretur, ut eum incommoda valetudine laborantem in sanitatem vindicaret anno 1395. quod noto tantum ex *Bernardino Scardeonio*, tamquam argumentum celeberrimæ *Petri Pernumiæ* famæ, non quod præstantiam suam in eo sanando potuerit exercere, jam febre, & senectute confecto, ac moriente, ut in eo amplius nulla humana remedia valere posse viderentur. Cessante autem à publico docendi munere *Jacobo Pernumia*, electus est an. 1590. *Schinella Comitius Patavinus*,

tavinus, Doctor communi omnium judicio ad te-
nendam cum omni dignitate cathedram aptissimus,
si ad id munus obeundum accommodare prorsus
excellentem operam suam, diutiusque in eo per-
sistere voluisset. An. autem 1595. profecto *Ro-
mam Schinella*, facta est electio *Angeli Portenarii
Patavini*, ordinis Eremitarum, viri non minus
docti, & diserti, quam religiosi, & pii, omni-
busque ingenii, & doctrinæ laudibus ornatissimi.
Ac hi quidem fuerunt successores *Zabarellæ* ad
Philosophiam extraordinariam explicandam. In
secundum vero locum Philosophiæ ordinariæ ei
successisse *Cæsarem Cremoninum*, superius notavi.

CAP. XLV.

De Successore Bernardini Petrellæ.

Ad Logicam in prima cathedra, quam tenue-
rat *Bernardinus Petrella*, interpretandam,
electus est an. 1595. *Julius Librius Florentinus*, qui
in Gymnasio *Pisano* non solum Logicam, sed
etiam Philosophiam per annos quinque, & vigin-
ti professus, proposito præmio quadringentorum
florenorum, id est, majori, quam umquam antea
in ipso initio Logicæ professionis datum sit, à Phi-
78. losophia ad Logicam se convertit, vir doctissimus,
& in disputando acutissimus. Eum locum *Fausti-
nus Summus Patavinus* petierat; qui quinque, &
viginti ante annis Logicam in secundo loco cum
magna studiosorum utilitate interpretatus fuerat.
Sed, quoniam munera primorum locorum ple-
rumque peregrinis deferri consueverunt, ut, cum
Patavinorum copia habeatur, numerus præstan-
tium virorum per peregrinos in Gymnasio augea-
tur; non potuit id, quod ipse petebat, impetra-
re; etiamsi communis opinio esset non modo stu-
diosorum, qui eum maximopere expetebant, ve-
rum etiam Doctorum ipsius Gymnasii, qui talem
dignitatem ei quodammodo deberi arbitrabantur,
ejusmodi honorem ipsi habitum iri. Quam repul-
sam, dici non potest, quam æquo animo tulerit
vir prudentissimus, & modestissimus, sua ipsius
sorte contentus, & in voluntate patronorum suo-
rum prorsus conquiescens, nihilominus honora-
tus congruenti auditorum frequentia, & bona ho-
minum existimatione, ad quam quotidianis labo-
ribus, atque assiduis vigiliis suis honestissime pro-
fluxit.

CAP. XLVI.

De Successoribus Petri Catenæ.

In loco demortui *Petri Catenæ* an. 1577. collo-
catus est ad Mathematicas disciplinas explanan-
das *Josephus Moletius Messanensis*, vir doctissimus,
& non solum Mathematicus, sed etiam Philoso-
phus, & Medicus egregius, qui cum in Medica
facultate, Philosophia, & præcipue Mathemati-
cis disciplinis excelleret, *Venetiasque* tamquam in
lucem *Italiæ*, atque oculos omnium gentium se
contulisset: ibi ab omnibus, qui aliquod judicium
facere de ingeniis possent, cognitione, atque ho-
spitio dignus existimatus est; charissimusque fuit
Venetis Patriciis, Senatoribus, Principibus. In
maxima autem famæ celebritate, cum *Gulielmus*
Dux *Mantuæ* præstanti aliquo indigeret Doctore
ad docendum Mathematicas disciplinas principi-
bus admodum necessarias *Vincentium* filium suum,
honestissimo proposito præmio *Venetiis Mantuam
Josephum Moletium* accivit; qui quidem cum maxi-
ma sua laude, ac prope incredibili parentis gau-
dio, filiique utilitate, circiter annos septem id
muneris obivit. Cumque à Moderatoribus Gymna-
sii invitaretur majori præmio, quam ullo umquam
78. v. tempore in hoc ipso Gymnasio cuiquam Mathe-
A maticarum disciplinarum Interpreti propositum
fuerit, in gratiam *Venetorum* dimissus est, ingen-
ti pecunia donatus, singulariter dilectus, insigni-
ter honoratus, ita ut vel Princeps ille, qui patri
præstantissimo præstantissimus successit, eum di-
gnum fecerit, apud quem non semel in hac urbe
hospitaretur, quemque in publicis Scholis non-
numquam honestatis, amplitudinisque gratia au-
diret. Visus autem est mirabiliter excellere in in-
terpretandis de superiore loco, quam per annos
duodecim in hoc Gymnasio tenuit honestissime,
Mathematicis disciplinis, Geometria *Euclidis*,
Sphæra *Joannis Sacroboschi*, optica, Mechanica,
B universaque Cosmographia. operaque ad nominis
immortalitatem insignia conscripsit, & edidit; li-
brum *de Geographia* non semel typis impressum:
Ephemeridem, quæ in magno est usu hominum li-
teratorum: Commentarios *in Cosmographiam Pto-
lemæi*, qui à doctissimis viris valde collaudatur:
Tabulas Gregorianas, quas jussu Senatus *Veneti* in
gratiam *Gregorii XIII.* Summi Pontificis conscri-
ptas non modo ipse Senatus ducentis, ut vocant,
ducatis ipsi dono datis, verum etiam ipse *Grego-
rius XIII.* trecentis, ut appellant, cameræ scuta-
tis ei dono missis, & pluribus etiam pro earum
continuatione promissis censuit honorandos. Obiit
C an. 1588. successoremque habuit an. 1592. *Gali-
leum Galilejum Florentinum* ex Gymnasio *Pisano*
accersitum, ubi cum magna sua laude multis an-
nis easdem explicaverat disciplinas.

CAP. XLVII.

De restituta explicatione libri tertii Avicennæ.

Diu intermissa est explicatio libri tertii *Avicen-
næ:* & an. 1577. in personam *Herculis Saxo-
niæ* restituta: an. autem 1579. S. C. inter tresde-
D cim dimissa: sed an. 1591. rursus admissa, & data
Antonio Nigro Patavino, præstantissimo alumno,
atque imitatori egregio *Alexandri Massariæ* sum-
mi philosophorum, & Medicorum. Anno vero
1594. *Antonii Nigri* collega factus est *Hieronymus
Fracantianus Patavinus* in secundo loco. Sed hic
an. 1596. à publico docendi munere cessavit: ille
vero etiam an. 1597. desiit publice docere, quod
non eo, quo videbatur dignus, præmii incremen-
to fuerit honoratus. *Fracantiano* autem an. 1598.
suffectus est *Andregetus Andregetius Patavinus* li- 79.
teris doctus *Græcis*, & *Latinis*, & Doctor magnæ
expectationis.

E

CAP. XLVIII.

De restituta explicatione Ethicorum Aristotelis.

Ad declarandam Philosophiam Moralem *Aristo-
telis*, quæ diu fuerat intermissa, an. 1577.
electus est *Jason Denores Cyprius*, vir nobilissimus,
& literatissimus, maximeque indignus adversa for-
tuna, quam propter *Cyprum* insulam occupatam
perpessus est. Obiit an. 1590. nimio dolore op-
pressus propter unicum filium suum *Petrum* post
mortem nobilis cujusdam *Veneti*, quocum ille rixa-
F tus fuerat, in exilium pulsum. Edidit multos libros
tum *Latino*, tum eo sermone, quem sibi *Etrusci*
nunc vindicant, conscriptos. Ejus locus datus
est an. 1591. *Nicolao Colonio Bergomati*, qui per
annum eam cathedram tenuit, posteaque in pa-
triam suam rediit. An. autem 1594. ad talem ex-
plicationem habendam electus est *Joannes Bello-
nius Venetus*, & Canonicus *Patavinus*, vir inge-
niosissimus, & doctissimus, ac non solum juris
utriusque peritus, cujus insignia est consecutus,

ſed etiam in ſtudio Philoſophiæ fructuoſe verſatus, & potiſſimum in doctrina *Platonica* exercitatus.

CAP. XLIX.

De tertio Loco Logicæ.

1574. Electus eſt ad Logicam in tertio loco explicandam *Jo. Paulus Branca Patavinus*: ſed aliquot poſt diebus facta ab eo talis loci recuſatione, propterea quod *Mantuam* accitus fuiſſet ad docendum diſſerendi facultatem, & Philoſophiam *Vincentium* Principem, *Gulielmi* Ducis Filium, ea explicatio data eſt *Herculi Saxoniæ* Doctori excellenti ingenio, præſtantique doctrina prædito, *Franciſci Piccolominei*, & *Hieronymi Mercurialis* alumno, qui tamen ab eo explicandi munere an. 1575. ceſſavit. An. autem 1582. in tale munus ſucceſſit *Periander Anoalius*, Doctor & ipſe ingenioſus, & doctus. & an. 1586. poſt *Anoalii* ex hac urbe profectionem *Bartholomæus Milliarius Patavinus*, Doctor quoque magni ingenii, magnæque eruditionis. & an. 1588. poſt mortem *Milliarii Priamus Buſinellus Patavinus*, Philoſophus, & Medicus ſtudioſiſſimus, & nemini modeſtia cedens. & an. 1598. poſt profectum *Buſinellum Venetias* medendi cauſſa, *Jacobus Alexius*, Doctor præſtantiſſimus.

CAP. L.

79. v. *De loco tertio Juris Canonici veſpertini.*

1585. Ad Jus Pontificium veſpertinum in tertio loco interpretandum adhibitus eſt

A *Franciſcus Niaſius Patavinus*, utriuſque juris peritiſſimus.

1590. *Ubertinus Milliarius Patavinus* in utroque jure & ipſe excellentiſſimus.

CAP. LI.

De Nicolao Andronico *Rectore.*

1583. Nicolaus *Andronicus Tragurinus* Rector Univerſitatis ſtudioſorum Philoſophiæ,
B & Medicinæ antiquum renovans inſtitutum, ex quo Rectores Univerſitatis explicare aliquid publice ſolebant, Meteora *Ariſtotelis* maximo ſtudioſorum juvenum concurſu interpretatus eſt, juvenis altiſſima mente præditus, & doctiſſimus, ac diſertiſſimus, qui ad omnem laudis excellentiam progreſſus fuiſſet, ſi fortunatior extitiſſet: uſus eſt enim fortuna adverſa, propter quam prius in exilium abire coactus eſt quam Rectionem finiverit, de cæde cujusdam *Romani* ſuſpectus.

CAP LII.

C *De reſtituto ſecundo loco Medicinæ Practicæ extraordinariæ.*

Secundus locus Medicinæ practicæ extraordinariæ an. 1579. fuerat quidem inter tresdecim explicationes S. C. dimiſſus. ſed an. 1598. in perſonam *Alexandri Vigontiæ* qui tertium *Patavinum* tenebat, eſt reſtitutus.

FINIS LIBRI TERTII.

---

80. # *LIBER QUARTUS.*

CAP. I.

Variæ opiniones de correctione Calendarii in Gymnaſio Patavino *pertractata.*

1582. Pervulgata eſt correctio Calendarii, ad quam in gratiam Summi Pontificis *Gregorii XIII.* à Senatu *Veneto* adhibitus in primis fuerat *Joſephus Moletius Meſſanenſis* in hoc Gymnaſio Mathematicarum diſciplinarum Interpres, qui an. 1580. tabulas edidit *Gregorianas*. De hujuſmodi correctione cum fuerint variæ doctiſſimorum virorum opiniones, non erit ab re hoc in loco pauca quædam recenſere. *C. Julius Cæſar* annum ad curſum Solis aptaverat, ut eſſet trecentorum ſexaginta quinque dierum, & quadrantis: volueratque ut quarto quoque anno unus dies ex illo quadrante, ſeu ex illis ſex horis
E exiſtens, ſexto Calendas Martias intercalaretur. Compertum poſtea eſt in anno præter trecentos, & ſexaginta quinque dies non ſupereſſe, ut putaverat *Cæſar*, quartam diei partem, ſeu ſex horas, quæ ſpatio quatuor annorum diem unum conficerent, ſed fere quartam partem, cui aliquot minuta deeſſent. Itaque à tempore *Cæſaris* uſque ad annum trecenteſimum trigeſimum primum, quo *Nicæna* Synodus eſt celebrata, æquinoctium vernum, quod in diem vigeſimum quintum Martii inciderat, cum *Chriſtus* humanam carnem aſſumpſit, per tres fe-
F re dies retroceſſerat, & in diem vigeſimum ſecundum Martii relapſum erat. Quare ipſa *Nicæna* Synodus, ut & præterito jam tempori, & parti aliquotæ futuri remedium adhiberet, verno æquinoctio diem vigeſimum primum Martii aſſignavit.

D A tempore autem *Cæſaris* uſque ad noſtra tempora dicebant docti viri errorem factum eſſe quatuordecim dierum, ita ut tunc quidem æquinoctium vernum fuiſſet die vigeſimo quinto Martii, demum vero eſſet inter decimum, & undecimum, ac dies quatuordecim adempti eſſent tempori futuro, & dati tempori præterito; exempli gratia quatuordecim priores dies Martii facti eſſent quatuordecim poſteriores Februarii, & nomen vigeſimi octavi Februarii dandum fuiſſet decimo quarto, quique vigeſimus octavus Februarii nominaretur, decimus quartus Martii nominandus eſſet. 80. v.
Qui quidem error duplex fuit; alter, quod anno naturali plus temporis datum eſt, quam oportebat: alter, quod cœptum eſt mutari nomen temporis aliqua ex parte; resque eo progreſſura eſſe videbatur, ut Martius appellaretur nomine Februarii, Februarius nomine Januarii, Januarius nomine Decembris, ac reliqui ſimiliter; aliquoque annorum ſpatio, quamvis longo, tempora confunderentur, & ver in hyemem, hyems in autumnum, autumnus in æſtatem relaberetur, divinaque mandata minus obſervarentur, certis temporibus obſervanda, & decreto Concilii *Nicæni* non pareretur jubentis celebrari Paſcha inter diem decimum quartum, & vigeſimum primum menſis primi; denique præcepta multarum artium certos dies nominantium, tamquam inutilia, contemnerentur, Agriculturæ, Naviculariæ, Medicinæ,

næ, aliarum hujuſmodi. Quibus quidem incom-
modis cum mederi cuperet *Gregorius XIII.* Pon-
tifex Maximus omnes Principes Chriſtianos per
literas rogavit, ut Philoſophis, & Mathematicis
ſuis hujuſmodi dubitationem proponerent eximen-
dam, rationemque indagarent rei corrigendæ, at-
que ad ipſum perſcriberent, quo bona, & laudabilis
fieri poſſet correctio. Ac alii quidem alia ſenſe-
runt. Nec defuerunt, qui putarint, nihil amplius
quidquam hac de re eſſe curandum, niſi ut certo
die, vel tempore paſcha celebraretur, nec in eo
celebrando error committeretur, quemadmodum
antea factum eſt. In quibus *Spero Speronius* diſerte
diſputavit, quemadmodum annus naturalis præci-
pua puncta quatuor continet, duo æquinoctia,
unum veris, alterum autumni, duoque ſolſtitia,
unum hyemis, alterum æſtatis: ita in anno Chri-
ſtiano quatuor potiſſimum eſſe obſervanda, Con-
ceptionem *Jo. Baptiſtæ* menſe Septembri, quæ re-
81. reſpondet æquinoctio autumni: Conceptionem
Jeſu Chriſti menſe Martio, quæ æquinoctio veris:
Nativitatem *Jo. Baptiſtæ* menſe Junio, quæ ſol-
ſtitio æſtatis: Nativitatem *Jeſu Chriſti* menſe De-
cembri, quæ ſolſtitio hyemis. Et rationem ce-
lebrandi Paſchatis ducendam eſſe perpetuo à die
conceptionis *Jeſu Chriſti*, quæ ſolemniter die vi-
geſimo quinto Martii commemoratur; ita ut illo
die Dominico Paſcha celebraretur, qui vel eſſet
vigeſimus quintus Martii, vel vigeſimum quin-
tum proxime antecederet, vel proxime conſeque-
retur. cætera minime curanda, cum facili nego-
tio diſtingui poſſent, vel tam longo temporis ſpa-
tio eventura eſſent, ut nullam moleſtiam afferre
poſſe viderentur. Et ad eos, qui argumentaban-
tur, ſi paſcha eo modo ſtabiliretur, fieri nonnum-
quam poſſe, ut in die Veneris ad celebrandam Je-
ſu Chriſti perpeſſionem conſtituto ſol naturaliter
deficeret, vel Luna, opinionemque ingeneraret,
tunc quoque lumen eo modo deficere potuiſſe, re-
ſpondit eclipſes, quæ in eo die Veneris naturaliter
fierent, quamvis magnas, & admirabiles, numquam
tantam habituras eſſe admirationem, quantam illæ
habuerunt, ſed tales exiſtimatum iri, quales ecli-
pſes aliis diebus factæ exiſtimarentur. Alii cenſue-
runt, ut inter cæteros *Matthæus Macinus*, & is,
cui hujus comtemplationis negotium Senatus *Ve-
netus* dedit, *Joſephus Moletius*, ſi tantum cogitare-
tur de corrigendo errore Paſchatis celebrandi, cum
æquinoctia parum ſint ſtabilia, ſatis eſſe æquino-
ctium veris ab aliquo perito obſervari, ac pate-
fieri, dieque dominico poſt plenilunium, quod
æquinoctium vernum ſequeretur, paſcha celebra-
ri. nam, ſi dies dominicus caderet in plenilunium,
non deberemus eo die paſcha celebrare, ne cum
Hebræis conveniremus, ipſum Paſcha in die pleni-
lunii celebrantibus. Sed, ſi omnibus incommo-
dis remedium adhibendum eſſet, & uterque an-
nus corrigendus, tum naturalis, quo Sol ab uno
puncto ad idem punctum motu ſibi à natura dato
perducitur, tum civilis, quo annum naturalem
civitates dimetiuntur, dum dies, & noctes, quas
efficit ſol toto ſuo per Zodiacum curriculo dinu-
merant, & ita corrigendus, ut ambo pari gradu
progrederentur; cum æquinoctium veris tempore
Conceptionis *Jeſu Chriſti* fuerit die vigeſimo quin-
to Martii, & nunc ſit inter diem decimum, &
81. undecimum Martii, quatuordecim dies detrahen-
v. dos eſſe, diemque vigeſimum quartum Martii ad
decimum ejuſdem reducendum, ac diem vigeſi-
mum quintum ad undecimum. De modo autem
reducendi tres fuerunt opiniones: quidam enim
exiſtimarunt hujuſmodi ſubtractationem duorum
ſpatio annorum faciendam eſſe, ut ſeptem men-
ſes, qui in anno unum, & triginta comprehen-
dunt dies, in iis duobus annis tantum triginta die-

A rum eſſent: alii vero putarunt talem ſubtractio-
nem in ſex, & quinquaginta annis commode fieri
poſſe, omiſſa intercalatione: is autem, qui mo-
do nominatus eſt, *Joſephus Moletius* conſuluit, vel
ut principium Januarii inciperet à die decimo octa-
vo Decembris, vel ut decimus quintus Februarii
nominaretur primus dies Martii; & in futurum
idem opinatus eſt cum eo, quem ſuperius nomi-
navimus, *Matthæo Macino*, peritum aliquem A-
ſtrologum conſtituendum eſſe ad æquinoctiorum
obſervationem; cumque inveniretur in anno ali-
quo æquinoctium veris diſtare viginti quatuor ho-
ris à die jam conſtituto vigeſimo quinto Martii,
B tunc proximam ſequentem intercalationem diei
bis ſexti eſſe prætermittendam. Ita *Patavii* hac
de re judicatum eſt. In aliis vero urbibus alii ali-
ter judicarunt, ut quidam decem tantummodo
dies demendos eſſe dicerent: nonnulli pauciores.
Ex quibus inter ſe diverſis, diſcrepantibusque ſen-
tentiis *Romæ*, ubi à ſummo Pontifice conſtitutus
fuerat doctiſſimorum virorum ad emendationem
Calendarii cœtus, qui cognitis, & perſpectis alio-
rum opinionibus illud ſtatuerent, quod melius ipſis
videretur; ea tantum probata eſt, quæ inter ex-
tremas extitit media: propterea quod & annus
inæqualis deprehenſus eſt, & vera ejus quantitas
C hucusque à nemine indagari potuit. Sed, quæ-
nam hæc media quantitas, & cur in Calendarii
reſtitutione ea potius fuerit recepta, breviter ex-
plicemus. Annus enim Solaris, civilis, ſeu popu-
laris, & communis conſtat ex integris diebus tre-
centis ſexaginta quinque, qui ſi per menſes nume-
retur, duodecim menſes complectitur: ſi per he-
bdomadas, duas, & quinquaginta hebdomadas, &
unum amplius diem continet.. Hic idem annus
cum eſt biſſextilis, dies trecentos ſexaginta ſex
habet, & eodem numero menſium, & hebdoma-
dum comprehenditur, ita tamen ut ultra hebdo-
madas duo dies ſuperſint. Annus vero Solaris A-
D ſtronomicus juxta eos Aſtronomos, qui *Hippar-* 82.
chum anteceſſerunt, & eos, quorum conſilio *Ju-
lius Cæſar* Dictator ſui anni civilis quantitatem
conſtituit, dies trecentos ſexaginta ſex, horas ſex,
& aliquot horarum minimas fractiones continet,
ut legitur apud Ptolemæum *libri tertii Mag. Com.
capite primo*, & apud Dionem hiſtoricum *libro qua-
drageſimo tertio.* At ſecundum hanc anni magni-
tudinem opus eſſet ſingulis mille quadringentis
ſexaginta uni annis fere diem unum intercala-
rem extra ordinem addere, ut ratio illarum fra-
ctionum haberetur. Verum hæc anni quantitas
ab omnibus Aſtronomis rejecta eſt, tamquam fal-
E ſa: quia non ſumitur ab interſectionibus æqui-
noctiorum, & ſolſtitiorum, ſed à ſtella fixa ad
eandem ſtellam, quæ in Zodiaco ad motum ſui
orbis movetur. *Ptolemæus* autem annis poſt *Ju-
lium Cæſarem* circiter centum octoginta anni ſola-
ris obſervans magnitudinem comperit eſſe dierum
trecentorum ſexaginta ſex, horarum quinque, mi-
nutorum quinquaginta quinque, ſecundorum duo-
decim; qua quidem ratione neceſſe fuiſſet quibus-
libet trecentis annis diem unum intercalarem o-
mittere. poſt hos vero *Albategnius Arabs* obſerva-
vit anni ſolaris magnitudinem fuiſſe dierum tre-
centorum ſexaginta quinque, horarum quinque,
F minutorum quadraginta ſex, ſecundorum viginti
quatuor; juxta quam unus dies intercalaris in an-
nis centum & ſex, omitti deberet. *Alphonſus* præ-
terea Rex *Hiſpaniarum* ex obſervatione Aſtrolo-
gorum ſui temporis anni ſolaris magnitudinem po-
ſuit dierum trecentorum ſexaginta quinque, ho-
rarum quinque, minutorum quadraginta novem,
ſecundorum ſexdecim, adeo ut in annis centum
triginta quatuor fere dies unus intercalaris omit-
tendus eſſet. Denique *Nicolaus Copernicus* noſtri

temporis diligens observator suas ipsius observationes cum priscorum comparans observationibus affirmavit anni magnitudinem inæqualem esse, ita ut quibusdam sæculis sit maxima, quibusdam minor, aliquibus minima. Iccirco in anni quantitate dixit esse anomaliam. Cum igitur hac de re tanta varietas deprehenderetur, ea quantitas tamquam media in Calendarii restitutione recepta est, quæ dies trecentos sexaginta quinque, horas quinque, minuta quadraginta novem, secunda sexdecim comprehendit ex *Alphonsi* constitutione, ex
82. v. qua singulis quadringentis annis tres dies intercalares omittendi essent. Hac autem intercalandi ratione adhibita vernum æquinoctium ad diem vigesimum primum Martii, in quo à Sanctis Patribus Concilii *Niceni* fuit collocatum, & ad quem à *Gregorio XIII.* iterum est restitutum, videtur posse perpetuo conservari. Quamobrem communis sententia fuit *Romæ* in Calendarii emendatione, ut æquinoctium ad diem vigesimum primum Martii reduceretur, idque per ablationem decem dierum semel faciendam: & ad evitandum errorem æquinoctii in futurum singuli tres centesimi anni sine intercalatione diei bis sexti relinquerentur, quartus vero centesimus annus bissextilis efficeretur. Itaque statuit summus Pontifex, ut illi decem dies demerentur, & pro die quinto Octobris decimus quintus nominaretur, atque ab eo numerationis progressio fieret. Quod statim effectum est. Hanc vero correctionem qui non acceperunt, fiet, ut quandoque eodem die dominico celebrent pascha cum iis, qui acceperunt: quandoque diverso; nimirum eodem, si plenilunium fiat juxta veterem dinumerationem post diem vigesimum primum Martii usque ad quintum, vel sextum Aprilis: diverso autem, si juxta eamdem dinumerationem eveniat plenilunium post diem decimum Martii usque ad vigesimum primum Aprilis.

CAP. II.

Controversia Antonii Riccoboni *habita cum* Carolo Sigonio *de consolatione edita sub nomine* Ciceronis.

1583. Edita est Consolatio sub nomine *Ciceronis*; quam cum ego legissem, simulatamque judicassem, scripsi hac de re sententiam meam ad *Hieronymum Mercurialem*, qui eam scire avebat, Tantum scilicet abesse, ut existimarem eam *Ciceronis* esse, ut ne *Ciceroni* quidem congruenter, tum rerum, tum verborum habita ratione fictam arbitrarer; conjecturasque meas primum de rebus, deinde de verbis ea Epistola expressi, quæ pervulgata est. Has autem conjecturas ut refelleret *Carolus Sigonius Mutinensis* Humanitatis in *Bononiensi* Gymnasio explicator, cui ego & *Venetiis*, & *Patavii* operam dederam, duas scripsit orationes, easque ad me misit cum his literis *Italico* sermone perscriptis. Placet enim quasdam literas & *Sigonii*, & meas, & aliorum quo-
83. rundam hac ipsa de re exaratas his meis Commentariis inserere; quas qui non amabunt, præteribunt: cuilibet enim liberum est paginas aliquot transilire.

Carolus Sigonius Antonio Riccobono. *S. D.*

Cum edita est Consolatio Ciceronis, rogatus, quid de ea sentirem, literis sententiam meam consignavi, multas adducens conjecturas, quibus ea Ciceronis esse mihi videbatur, in quibus illa præcipua est, quod fieri non posse arbitror, ut ex recentioribus ullus efficere tantum queat. Cumque judicium meum pervulgaturus essem, ecce mihi allata est epistola quædam tua, qua eam Ciceronis non esse contendis, sed alicujus indocti recentioris. Quamobrem, ut meam ipsius opinionem defenderem, jam omnibus patefactam, tuas solvere conjecturas coactus sum, invitusque à te dissensi. quod feci, quam potui, modestissime, ut facile perspicies. Te autem rogo, ut non meam voluntatem à tua, sed solum opinionem dissidere arbitreris. Nihil enim umquam minus libenter feci, quam hoc, tua unius caussa. Sed cogitavi tibi in tua Rhetorica nequaquam molestum fuisse à me ipso discordare, & quantum in te fuit, meam conversionem, ut obscuram, & minus idoneam evertere. de quo tamen, ut vidisti, numquam conquestus sum. Itaque in re minoris momenti te minime læsum iri mihi ipse persuadeo: cum præsertim plerique literati à tuis partibus sint. Hoc tractavi argumentum tamquam παράδοξον: cum tamen rationes meæ minime παράδοξαι mihi videantur. Quid senseris, libenter intelligam. Vale Bononia. 7. Kal. Octobris. 1583.

Cum primum has literas accepi, eis respondi ad hunc modum.

Antonius Riccobonus Carolo Sigonio. *S. D.*

Illud scriptum meum Hieronymo Mercuriali dedi, prius quam Consolationem istam à Francisco Vianello editam esse, tuoque judicio Ciceroni tribui intelligerem. nam, cum semper tua probaverim, tamquam alumnus disciplinæ tuæ, maluissem (ut ajebat Cicero de Platone) tecum errare, quam cum tam multis aliis recte sentire. Quod autem opus tuum ad me mittere gravatus non sis, tibi gratias ago. Neque apud me necessaria erat tua ipsius excusatio, quod
mihi scriptis tuis adversatus esses: cum hæc inter se 83. v.
minime pugnent, ut amici invicem simus, & de litteris aliquo modo dissideamus: etiamsi, ut verum fatear, numquam mihi in mentem venit à te discordare, nisi nunc, & quidem perinvito. Quod, si Rhetoricam Aristotelis converti, id feci, non ut tuam everterem (quemadmodum conqueri videris) tamquam obscuram, & minus idoneam, qua uti numquam desii ex eorum arbitrio, qui privatim mihi operam dabant, ut Hieronymi Velleji, Pauli Gualdi, Hieronymi Ancarani, nobilium Vicetinorum, aliorumque complurium: sed, quoniam eam publice explicaturus, cum ad eos, quibus munus delatum sit in aliquo publico Gymnasio docendi litteras Græcas, & Latinas, pertinere censeam aut verba ipsa Græca interpretari, aut suam ipsorum conversionem explicare, id commodi sum secutus, ut eam à me conversam ederem, qua nimirum in Latina uterer explicatione. Quamobrem mihi valde molestum est, id tibi animi fuisse; tantumque abest, ut eo ipso, quod nunc fecisti, me læsum esse censeam, ut potius propter oblatam mihi occasionem tam multa videndi multum tibi debeam. Et quoniam nihil dum tui rationibus mihi persuasum est, quæ quidem, dum argumentum tractant παράδοξον, si non tibi, ac certe aliis παράδοξαι possunt videri, fieri sane potest, non ut pertinacem illum, & garrulum, quem exprimis, præ me feram, sed ut, à quo soleo, discam, ut cito alias dubitationes tibi dissolvendas proponam; affirmans interim id, quod verissimum est, me tibi quidem doctrina, & eloquentia cedere, numquam vero modestia cessurum. Vale. Patavio, 7. Id. Octobris, id est, eo ipso die, cum tuas accepi, 7. Kal. Octobris datas. 1583.

M. Antonius Muretus Antonio Riccobono. *S. D.*

Nostra quidem non instituta, sed jam inveterata amicitia postulare nonnullam mutuam litterarum salutationem videtur. Quando autem tu hoc mu-

A *muneris obire primus vereris, non desinam ego aliquid ad te scribere; tibique elegantissimum opusculum gratulabor, quod merito pervulgasti, ut asininam istam Consolationem sub nomine Ciceronis falso editam esse omnibus patefaceres; de qua ego multis ante die-*
84. *bus idem prorsus judicaveram, quod & tu judicas: gavisusque mihi sum, quod mecum senserit vetus alumnus disciplinæ meæ, qui quidem verum esse illud proverbium ostendit,* πολλοὶ μαθηταὶ κρείττονες διδασκάλων. *Hoc tantum interest, quod ego, quid sentirem, apertissime dixi: tu vero cautius, & modestius egisti. Id quod valde probo. Librum tuum à viro quodam omni reverentia dignissimo, mecum omnibus amicitiæ vinculis conjuncto, mutuatus sum; eumque legi* B *incredibili mea cum voluptate; maxime vero cum te mihi plurimum ea in re tribuisse animadverti. Quamobrem multum me tibi debere confiteor: &, quantum potero, satisfaciam. Sed hoc hactenus. Has tibi litteras dabit Abbas Centellius mihi amicissimus, & omnibus de caussis dignissimus, qui ab honoratis viris ametur, charus habeatur, magnifiat, probus, litteratissimus, benignissimus, uno verbo absolutissimus. Ei persuasi me apud te posse omnia; unamque meam commendationem satis esse ad conficiendam ipsi summam tecum familiaritatem. Nollem mendax videri. Sed, ut verum fatear, expectabo, dum maximas mihi gratias vestrum uterque agat, quod vestræ con-* C *ciliator, quasique* προξενητὴς *fuerim amicitiæ: tantus erit fructus, quem alter ex alterius percipiet consuetudine. Tuus totus sum: &, quæcumque occasio tibi gratificandi mihi oblata fuerit, eam libentissime arripiam. Deus te incolumem, florentemque conservet. Romæ Mense Decemb.* 1583.

Sic Muretus vulgari sermone, quem ego Latinum feci.

Dominicus Fontanella Spilimbergius Joanni Bonifacio, *civi* Rhodigino, & Patavino, *J. C. Oratori*, & *Historico Clarissimo. S. D.*

D Male *sane existimavit de ingeniis nostri temporis Sigonius, vir ceteroquin omnibus animi ornamentis instructissimus, cum ex tanta hominum multitudine, quos multis in civitatibus non minus doctrinæ laudibus florere videmus, quam eloquentiæ, arbitratus est inveniri posse neminem, qui bonarum artium studiosis fucum factum, & adulterinam Ciceronis Consolationem pro vera suppositam esse animadverteret. Nam, si Papirii Frater Servius, de quo est apud M. Tullium, frequenti, atque diligenti poetarum lectione effecerat, ut dicere posset, hic versus*
84. v. *Plauti non est, hic est: quomodo tot veri illustres,* E *qui Ciceronis tum verbis, tum sententiis notandis aures habent tritissimas, non versum unum, aut alterum, sed totum volumen Ciceronis vel esse, vel non esse intelligere non valebunt? Ego quidem cæteris in rebus Sigonii prudentiam numquam desideravi, numquam judicium: hoc tamen in negotio utrum illi ex his defuerit, nescio; alterutrum certe defuisse res ipsa indicat. nam, si non ita sensit, ut scripsit, sed ingenii viribus fretus caussam etiam iniquissimam viris omnibus eruditis probare se posse speravit, defuit prudentia: si, quod Ciceronis numquam fuit, Ciceronis esse credidit, defuit judicium: nisi forte verum* F *sit, quod vulgo jactatur, ipsum esse auctorem hujus Consolationis, non Ciceronem, & propterea in scribendo laborare, ut, aliena dum videtur tueri, commendet sua. Sed, quemadmodum Cæsar Augustus impurum quendam hominem, qui se Octaviæ sororis suæ filium esse fingebat, imprudentis mendacii convictum remo publicæ triremis jussit alligari: ita Riccobonus noster Consolationem istam, quæ se in nobilissimam Ciceronis familiam inserere ausa est, suorum scriptorum stylo, tamquam pugione fractam, & consauciatam, cunctis doctorum virorum suffragiis, vel ad salsamenta convestienda, vel ad perpetuas tenebras damnandam curabit. Vale, & hæc disticha lege Joannis Cratonis trium Imperatorum Consiliarii Medici.*

De Libello, qui M. Ciceronis nomine de consolatione apparet, ad Antonium Riccobonum.

Se similem scriptor Ciceronis forte putavit:
Non erat huic similis: simia crede fuit.

Ad eundem.

Non similis magno Ciceroni: simia certe est:
Attamen hæc magnos fallit amice viros.

Ad Carolum Sigonium.

Desine. confiteor Ciceronem, Carole, tantum
Ingenio, eloquio te superare tuum.

Ad Eundem.

Si tibi seria res agitur, cur ludere pergis?
An dignum censes hoc gravitate tua?

Patavii Mense Decembri. 1583.

Ad duas orationes *Sigonii* quatuor rescripsi di- 85.
sceptationes; quarum prima universe refellit *Sigonii* reprehensiones: altera eas singulas refutat, quæ de rebus allatæ sunt: tertia agit de verbis: quarta ad ea, quæ in priore meo judicio properans scripseram, alia multa adjunxit, maximi, ut puto, ponderis, & momenti. Quas disceptationes misi eodem tempore ad *Muretum Romam*: & ad *Sigonium Bononiam*, cum literis, quæ hic adscribentur, una cum eorum responsis, à me latine conversis.

Antonius Riccobonus M. Antonio Mureto. *S. D.*

Cum *multos abhinc annos Venetiis te in ædibus Fratrum Minorum publice docentem diutius audivissem, desiderio incensus eram, ut quam tecum tunc junxi amicitiam, & inivi familiaritatem, per litteras renovarem: sed, cum hujusmodi renovatio majus quiddam postulare, quam ipsam litterarum significationem videretur, expectabam, dum mihi daretur facultas Romam veniendi, te visendi, arcte complectendi, studiose alloquendi, & apud te memoriam ejus temporis replicandi, cum me, aliisque plurimis audientibus, quorum multitudinem amplus vix capiebat locus, libros Ciceronis de finibus, orationes Catilinarias, Tusculanas disputationes, oratorias partitiones, Olynthiacas orationes Demosthenis, aliaque quamplurima explicasti; meque dignum fecisti, qui tecum mea studia privatim communicarem, qui Satyras ad imitationem Horatii conscriptas, & orationes, aliasque lucubrationes meas tibi dijudicandas ostenderem, qui tua gravissima, & jucundissima uterer consuetudine. Tantisper autem, dum venire Romam cogitabam, non desinebam tuas maximas laudes tum publice, tum privatim deprædicare: exquisitam librorum tuorum doctrinam, singularemque elegantiam celebrare: admirabilem illam, ac prope divinam eloquentiæ tuæ vim crebris sermonibus commemorare: tuis ad immortalitatem fixis vestigiis in tradenda veteri eloquentia ita insistere, ut alumnum me esse disciplinæ tuæ gloriarer: qui Patavium veniebant, & amici esse tui dicebantur, amicos meos habere; eaque potissimum de caussa, quantum possem, fovere, adjuvare, ornare, quod in numero essent amicorum tuorum. Cujus animi mei in nomen tuum* 85.
mirifice propensi cum alii multi idonei testes esse pos- v.
sunt, tum in primis Richardus Esius Belga, non eleganti solum ingenio, sed eximia etiam doctrina, & summa litterarum Græcarum, & Latinarum cognitione, maximaque probitate, & suavissimis moribus ornatus; cui singulariter tui observantissimo, rerum-

que tuarum laudatori numquam defesso illud promptissime confeci, ut primum Venetiis, deinde Vicetiæ, ubi nunc est, honestissima conditione publice doceret; quemque ita amo, & mei amantem esse gaudeo, ut eo amiciorem habeam neminem. Nunc, cum tali patrono egeam, qualem esse te omnibus compertum est, diuturno silentio, quo tecum usus sum, finem imponendum existimavi; teque etiam, atque etiam rogandum; primum, ut contentus sis, me tua usum esse auctoritate de consolatione edita sub nomine Ciceronis, quam vir eruditissimus Latinus Latinius ad Jo. Vincentium Pinellum scripsit exercitationem juvenilem, & parvi faciendam à te judicatam esse: deinde, ut cum meis partibus favere cœperis, pergere ne graveris, maxime apud potentissimum adversarium, qui me vel vivum ad inferos amandare conatur. Ad te autem mitto exemplar defensionis meæ, in qua nonnulla, quæ imitatori Consolationis objeci, à te ipso didici, & inter cætera obscenum illum litterarum concursum, qui turpissimam fœminarum partem denotat. quod vitium quamvis à Cicerone valde reprehensum ita defendit Sigonius, ut in id sæpe incurrat. Sed suum cuique. Vale, meque ut ab hinc tot annos amare cœpisti, ama, & protege. Patavii. Kal. Decembris. 1583.

M. Antonius Muretus Antonio Riccobono. S. D.

Heri vesperi mihi redditæ sunt litteræ tuæ cum altero judicio de Consolatione consolationis penitus indigente, quod cursim legi. Miror autem Sigonium in hunc quasi labyrinthum ingressum esse: initioque mihi persuadere non poteram, eum serio agere, quoad vir quidam gravissimus, & religiosissimus ejus ad me misit orationes, quarum inscriptionem tantum vidi: statimque eas remisi, ut omnem occasionem omnibus præriperem petendi à me, quid de ipsis sentirem. Nolo enim eum lædere: & nolo contra ani-
86. mi mei conscientiam loqui. Quod attinet ad librum de Consolatione, siquis adolescentulus exercendi ingenii caussa eum confecisset; cujusmodi erant exercitationes illæ, τίνας ἂν εἴποι λόγους ὁ δεῖνα, ἢ ὁ δεῖνα, quæ leguntur in Theone, Aphthonio, aliisque consimilibus, laudarem eum, & errata corrigens cohortarer, ut pergeret ad litterarum studia incumbere. Sed, ut quis velit omnes ad credendum inducere rem tam ineptam, insulsam, nulla gravitate præditam, errorum plenam ad Grammaticam pertinentium, male compactam, maleque contextam Ciceronis esse, mihi omnium maxime ridiculum videtur. Lutetiæ scripsit ad me consiliarius quidam Regis, vir doctissimus, mihique amicissimus, illos omnes viros doctos hac de re ita ridere, ut fere in his partibus risus audiri possit. Equidem tibi consulo, ut omne genus fugias Robortellismi, nisi videas te plus nimio lacessitum. satius fuerit hæc omnia sopiri. Semper te amavi, & amo, tibique gratificabor, quæcumque mihi occasio oblata fuerit. Vale, cumque ad Richardum Esium scribes, eum meo nomine persaluta. Roma. postridie Id. Decembris. 1583.

Antonius Riccobonus Carolo Sigonio. S. D.

Ut te remunerer quam simillimo munere, pro duabus orationibus, quas ad me misisti, quatuor disceptationes ad tuum παράδοξον rescriptas mitto. Quibus illud addi potest, (ut ea gloria contentus sis, quam in defendenda hac re contra meam, atque adeo etiam, ut tu ipse confessus es, communem doctorum virorum opinionem tibi adhuc comparasti, neque ulterius præclaras ingenii, atque industriæ tuæ vires adversus famam, atque existimationem ejus, qui te fecit semper plurimi, exerceas) quod si fides habenda

A est testimonio ejus ipsius Francisci Vianelli, qui Consolationem istam edendam tradidit, potest id verum videri, quod in prima disceptatione mea ab aliis multis, non à me existimari dixi. Cum enim editum est primum de ea judicium meum nescientis eam rem aut ad te, aut ad Vianellum pertinere, narravit mihi vir quidam gravissimus, & clarissimus, post disceptationes meas jam Typographo traditas, atque imprimi cœptas, & quidem narravit præsente, & admirante Bernardino Petrella Logicæ facultatis in hoc Gymnasio Explicatore, ipsum Vianellum interrogatum, an ipse talem Consolationem contra me defensurus esset, respondisse, ejusmodi defensionem non ad
B se, sed ad eum, qui librum Consolationis edendum ad ipsum miserat, Carolum Sigonium attinere. Itaque id verissimum esse apparet, quod in mea expressi 86.
disceptatione, hujusmodi librum è domo Sigonii exiisse; v. etiamsi eum præter spem tuam inventum, in epistola ad Illustrissimum Principem Ascanium Columnam; & ex improviso tali indice insignitum ad te præclari muneris loco delatum esse, in prima oratione tua finxisse videaris. Ut, cum adhuc omnia in eam partem accipi possint, ut ingenium, atque industriam tuam in paradoxo, quemadmodum tu in litteris ad me datis appellasti, defendendo exercueris, si ulterius progrediaris, rei, quæ tua ipsius sit, ni-
C mium, & plus nimio amans videri queas. Adhuc enim persto in prima sententia mea, etiamsi è domo tua profecta consolatio esset, tamen tuam esse non posse, propter multos, magnosque errores, quos in ea repertos tibi viro doctissimo, & disertissimo numquam tribuerem. Quæ caussa fuit, cur non solum meam, sed etiam tuam ipsius caussam me suscipere existimaverim, ut eam maculam, quæ penitus jam insederat in tuo nomine, quod ipse talem consolationem talibus erroribus refertam composuisses, me simul defendens delerem. Quod si diutius librum protexeris, nullosque errores non dicam Cicerone, quem credo jam ab ista suspicione liberatum, sed te ipso indignos, in
D eo esse mihi persuaseris, non verebor eum tamquam tuum deprædicare, meque in hac re quoque tuis partibus, quas semper alias secutus sum, aggregare. Alioqui, quemadmodum mihi abs te lacessito mea ipsius caussa tuenda fuit: sic tibi etiam, atque etiam cum clara divini numinis contestatione affirmo, me manibus, & pedibus laboraturum, ne me gravissima tua opprimas auctoritate, meæque famæ, atque existimationi, si quam habeo, ullas tenebras offundas, quippe qui non facile cedere à te didicerim, præsertim cum pro veritate propugnatur, quam omnibus esse gratiis præferendam verissime conscripsi. Non nego tamen me maxima mea cum molestia à te dissentire;
E quique semper antea Sigonianus fuerim, & me alumnum esse disciplinæ tuæ professus sim, nunc in partibus minime esse Sigonianis. Verum excusari debeo, quod aliter facere non possum; idque lætiori sum aggressus animo, quod tu ipse mecum sentire plerosque 87. v.
viros doctos affirmas. Itaque præpotenti Deo gratias ago, quod si rationes meæ minus probabuntur, at certe conclusio ipsa vera existimabitur, etiamsi fortasse rationes, quibus usus sum, nec tibi, nec aliis contemnendæ sint. Utcumque se res habeat, omnibus aliis in rebus tuus ero, tuique nominis studiosissimus, quemadmodum semper fui. Vale. Patavio. Mense Decembri. 1583.

F

Carolus Sigonius Antonio Riccobono. S. D.

Accepi librum tuum, id est, defensionem alteram de Consolatione; statimque legi. Jam tecum agam libere, ut debeo: Tuam equidem laudavi industriam: sed duabus læsus sum rebus; altera, quod me nominaveris, qui à me nominatus non fueras: altera, quod præter caussam nulla adductus necessitate me

me interdum pupugeris. quod ego adversus te non feceram: & earum rerum utramque optime poteras prætermittere. Totam etiam primam partem potuisse reticeri arbitror; quæ disserit, meusne sit liber, necne, nonnullosque nominat, qui mecum de te merito conqueri poterunt. Verumtamen, quando factum infectum reddi non potest, affectum omnem dimitto; &, quemadmodum semper tuus fui, ita esse posthac volo, neque hanc molestiam mihi allatam curare; atque si tu, ut scribis, Sigonianus esse nolueris, ero ego, ut semper fui, Riccobonianus. Responsum dare huic libro non placet, non quod ei minime possit responderi, sed quia, si ego nominare te voluero, ut tu me nominasti, & in respondendo par pari referre, sine dubio te læderem, hocque nolo efficere, quia efficiendi caussam non habeo, nec umquam tale mihi accidit consilium. Præterea chartam, & chalcanthum amplius hac ipsa de re consumere nihil aliud profecto esset, quam impensam, & operam perdere, ac ridendi occasionem spectatoribus præbere. Equidem multa alia habeo, quæ magis me premunt, quam hoc; primum sexaginta annos, quos non habui, nisi nunc: deinde curam aliquot operum typis imprimendorum de rebus longe diversis, ita ut vix possis credere tempus mihi superesse ad aliud cogitandum. Optime fecisti, ut hanc Consolationem esse meam negares: sed ad id
87. *probandum falso usus es argumento: nam, cum debe-*
v. *res argumentari. Non est Sigonii, quia ipse tantum non valet, argumentatus es, quia ipse plus valet. Id quod magis cupiditati, quam præ te fers, mei honorandi, quam veritati acceptum refero. Quisquis eam invenerit, minus recte agit, dum notum non facit, Quomodo invenerit, hancque totam non dirimit controversiam, quæ quidem eo major erit, quo tu magis in hoc libro deprimendo elaborasti. Nec fore arbitror, ut hoc judicium nostris temporibus finiatur. Interim vide, si qua in re tibi gratificari possim, meaque opera utere: tibi enim tam libenter serviam, quam qui libentissime, quemadmodum semper feci: nec velis, ut hæc aliorum Consolatio nobis sit mœrori. Quod si alicui ex responsionibus tuis cupias inter nos responderi, mihique id significaveris, non desinam tibi morem gerere; ut cognoscas me nulla ignavia cedere, sed tantum quia tecum contendere non libet, quem nimirum semper amavi, & semper amabo, nisi siquid mihi fuerit impedimento. & id, quod feci, etiam nimium fuisse confiteor. Sed jam priorem orationem confeceram, cum tuum mihi judicium allatum est, & amicorum impulsu ad ea omnia respondi, quæ jam contra fuerant dicta. Quando autem res satis probata esse tibi non videtur, excitaverimus saltem studiosos juvenes ad illud perlegendum, quod fortasse minime legissent. Perfertur ad me Veronæ quendam esse, qui acerbe contra te scribit: sed puto id falsum esse, quoniam quinque abhinc menses scriptum suum editurus erat, idque non fecit. Vale. Bononia IX. Kal. Januarii 1583.*

Sigonius igitur his literis dare quodammodo manus visus est; ad quem in hunc modum rescripsi.

Antonius Riccobonus Carolo Sigonio. *S. D.*

Doleo te illis duabus rebus, quas scribis, læsum esse; quarum quidem alteram feci potius, ut tuo ipsius nomine me honorarem, quam te ut læderem, cum existimare potuerim, me à te nominatum non fuisse, propter nonnullam contemptionem, in re maxime nota, judicio meo edito, & verbis ipsis, quæ scripseram, refutatis: alteram vero prætermittere non poteram, si nolebam à nonnullis orationum tuarum aculeis me parum defensum existere. Quod ad
88. *primam partem attinet, eam mihi tacendam non esse censui, ut ad præcipuum argumentum tuum responderem. Qua in re nescio, qui nam alius putare possit se offensum esse, præter eum, qui tam aperte de of-*
A *fensione conquestus est, etiamsi quam modestissime scripserim; qui cum fuerit is, cujus precibus tu scripsisti, nullo modo se nominari volebat: ego vero eum nominavi, primum ut à quadam ejus querimonia jam ubique pervulgata me perpurgarem, fuisse eum à me inter librorum subjectores commemoratum: præterea vero ut aperirem, qui nam istum librum edidisset. Destiti tamen rem illam notam facere, quam ipse fortasse dicere non debebat, & de qua alias te certiorem feci; quod affirmaverit, ut præsente Bernardino Petrella Logico Laurentius Massa vir à secretis Reip. Venetæ mihi narravit, non ad se Consolationis defensionem, sed ad eum, qui ipsam edendam mi-*
B *sisset, Carolum Sigonium attinere; etiamsi tu in tuis editis orationibus, & literis, ignorare te, quomodo talis liber inventus fuerit, profitearis. Gratias vero tibi ago, quod cum ego aliquantisper molestus fuerim, me ipsum defendere coactus, tu tamen à numero tuorum me minime excludas, ut semper fui, & semper ero, modo id tibi placuerit: quantaque extitit molestia mea, quod tantus vir contra me scripserit, tanta est consolatio, quod nullam mihi amplius necessitatem mei ipsius defendendi afferre velis. Quod attinet ad argumentum, quo illam Consolationem non esse tuam confirmavi, profecto plus valere unam de orationibus tuis censeo, quam decem hujusmodi libros. Il-*
C *lud vero mihi molestum non est, quod quotidie major hæc controversia futura sit, nec de ea judicium nostris temporibus finiri possit, cum ex contrariorum argumentorum inspectione, atque solutione non mediocrem voluptatem percipiam, & sat habeam meam, qualiscumque sit, sententiam aperire, nullam vim afferendo, ut quis eam sequatur. Cumque tam benigne tuam mihi operam deferas, polliceor tibi ea me usurum esse, quemadmodum soleo, nec effecturum profecto, ut propter istam consolationem ita me putes consolationis indigere, ut ad tuum auxilium quandoque non confugiam. Tametsi autem profiteris te inter nos ad meas defensiones responsurum, si ita velim: puto ta-*
D *men melius fore, ut omnem dimittamus controver-*
siam, cum præsertim tu ipse judices, quod verissimum 88.
est, nimium adhuc factum esse: nec mihi libeat à te v.
dissentiendi accipere occasionem, cujus volo esse, quam qui maxime; nec (quod ad me attinet) nostræ cursum, atque progressionem amicitiæ ullo modo impediam. Hoc tamen mea quidem sententia cavendum est, ne facile malevolis hominibus aures patefaciamus, qui falsa narrando solent odia proseminare; ideoque quemadmodum ego nihil quidquam sum crediturus, quod prius à te mihi non fuerit declaratum: sic te etiam, atque etiam rogo, ut, siquid perlatum sit, quod grave videatur, priusquam aliquid contra me
E *statuas, de eo me certiorem facias ut luce clarius ostendam, qui magis res tuas admiretur, quam ego, & magis cupiat, se tibi memorem, gratumque præbere, esse neminem. Quod scribis de illo, qui Veronæ contra me acerbum opus parat; tibi affirmo, si acerbe se gesserit, ipsum acerbe à me tractatum iri: scis enim artem, quam profitemur, id boni continere, quod se habens ad utramque partem sibi incuti metum non sinit. Me autem sperare juvat, si, ut uni de discipulis tuis gratificareris, mihi itidem discipulo tuo molestus existere minime veritus es, te effecturum posthac potius, ut mihi satisfiat, quam ut contra me adjumenta augeantur. Vale, & me ama, ut te amo, atque observo, & amaturus, observaturusque sum,*
F *donec vivam, nisi si quid mihi fuerit impedimento. Rhodigio postridie Id. Jan. eo ipso die, quo tuas accepi. 1584.*

An. 1584. Renovavit *Sigonius* controversiam de consolatione edita sub nomine *Ciceronis* contra fidem mihi datam. Sed, antequam talis controversiæ progressum exarem, libet adnotare literas cujusdam *Sigoniani*, quæ ad manus meas pervenerunt.

Julius

Julius Jacobovius Carolo Sigonio. *S. D.*

*Plane divinasti. Quid tibi meum silentium excu-
sem? Nempe subverebar, ne, dum tibi soli ob-
sequar, multorum sententiis obversarer: siquidem uno
ore doctissimi omnes pugnant, inconsolabilem illam, ut
sic loquar, consolationem Ciceronis esse. Haud clam
te est, Sigoni doctissime, me primum omnium eos Bo-
noniæ valde oppugnasse, qui illam Ciceronianam af-
firmabant; ita tamen, ut, cum te adversus me sen-
tire videbam, tuo judicio, quod semper feci, ut de-*
89. *beo, plurimi, minime meum judicium anteponerem.
Scripserat in meum sensum Riccobonus; & quia præ-
clare, & quia mecum sentire videbatur, in senten-
tia confirmor; nec propter te verbum audeo mutire;
ita tua apud me attestatio valet. Mox editis, à me-
que perlectis duabus illis præclarissimis tuis orationi-
bus, quibus non modo alios, sed te ipsum mihi supe-
rare videbare, scis, quam me de priori pene sensu
avocarim. palam istic tuarum laudum buccinator fio;
tibi gratulatum venio, & præsens præsenti animum
aperio meum; de quo non minimam iniisse me apud te
gratiam videbam, & judicii mei laudes abs te exi-
mias reportavi: quod quidem cum Crœsi copiis, Cras-
sique divitiis comparo. Revertor Romam, bene istic
gesta Cardinalis mei Legatione; atque ubi me, quod
tua in animum meum scripta instillarant, aliis per-
suadere studeo, fabula tota plane urbe sum; conviciis
vel ab meis amicissimis, iisque doctissimis viris one-
ror; &, quo minus me meæ sententiæ pœnitere osten-
do, eo magis irridendi mei facultatem præbeo. Ad-
vocatum adhibeo Papium: puto me summa ejus doctri-
na, summaque eloquentia munitissimam adversantium
arcem expugnare, nec proficio hilum. Ambo infan-
tissimi appellamur, quod infantissimi ingenii opus ef-
ferre tantopere laudibus contendimus. Vires nostræ
debilitari incipiunt. quid quæris? digito commonstra-
mur medio. Neque vero animum plane despondimus,
scutumque abjicimus: sed alter alterum, ut opinor,
ac strenuissimi milites extructa acie solent, cohorta-
tur; stimulosque alter alteri incutit; pugnamus acri-
ter. Ecce tibi Riccoboni quatuor, velut instructissimi
exercitus, orationes; quibus adversariorum animi
elatiores fiunt; franguntur nostri; nec hiscere audere
nos amplius; quinimmo, quos nostram in partem ad-
ductos omnino putavimus, qui tamen paucissimi fue-
rant, eos tergiversari illico, ad adversarios deficere,
& priores advertimus partes pertinacius defendere.
Mittuntur abs te suppetiæ: vires iterum sumimus;
&, quemadmodum fit, ut res dant se se, ita magni,
atque humiles sumus, novo exercitu comparato, ar-
mis validioribus instructi, majorique vallo, atque
aggere communiti; pugna renovata confligimus: in
certo tamen exitu, vel potius victoria desperata. Hæc
ad te, Sigoni, pauca è multis, ne tu me quasi in-*
89. *dicta caussa condemnes, quod nihil, posteaquam abs*
v. *te discessi, ad te litterarum dedi, perscribere volui.
Actionum mearum, præter ipsum Papium, virum
integerrimum, tuique amantissimum, & Nicolaum
Sigonium tuum, testes habeo plurimos; quos necesse
nunc commemorare non habeo. Scito me in ære tuo
semper fore; & tuarum virtutum, nisi me optimum
præconem agnoscam, perpetuum admiratorem profi-
teri. Vale. Roma.*

Ac quas quidem *Jacobovius* suppetias à *Sigonio
Romam* missas fuisse scribit, constat Dialogum ex-
titisse inscriptum *Accusatorem*, seu *de Consolatione
Ciceronis*; in quo ipsemet *Sigonius* mihi victoriam
concedit conclusionis, etiamsi refellere rationes
conetur, quibus probavi conclusionem; non omnes
(nihil enim rescribit ad eas, quas ego quarta mea
disceptatione complexus sum, majoris sine dubio
ponderis, & momenti, quam quæ refelli posse
videantur) sed eas tantum, quas in epistola ad
A *Hieronymum Mercurialem* expresseram. nam in hoc
Dialogo apertissime confitetur, istam Consolatio-
nem *Ciceronis* non esse, quæ erat mea conclusio,
sed incogniti cujusdam scriptoris, quem ipse ap-
pellat nobilem, amicum meum, ingenio valen-
tem, doctrina excellentem, bonitate, atque in-
nocentia præstantem, id est, ut quidam interpre-
tabantur, *Sigonium:* ego vero non solum probavi
in epistola ad *Mercurialem*, & prioribus tribus
disceptationibus meis indoctum quendam fuisse,
minimeque *Ciceronianum:* sed etiam in quarta, ad
quam *Sigonius* ne verbum quidem fecit, prorsus
imprudentem, qui contraria, & repugnantia scri-
B pserit: prorsus Dialecticæ ignarum, qui absurde,
& putide nonnulla concluserit: prorsus veteris hi-
storiæ inscium, qui non bene memoriam tempo-
rum replicaverit, non bene antiquitatis monu-
menta excusserit: & non modo parum *Ciceronia-
num*, sed etiam Grammaticæ ipsius ignarum. Mi-
sit igitur *Sigonius* talem Accusatorem suum in re-
fellendis tantum prioribus conjecturis meis insi-
stentem, posterioresque non attingentem, cum
hac excusatione fidei non servatæ, à me latine
conversa.

C
Carolus Sigonius Antonio Riccobono *S. D.*

*Nonnullorum literis perfertur ad me, non parum
te conqueri, contra opinionem quod scripserim
tuam, jactareque non mediocriter tuum ipsius factum,* 90.
*quod me viceris. Qua de re, ut unique nostrum sa-
tisfiat, te volui facere certiorem. Equidem dixi, &
scripsi Consolationem illam, nonnullis rationibus exi-
stimari posse, Ciceronis esse, neminem reprehendens,
qui contra sentiret. postea vero objectiones tuas mihi
solvendas esse cum existimassem, ne quis eas fortasse
contra me adduceret, respondi eis neminem nominans,*
D *& nihil quidquam scribens, quod te lædere posse vide-
retur. Idque eo fidentius feci, quod ne tu quidem à
me dissentire veritus fueris in conversione Rhetoricæ
Aristotelis à te facta (quod tu ipse dicis) ut meam
redderes meliorem: & quia noveram hujusmodi re-
sponsum meum aliquid honoris esse tibi allaturum. post
editas vero orationes tuas scripsi multis de caussis nol-
le me ulterius progredi: sed, si aliquam solutionem
cuperes, idque mihi significares, me tibi gratificatu-
rum. Jam, cum profitearis effecisse te, ut tacere
coactus sim, mihi consilium accidit respondere, non
ad novas tuas objectiones, quæ mea parum intersunt,*
E *sed ad priores defensiones, nimirum ut intelligas non
esse me amantem controversiarum, sed eas præcidendi
cupidum. Ac decebat quidem te ita rescribere, ut
nullam mihi imponeres replicandi necessitatem, quem-
admodum imposuisti, me tam sæpe interpellans ad
respondendum objectionibus tuis. quod scriptum meum,
& quidem brevissimum, si tu refellere volueris, id
tibi consilii dabo, ut, dum id feceris, me minime
lacessas, ne alio modo tecum agere mihi necesse sit,
posteaquam me tibi omnia vides concedere, quæ hone-
ste possum. Consulam quoque, ut his literis familia-
ribus uti desinas, quemadmodum cœpisti, in memo-
riam revocans, quam inhumanum sit, ut M. Tullius
ait in secunda Philippica, litterarum arcana pervul-*
F *gare. Præterea vero contumeliæ vocibus ne me appel-
les, præsertim non lacessitus, ut versutum, callidum,
veteratorem, cum memineris Ciceronem in tertio of-
ficiorum affirmare hujusmodi nomina existere vitio-
rum. Qua in re ostendes majorem te mihi honorem
habere, quam laudando, ut fecisti, & Hebræos quo-
dammodo imitando, qui dicebunt, Ave Rex Judæo-
rum, & dabant ei alapas. Quod ego nolo facere, nec
feci: cum tamen literas hominum male in te affecto-
rum acceperim, in quarum nonnullis verba hæc inter* 90.
cetera valde te pungentia leguntur? Hoc unum me an- v.
git

git non mediocriter, qui videam eloquentiæ parentem
ab homine, dicam pace tua, qui latine nesciat, La-
tinitatis reum postulari, id quod est omnium absur-
dissimum, &c. Quod volui tibi notum facere, ut, si
id ad aures tuas venerit, ne mireris: bonoque animo
sis, quod ego erga te modestius ago, quam tu erga me
fecisti. In te autem positum est vel nostram frangere
amicitiam, vel continuare in perpetuum, si tuum
ipsius honorem servaveris, nec offenderis meum. No-
lui autem in respondendo amplius continuata uti ora-
tione, ut quasdam dicendi figuras relinquerem, quæ te
lædunt: sed brevissimam adhibui rationum collatio-
nem, quia tempus non suppetit, quod in his nugis ni-
hil prorsus valentibus consumam. Vale. Bononiæ.
xv. Kal. Febr. 1594.

Sic scripsit *Sigonius:* ego vero statim ei ad hunc
modum rescripsi.

Antonius Riccobonus Carolo Sigo-nio. *S. D.*

Literis tuis IX. *Kal. Jan. ad me datis, quæ, dum*
Rhodigii essem propter Julium Cananium nuper
Cardinalem declaratum mihi allatæ sunt, statim re-
spondi; idque tunc scripsi, debere nos, si nostram
conservare amicitiam vellemus, diligentius cavere, ne
malevolis faciles aures præberemus, à te parum ser-
vatum esse comperio, qui tam facile tibi persuaderi
passus es, me denuo conquestum esse, quod contra opi-
nionem meam scripseris, jactasseque impudenter factum
meum, quod te vicerim, ac tacere coegerim. Id quod
tam falsum est, quam quod falsissimum. Etenim lo-
qui non potui, te quieturum esse, nisi post acceptas
tuas literas mihi allatas Rhodigii postridie Id. Jan.
eo ipso die, cum eis respondi: ac de eo certe locutus
non sum, quod rebus gravioribus occupatus essem, præ-
sertim vero confectione orationis nomine patriæ meæ,
quam quidem XV. *Kal. Februarii habui, ut ex ejus*
editione constat, eo ipso die, cum tu postremo ad me
scripsisti. Rhodigii autem fui à decimo quinto Kal.
Jan. usque ad undecimum Kal. Febr. ita ut ante de-
cimum quintum Kal. Februarii ea loqui, quæ scribis,
Patavii non potuerim, unde significas te nuncium ac-
cepisse: post undecimum autem Kal. Febr. nihil dixi
aliud, nisi velle te caussam nostram relinquere viris
91. *doctis dijudicandam sine aliis scriptis tuis: nec me*
jactavi, ut tibi persuasum est, vel potius ut tecum
cogitasti, & finxisti: sed modestissime id dixi, quod
ex literis tuis verum esse arbitrabar. Quamquam fa-
cile animadverto te uno modo scripsisse, & aliter fa-
cere in animum induxisse, videlicet aut illi Veronensi
opitulari, quod quodammodo significabas, aut directo
contra me scribere, sicut fecisti. Neque hoc verisimi-
litudinis expers erat. Nam, si scripsisti nulla tibi à
me oblata occasione, cur mihi persuadere non debe-
bam, te scripturum, qui illius meæ responsionis præ-
textum haberes? Neque vero dubitandum est, quin
conquestus sim tantum virum se mihi opposuisse, ut
scilicet sua auctoritate me vivum ad sepulturam da-
ret; quod etiam in editis scriptis meis confessus sum:
sed id denuo non feci: multoque magis mihi conque-
rendum est, quod in mea insistas offensione. Neque
est. quod te excuses ita, ut dicas te nomen meum non
expressisse: id enim contemptim fecisti, in re, ut alias
dixi, maxime perspicua, me nihilominus nominans
in operis inscriptione, ac mea ipsius verba refel-
lens. Ac facis quidem, quod verum est, ut quo-
dammodo confitearis te ulciscendi mei caussa scripsisse,
quia Rhetoricam Aristotelis converterim post versio-
nem tuam. At dicas mihi, quæso, cur non licuit
Rhetoricam post te convertere, quemadmodum tibi li-
citum fuit post Majoragium, Trapezuntium, alios-
que permultos? Ubinam te nominavi, ut læserim?
Si nominatim à Victorio, à Mureto, ab aliis dissen-
si, qui tamen ad animum non revocarunt; cur Sigo-

A *nius, cui majorem habui reverentiam, dum nomen ejus*
reticui, occasionem urget ulciscendi? Et vero mihi in
mentem injicis tua ista offensionis cogitatione tamdiu
occultata, demumque patefacta, & repitita eum te
mihi amicum minime fuisse, quem profitebaris. Quod
si fingis quidem adductum esse te hac re minima, sed
altius accepisti, & accipis mei insectandi caussam, ab
eo scilicet, quod nonnumquam dixisti, debere te odio
habere Rhodiginos omnes, cum ab uno de Rhodiginis
in facie vulneratus, & turpiter signatus fueris; ini-
que agis, quod morbo animi occæcatus minime videas,
fuisse me semper tui studiosissimum, omnibusque mo-
dis deditum, & quandoque etiam contra inimicos tuos
B *armatum, etiam sanguinem per te effusurum, &*
mortem oppetiturum, si opus fuisset. Tertia vero 91. V.
caussa, qua uteris, quamobrem contra me scripseris,
illa est, ut mihi honorem habeas. Ego vero sentio,
si mihi honorem habere voluisses, expressurum te fuisse
nomen meum, & non contempturum, ut fecisti, ma-
joremque mei rationem in scriptis tuis habiturum, &
non pro viribus laboraturum, ut omnes me amentem
existimarent. Ac detulisti quidem operam tuam ad
meas objectiones inter nos dissolvendas: ipse vero re-
scripsi, nolle me ex eo capere occasionem tecum diutius
controversandi. Jam, cùm fidem tuis literis datam
C *servare non cures, manibus, & pedibus laborabo, ne*
me auctoritate tua magis opprimas: scribas modo,
quantum velis: semper enim tibi respondebo, cum à
te lacessitus fuerim, ita ut ultimus agendi locus mihi
congruere videatur. Nec ullam tibi imposui rescri-
bendi necessitatem: sed, posteaquam statuisti non re-
scribere, aut malevoli eam imposuerunt, quibus fidem
habere non debebas, aut cupiditas quædam attulit,
qua perspicio te mirabiliter ardere, conculcandi, &
proterendi omnes, etiam quandoque amicos tuos, im-
mo, ut verius loquar, tui amantes, etiam in caussa
injustissima: cum tibi tamen satis esse deberet, confi-
fiteri me, ut libenter facio, esse te longe inferiorem.
D *Pro consiliis autem, quæ mihi das, tibi gratias ago,*
quem esse cupidum honoris mei semper existimavi; iis-
que parerem, nisi ab eo, qui caussæ suæ servit, pro-
ficiscerentur. Quod attinet ad primum, ut respon-
dendo te minime lacessam: affirmo tibi tale fore re-
sponsum meum, quale video existere tuum perpetuum
lacessendi genus. Quod ad alterum, ut literis uti fa-
miliaribus desinam, profiteor tantum me eis non usu-
rum, quantum pro me non fecerint, cum humanum
sit undique auxilia accipere, maxime ex ipsa rei ve-
ritate, quæ minime debet latere. Quod conquereris
appellatum esse te callidum, versutum, veteratorem,
scito id evenisse, quia respondendum erat non solum
E *illi tuo aculeo, & maledicto ludibrii pleno; Super-*
bum istud aurium ne, an animi judicium, & quæ
sequuntur satis prolixe: sed etiam illi alteri; Grave
profecto crimen, si verum sit: sed tamen multo gra-
vius, si temere simulatum sit, quod me facillime de-
monstraturum esse polliceor. In odium igitur addu-
car, & simulator temerarius nuncupabor, nihilque
respondebo? Pace tua dixerim, non bene consulis. 92.
Quid autem dicere debebam; cum me tamquam ca-
nem tractabas his verbis? Quid est, quod huic Com-
mentario tam acriter oblatrent? Præterea cum me re-
præsentabas omnis judicii expertem in hunc modum?
Quinetiam eandem partem usque adeo titubanter, ac
F *timide tetigerunt, ut quo judicio præditi sint, ne ipsi*
quidem sibi satis confidere videantur. Deinde cum
contra me Ciceronem ab inferis excitabas, tamquam
contra indoctum quempiam, & ratione prorsus ca-
rentem? Denique cum tam sæpe me illudebas, quam-
vis tui observantissimum? Has agendi rationes si di-
miseris, mihi occasionem non offeres par pari refe-
rendi. Non enim (licet cupiam) ea, virtute me præ-
ditum esse sentio, quæ in Christo enituit, qui quidem
dum crucifigeretur, dicebat, Pater ignosces illis, quia
nesciunt, quid faciant: sed dum ullis viribus instru-

ctus ero, ipsis utar, & quidem minus titubanter, & minus timide, quam adhuc fecerim propter solam reverentiam, atque observantiam in te meam, contra omnes, quicumque mihi molesti fuerint. idque pro comperto habeas. Si vero tibi sunt literæ quorundam non bene erga me affectorum; ne mihi quidem desunt Epistolæ nonnullorum, qui male in te affecti sunt; atque in una de iis verba hæc inter cætera te pungentia reperiuntur; Ego quidem cæteris in rebus Sigonii prudentiam numquam desideravi, numquam judicium: hoc tamen in negotio utrum illi ex his defuerit, nescio: alterutrum certe defuisse res ipsa indicat. Nam, si non ita sensit, ut scripsit, sed ingenii viribus fretus caussam suam iniquissimam viris omnibus eruditis probare se posse speravit, defuit prudentia: si, quod Ciceronis numquam fuit, Ciceronis esse credidit, defuit judicium, &c. Aliis autem literis usus non sum, nisi quæ contra illam Consolationem faciebant, non contra te: & reticui quoque illud, quod affirmavit Vianellus, te eam edendam tradidisse; nec verum esse credebam, quod literis Bononia missis ad me perlatum fuerat, dixisse te, dum ageretur, utrum ad illas tuas orationes essem responsurus, nec ne; si responderit, efficiam profecto, ut eum pœniteat. Quod mihi quoque coram affirmatum est. Quoniam vero video, tametsi ais, tibi tempus non suppetere, quod in his
92. *nugis consumas, nihilominus contra fidem mihi fir-*
v. *matam te tempus consumere: si efficies, ut me pœniteat, magno meo cum detrimento gloria cumulaberis. Neque est, quod jactes, agere te modestius, quam ego egerim: profiteor enim me modestiorem fuisse, quam tu fueris, majoremque tui rationem, & majorem tibi honorem habuisse, quam tu habueris, nec umquam pupugisse te, nisi adductum punctionibus tuis. Putes modo, quod velis, & pergas facere, quod tibi placeat: spero enim me numquam reprehensum iri, tamquam amicitiæ violatorem, quam tamen te decebat magis observare. Vale. Patavio. Nonis Febr.* 1584.

Edidi paullo post *Dialogum sub nomine Defensoris*, seu pro primo meo judicio adversus secundam *Caroli Sigonii* accusationem. Scripsit quoque in meam sententiam *Justus Lipsius Christophoro Plantino*, & in Epistola ad *Janum Gulielmium*, quæ est sexagesima sexta primæ Centuriæ Epistolarum ad hunc modum; *Agnosco stylum disjunctum, otiosum, lentum; & illam (audeo apud te dicere) Sigoneitatem.* Idem tamen in Epistola ad *Joachimum Camerarium*, quæ est Septuagesima quinta ejusdem centuriæ, reprehendit me, quod non acriter, nec veris armis in *Sigonium* iverim, & scribit ridendum esse hoc bellum, quod ipse appellat *Italicum*, quasi levia sint illa, quæ ego notavi. Tamen, si legantur ejus ipsius annotationes ad *Plantinum* perscriptæ, fortasse multo leviores judicabuntur, quam ea, quæ ipse objeci, & longe pauciores, quam quæ in isto libro poterant observari, & quæ ego observavi. Sed iste vir morbo animi laborat in nomen *Italum* & literatos *Italiæ*, qui rident, & *Lipseitatem* non curant. Fuit quoque à meis partibus *Janus Gulielmius*, qui *Lutetiæ* librum edidit adversus *Sigonium*, probans multis argumentis non esse aut *M. Tullii*, aut satis dignam *M. Tullio* eam, quæ illius nomine venditetur, Consolationem. Hic me nominat tanquam eum, qui prior contra talem Consolationem, scripserim; etiamsi post epistolam ad *Hieronymum Mercurialem*, & quatuor orationes, & Dialogum hac ipsa de re conscriptum quidam homo Jesuita in magno suo volumine speciosis pollicitationibus insigni, quamvis pulchræ inscriptioni parum respondente, & multis in locis parum latino, me dignatus non sit honore nominationis suæ, malue-
93. ritque ipsum *Janum Gulielmium* celebrare quam me ipsum, qui fuissem auctor, & victor illius controversiæ. Sed hoc parum mea interest, cum tali honore facile carere queam; quippe qui divino beneficio ad nonnullam hominum existimationem profluxi à fonte librorum meorum, non modo quos in hac controversia edidi, & quibus necesse habui me defendere à maledictis *Nicolai Colonii de Epistola Horatii ad Pisones*: sed etiam aliorum ab ipso Jesuita similiter non nominatorum, ut Commentarii *in Universam doctrinam oratoriam Ciceronis*, in quo multos patefeci errores *Cypriani Suarii* Jesuitæ: *Conversionis Rhetoricæ Aristotelis cum Paraphrasi:* Commentariorum *de usu Rhetoricæ Aristotelis in qualibet materia: duorum voluminum orationum:* libri *de Historia cum fragmentis veterum Historicorum: conversionis Poeticæ Aristotelis cum Paraphrasi: conversionis Ethicorum Aristotelis cum Commentario*; quibus præter hos commentarios *de Gymnasio Patavino* fortasse Deo bene juvante alia opera, & aliæ lucubrationes accedent, futuræ, ut spero, minime obscuræ etiam sine istius Jesuitæ illustratione. Libet quoque hic adscribere Epistolam *Joannis Cratonis* eodem argumento scriptam ad *Hieronymum Mercurialem*, & meam etiam ad ipsum *Cratonem* exaratam.

Joannes Crato Hieronymo Mercuriali. *S. D.*

Nostrum Riccobonum Bruti literis offensum esse doleo: & propemodum Scutellario irascor, qui ea, quæ elicere studuit, & amice communicata accepit, non continuit. Dabit Brutus brevi manus, neque παραμυθητικὸν *libellum Ciceronis esse amplius putabit. Andreas patricius nuper ad amicum, qui illius judicium exquisiverat, hos versus scripsit;*

Huic quicumque libro Ciceronis nobile magni
Imposuit nomen, omnibus imposuit.

Plane autem mecum sentit Sigonium ex animo rem non agere, cum serio cavere studeat, ne cognito auctore existimationis judicii sui periculum subeat. Quas vero caussas habeat, cur hoc modo Riccobonum exagitet, ne divinare quidem possum. Splendide quidem cum adversario certat, sed in omnibus ecquod τεκμήριον*? Mihi nullum apparet. Itaque, quod nuper scripsi, quiescendum Riccobono censeo, cum nemo doctus* 93.
in Germania, vel Gallia ab eo dissentiat. Quid censeat Lipsius, vidisse vos puto. Satis inclementer auctorem editionis tractat. Legi & aliorum scripta ἀνέκδοτα, *quæ, cum illi ætatem in lectione Ciceronis contriverint, magni, ut par est, facio. Certe* συνέπειαν *illam Ciceronianam ab hoc libro abesse, illis etiam, qui mediocriter in lectione Ciceronis sunt versati, apparet. Peto igitur, ut præstantissimo Riccobono persuadere studeas, ne bonam caussam male agendam irritatus putet, & benevolentiam amicorum negligat. Animadverto Joannem Michaëlem Marcium Procuratorem singulari studio judicia de hoc scripto colligere. Quo animo hoc faciat, nescio. Fortasse Scutellarius ista explanare poterit. Uratislaviæ.* XXI. *Aprilis* 1584.

Antonius Riccobonus Joanni Cratoni trium Imperatorum Consiliario Medico, *S. D.*

Ex iis literis, quas Hieronymus Mercurialis variis temporibus à te missas mihi legit, cum haud obscura amoris erga me tui significatione, incredibile in me desiderium exortum est, in numerum amicorum tuorum me ut recipias. Idque etiam lectis tuis posterioribus literis XI. *Kal. Majas. ad eundem datis volui meis ipsius verbis tibi exprimere, simulque affirmare, me plurimum benignitati, atque humanitati tuæ debere; primum, quod non ægre tuleris, in controversia, quæ mihi est cum Carolo Sigonio, divulgatum*

gatum esse gravissimum testimonium literarum tuarum, quod quidem cæteris, ut par erat, antepofui: deinde, quod mearum sæpe rerum laudator fueris; quibus præclaris officiis tuis si illa singularis gratia addita fuerit, ut amor in me tuus observantiam in te meam, quemadmodum vehementer cupio, agnoscat, meque inter amicos tuos enumeres, næ merito gaudebo, tali, tantoque amico auctus: & ad plurima, quibus Mercurialis me obstrinxit, beneficia maximum accessisse cumulum confitebor, talis, tantique viri amorem per eum adeptus. Quod ad ipsum scribis de iis literis, quibus per totum terrarum orbem ab eo sparsis, ac disseminatis, qui (nequid gravius nunc dicam) parum amice se gessit, valde offensus sum: amanter quidem scribis:
94. *sed scito me hominum arrogantium, atque insolentium factum ulturum fuisse, nisi in voluntate Joannis Michaelis, Marcii Procuratoris, qui hac de re ad Mercurialem, meque ipsum literas dedit, &, ne id facerem, rogavit, conquievissem. Itaque eos non attigi; alterum, qui etiam prima litera cognominis sui judicium se habere depravatum indicat: alterum animal vere brutum. Quos ego: sed summo præstat parere patrono. Mihi perplacet, Andream Patricium, virum doctissimum, & in observando Ciceronianæ scriptionis stylo maxime versatum, de ista inepta consolatione à me non dissentire; cujus distichon à te missum sane elegans est. Vale, meque ut facere cœpisti, ama. Patavii.*

Cum autem *Sigonius* hoc anno mortuus sit, fama erat eum ad Dialogum meum rescripsisse, ac, priusquam moreretur, mandasse, ut, quæ rescripsisset, propediem in lucem, & adspectum hominum proferrentur. in quem apud *Aeacum* hominibus *Europæ* datum à *Jove* judicem suam ipsius caussam per me dixisset *Cicero*, si illud responsum editum fuisset. Ac multum quidem permisi, quoad potui, amicitiæ, multum cessi auctoritati, multum tribui senectuti: sed, quoniam homo ille indigna de me scripsit, coegit me oblitum nostræ amicitiæ habere rationem meæ dignitatis. Itaque, ut arbitror, ejus ferrum retudi, flammamque restinxi, furiosumque impetum, & insanam ferociam prorsus, ni fallor, compressissem, & fregissem, si diutius vixisset.

CAP. III.

De controversia Antonii Riccoboni *habita cum* Jo. Mario Matio Brixiano.

In controversia, quam habueram cum *Carolo Sigonio* de Consolatione edita sub nomine *Ciceronis*, repetiveram illud, quod antea quoque exaraveram, *Quinctilianum* non unam figuram Traductionem, ut ipse *Sigonius* argumentatus fuerat, sed res quindecim de *Cornificio* notasse, quæ omnes veræ essent de auctore ad *Herennium*. *Jo.* vero *Marius Matius Brixianus* id non esse satis probatum contra me cum sensisset, atque scripsisset: ego meam ab eo dissensionem literis consignavi; nihilque certius esse demonstravi, quam Rhetorica ad *Herennium* non *Ciceronis* esse, sed *Cornificii*. Quæ scripta utriusque nostrum pervulgata sunt.

94. v.

CAP. IV.

Controversia Hieronymi Fabricii ab Aquapendente *habita cum Collegio* Patavino *Philosophorum, & Medicorum.*

Hieronymus Fabricius ab Aquapendente, cum an. 1584. præter munus, quod antea obiverat Chirurgiæ interpretandæ, alterum munus à Senatu consecutus esset Anatomes quotannis explicandæ in hunc modum, ut per omnes menses hyemis ipsam Anatomen declararet, membra humani corporis incideret, dissectionem ostenderet, resque omnes pertractaret ad negotium Anatomicum pertinentes, post menses vero hyemis Chirurgiam explanaret; quas explicationes Senatus voluit esse ordinarias Medicinæ, omnibusque iis dignitatibus, & utilitatibus ornavit, quæ primis locis ordinariis Medicinæ Theoricæ, & Practicæ in Gymnasio conceduntur: petiit, ut in Collegium Philosophorum, & Medicorum reciperetur, tamquam unus de explicatoribus primorum locorum ordinariis Medicinæ; idque tunc ei non fuit concessum, etiamsi an. 1568. Principe *Venetiarum Petro Lauredano*, & præsidibus *Patavii Joanne Mocenico* Prætore, & *Marco Grimano* Præfecto, *Albertus Cymerlinus Veronensis*, Rector Universitatis studiosorum Philosophiæ, ac Medicinæ, disputata ex utraque parte caussa tum Collegii, tum Universitatis, obtinuisset in Senatu, ut non solum explicatores primorum locorum Philosophiæ, & Medicinæ, sed etiam omnes Doctores publico docendi munere in Gymnasio fungentes non excluderentur à suffragio, ubi de studiosis, & Universitate ageretur, atque hoc modo Jus Collegii haberent. quod postea *Cymerlino* in patriam profecto, ita flagitantibus Legatis Collegii, nemine interveniente pro ipsa Universitate, declaratum est, intelligendum tantummodo esse de solis explicatoribus primorum locorum Philosophiæ, ac Medicinæ, & non, ut Senatusconsulti verba se habebant, de omnibus Doctoribus publico docendi munere in Gymnasio fungentibus. Orta igitur inter Collegium *Patavinum*, & *Hieronymum Fabricium ab Aquapendente* de hoc controversia, disputataque caussa in excelso Collegio *Venetiarum*, lata fuit sententia, ut ei *Patavini* Collegii ingressus daretur eodem modo, quo aliis explicatoribus ordinariis primorum locorum Medicinæ Theoricæ, & Practicæ dari 95.
consuevit, die ultimo Septembris. Itaque ipse in Collegium receptus est.

CAP. V.

Controversia Rectoris de præsessione.

Orta est controversia de præsessione an. 1584. inter Rectorem Universitatis, & Præsidem Collegii Philosophorum, & Medicorum, quem Priorem appellant: favitque insigniter *Nicolaus Pontius*, Princeps *Venetiarum* cum excelso suo Collegio ipsi Rectori, atque Universitati, literis datis ea de re die undecimo Junii. quemadmodum multo ante in eodem Collegio, & in senatu x. virûm decretum fuerat contra Quæstores *Patavii*, Principe *Augustino Barbadico*, die 4. Maji, an. 1487. & post etiam in senatu contra *Pium Aeneam Obicium*, Summum Reipublicæ ut vocant, Collateralem, Principe *Paschale Ciconia* die 23. Februarii, an. 1586.

CAP. VI.

De Epistola quadam in Fabium, Paulinum Utinensem.

1587. Missa est ad me epistola sub nomine *Yvonis Villiomari Aremorici* in *Fabium Paulinum Utinensem* cum his literis;

Jacobus Zelenius Polonus Antonio Riccobono. *S. D.*

Brevitas temporis me quoque in scribendo brevissimum facit: tu pro ea, quæ tua est humani-

tas: & erga me benevolentia insignis hanc brevitatem meam ut boni consulas, etiam atque etiam rogo. Nudius tertius ad diem eum, qui Divo Marco dicatus est, Viennam veni. Hodie mihi jam ad iter accincto oblata est epistola Villiomari cujusdam, in qua sit mentio tui satis honorifica. Caussam, & occasionem offerendæ ejus sermones nostri cum de aliis Doctoribus Italis, tum de te ea, quæ par est, observantia, in qua nemini cedo, diligenter habiti. Equidem decus hoc nominis tui non Italiæ finibus, qui & ipsi nequaquam exigui sunt, includi solum, sed etiam alpes ad omnes Mundi plagas transcendere, ac penetrare, & plurimas terræ partes tamquam lucidissimum illud sidus fulgore suo perstringere, ita gaudeo, uti debeo, id est maxime. Tibi autem hanc nominis immortalitatem gratulor, adhibitis iis votis, quibus
95. v. *à Deo Opt. Max. precor, ut hoc tibi perpertuum esse velit. Epistolæ autem exempla, quotquot subito Viennæ videre contigit, libenter tuis Italis mitto, ut discant præsens bonum ita colere, prout aliæ nationes absens complecti consueverunt, ne postea præsenti destituti animi ingrati pœnas eas luant, quibus frustra, dum recesserit, illud assequantur. Plura cum scribere nequeam, hoc unum addo, quod infixum pectori tuo esse cupio, Zelenium tuum esse, foreque semper. Vale, vir excellentissime, & me tui observantissimum in eorum numero habe, qui tuæ prudentiæ, & amicitiæ plurimum tribuunt. Viennæ, in Austria. vigesimo septimo Aprilis.*

Ac illam quidem Epistolam, ut id, quod verum est, ingenue fatear, priusquam auctor ederet, legeram *Patavii*; cumque vellet edere, prohibui, quantum potui, quod melius de *Paulino* sentirem, quam ille judicare videretur. Itaque, tametsi fama erat, eum cuidam cucullato opitulatum esse, qui adversus me de nonnullis *Laurentii Massæ* versibus scripserat, immo scripsisse ipsum, & cucullato illi, tamquam corniculæ *Horatianæ* suam lucubrationem dedisse; quam injuriam ultus non sum, quia id efficere posse sine *Massæ* patroni mei offensione non videbar: tamen, cum mihi offerebatur occasio, eum laudare non desinebam, quod & ipse in responsione ad Epistolam his verbis confessus est; *Riccobonus honorifice & sentit, & loquitur de Paulino; cujus rei recentissimos habeo testes præclaros viros*. Cum igitur impedimento fuissem, ne ille in his locis talem Epistolam typis imprimendam daret: facere non potui, quin ipse alibi divulgaret. Ejusque exemplaria suppressissem, si ad me omnia missa fuissent, & non pleraque ad eos, qui magnam eorum partem *Venetias* miserunt. Cumque ad hujusmodi Epistolam *Paulinus* respondisset, auctor quidem ejus mordacius, & acerbius, quam decere videbatur, in eum invectus fuerat: sed (quod ego cum clara divini numinis contestatione affirmo, non ad aliquid *Paulino* persuadendum, sed ad veritatem patefaciendam) caussa fui, cur talia non ediderit; quodque prius facere non potui, postea effeci, ut talis controversia dimitteretur; præsertim vero quia ille non modo priorem agebat caussam, verum etiam ejusdem Hebdomadas, sive septem de septenario libros maledicentissime
96. reprehendebat, omnibusque contumeliis personam afficiebat. quod mihi perquam indignum visum est; iccircoque manibus, & pedibus laboravi, ac minis etiam, atque objurgationibus contendi, ut ipse, si amicitiam meam non duceret despicatui, ab incepto desisteret, quemadmodum fecit.

CAP. VII.

Controversia Jasonis Denoris *habita cum* Baptista Guarino *Equite*.

1587. Jason Denores, explicator Philosophiæ Moralis, in quadam sua edita *de Poesi*-
A *bus disputatione* cum *Baptista Guarino Ferrariensi* Equite doctissimo, & disertissimo controversiam excitavit, nimirum dum Tragicomœdias Pastorales tamquam monstra quædam, resque prorsus inconvenientes reprehendit, eoque modo Tragicomœdiam Pastoralem ipsius *Guarini*, inscriptam *Pastorem Fidum*, quod poema tunc manuscriptum, & nondum editum, multis in locis, præcipueque *Venetiis*, & *Patavii* cum magna ejus laude, ac prope incredibili omnium admiratione legebatur, reprehendere visus est. Quamobrem proximo sequenti anno *Guarinus* defensionem talis poematis sub nomine *Verati* con-
B scripsit, atque in adspectum hominum produxit. Cumque *Denores* eodem anno Apologiam pervulgasset refellens ea, quæ disseruisset *Veratus*: *Guarinus* vim eloquentiæ suæ sane admirabilem ostendit in libro, quem alterum *Veratum*, seu *Replicationem Irritati Academici* inscripsit; eumque ibi tam aspere, atque acerbe, instar *Archilochi* in *Lycambem*, perstrinxit, ut, nisi is morte subtractus esset, periculum fuisse videatur, ne idem ei eveniret, quod *Lycambi* evenisse ad laqueum compulso memoriæ proditum est. editum enim est opus tantum an. 1583. cum jam ille diem suum obiisset.

C

CAP. VIII.

Controversia inter Bonifacium Rogerium, & Angelum Matthæacium.

1591. *Bonifacius Rogerius Reginus*, & *Patavinus*, Comes, & Eques, ac Juris vespertini in secundo loco Interpres, ad dignitatem, & Jus suum pertinere existimavit, ut *Angelus Matthæacius* Juris civilis matutini in primo loco Explicator, ipsi de via decederet, tamquam digniori. Qua de re inter eos magna exorta est 96. v.
D controversia; de qua primum *Patavii* præsides, *Joannes Superantius* Prætor, & *Fridericus Sanutus* Præfectus consulti sunt: deinde vero etiam ad *Venetiarum* Principem, ejusque amplissimum Collegium relatum est. Nihil tamen est declaratum: sed tantum Apologia *Matthæacii* in manibus studiosorum versata est, edita primum sola, deinde cum duobus ejusdem libris *de via*, & *ratione artificiosa juris universi*: ad quam cum *Rogerius* responsum pararet, mors eum præripuit.

CAP. IX.

E

Controversia Antonii Riccoboni *habita cum* Nicolao Colonio.

Nicolaus Colonius Bergomas, qui an. 1591. successit in locum *Jasonis Denoris Cyprii* ad Philosophiam Moralem *Aristotelis* explanandam, superioribus proximis annis ediderat *Q. Horatii Flacci Methodum de Arte poetica*, editoque Commentario suo demonstrare conatus fuerat, Epistolam *Horatii* ad *Pisones* fuisse methodice scriptam, tamquam artem perfectissimam; à quo ego, cum Compendium pervulgarem Artis Poeticæ *Aristotelis* ad usum conficiendorum poematum à me ordinatum, & quibusdam scholiis explanatum, me
F dissentire ostendi; ita tamen, ut eum nominatim non exprimerem, sed tantum notarem, viri cujusdam docti sententiam esse, ut voluerit *Horatius* tali Epistola perfectam artem conscribere, mihi tamen longe aliter videri, in ea nullam methodum esse, nullamque artem perfectam, taleque consilium *Horatio* non accidisse, ut absolutam methodum, & artem poeticam conficeret, sed tantum ut de nonnullis ad artem poeticam pertinentibus, in quibus poetæ sui temporis errabant,

bant, *Pisones* amicos suos faceret certiores, ac esse potius perfectam epistolam, quam artem. quod cum demonstrassem, illud disputatione mea confeci, tantum abesse, ut magni poetæ imminuere auctoritatem scriptis meis voluerim, ut potius me ostendere voluisse professus sim, tametsi methodice scribere in animo is minime habuisset, contra quam quidam vir doctus censuisset, ex eo tamen, tamquam ex uberrimo omnis doctrinæ fonte, quæ methodice de Poetica traduntur, quam plurima hauriri posse. Quam meam editam dispu-
97. tationem cum vidisset *Colonius*, ita excanduit, ut in me indignius, quam ejus ætatem, religionisque professionem, addo etiam morale susceptum munus decere videbatur, invectus sit. Ego vero ad ejus maledicta dialogo composito respondi quam modestissime; adduxique eum ad petendam à me veniam his ipsis, quæ edita sunt, verbis; *Peccavi, & veniam peto: ignosce humanæ imbecillitati, quæ facile ruit in peccatum: nec ulla ætas, ulla hominis sapientia est ab hoc lapsu tuta: meritissimo reprehendor à te: nihil contradico.* Sic ille scripsit in Epistola ad me data. Quamobrem statim meam cum eo conciliationem edidi: omnique inter nos controversiæ impositus est finis. Ac talis quidem controversiæ *Alexandrum Estensem*, Principem illustrissimum, atque excellentissimum, judicem constitueram; qui tametsi tum publice, tum privatim mihi operam dabat, atque inter auditores meos, tamquam lumen splendidissimum, mirabiliter fulgebat: eo tamen erat ingenio, tamque admirandos in præclaris literarum studiis progressus fecerat, ut caussam nostram facile judicare posset. Itaque meas hac de re lucubrationes ei dicavi, honoremque habui, quem potui, maximum, ab eo per tres annos, quibus ipse *Patavii* floruit, inter literatos viros, quos domi habebat, quique ejus domum frequentabant, mirum in modum honoratus, & ad ipsius studia pro virium mearum modulo adjuvanda adhibitus, quotidieque in ædibus ejusdem omni diligentia, & sæpissime etiam publice auditus.

CAP. X.

Controversia Alexandri Massariæ, & Herculis Saxoniæ.

1591. Cum febres quædam perniciosissimæ *Pisaurum*, totamque eam conflictarent regionem, Dux *Urbini* voluit, ut ea de re *Patavii* consultaretur; atque in consilium quinque præcipui Medici Gymnasii *Patavini* adhibiti sunt; *Alexander Massaria Vicetinus* Practicus ordinarius: *Albertinus Bottonus Patavinus*, Theoricus ordinarius: *Hieronymus Fabricius* ab *Aquapendente*, Chirurgus, & Anatomicus: *Aemilius Campilongus Patavinus* Medicinæ Practicæ extraordinariæ tunc explicator: *Hercules Saxonia Patavinus* Medicinæ Practicæ ordinariæ Interpres; cumque in duobus remediis dissentientes inter se fuissent, nimi-
97. v. rum in usu Theriacæ, & in usu vesicantium medicamentorum, quorum utrumque à *Saxonia* propositum, hoc duorum judicio receptum, illud omnium suffragiis reprobatum fuerat; *Saxonia* ut suam sententiam tueretur, disputationem de Phœnigmorum, quæ vulgo vesicantia vocantur, & de Theriacæ usu in febribus pestilentibus scripsit; in qua etiam de natura pestis, & pestilentium febrium nonnulla disputavit: ad quam statim *Massaria* disputationem de abusu medicamentorum vesicantium, & Theriacæ in febribus pestilentibus rescripsit. Atque hæc contentio etiam proximo sequenti anno continuata est, editis à *Saxonia* libris tribus *de Phœnigmis:* & pervulgata à *Massaria* disputatione secunda Apologetica ad libros *Saxoniæ* de Phœnigmis.

CAP. XI.

Dissensiones inter Jacobum Zabarellam, & Bernardinum Petrellam.

Cum Comes *Jacobus Zabarella* in operibus suis Logicis an. 1578. editis sæpe à *Bernardino Petrella*, Gymnasii Logico, dissensisset; hæc fuit caussa, quamobrem ipse *Petrella* disputationes suas *de rebus Logicis* in adspectum hominum produxerit; & an. 1591. ad easdem disputationes in libros septem distributas multa addiderit, ac divulgaverit, ita ut *Patavii* studium Logicæ in duas sectas fuerit divisum, tum eorum, qui *Zabarellam*, tum eorum, qui *Petrellam* consectarentur, atque ab utraque parte stare quamplurimi viderentur. post eam controversiam sane egregiam, & præclaram, Logicæque studiosis maxime utilem, & fructuosam editi sunt eorundem Commentarii *in duos Aristotelis libros Analyticos Posteriores*; quibus sane Commentariis, quamvis diversam, discrepantemque doctrinam continentibus, nihil exquisitius, nihilque enucleatius communi literatorum hominum judicio potest inveniri.

CAP. XII.

Controversia Jacobi Zabarellæ, *et* Francisci Piccolominei.

1594. *Franciscus Piccolomineus* suum ad Apologiam Comitis *Jacobi Zabarellæ* de doctrinæ ordine responsum edidit. Cum enim *Zabarella* in libris quatuor, quos an. 1578. *de methodis* pervulgavit, hoc sibi fundamentum constituisset, (quæ *Averrois* opinio fuit) quod ordo doctrinæ non ab ipsa rerum natura, sed à meliore nostra cognitione desumitur: *Piccolomineus*, qui 98.
alias talis sententiæ *Averrois* impugnator, & contrariæ defensor fuerat, in libris, quos an. 1583. *de moribus*, & *civili Philosophia* in adspectum hominum produxit, non illud tantum *Averrois* dogma, sed totam *Zabarellæ* de ordine disputationem, atque sententiam oppugnare conatus est. Illudque ipsi *Zabarellæ* grave admodum visum est, quod sua pro *Averroe*, atque ut ipse arbitrabatur, pro veritate suscepta disputatio calumnia ab illo fuisset nuncupata. Etenim in illius introductione ad civilem Philosophiam non solum cap. 23. sic legitur; *Levissimæ sunt rationes omnes, quibus aliquis ostendere posset artes tantum ordine resolutivo, scientias vero tantum ordine compositivo tradi posse; adeo ut ob eas minime suspicari debeamus, viros sapientes, qui alterius sunt opinionis, hallucinatos fuisse: non enim levibus rationibus firma veterum decreta mutanda sunt, ut nos soli sapere videamur. Sed etiam cap. 24. ad hunc modum; Hæc cum mihi pro dicendis servire debeant, necessario primo explicanda fuerunt: & præsertim ea latius explicare fui coactus, ut meam opinionem à nonnullorum calumniis vindicans veritatem redderem illustriorem.* Quibus *Piccolominei* scriptis commotus *Zabarella* an. 1584. Apologiam scripsit de ordine doctrinæ. Cumque is an. 1589. extinctus esset, *Piccolomineus*, qui suum responsum edere in animo habebat, cum iterum Commentarii sui *de moribus*, & *civili Philosophia* imprimerentur, una cum secunda eorum editione *Comitem Politicum* divulgavit pro recta ordinis ratione propugnantem; septemque præcipua disputantem.

1. *Quod sit institutum Arist. in Philosophia de moribus.*

2. *Qualis sit consideratio ordinis, ejusque distinctio.*
3. *Quæ sit definitio ordinis, & quæ ad eam pertineant.*
4. *An conditio ordinis sit, ut cuncta referantur ad unum primum.*
5. *An ordo petatur ex natura rerum.*
6. *Quot sint species ordinis.*
7. *An cum in Artibus, tum in Scientiis, Compositionis, & resolutionis ordine uti liceat.*

98. v.

CAP. XIII.

Controversia Alexandri Massariæ *habita cum* Augenio.

Horatius *Augenius* à *Monte Sancto*, qui successit in locum *Bernardini Paterni* ad Medicinam Theoricam ordinariam in prima sede explanandam, prius quam *Patavium* se conferret, accuratissimos scripserat, & ediderat Commentarios de mittendi sanguinis ratione. Postea vero *Alexander Massaria Vicetinus* Medicinæ Practicæ ordinariæ in prima Cathedra Interpres suas de eodem argumento disputationes in adspectum hominum produxit, seque ab *Augenio* dissentire ostendit, ejusque explicationem in quendam *Galeni* locum paulo acerbius tractavit, eamque esse absurdam, & legitimum verborum *Galeni* sensum prorsus evertere, demonstrare conatus est. *Augenius* autem cum veteres suas lucubrationes recognovisset, novas disputationes conscripsit adversus *Massariam*, ut se ab ejus reprehensionibus defenderet, suamque sententiam tueretur; quas ego valde acerbas cum forte quodam die, quo eum honoris caussa invisi, in ejus bibliotheca vidissem, acriusque in *Massariam* invehi comperissem, cœpi apud senem amicum, & patronum meum ratiocinari, Nequaquam decere duos principes Medicos hujus Gymnasii inter se tam acriter, atque acerbe controversari: scire me *Massariam* ei amicum esse: talem amicitiam meo quidem judicio non aspernandam, sed amicius agendum, quam in illis disputationibus factum videbatur. Cumque is contenderet talem controversiam dimitti non posse, nisi cum magno humani generis detrimento: pertinere enim eam, si bene decideretur, ad magnam hominum utilitatem, persuasum est mihi debere eam tractari ob ægrotantium salutem: sed dixi omnem acerbitatem omittendam, voluntatemque inter amicos eandem retinendam, etiamsi opinio diversa esset. Conquerente autem eo spretum se esse miris modis à *Massaria* in disputationibus ejus; addidi id factum esse, antequam ipsi nec amici, nec inimici essent, nullaque inter eos intercederet necessitudo: postea vero quam juncta inter ipsos amicitia est, & arctior quædam familiaritas exorta, tantum abesse, ut *Massaria* ab amici officio recesserit, ut potius mutuam benevolentiam sanctissime coluerit, amicumque publice, & privatim celebraverit, & commentariis etiam editis usque in cœlum extulerit, omiaque ei officia tribuerit, quæcunque à vero amico proficisci queunt. Quibus argumentis adductus *Augenius* primum mihi gratias egit pro amabili officio, quo apud ipsum functus fueram: deinde pollicitus est se totum opus disputationum suarum, quamvis longum, & in septem libros divisum, priusquam ederetur, revisurum, exscripturum, emendaturum, maledicta omnia relicturum, controversiam nudam tractaturum, & effecturum profecto, ut diverse à *Massaria* opinari, non inimice cum *Massaria* agere existimaretur. quod cum ipsi *Massariæ* aperuissem, maximum ei gaudium attuli, ita ut & ipse maximas mihi gratias egerit, atque affirmaverit, nihil sibi gratius fieri potuisse, quam ut ei auferretur occa-

99.

A sio controversandi: nihil sibi molestius accidere, quam cum necesse habet altercari, & tempus consumere in altercationibus, quod longe utilius potest collocari, quodque ipse libentius ponit in aliis operibus conficiendis: si *Augenius* suas tantum rationes protulerit, se ne verbum quidem amplius facturum, nihilque additurum prioribus disputationibus suis: satis enim se probasse sententiam suam: propterea permissurum sine ullo novo controversandi, & refellendi studio, ut rei Medicæ studiosi, quam partem velint, consectentur. Hæc cum ita nobiscum statuissemus, editæ sunt tan-
B dem an. 1597. *Augenii* disputationes, quas *Massaria* existimavit longe diversas ab eo, quod promissum fuerat, quodque expectabatur: pro maxima enim injuria accepit, quod inter nostri temporis Medicos novatores fuerit numeratus, qui tamen profiteatur perpetuo non modo se non esse novatorem, sed etiam novatorum acerrimum hostem, & unius doctrinæ *Hippocratis*, & *Galeni* adversus *Argenterios*, *Fernelios*, cæterosque novatores vindicem, usque adeo, ut à nonnullis reprehensus sit, quod nimium, & plus nimio in verba magistrorum juraverit, ac eorum auctoritati nimis deditus videatur. cui responsioni solet respon-
C dere, se veritatis quidem caussa id facere, sed malle cum talibus videri errare, quam cum istis novatoribus vera sentire: qui enim istis videtur error, meram esse veritatem. Præterea vero aliis aculeis ita offensus est ut se excusaverit apud me, quod stare promissis, & à nova scriptione se abstinere non potuerit; additamentumque Apologeticum fecerit ad suam de scopis mittendi sanguinem disputationem, quo *Augenii* opinionem 99. v.
prorsus refellere, atque evertere nititur; idque cum tali disputatione rursus edita an. 1598. pervulgaverit. Id quod (ita me Deus amet) mihi permolestum fuit, quippe qui me aliquid profecisse
D putaverim inter amicos, & patronos meos: nihil tamen profecerim, & tam acerbam hominum insectationem prohibere, atque impedire, ut maxime cupiebam, nequiverim.

CAP. XIV.

De dissidiis studiosorum tollendis.

1595. Marius *Bibilaqua Saloensis* Syndicus, qui loco deficientis Rectoris cum *Jacobo Grandio Veronensi*, *Abrahamoque Sandechio*
E *Germano*, Consiliariis, atque Assessoribus Universitatem studiosorum Philosophiæ, ac Medicinæ cum magna sua laude gubernabat, procurans omni suo studio Gymnasii quietem, atque tranquillitatem, sæpe studiosorum dissidiis, atque discordiis perturbatam, cum *Patavii* Præsidibus, *Thoma Mauroceno* Prætore, & *Zacharia Contareno* Equite, & Præfecto suam, Assessorumque sententiam communicavit, optimum remedium fore, ad omnes turbas sedandas, & rixas tollendas, atque inimicitias extinguendas, ut duo Doctores in facultatibus suis primarii ab Universitate deligerentur, qui nomine ipsius Universitatis pru-
F dentem, diligentemque operam suam interponerent ad studiosorum gratiam reconciliandam, omniaque officia exsequenda, quæcumque ad talem reconciliationem pertinere viderentur; confugiendumque si opus esset, ad ipsos Præsides propter majorem rei gravitatem, atque auctoritatem. De quo cum perscriptum fuisset die vigesimo quinto Septembris ad Gymnasii Moderatores *Nicolaum Gussonum*, *Matthæum Zanium* Equitem, *Hieronymum Capellium*, ut ab eis facultas Universitati concederetur hujusmodi Doctores eligendi, & ad componendam pacem inter studiosos constituen-

tuendi: die nono Octobris ab ipsis Moderatoribus Syndici, atque Assessorum sententia est comprobata, mandatumque Præsidibus, ut convocarent Universitatem, duosque Doctores primarios procurandæ studiosorum paci præficiendos curarent.
100. Quod statim factum est: delectique sunt ad tam laudabile, honestumque munus obeundum *Horatius Augenius à Monte Sancto* princeps Medicus Theoricus ordinarius, *Cæsarque Cremoninus Centensis* unus de præcipuis Philosophis ordinariis.

CAP. XV.

De tollendis quibusdam Gymnasii abusionibus, et controversia Antonii Riccoboni *habita cum Institutionum explicatoribus.*

1596. Ita flagitante *Mario Bibilaqua Saloensi* Syndico, qui Universitatem studiosorum Philosophiæ, ac Medicinæ loco deficientis Rectoris cum Assessoribus administrabat, allatæ sunt literæ Moderatorum Gymnasii graviter conquerentium de pravis ipsius Gymnasii consuetudinibus.

Quod institutum dictandi à Senatu prohibitum minime relinqueretur:

Quod propter privatas eorum exercitationes, qui Praxim Medicam discere concupiscunt, Scholæ nudarentur, deminuentibus Doctoribus earum caussa publicas disputationes suas, quæ quidem deberent unius horæ curriculum complere, sed hac occasione sæpe dimidia pars, vel etiam duæ partes eis delibarentur, atque detraherentur.

Quod non deessent, qui sua ipsorum munera S. C. commissa desererent, aliorumque muneribus se immiscerent.

Quod nonnulli privatas explicationes suas in publicarum detrimentum obirent, habendo eas iisdem horis, quibus publicæ habentur; eoque modo publicas impediendo; ac propterea mandantium, ut hujusmodi abusiones tollerentur; petentiumque à Præsidibus *Patavii*, Prætore, & Præfecto, ut ad remedia hujusmodi curruptelis afferenda omnem diligentiam adhiberent. Quamobrem ipsi Præsides nos omnes convocarunt, ac de Moderatorum voluntate monuerunt.

Omnibus autem in memoriam revocarunt decretum de non dictando diligentius esse servandum: alioquin in eos, qui mandatum Principis, & Senatus contempsissent, gravius animadversum iri.

Cumque de iis, qui studiosos in Praxi Medica statim post publicas explicationes suas exercerent, & hoc modo Scholas nudarent non sine eorum, qui aliis horis profiterentur, detrimento magna exorta esset difficultas propter ipsorum studioso-
100. v. rum conquestionem, qui ea de caussa *Venetias* ad Gymnasii Moderatores confugerunt, supplicesque ea de re literas à plurimis subscriptas detulerunt, flagitantes, ut sibi eodem commodo perfrui liceret, quod antehac percepissent: ipsi Moderatores statuerunt, ut, qui Medicinam Practicam profiterentur, possent ad Praxim Medicam studiosos ducere suo ipsorum arbitratu: qui vero Theoricam, nequaquam.

Iidem Præsides eorum Doctorum caussam audiverunt, qui aliorum muneribus se immiscere viderentur, eosque reprehenderunt, &, ut aliter facerent, jusserunt.

Ego quoque eo die, quo primum fuimus convocati, *Fabricio Cæconio*, Institutionum explicatori significavi, ejus, & *Octavii Livelli* collegæ privatas explicationes iis non nihil impedimenti importare, qui eadem hora meas publicas audire vellent; de quo multo ante utrumque eorum per communes amicos docueram, amiceque rogaveram, ne ita studiosos impedirent. Cum autem is respondisset, quod ante etiam cum collega responderat, suam se consuetudinem nolle dimittere, seque quidem esse in grege Jurisconsultorum, me vero in numero eorum, qui alias artes tractarent, ut mecum nihil commune haberet, nec, utrum mihi molestus esset, nec ne, quidquam curaret: dixi nos cunctos, quamvis diversa profitentes in Gymnasio *Patavino* eidem Principi subjacere, ut alter alteri molestiam afferre non debeat, deque hoc apud Præsides conquestus sum; qui eos, ac me ipsum cum per summum Gymnasii administrum ad se convocassent, caussamque nostram diligentissime audivissent Nonis Januarii, præsentibus ipsorum, ut vocant, Cancellariis, & *Mario Bibilaqua* Syndico Universitatis, & aliis quibusdam (nam multitudinem juvenum non admiserunt) eis statim mandarunt, ut Cathedræ Humanitatis amplius impedimento non essent. Summa vero eorum, quæ dixi, hæc fuit;

Adduci me non re ulla, quæ mea ipsius admodum interesset, sed publica utilitate; quippe qui ut muneri meo satisfacerem, quemadmodum antea feceram, satis esse arbitrarer, nec, quid alii efficerent, etiam cum aliquo studiosorum detrimento, curare admodum deberem. Ut autem læsis ædium fundamentis totæ ædes læderentur, quæ sine eis consistere minime possent: sic offen- 101.
sis iis, quibus tamquam fundamentis scientiæ niterentur, eas constabiliri non posse. Ac fundamenta quidem scientiarum præcipua esse tria, Logicam, Rhetoricam, *Justiniani* Institutiones. Logicam enim omni disciplinæ servire, in primisque Philosophiæ, Medicinæ, Theologiæ: Rhetoricam vero esse Logicam Juris civilis, appellarique à *M. Tullio* magnam, & amplam partem rationis civilis, ab iis prorsus dissentiente, qui civilem scientiam Rhetorica non putant indigere; subjicique ab *Aristotele* scientiæ civili tamquam unam de præcipuis ejus instrumentis; atque in statutis Juris studiosorum dici eam, omniaque Humanitatis studia cum legum studio communionem habere; etiamsi ille Institutionum explicator sibi nihil commune existere cum Humanitatis explicatore asseverasset. Institutiones autem esse fundamentum universæ legitimæ disciplinæ. Ac sapientissime quidem ab ineunte Gymnasio constitutum fuisse, ut hæ tres artes separatim traderentur, ita ut iidem auditores possent eas ipsas percipere, si vellent. Iccircoque superiores omnes Institutionum explicatores nullum Logicæ, & Rhetoricæ attulisse impedimentum: sed eadem hora duas explicationes habere solitos esse, unam glossematum, & quæstionum juris civilis ad Institutiones pertinentium, alteram verborum *Justiniani*, vel in eadem schola, vel in duabus, prout eis commodius videretur. Ita fecisse *Philippum Octavianum*: ita *Laurentium Castellanum*: ita *Franciscum Brancam*: ita *Sebastianum Monticulum*: ita etiam *Bartholomæum Sylvaticum*: ita *Ottonellum Discalcium*: ita cæteros omnes Institutionum explicatores, duarum nimirum explicationum munera eadem hora obeuntes; quemadmodum & ego eadem hora duas haberem explicationes, *Latinam* unam, *Græcam* alteram. Solos tamen eos, qui eo tempore Institutiones interpretarentur, instituisse, ut verba *Justiniani*, non quemadmodum cæteri fecissent, in scholis explicarent, sed in suis ipsorum ædibus, qua hora Rhetorica, & Humanitas explicaretur, posteaque secum ducerent longo ordine studiosos. Ac dictitasse quidem eos, atque in vulgus jactasse, ut me in odium adducerent, nolle se alia hora id mu-

muneris obire. Itaque, si id ipsis fuisset interdictum, culpam omnem in me esse rejiciendam, 101. v. meque ejusdamni, quod studiosi perciperent caussam fore. Tamen me non eo esse animo, ut eam explicationem interturbarem; immo vero, si id dicendum esset, quod sentirem, judicare, eam præcipue ipsis habendam, ut magis necessariam, & ad munus eis delatum magis pertinentem, ut potius verba *Justiniani*, quam glossematum quæstiones interpretarentur. alteram enim iis, qui *Justinianei* novi appellarentur, & ad quorum utilitatem in primis ipsi conducti essent, maxime convenire: alteram eorum ostentationi servire, & ingenii, ac doctrinæ exercitationi, ut ad altiores Interpretationes sibi aditum pararent; minus tamen necessariam, quod gravioribus quæstionibus explicandis à junioribus minus intelligerentur, ii vero, qui longius in legum studio provecti essent, ordinarias Juris Civilis explicationes audirent, parumque Institutionum Interpretibus indigerent. Itaque, si alterutra relinquenda esset explicatio, minori hanc, quam illam, relinqui posse detrimento, & magis illam habere, quam hanc, jure ipsos cogendos videri. Tantum conqueri me, quod satisfacere junioribus hora Rhetoricæ, atque Humanitatis vellent. Nec dicere illud, quod alii dicerent, velle eos tale institutum retinere, inanis gloriolæ caussa, ut per plateas, & vias ab ipsorum ædibus usque ad scholas agmina studiosorum ipsos comitantia conspicerentur. Cum enim memoriæ proditum esset, leviculum fuisse *Demosthenem* illo susurro delectari se dicentem aquam ferentis mulierculæ, ut mos in *Græcia* erat, insusurrantisque alteri, Hic est ille *Demosthenes*: me tamen eis tantam levitatem, tantamque ambitionem minime tribuere, ut hujusmodi populari gloria delectarentur. Nec itidem dicere, quod circum alii ferrent, eos tali hora domi eam explicationem habere, quod timerent, si sibi auditores non pararent, atque colligerent, fore, ut, qui ipsis operam darent, minime adessent: mihi enim satis notum esse, atque exploratum, etiamsi domi nihil explicarent, eos tamen auditoribus minime cārituros. Sed tantum illud eorum pace non præterire, dictandi consuetudinem, quam domi retinerent, efficere profecto, ut juniores ei rei assuefacti sibi quoque publice dictari vellent; hancque fortasse caussam fuisse, quamobrem semper dictassent, & numquam Senatus decreto, atque mandato paruissent. Nec illud itidem tace- 102. re, quod juvenes impedire, quominus Rhetoricæ, atque Humanitatis explicatorem audire possent, nihil mea quidem sententia aliud esset, quam magnum detrimentum eis importare. Nihilque esse, cur diceretur, eos, qui Institutionibus operam darent, nec Rhetorica, nec Humanitate indigere, quam in sua ipsorum patria didicerunt, ut vir excellentissimus *Fabricius Cæconius* se satis superque didicisse profitebatur, priusquam studiorum caussa *Patavium* se contulisset: non enim omnes tantum ingenium habere, quanto ille gloriari posset, Humanitatis, Philosophiæ, Juris Pontificii, Juris Cæsarei peritus ad summam excellentiam: ac, si omnes tanto ingenio præditi essent, tantaque eruditione ornati, cum *Patavium* studiorum caussa veniunt, Humanitatis explicationem in Gymnasio *Patavino* supervacaneam fore: quoniam vero pauci sunt tales, cujusmodi se esse profiterentur, multoque exquisitiora, & abstrusiora solent esse, quæ in aliquo publico Gymnasio tradi consueverunt, quam quæ in aliis scholis: iccirco hujusmodi explicationem à sapientissimo Senatu supervacaneam non haberi, etiamsi fortasse à *Cæconio* parum necessaria haberetur. præterea vero, si illi, qui tunc Institutio-

A nibus operam darent, valde decepti essent, quoniam ita eis persuasissent, qui fortasse aliter persuadere debuerant: aliis forsitan temporibus alios, qui ejusmodi persuasionibus seducti non fuissent, aliud sensuros esse, nec bonas literas deserturos, ut multi facerent, qui nihil aliud, quam leges scirent, immo ne leges quidem satis intelligerent, cum vim verborum, quæ rerum sunt subsidia, ignorarent; & Doctores quidem efficerentur propter laureæ adipiscendæ facilitatem, sed indocti Doctores, cum maximo scilicet Rerumpublicarum, civitatum, populorum, gentium, nationum omnium, atque universi terrarum orbis de-
B trimento: id enim esse tam verum, quam quod verissimum, qui linguam latinam tenerent, statim eos in qualibet disciplina, etiam priusquam ei studerent, dimidia propemodum ex parte Doctores existere: contra vero, qui non tenerent, eos adhibito quovis studio, & quavis diligentia difficulter excellere, parumque rebus vel publicis, vel privatis prodesse posse. Illud autem disputatione mea confeci, quod efficerent Institutionum explicatores, id tum statutis, tum veteri consuetudini, tum decreto Senatus, tum utilitati studiosorum sine dubio adversari; propterea quod in 102. statutis expressum esset, publicas explicationes v.
C nullo modo esse impediendas: vetus autem eorum consuetudo, qui Institutiones explicavissent, alia prorsus fuisset: decretumque Senatus prohibuisset dictandi abusionem, quæ nihilominus eo instituto, quod retinerent Institutionum explicatores, plurimum foveretur in corruptionem totius Gymnasii, quoniam juniores sic assuefacti alias postea scholas corrumperent: denique studiosorum utilitas postulare videretur, ut rebus assuefierent melioribus, nec bonas desererent literas, matreque ignorantiæ barbarie nutrirentur, sed studium eloquentiæ cum studio sapientiæ conjungerent. Quamobrem hujusmodi malo reme-
D dium esse adhibendum: ipsos Institutionum explicatores ad veterem superiorum explicatorum consuetudinem revocandos: Rhetoricæ, atque Humanitatis horam non amplius impediendam. Hæc ego tunc dicebam.

Sapientissimi autem Præsides, *Thomas Maurocenus* Prætor, & *Zacharias Contarenus* Eques, & Præfectus, eis jusserunt, ne Humanitatis explicatori amplius molesti essent. idque fecerunt præsentibus, ut superius quoque notavi, ipsorum Cancellariis, & *Mario Bibilaqua Saloensi*, Syndico Universitatis studiosorum Philosophiæ, ac Medicinæ, aliisque nonnullis. Quod jussum quo-
E niam literis non est consignatum, id enim ut efficeretur, ego parum curavi: iccirco evenit, ut cum post sapientissimorum Præsidum discessum illi regressi essent ad perniciosissimam consuetudinem suam, & ego an. 1597. apud illustrissimum Prætorem *Aloysium Bagradenum* illos cuperem in officio continere, ipse Prætor incertus de jam lata sententia, quæ scripta ostendi non potuit, quamque ut ego affirmabam, ita illi negabant, censuerit se, qui nihil auctoritatis haberet à Gymnasii Moderatoribus, nihil hac de re debere decernere, sed eam ab ipsis Moderatoribus esse dijudi-
F candam. Ego vero tunc satis habui magnam abusionem iterum patefacere; quæ quo magis toleratur, eo major in dies fit, & abit in exemplum magnæ corruptionis, audentibus multis aliis hoc genere privatarum explicationum subsellia scholarum nudare, ac publicum Gymnasium depopulari.

CAP.

103.

CAP. XVI.

De re Jesuitica.

1591. Philosophiæ, Medicinæ, aliarumque optimarum artium in Gymnasio *Patavino* explicatores adversus Reverendos Patres Jesuitas sunt concitati; qui multis ante annis Gymnasium erexerant, scholasque publicas aperuerant, non solum ad eas artes tradendas, quæ pertinere præcipue ad Humanitatem dicuntur, & in primis Rhetoricam, atque utramque linguam tum *Latinam*, tum *Græcam*, sed etiam Logicam, Philosophiam, Mathematicas disciplinas, Metaphysicam, Theologiam; auctoresque fuisse existimantur dictandarum ad verbum in omni genere explicationum. Quæ dictandi abusio, tamquam contagio, à juvenibus imperitioribus expetita, ita etiam publicos Doctores occupaverat, ne viderentur minus utiles, quam Jesuitæ, ut pro integra explicatione, quæ in unius horæ curriculum concluditur, ne tertiam quidem partem ejus haberent, & nihilominus horæ spatium conficerent; ex quo cum aliquid sæpe multis occasionibus delibetur, ac detrahatur, illud etiam accedebat deminutionis, quod dictando tempus consumebatur. Quid? quod sæpenumero juvenes nobiliores, subterfugiendo incommodum ad scholas proficiscendi, famulos suos mittebant ad explicationes excipiendas, ac negligentiores fiebant propter apparens commodum eorum, quæ dictabantur? Rem miram narrabo, sed veram. Cum ego ipse in primo studiorum curriculo & in ipso prope vestibulo publicarum explicationum superioribus annis officii caussa magnum quemdam philosophum auditum ivissem, & in magna frequentia auditorum duos famulos animadvertissem Nobilium juvenum, qui privatim mihi operam dabant, illis ad fores expectantibus, & nihil se tenere significantibus, quod ad literarum studia pertineret, qui tamen illius Philosophi disputationem excipiebant, diligenterque conscribebant; illorum factum admiratus, quippe qui ipsos à studio optimarum artium alienos existimaveram, posteaquam ad finem disputationis ventum est, cum illi ad me accessissent: Gratulor, inquam, vobis, quod philosophi sitis, & longe, quam putaram, præstantiores. Ad quæ mea verba cum respondissent, & quidem erubescentes, suscipere se eum scribendi laborem, non
103. v. quod ipsi literis operam darent, sed ut id efficerent, quod domini jussissent, qui postea domi rebus conscriptis studebant, statim philosophum ipsum secutus sum, eumque assecutus, re illa patefacta. Quid prohibet, inquam, quominus tu quoque famulum mittas tuum, atque ita hæc res tota per famulos agatur, gravantibus dominis propter introductam dictandi abusionem ad scholas venire? Accedit, quod propter eundem abusum multi se conferre in hunc optimarum artium mercatum desinebant, curantes tamen, ut dictatæ explicationes secum communicarentur. Itaque illa studiorum frequentia, quæ maxime requiritur, cessabat: & hoc genus pravæ consuetudinis in Gymnasio *Patavino* Rev. Patribus Jesuitis acceptum referebatur. Cum autem ipsi publico Gymnasio plurimum afferre detrimenti viderentur, sonitu æris Campani ad ipsorum scholas multitudinem juvenum convocantis, editione rotatæ paginæ ordinem futurarum explicationum declarantis, apertione scholarum tamquam publicarum, aliisque multis modis, qui eorum factum ipsi Gymnasio detrimentosum apertissime declarabant: Doctores publice docentes id perpeti amplius non potuerunt, &, ut à Principe, Senatuque *Veneto* remedium peterent, congregati sunt, tresque de-

A legerunt Legatos, qui *Venetias* universi Gymnasii nomine proficiscerentur, & de Jesuitarum Antigymnasio conquererentur, *Franc. Piccolomineum Senensem*, primarium Philosophum, *Cæsarem Cremoninum Centensem*, maximum itidem Philosophum, *Herculem Sax. Patavinum*, Philosophum, & Medicum præstantissimum, qui una cum Rectoribus Universitatis *Petro Alzano Bergomate*, *Augustinoque Dominico Fulginate*, ac magno studiosorum numero ad Principem in excelsum Collegium cum introducti essent, & quidem cum maxima dubitatione futuri eventus, quod plurimi Pa-
B tricii liberos suos ad eorum scholas mitterent erudiendos, plurimumque illis favere viderentur: *Cremoninus* eo sermone, quem sibi vindicant *Etrusci*, luculentam habuit orationem. proximis autem sequentibus diebus res de Collegio in Senatum delata est, orationisque habitæ à *Cremonino* exemplar magna ibi attentione recitatum, postque recitationem omnium prope suffragiis, & quasi viva voce, prout ille suaserat, S. C. factum, & Senatus sententia ad *Patavii* Præsides, *Jo. Bapt. Vitturium* Prætorem, & *Vincentium Gradonicum* Equitem Præfectum, die XXIII. Decemb. sic perscripta.

C *Nos ratione ducti admodum necessaria, providendum esse, quibuscunque modis fieri potest, ut dissensio, & discordia inter studiosos exorta propter eas ipsas caussas, quas ad nos conscripsistis, quasque in Collegio nostro magnifici Rectores, & Legati Universitatum Gymnasii nostri Patavini recensuerunt, minime augeatur, cum evidenti malorum periculo, quæ consequi possunt, & extinctionis ipsius Gymnasii; mandamus vobis cum Senatu, ut reverendos illos Patres Jesuitas accersatis, verbisque hujusmodi moneatis, quod ab una quidem parte ipsi possunt aperte perspicere nos promptos semper, & paratos fore ad protegendam, & fovendam ipsorum Societatem omnibus in*
D *rebus, quæcumque videantur cultui divino convenire: ex altera vero parte justissimis de caussis nobis debet mirum videri, quod intellexerimus eos in illam urbem nostram variis modis Gymnasii formam introduxisse, sonitu æris Campani, editione rotatæ paginæ, explicatione disciplinarum in iisdem horis, apertis portis, & publicis scholis, hac etiam facta inscriptione, GYMNASIUM PATAVINUM SOCIETATIS JESU, quasi in contentionem cum Dominio nostro, & apertum detrimentum Gymnasii nostri, tam multos abhinc annos à nobis protecti ob magnam, quæ inde omnibus temporibus percepta est, utilitatem, magnumque omnium* 104. v.
E *Christianarum gentium, & nationum beneficium, nullis antehac ausis quovis modo ei aliquam perturbationem, aut malum exemplum afferre, quemadmodum intelligimus propter novum Gymnasium ab eis institutum evenire. Quamobrem à nobis statutum est non posse eos, nisi inter ipsos ad suorum ipsorum, & non aliorum utilitatem profiteri, nihil quidquam agentes contra statuta, & privilegia Gymnasii nostri Patavini. Hoc munus cum apud illos Patres obiveritis, quos in voluntate nostra esse conquieturos, nobis persuademus, volumus, ut Doctores in publico Bovis Gymnasio profitentes ad vos convocetis, eosque certiores reddatis, cum ab illius Gymnasii Moderatoribus*
F *pro ea, quam habent, auctoritate ad superiores Patavii Præsides conscriptum fuerit, ut dictandi prohiberent in publicis cathedris abusionem, perlatumque ad nos sit, retineri nihilominus istam perniciosissimam consuetudinem, certissimam Senatus nostri voluntatem esse, ut à dictandis explicationibus omnino se abstineant: quoniam sine dubio id explicandi genus magnum affert damnum, majusque etiam fortasse, quam Universitatum Legati quadam ipsorum scriptura ad nos delata expressisse videantur. Quod, si quis contrafacere ausus fuerit, vobis facultatem damus hujus-* 105.
modi malo providendi, iisque pœnis remedium affe-

A. Riccobonus. I *rendi*,

rendi, quas judicabitis convenire. Facitote autem nos certiores, quidnam his ipsis de rebus effeceritis, curantes, ut hæ literæ, ubi congruere putaveritis, ad perpetuam rei memoriam perscribantur.

Itaque propter has literas Gymnasium cessavit Jesuitarum.

An. 1594. Civitas *Patavii* decreto facto in sententiam *Benedicti Doctorii* Philosophi, ad *Venetiarum* Principem Legatos misit, ut declararetur, S. C. factum anno supra millesimum, & quingentesimum nonagesimo primo, quo illi publicas scholas exercere *Patavii* quemadmodum diu fecerant, prohibiti sunt, in scholis Grammaticæ, Rhetoricæ, universæque Humanitatis locum non haberet. Quamobrem ego, qui in hoc Gymnasio Artes Humanitatis, in primisque Rhetoricam profitebar, ad pedes ipsius Principis supplex accedere coactus sum pro plena illius S. C. observatione, ita ut, si id de aliis professionibus non tolleretur, ne de Humanitatis quidem professione rescinderetur. Qua de re in pleno *Venetiarum* Collegio die decimo Augusti, qui Divo *Laurentio* sacer est, postea quam unus de illis Legatis, *Beldomandus Candius*, Juris Pontificii, Cæsareique Doctor finem dicendi fecit, ego pro mea cathedra orationem habui. Qua quidem habita decretum propositum est, ut *Patavii* Præsidibus his de rebus responsum committeretur, idque decretum cunctis suffragiis præter duo sola fuit reprobatum; cumque inter eos, qui Sapientes Magni vocantur, de hoc ipso negotio ad Senatum referendo ageretur, inter ipsos non convenit; famaque erat in Senatu pro Jesuitis profici nihil posse. Præterea vero *Nicolaus Bolitius*, *Ascruvinus*, Rector Universitatis Juris studiosorum, Divi *Marci* Eques, conquestum eadem de re ad Principem venerat; eloquentiæque studium adversus Patres Jesuitas, & quosdam pro patribus Jesuitis subscriptores sibi protegendum putaverat; nec tale studium ab eo, cui in primis præsideret, Juris Civilis studio;
105. quemadmodum nonnulli ab omni Humanitate alie-
v. ni existimare visi fuerant, alienum judicaverat: sed nullis precibus, nullis minis cedens, integer, & incorruptus constantissime, & perseverantissime præcipuum Juris Civilis instrumentum, vel adhibito eloquentissimo advocato *Bernardo Pesentio* defenderat. Quamobrem Legati *Patavini* ne re quidem ad Senatum relata dimissi sunt.

An. 1596. rursus negotium Jesuiticum tractatum est, quæ tertia fuit tractatio, posteaquam iterum Civitas *Patavina* adducta est ad supplicandum Serenissimo Principi *Venetiarum*, ut ipsi ad docendum restituerentur. Qua de re primum est mecum actum, an ego, qui Humanitatem, & præcipue Rhetoricam profiterer, possem cum eis convenire. Deinde cum id fieri minime potuisset, *Patavinorum* nomine supplicatum est, ut eis facultas concederetur docendi, si non alia, at saltem Grammaticam, easque artes ad Humanitatem pertinentes, quæ publicum Humanitatis Explicatorem minime læderent.

Qua honesta, & satis artificiosa petitione videbantur velle sibi aditum fieri ad omnes Humanitatis partes pertractandas, cum profiteantur suum docendi modum, quidquid doceant, nullum publicæ Cathedræ importare detrimentum, tamquam submissiorem, & privatis etiam magistris concessum, qui omnia, quæcumque ipsi volunt, pertractant, & tamen non prohibentur. Hæc argumenta satis quidem probabilia, sed, ut arbitrabar, fallacia non solum cum quibusdam eorum colloquendo refutavi, verum etiam quemadmodum refutarem, ad Gymnasii Moderatores perscripsi, cum satis constet hos Patres & summisse, & graviter agere, prout volunt: multumque in-

A teresse inter factum privatorum magistrorum, qui aliquot paucos docent, & horum ipsorum patrum, qui omnibus gentibus, & nationibus scholas aperiunt, & habere se *Romæ* aliquot auditorum millia, habuisseque *Patavii* non minorem juvenum concursum, quam publicæ haberent scholæ, gloriantur. De quo negotio Jesuitico *Patavii* Præsidibus mandatum fuit, ut habita diligenti quæstione, quid sibi videretur, responderent. Cumque observassem non de omnibus Doctoribus quæri, sed eorum selectionem aliquam fieri, incidi in 106.
eam suspicionem non omnes passim adhiberi testes, sed eos tantummodo, qui diligenter à fau-
B toribus Jesuitarum, insciis præsidibus, prensati fuissent. Itaque ego, de quo in primis agebatur, ad ipsos Præsides accessi, dixique ad eorum integritatem pertinere, ut responso suo Serenissimum *Venetiarum* Principem certiorem facerent, non modo de eorum dictis, qui non sine prensatione testes producti fuissent, verum etiam de rationibus meis, de quo in primis agi videbatur. Ad quas dicendas per aliquot quidem dies admissus non sum: sed tandem aliquando Gymnasii Doctoribus apud ipsos Præsides congregatis, quibus cum etiam erant Sapientes Deputati ad utilia *Patavinæ* Civitatis, & alii plurimi; dataque unicui-
C que potestati dicendi hac de re, quidquid vellet, cum ego quoque admissus essem, pluribus verbis egi caussam meam. Dum hæc agerentur, Universitas eorum, qui dicuntur Artes profiteri, de eodem negotio Jesuitico ad Principem, & Senatum *Venetiarum* literas dedit. quibus in Senatu perlectis, & cognita voluntate ipsius Universitatis, quod de Patribus Jesuitis prius se audiri cuperet, quam quidquam decerneretur: tale signum datum est publicæ propensionis, ut, qui eis favebant, rem aliquantisper differendam censuerint, nec tunc tractandam, cum omnia futura esse contraria videbantur.

D An. 1597. revocata negotii Jesuitici tractatione, commissa de eo rursus *Patavii* Præsidibus responsione, ut, quidnam ipsa Universitas diceret, perscriberetur, datis etiam literis ad Senatum ab eadem Universitate, primum rogantibus, ut res differretur tantisper, dum ea posset ad Principem accedere, deinde vero etiam Gymnasii rationes exponentibus, adnitente in primis *Marco Cornelio*, *Patavii* Episcopo præstantissimo, conventio facta est in hanc sententiam;

Quotiescumque Reverendi Patres Jesuitæ instituant juvenes in literis Humanitatis eo usque tantum, quo usque ipsi juvenes apti sint ad audiendum publicum Humanitatis Explicatorem, abstinentes se per-
E *petuo à quarundam rerum explicatione, quæ præcipue in publico Gymnasio explicantur, scilicet Rhetoricæ Aristotelis, Poëticæ ejusdem Aristotelis, Topicæ facultatis Ciceronis; &, quod attinet ad alios libros* 106.
tum earum, quæ dictæ sunt, tum aliarum quarum- v.
libet rerum, non attingentes eas illis annis, quibus ipse Humanitatis Explicator ipsas susceperit explicandas; omninoque ita accommodantes operam suam, ut ipsorum scholæ sint publici Gymnasii seminarium, & augentes potius ejus numerum, quam deminuentes, adhibitis religiosis cohortationibus ad publicos Doctores audiendos apud eos, quos cognoverint idoneos,
F *& satis instructos ad illorum doctrinam percipiendam: Affirmo ego Antonius Riccobonus Humanitatis in Patavino Gymnasio Explicator eos hoc modo nullum impedimentum publico Gymnasio importaturos, sed multum utilitatis studiosæ juventuti Venetiarum, Patavii, aliarumque civitatum esse allaturos.*

Cui scripto se subscripsit Pater *Antonius Barisonius*, Rector Jesuitarum.

Et Illustrissimus, ac Religiosissimus *Patavii* Episco-

piscopus, pro utraque parte se prædem constituens; Et deinceps omnes Doctores publice docentes.

Nondum tamen hujusmodi negotium confectum est.

FINIS QVARTI LIBRI.

107.

LIBER QUINTUS.

CAP. I.

De victoria Naupactea *in Gymnasio* Patavino *celebrata.*

Initio anni septuagesimi secundi supra millesimum, & quingentesimum ego in majore Jurisconsultorum schola propter maximum non solum juvenum studiosorum, sed etiam Doctorum, hominumque omnis generis concursum ea, quæ exstat, oratione gratulatus sum Christianorum victoriam ad *Echinadas* paucis ante mensibus reportatam; quod quadraginta veteranorum hostium millia cæsa, captaque dicerentur: quod viginti Christianorum millia, quæ annis superioribus barbari captiva fecerant, in libertatem essent vindicata: quod sævissimus *Turcarum* Tyrannus, qui novo Regno inflatus, & tam amplæ fortunæ insolens, fœdus, quod ipse cum *Venetis* habebat, nulla ratione aut divini, aut humani juris habita turpissime fregerat, mirabiliter frenatus est: in quem *Pius V.* Pontifex Maximus *Philippum* Regem Catholicum cum Republica *Veneta* fœderatione sanctissima conjunxerat, seque suasque opes eodem fœdere devinxerat: missique erant cum tribus classibus *Joannes Austrius Caroli V.* filius, *Philippique* Regis frater, & *M. Antonius Columna Romanus*, *Sebastianusque Venerius Venetus* ad nomen Christianum tutandum, quod teterrimi hostes se deleturos esse minabantur: cumque eorum classis, quæ trecentarum erat navium, toto mari prædabunda volitasset, in portu *Naupacti* de adventu Christianæ classis nuncium accepisset, certissima concepta spe victoriæ, quasi non ad prælium, sed ad præmium iret, contra Christianos progressa est: cui Christiana classis tam fortiter se
107. objecit, ut omnium maxime memorandam retu-
v. lerit victoriam, per quam centum sexaginta una triremes, multæ biremes, aliorumque generum navigia non pauca in Christianorum potestatem pervenerunt; cæteræque triremes aut incensæ, aut depressæ sunt; atque ex quadraginta triremibus, in quibus erant nocturna luminum insignia, vix una, aut altera evasit; cum interim nulla navis ex Christiana classe fuerit capta duæque solæ fractæ, & aliquot vulneratæ sint. Quam excellentem victoriam oratione mea censui celebrandam.

CAP. II.

De Pio V. *Pontifice Maximo jussu Episcopi patroni nostri in funere exornato.*

Cum *Pius V.* propter Sacerdotum mores optime conformatos, cultumque divinum mirabiliter auctum, & sanctissimam, quam modo commemorabam, adversus immanissimos christiani nominis hostes confectam fœderationem Pontifex in Republica Christiana exemplo sane egregio, & singulari, ex hac vita excessisset: *Nicolaus Ormanetus*, *Patavii* Episcopus, & Gymnasii *Patavini* illustrissimus, ut vocant, Cancellarius, censuit eum ab uno de Doctoribus ipsius Gymnasii in funere esse exornandum; mandavitque mihi quippe qui veterem eloquentiam tractarem, ut de eo in Ecclesia Cathedrali orationem haberem. Quod feci quamlibentissime an. 1572. ut Pontificem pro virium mearum modulo laudarem post hominum memoriam integerrimum; ortum quidem in *Luco* loco nobili *Liguriæ* cis *Apenninum*, & celebri quondam Marchionatu, atque honesta *Guisleriorum* familia, in qua splendebat *Michael* Cardinalis *Alexandrinus*, sed magis virtute semper, quam generis nobilitate nixum; prius factum Episcopum *Nepesinum*: deinde Cardinalem à *Paulo IV.* Pontifice Maximo denique universæ Christianæ Reipublicæ præpositum eo maxime tempore, cum talis Pontifex requirebatur: cum *Gallia* ex multis hæreticorum vulneribus laborans erat adjuvanda: cum *Melitensibus* ad mœnia reficienda, & *Panaoniis* ad se defendendos contra *Turcarum* immanitatem opitulandum: cum *Philippus* Rex Catholicus, & Respublica *Veneta* ad ineundam contra *Turcas* cum sede Pontificia societatem utilissime adducenda: cum victoria de teterrimis Christiani
nominis hostibus referenda: denique cum maxi- 108.
me procurandum, ut *Tridentinæ* Synodi Sanctissima decreta Sanctissime observarentur, & religiosorum mores ad verum Dei cultum omnino conformarentur, ac vetus Ecclesiastica disciplina revocaretur, quæ omnia ille quamdiligentissime, ac maxima omnium cum admiratione præstitit, ut ego mea oratione expressi.

CAP. III.

De Animosorum Academia ex Gymnasio Patavino *conflata.*

1573. Florere cœpit *Patavii* Animosorum Academia ex Doctoribus, & studiosis juvenibus Gymnasii *Patavini* conflata, in ædibus *Ascanii Martinengi Brixiani*, præclarissimi, ac religiosissimi Abbatis, per tres annos, dum is *Patavii* habuit domicilium, mirabiliter culta; cujus sane præclara, & ad veram gloriam insignia extiterunt instituta, admirabiles ad omnium literarum laudem progressus, singularis optimarum artium pertractatio, excellens in disputandis rerum obscurissimarum quæstionibus ordo, eloquentiæ cum sapientia conjunctio peregregia, ad illustrandum omne doctrinæ genus studium flagrantissimum, atque ardor prope incredibilis; adhibitis in consilium præclarissimis, & præstantissimis viris, inter cæteros *Sperone Speronio* sapientium eloquentissimo, & eloquentium sapientissimo: *Francisco Piccolomineo* philosophorum nostri temporis maximo: *Bernardino Tomitano*, Philosopho, Medico, Poëta, oratore celeberrimo: *Matthæo Macino* Philosopho præcellentissimo, & literarum *Græcarum* ac *Latinarum* cognitione ornatissimo, receptisque in Academicorum numerum summis, ac prope divinis ingeniis; quæ quidem cum enumerare omnia longissimum esset, facere tamen non possum, quin hoc ipso in loco unum nominem inter cæteros præstantissimum *Antonium Quærengum*, civem *Patavinum*, literis

Græcis. & *Latinis* doctissimum, & disertissimum, in primisque laude poëtica peroratum, atque ad veterum poëtarum, *Lucretii Virgiliique* imitationem formatum peregregie, ut ex multis ejus carminibus constat accurate exquisiteque conscriptis, atque editis; qui *Romæ* diu floruit summe literatus, fuitque à secretis sacrosancti Cardinalium Collegii, charissimus Pontificibus, charissimus Cardinalibus, charissimus in *Romana* curia omni-
108. bus, quicumque aliquid de ingeniis, ac doctrina
v. possent judicare; nuncque est Canonicus *Patavinus* omni reverentia, atque observantia colendus. Præstantissimus autem Animosorum cœtus eum mihi honorem habuit, ut in ejus primordiis solemnem haberem orationem, quæ fuit de felicitate, nimirum de re illa, cujus unius ratio veteres distinguebat sectas; cum una ab altera eo distaret, quo finem bonorum, & malorum diversum haberet. Immo vero etiam voluit, ut de singulari ejus Insigni publice loquerer; quod erat Aries velleris aurei cum *Phryxo* in mari animo se se servante, & *Helle* in pontum cadente, cum ea sententia, *Facilis Jactura*, & cum Animosorum appellatione. Neque vero solum hujusmodi honoribus me decoravit, quorum memoriam benevolentia colam sempiterna: sed etiam dignum judicavit, qui per annum inter Academicos principem locum obtinerem, datis mihi Consiliariis *Faustino Summo*, cive *Patavino*, ac Logico præstantissimo, & *Stephano Theupolo*, Patricio *Veneto* Clarissimo, eo, qui non magis splendore generis sui, quod sine dubio illustrissimum est, quam doctrina summi Philosophorum *Francisci Piccolominei* decem Academicarum contemplationum libris ab ipso expressa, est illustratus. Cui quidem meo Principatui perillustris Comes *Sigismundus Turrianus* successit, & merito successit, quippe qui tam excellentem præstantiam ex personæ splendore arripuerat, ex majorum dignitate hauserat, ex parentum institutione expresserat, ex optimarum artium studiis conformaverat, ut Animosorum Academia omnem perfugii, decorisque sui spem in eo collocare merito posse videretur. Accessit alius honor, quod, cum Academicarum exercitationum consuetudo aliquo intervallo dimissa fuisset, à me petiit Academiæ Princeps cum *Ascanio Martinengo* Abbate perillustri, & modestissimo, cum *Jacobo Diedo*, viro non minus doctrinæ, & eloquentiæ splendore, quam religionis, & generis claritate ornatissimo, qui postea factus est *Cremæ* Episcopus, & cum *Matthæo Macino*, uno de præcellentissimis Academiæ parentibus, ut ad repetendas aliquantisper exercitationes solemnem prolusionem haberem, atque aliquoties præterea in eadem Academia operam meam aliquid explicando navarem. Quamobrem eam ora-
109. tionem habui, quæ de ascensu cæli ex *Platonicorum* doctrina inscripta est, Principe *Nicolao Contareno*, eodemque *Patavii* tunc Quæstore, eo, cujus sex luculentissimi de rerum perfectione extant libri, quique ad huc fecit, & quotidie magis facit admirandos in Republica progressus ad præcipuos dignitatis gradus. Jam cum ipse Animosorum Princeps, & *Patavii* Quæstor, *Nicolaus Contarenus*, *Patavii* Præsides, *Jacobum Fuscarenum* Doctorem, ac Prætorem, & *Franciscum Duodum* Præfectum, iis ipsis diebus, quibus ego inter Academicos sermonem habiturus eram, ad Academiam invitasset, ipsum sermonem ad tales, tantosque accommodavi auditores, argumentumque iis quam maxime congruens excogitavi; ut uno die de optimo præside agerem, qualis esse *Fuscarenus* in primis existimabatur: altero de fortitudine, ac magnanimitate, quæ *Duodi* propria esse videbatur. Quæ duæ orationes quoniam ad
A huc pervulgatæ non sunt, iccirco in gratiam studiosorum eloquentiæ, & ut memoriam conservem patronorum meorum, hoc in loco adscriptæ, nunc edentur: cum ut supra quoque notavi, facile sit eis, qui talia episodia minus probant, arbitratu suo aliquot pagellas transilire.

Ad Jacobum Fuscarenum *Philosophum*, Patavii *Prætorem*, *nomine Academiæ Animosorum*, *Oratio*.

Ex omnibus veterum institutis, quæ multa sunt, & præclara, ad bene, beateque vivendum ac-
B *commodata, nullum mea quidem sententia est neque ad excitandos hominum animos opportunius, neque ad vitæ civilis finem aptius, quam ut in bene constituta civitate quantum quisque mereatur, tantum eidem laudis publice tribuatur. Ita enim & ad labores suscipiendos, & ad pericula pro communi salute subeunda gloriæ studiosi homines facillime invitantur. Quapropter si privatos homines, qui præclare, ac fortiter aliqua in re se gesserunt, intelligimus summis laudibus olim fuisse elatos, & publica oratione celebratos; quanto magis convenit, Academici ornatissimi, eos commendari, à quibus non modo Rerumpublica-*
C *rum gubernacula tractantur, verum etiam populorum salus cum vitæ commoditate curatur? Quod si antea hoc genus laudis cuiquam jure tributum est: certe nunc tibi, sapientissime Prætor, id maxime deberi censent, & taciti quodammodo consitentur Academici* 109.
omnes Animosi, quorum nullo repugnante nemini umquam justius, quam tibi, hoc ipsum potuisse deferri, v.
verissime audeo affirmare. Neque id quidem, quod tibi sit magnopere necessarium: omnia enim, quæ ad veram laudem pertinent, in te ipso habes cumulatissime posita: sed ut nos hoc nostro fungentes munere minime ingrati videamur, tuisque successoribus stimulos adhibeamus, ut ipsi quoque præclara factitantes simili se laude dignos præbeant. Quamobrem superio-
D *ribus proximis diebus hæc florentissima Academia mihi justis de caussis charissima, tuæ dignitatis, & amplitudinis studiosissima, ex animo me rogavit, ut te hodierno die ipsam invisurum, & gravissima præsentia tua honestaturum communi omnium Academicorum nomine salutarem, & tuis laudibus si non possem omnino, at saltem aliqua ex parte satisfacerem, tibique pro maxima benignitate, atque humanitate tua gratias agerem immortales. Quam ego provinciam tametsi jure poteram recusare, quod tuarum virtutum magnitudo omnem superaret laudis excellentiam, nullaque esset tanta vis dicendi, tantaque co-*
E *pia, quæ rerum tuarum gestarum amplitudinem æquare posset: tamen fecit singularis quædam mea in Academicos observantia, ut maluerim eorum voluntati obsequens in imprudentiæ fortasse notam incidere, quam, si recusassem, eorundem erga me benignitatis immemor, & ingratus existimari: cum præsertim ad eam rem vehementius idem, qui me dehortaretur, etiam quodammodo hortaretur laudum tuarum cumulus prope immensus, in quo nemini oratio, quamvis infantissimo, deesse posse videretur. Cujus amplitudinis tuæ fama clarissima commoti omnes in omnibus terrarum partibus te longe etiam locorum intervallo disjunctum mirifice amant, colunt, obser-*
F *vant: & nos præsentem propter incredibilem conspectus tui lætitiam gestientes suspicimus, admiramur, obstupescimus. Itaque patere, quæso, Illustrissime Prætor, pro tua singulari benignitate atque humanitate, ut horum tibi sensus, & quam de maximis, ac præstantissimis animi tui bonis conceperunt opinionem, brevissima exponam oratione. Vos vero, Viri conscripti ornatissimi, si quæ in hoc argumento dicenda essent, non potero, ut cupitis, cuncta persequi, quæso, obtestorque ut id non solum in maximas temporis angustias, quibus valde premor, verum etiam* 110.
in

in suscepti oneris magnitudinem, & virium mearum imbecillitatem transferendum putetis. Quæ enim potest esse tanta ubertas ingenii, quæ tam incredibilis unius hominis eloquentia, quod tam acre studium, quæ tam accurata diligentia, qua possit satis pro dignitate is Præses celebrari, à quo uno, tamquam cujuslibet rectissimæ administrationis norma, regula, præscriptione, etiam reclamantibus Philosophorum, atque Dialecticorum præceptis, ad universam optimi Præsidis conformationem licet ascendere, ita ut ex uno præstantissimo Præside excellens eorum omnium præstantia, quibus aliqua Reipublicæ pars commissa fuerit, universe ostendatur? per te enim nunc licebit, Philosophe gravissime, à Philosophiæ ratione, quæ tibi semper probata est, aliquantisper recedere; eaque via, quam ipsi etiam philosophi hominum intelligentiæ planiorem, atque aptiorem consenserunt, insistere; ac non universo virtutum genere naturaque describenda, qualis esse debeas, argumentari; sed singulis actionibus tuis exponendis, qualis sis, demonstrare; tuamque auctoritatem, & exemplum cæteris omnibus imitandum proponere; atque optimum regendæ Reipublicæ modum ex tuis rebus gestis præscribere. Et vero, cum tu publica munera ita obeas, ut in te nihil desideretur; atque in eorum administratione icciro excellas, quod sis non solum sapiens, non solum prudens, verum etiam integer, & pius, & beneficus, & omni virtute præditus: quis adeo pertinax, adeo obstinatus sit, ut etiam non servata argumentandi formula, illud verissime confici posse non fateantur, In omni perfecto Præside sapientiam, prudentiam, integritatem, pietatem, beneficentiam, omnem virtutem inesse oportere? Equidem cum diligentius in amplitudinem tuam intueor, ut taceam Serenissimæ Patriæ tuæ splendorem, quæ sine dubio est lux orbis terrarum clarissima: arx omnium gentium munitissima: domicilium virtutis, & gloriæ celeberrimum: templum libertatis sanctissimum: perfugium afflictæ fortunæ tutissimum: ornamentum Italiæ perpetuum: totius denique Christianæ Reipublicæ propugnaculum, barbarorum ferocitati oppositum; quod nisi staret, nullum profecto Christianæ religionis vestigium jamdiu videremus in Europa; ut omittam
110. V. *Fuscarenæ familiæ claritatem, quæ tam multis, tamque præstantibus in Republica Senatoribus perpetuo fuit illustrata, ut multos abhinc annos scribi nullæ potuerint historiæ, quin de præclaris rebus ipsorum gestis passim videamus factam esse mentionem; ut talia silentio præteream, quæ quamvis egregia, & præclara, tibi sunt cum multis aliis communia: te potissimum in eo efferendum esse comperio, quod animadverteris, quam necessarii sunt oculi nobis in corporis actionibus, tam necessariam esse sapientiam, & prudentiam in Reipublicæ administrationibus; ut, quemadmodum T. Manlius Torquatus, cum intellexisset se fuisse consulem declaratum, minus se idoneum existimavit ad summum imperium administrandum propter valetudinem oculorum, & ob id consulatum recusavit, sic, qui carent lumine doctrinarum, & propter inscitiam, atque imprudentiam suam in omnibus rebus aliorum indigent opera, minus digni sint, quibus Reipublicæ gubernatio committatur. Præclare enim is, qui oraculo Apollinis sapientissimus omnium est judicatus, Socrates censuit, ut errores omnes tum manuum in apprehendendo, tum pedum in gradiendo, à videndi defectu originem habent: sic errata hominum omnia tum in eligendo, tum in agendo ab intelligentiæ proficisci imbecillitate. Quod, si dux ipse sit cæcus, quomodo rectum iter ab iis, qui ducuntur, conficietur? Si gubernator sit oculis captus, quomodo beatitudinis portus ab iis, qui navigant, invenietur? Hinc manavit sapientissima illa Platonis sententia in ore omnium posita, & satis sermone contrita, de philosophis ad Rerumpublicarum rectionem, regibusque ad philosophiæ tractationem admovendis. Hinc factum est, doctissime Prætor, ut ab ineunte ætate ipse tibi imitandos proposueris, non modo quos materna familia suppeditavit, viros doctissimos, Aloysium Rhenerium propter magnam doctrinam suam ad procurationem Marciam evectum; & Danielem Rhenerium, Procuratorem itidem Marcium, literarum Græcarum, & Latinarum cognitione ornatissimum; Franciscumque Rhenerium, avunculum tuum omni literarum genere præfulgentem, & in primis poetam perillustrem: verum etiam, quos paterna domus tulit, vires sapientissimos; atque inter cæteros magnum illum Philosophum, Sebastianum Fuscarenum, omnium nostri temporis philosophorum coryphæum, philosophiæ quasi limen, immo potius lumen, Fuscareni* III. *nominis decus, Venetæ præstantiæ ornamentum; de cujus laudibus nulla umquam ætas conticescet; cujus gloria quo illustrior est, eo brevioris eget commemorationis, quippe quæ omnibus notissima, omnibus in promptu sit. Ad quorum doctissimorum hominum imitationem ut egregie te effingeres, præter excellentes multas eloquentiæ exercitationes omnes philosophiæ partes quam studiosissime es persecutus, atque in eis mirabiliter excelluisti, idque excellentiæ documentum, modo publice argumentando, modo argumentationibus philosophorum in publicis disputationibus respondendo dedisti, ut facillime fueris non solum à clarissimo Philosophorum Veneto Collegio Philosophus declaratus, verum etiam à Serenissimo Senatu dignus judicatus, qui Venetiis Philosophiam publice doceres. Quid dicam admirabilem factum ad te audiendum studiosorum juvenum concursum, in quorum numero me diutius fuisse merito gloriari possum? Quid recenseam crebras auditorum tuorum assensiones, multas admirationes, magnos applausus? Quid commemorem mirificos patriciæ juventutis te duce, atque auctore in studiis optimarum artium factos progressus ad excellentiam? Quamobrem immortales tibi à patria tua gratiæ habendæ sunt, quod juvenes nobilissimos erudiveris non modo ad rerum veritatem indagandam, & caussas pervestigandas, verum etiam ad Rempublicam capessendam, ad jura civitati describenda, ad civium inter se dissidia componenda, ad legationes cum laude gerendas, ad omnia publica munera præclare obeunda. O! maxima beneficia, & ipsis etiam fortitudinis operibus anteponenda. Viri enim fortes tantum per se: sapientes vero etiam per alios. illi raro: hi perpetuis temporibus. illi una tantum ætate: hi per omnia sæcula, dum eorum doctrina posteris quoque traditur, Reipublicæ prosunt. Cum igitur non solum à natura singularem prudentiam arripuisses: verum etiam ex optimarum artium studiis hausisses; mirum profecto non fuit, si te semper magna patriæ tuæ comitia, ut virum prudentissimum, suffragiis suis cohonestarint: si tua gravissima consilia amplissimus Senatus, ad quem à juventute tua elatus, & quotannis pro Reipublicæ commodo, ac dignitate vocatus fuisti, sæpissime comprobarit, ac secutus sit: si sæpius receptus in numerum decemvirum, id est, in eum senatum, qui tamquam alter Areopa-* IIII. V. *gus omnem superat laudis excellentiam, in gravioribus Reipublicæ negotiis egregium te Senatorem præbuisti. Hæc autem eruditionis, & intelligentiæ laus, viri conscripti eruditissimi, cum clara sit: dici tamen non potest, quantopere in nonnullis obscuretur, quos intelligere quidem plus, quam cæteros, & futura prospicere, atque ad negotia expedienda, consiliaque ex tempore capienda idoneos esse comperias: sed, quoniam minime videntur vivere sine alicujus fraudis, ac injuriæ suspicione, icciro illis salutem hominum, & fortunas minus recte committi arbitreris; ut ad laudem senatoriam omnino requiratur integritas, & innocentia cum doctrina, & prudentia conjuncta. Quid enim? an forte putabis senatorem, quantumvis doctum, & prudentem habere satis auctoritatis ad Rempublicam administrandam, quem videas*

deas in administratione sua nihil respicere aliud, quam quomodo insatiabilis accumulandarum opum aviditas, qua perpetuo ducitur, expleatur? Nonne ex hac magistratuum improbitate omnis privatarum, publicarumque rerum perturbatio, omnis labes, & pernicies civitatum proficiscitur? Quod cum tu optime intelligeres, semper curasti, ut non minus æquus, & probus, quam prudens, & sapiens & esses, & videreris; ac philosophica habendi mediocritate contentus in eo magis laborasti, ut plurimis opitulareris, quam ut aliorum pecuniis ditareris; omnemque semper cupiditatem frenasti; priusque didicisti, quomodo te ipsum contineres, quam continere alios professus es: eamque virtutem in primis amasti, qua teste ipso philosophorum principe Aristotele nihil humano generi datum esse clarius, nihil magis amplum, nihil perfectius, nihil utilius, nihil melius existimandum est. Etenim, ut is sapientissime, ac disertissime disputat, præ cæteris splendet justitia, tamquam omnium domina, & regina virtutum, admirabilior, quam Hesperus, & Lucifer; & Venere ipsa clarior; immo vero, ut cum aliis quibusdam philosophis argumentari possumus, etiam sole ipso splendidior; siquidem solem interdiu tantum lucere: justitiam vero etiam noctu nitere conspicimus: illum oculis tantum corporis apparere: hanc etiam oculis animi illucere animadvertimus. illum quandoque obesse: hanc semper prodesse
112. experimur. illum quatuor anni tempora efficere: hanc perpetuum ver facere observamus, collocatam in orbe signifero inter Leonem, & Libram, ut fortiter, & animose, æquabiliterque eam administrari oportere significetur. Quid dicam de Justitiæ amplitudine? de qua illud jam tritum, & pervulgatum est, Justitia in se alias virtutes continet omnes. Quam vero perfecta sit, nemini dubitandum videtur; siquidem qui ea præditus est, non solum erga se, verum etiam erga alios bene se habere existimatur, quod ad maximam pertinet perfectionem: plerique enim in suis ipsorum rebus præclare se possunt gerere: in alienis non possunt. Itaque recte Bias, vir sapientissimus, Magistratus virum ostendet. Accedit, quod hæc sola virtus inter cæteras omnes in bonis ducitur alienis: quia non ad suum, sed ad aliorum commodum omnia confert: aliorum enim commodis, utilitatique servit, aut principis, aut Reipublicæ cæteræ vero virtutes nonnisi quatenus sunt species justitiæ, aliorum serviunt commodis, bonumque existunt alienum. Denique justitia in opere maxime arduo versatur. nam, quemadmodum sceleratissimus habendus est, quicumque malitiam cum ad suam, tum ad amicorum perniciem, exitiumque convertit: sic optimus existimandus est is, qui virtutem non ad suam, sed ad aliorum refert utilitatem. O bonum omnium præstantissimum; quod insigniter enituit in multis, magnisque magistratibus, quos tu justissime, atque integerrime administrasti: ubi nihil tibi majori curæ fuit, quam ut suum cuique tribueretur: ut nemini contra fas, æquumque noceretur: ut quilibet communibus pro communibus, privatis autem ut suis uti posset: ut non modo nemini inferretur injuria, sed etiam omni injuriæ obsisteretur: ut nulla malitiosa juris interpretatio admitteretur: ut etiam adversus infimos justitia servaretur: ut pupillis, viduis, impotentibus, qui potentium aliquorum opibus circumveniri, urgerique viderentur, omnibus modis subveniretur: denique ut justitia semper, & ubique locum haberet. O virum justissimum, & cum Atheniensi etiam Aristide merito comparandum. Cum autem in aliis magistratibus justissimum te præbuisti: tum potissimum, cum Sanctissimo Inquisitionis officio præfuisti, hæreticumque pravitatem mirabiliter comprimendam cura-
112. v. sti, ac pietatem Christianam fovisti, protexisti, amplificasti: nam, quemadmodum in tractandis sapientiæ studiis cum Philosophia conjunxisti Theologiam, & hac tanquam regula perpetuo usus es in cæteris omni-

A bus disciplinis ad rectum, & verum dirigendis, ut non adumbratam, sed veram profitereris philosophiam; non errares, & labereris, quod plerique faciunt, qui contra præceptum Enniani Neoptolemi in Philosophiam ingurgitant, sed veritatem assequereris; non ita philosophareris, ut nihil crederes, sed ita crederes, ut vere de Deo philosophareris: sic in virtutum actionibus exercendis te maxime pium semper ostendisti, eamque veram virtutem esse tibi persuasisti, quæ conjunctam haberet pietatem christianam; cumque in aliis actionibus tuis mira documenta dederis pietatis singularis: nusquam tamen magis hæc virtus tua illuxit, quam in eo, quem modo dicebam, gravissimo
B magistratu, ubi mirandum in modum hæreticos insectatus es, veramque Christi fidem ab omni eorum pravitate incredibiliter vindicasti. Quibus maximis, clarissimisque virtutibus tuis accessit admirabilis quædam benignitas, atque humanitas: cum in publicis muneribus obeundis hoc potissimum tibi curandum existimes, ut magis diligaris, quam timearis: præclare enim nobilis poeta, Ennius, Quem metuunt, oderunt: quem quisque odit, perriisse expetit. Præclare Mitio Terentianus; Et errat longe mea quidem sententia, Qui imperium credat gravius esse, aut stabilius, Vi quod fit, quam illud, quod amicitia adjungitur. Præclare Philippus ad Alexandrum, Antipater ad
C Cassandrum, Antigonus ad Philippum; Difficile dictu esse, quantopere conciliet animos hominum comitas, affabilitasque sermonis, & iis, qui præsunt aliis, illud esse diligentissime servandum, ut oratione benigna multitudinis animos ad benevolentiam alliciant, ac ditioni suæ subjectos blande appellando sermone deliniant, atque omnibus, quibuscunque possint, benefaciant, beneficamve voluntatem ostendant. Ex beneficiis enim omnis proficiscitur honor: cum honorentur illi, qui benefecerunt, & qui benefacere possunt; hominumque benevolentia beneficiis capitur maxime: secundo autem loco benefica voluntate movetur, etiamsi res forte non suppetat. Quam-
D obrem tu, qui honorem semper amasti, qui summam, & perfectam gloriam concupivisti à multorum amore proficiscentem, qui in multis dignitatis gradi- 113.
bus collocatus te vere dignum dignitatibus tibi delatis ostendisti, in primis delectaris ipsa fama, & opinione liberalitatis, beneficentiæ, humanitatis, benignitatis, omniumque earum virtutum, quæ pertinent ad mansuetudinem morum, & facilitatem. Quas excellentes virtutes cum alias semper exercuisti, sane admirabiliter, tum potissimum, cum fuisti Gymnasii Patavini Moderator, in qua dignitate Doctores publice docentes te benignissimum, humanissimum, beneficentissimum, liberalissimum Moderatorem experti
E sunt, ac paratissimum habuerunt ad se defendendos, & protegendos, ad suam utilitatem, & commodum augendum, ad suam dignitatem, & ornamentum amplificandum. Testes sunt celeberrimi Jurisconsulti Jacobus Menochius, Bonifacius Rogerius, Bartholomæus Sylvaticus. Testes sunt præcellentissimi Philosophi, ac Medici, Bernardinus Trivisanus, Albertinus Bottonus, Nicolaus Curtius. Testis est omni doctrinæ genere ornatissimus Melchior Guilandinus; qui omnes te præcipuum adhibuerunt ad ampliora professionis suæ præmia consequenda, & parentem, ac prope Deum nuncupant suorum omnium commodorum, atque ornamentorum. Testes sunt superiores proximi
F utriusque Universitatis tum studiosorum Juris Civilis, tum studiosorum Philosophiæ, ac Medicinæ Rectores magnifici, qui tuam benignitatem, atque humanitatem deprædicant. Verum quid hanc ego, vel illam virtutem tuam laudo, in hac clarissima civitate, quæ omnium virtutum cumulum in te admiratur, & colit, eoque ita fruitur, ut te Prætore se beatissimam arbitretur? Tu enim consilio, & dicendi gravitate in publico commodo, ac decore custodiendo plurimum vales. Tu pacem, & concordiam civium,

qua

qua vigent leges, excoluntur mores, pertractantur artes, conservantur familiæ, nutriuntur civitates, omnium diligentissime tueris. Tu frugum ubertatem, & copiam, quæ unicuique populo gratissima est, enixe procuras. Tu non magis unam, quam alteram civitatis partem, non magis nobiles, quam ignobiles, non magis divites, quam pauperes: sed æque totum corpus tua auctoritate, tuis virtutibus foves. Tu omnibus faciles ad te aditus præstas, omnibus liberas apud te de aliorum injuriis querimonias esse vis, omnibus le-
113. *nem, & mansuetum te præbes. Tu omnes pariter tum*
V. *Principes civitatis, tum mediocres homines, tum infimos summa patientia audis; nec unius partis rationibus quidquam tibi umquam persuasum putas, nisi prius alterius cognoveris argumenta. Tu advocatorum tumultuosas contentiones tollis; lites, altercationes, jurgia resecas; mendacia, fraudes, scelera coërces. Tu caussarum multitudinem, ac longitudinem juris dicundi assiduitate deminuis. Tu omnes, quas dicis, sententias, quam maxima potes, temperas lenitate; ac cum omnibus moderatissime te geris. Tu denique ita hanc præturam administras, ut te ad hujus civitatis commodum, dignitatemque tuendam, atque augendam natum libenter confiteantur omnes, atque deprædicent. O summum Præsidem, omnium vocibus, ac literis celebrandum. Hic singulæ tuæ in hac prætura maxime insignes res gestæ commemorandæ essent, nisi de tuis singularibus actionibus dicendi locus nobilissimo, eidemque eloquentissimo Doctori Patavino ad eas celebrandas publice designato reservaretur. Quamobrem in hoc laudum tuarum mari maxime amplo, atque patente vela complicabo, portumque me invenisse existimabo, si prius illud, quod initio dicebam, extrema oratione mea confecero; cum sapientia in rebus pernoscendis, prudentia in peragendis, integritate in publicis muneribus obeundis, pietate in Christiana religione excolenda, beneficentia in benemerendo de hominum literatorum genere, denique omni virtute, omni excellentia, omni admirabilitate præstes; atque omnibus ita satisfacias, ut nemo in te ingenium, diligentiam, laborem, æquitatem, facilitatem, tolerantiam, veritatis studium, judicandi celeritatem, moderationem, ullam virtutem desideret: ex te uno pulcherrimum, ac præclarissimum posse exemplum desumi omnis perfectæ, atque absolutæ administrationis; & optimum conformari præsidem ad tuarum virtutum regulam, atque præscriptionem. Hunc igitur, Viri conscripti, tamquam unicam præsidendi ideam spectate, hunc suspicite, hunc admiramini. Ad hujus imitationem, tu, Nicolae Contarene, ornatissime Animosorum Princeps, cui divino beneficio contigit præclaram hujus civitatis Quæsturam tanto Prætore administrare, tu, Laurenti Justiniane, tu, Jo. Baptista Basadonna,*
114. *nobilissimi hujus Academiæ Consiliarii, vosque omnes, quotquot adestis, Veneti juvenes studiosissimi, animos vestros effingite. Hujus res gestas vos cæteri propositas habete ad veram regendarum Rerumpublicarum; rationem cognoscendam. Ego autem, præstantissime Præses, qui amplissimo nomini tuo me addictum, deditum, obstrictum profiteor, una cum his Academicis tui observantissimis, præstantiam, atque amplitudinem tuam perpetuo celebrabo, ac numquam desinam humanitatem, benignitatemque qua literatos omnes, bonarumque artium studiosos complecteris, prædicare. Tu vero universæ hujus Academiæ, atque adeo meam in te propensionem ne despicias; nobilissimamque Patavinam Civitatem, clarissimum Gymnasium, excellentissimos Doctores, optimarum artium studiosissimos juvenes, qui omnes à te, tamquam à summo literarum patrono, & propitio quodam numine pendent, fovere, ut facis, protegere, defendere, ne graveris.*

A

Ad Franciscum Duodum Patavii *Præfectum, nomine Academiæ Animosorum, Oratio.*

Cum omnes virtutes, Academici ornatissimi, valde sunt laudandæ: tum illa præ cæteris est efferenda, cujus caussa homines pro honestate, pro patria, pro Dei cultu pericula subeunt, vulnera excipiunt, mortem oppetunt, nihil intolerandum putant, omnia ardua despiciunt, nihil extimescunt. Quæ præstans, & excellens virtus hominum animosorum, & fortium cum hodierno die, qui mihi propter hunc frequentissimum, & honestissimum literatorum hominum concursum jucundissimus illucet, perbrevi oratione mea exornanda sit; quid est, quod incertum de re tanta dicendi exitum timeam, cum & in Animosorum Academia verba faciam, quam omnis dedecet timor; & mihi languentem animum excitet Franciscus Duodus, præstantissimus Patavii Præfectus, de quo ego jussu amplissimi Academiæ Principis, Nicolai Contareni, Quæstoris diligentissimi, ad summam gloriam nati, dicturus sum? Tu igitur in primis, Præfecte generosissime, qui singularem animi excellentiam, & magnitudinem cum incredibili humanitate, ac benignitate semper conjunxisti, tua lenitate, & mansuetudine efficis, ut de te orationem habiturus non exalbescam, non contremiscam, non obmutescam. 114.
præterquam quod turpe esset de animoso viro dicere V.
incipientem parum animose agere. Itaque animose aggrediar ad laudes tuas concelebrandas, non equidem omnes (quis enim id in his temporis angustiis, in hac semihora, quæ datur ad dicendum, non præstare, sed polliceri, non sperare, sed optare, non dico possit, sed audeat?) verum eas tantum, quæ uni fortitudini tuæ congruere videantur. Neque enim mihi consilium accidit historici potius, quam oratoris munus obire, & res tuas gestas sigillatim recensere, quod argumentum ingens potius volumen, quam brevem orationem mea quidem sententia requirit. Neque animus est non minus communia cum multis, quam tui ipsius propria persequi oratione, quod facere solent nonnulli, qui partim ostendunt illorum ipsorum, qui laudantur, minorem esse præstantiam, quam ut ad ipsos exornandos patriæ nobilitas, majorumque imagines relinquantur, partim se adeo inopes esse verbis, ut minus possint in iis, quæ propria sunt, commorari. Non faciam igitur, non committam, ut magis patriæ tuæ amplitudinem, majorumque tuorum gloriam efferre, quam ea, quæ tu ipse gesseris, complecti videar. Quid enim tempus conteram Venetiis laudandis, quæ tot literarum monumentis, tam multis scriptis, tot orationibus, tam multis historiis illustratæ sunt, ut nihil magis sit sermone omnium contritum, nihil magis decantatum, nihil magis pervulgatum, quam illas esse pulcherrimum libertatis domicilium, tutissimam Italiæ arcem, amplissimum universi terrarum orbis theatrum: nec possunt non multis, magnisque laudibus defraudari, ubi brevitati sit consulendum? Quid dicam de nobilissima Duodorum familia, quam præstantissimis semper ad omnem laudem viris affluxisse, & ad altissimos honoris, ac dignitatis gradus singulari suorum præstantia ascendisse, notius, atque exploratius est, quam ut mea debeat oratione recenseri? At patriæ laus convenit etiam laniis, fartoribus, sutoribus, opificibus omnibus ejusdem civitatis. Et familiæ laudem habent etiam pueri, habent etiam alii parum virtutibus dediti in eadem agnatione. Quamobrem, quemadmodum Achilles non erat in primis ex eo laudandus, quod Græcus esset, quod unus ex semideis, quod originem traheret 115.
à Peleo, ab Aeaco, ab ipso Jove, quod ad Ilium miles ivisset: sed quod Hectorem Trojanorum fortissimum, quod Cycnum, qui sauciari non poterat, cum exscendere Græcos prohiberet, interfecisset, quod alia ejusmodi fecisset, quæ non ad Diomedem, non ad alios,

alios, sed ad ipsum solum referebantur: sic tua laudatio, præstantissime Duode, non rebus communibus cum aliis, sed à tuis propriis, & tibi soli convenientibus sumenda est. Ac laudari quidem potes, & vere laudari, quod sis Venetus, & de patriciis Venetis unus; quod in numero eorum Senatorum, qui Regiam præ se ferunt majestatem; quod in præclarissima familia natus, ubi prope innumerabiles ad omnem virtutem præstantes viri floruerunt; quod habueris fratres viros præstantissimos, Jo. Baptistam, & Andream, alterum singularis industriæ, & domesticæ laudis, alterum eximiæ fortitudinis, & magnanimitatis specimen, & exemplar; habeasque adhuc tertium fratrem, Dominicum, egregium Senatorem, qui duos abhinc annos Consiliarius fuit, nuncque inter decemviros ita fulget, ut omnem superet laudis excellentiam; denique quod in duobus bellis contra Turcas gestis affueris: sed hæc omnia ita tibi cum multis communia sunt, ut ex eis exiguam dignitatis tuæ partem vindicare videaris. Illa vero magis propria, quod in Solimanum Turcarum Regem profectus, quo tempore ad Nicopolim pugnatum est, primum simpliciter ut Nobilis cum Andrea fratre tuo, fortissimo Trierarcho, deinde etiam Trierarchus, ipso Andrea maximo omnium navigio præfecto, &, cum maiora navigia, ad quæ gubernanda fueras designatus, non fuissent armata, rursus Trierarchus, omnibus illius belli negotiis, majori animo, quam cæteri, uno fratre tuo excepto, interfueris, atque cum maxima tua laude cum Calliopolis Præfecto decertaveris: in gravissimo autem bello, quod superioribus proximis temporibus adversus Selimum, etiam Turcarum Regem, est gestum, majoribus navigiis, seu quinqueremibus præpositus, quæ dignitas proxime accedit ad summum Generalis Imperatoris imperium, eam animi magnitudinem adhibueris, quæ ipsi patriæ, ipsi familiæ tuæ maximum decus affert, & ornamentum, atque ex suo fonte, ac flumine in patrios, ac domesticos rivulos plurimum gloriæ infundit. Tua enim laus &
115. v: patriæ, & familiæ laus est. Etenim, quotiescumque commemoratur te aditum patefecisse ad ingentem illam victoriam, qua nullam umquam majorem videre hominibus contigit; quoties Itali, quoties Hispani, quoties Germani, quoties aliarum gentium, & nationum strenui milites, qui pro Christi fide in eo prælio pugnarunt, te tantæ victoriæ auctorem testificantur: toties Venetorum fama celebratur; toties Duodorum gloria collustratur; ut majorem meo quidem judicio tu illis, quam illorum amplitudo tibi attulisse videatur. Hæc autem egregia virtus, Viri conscripti, satis constat, quam necessaria sit Reipublicæ conservandæ, atque imperio amplificando. Hac eximia virtute cæteræ omnes indigent, quæ pertinent ad Rempublicam gubernandam. Hanc tu præ cæteris coluisti; cumque videres, quantum animi tui præstantia Reipublicæ prodesse posset, ac filiis, propinquis, civibus tuis facem quandam ad bene de patria merendum, fortiterque agendum præferre cuperes, ad publicas administrationes, & ad eas præcipue, in quibus non minus mirifica fortitudinis opera, quam egregia prudentiæ consilia requiruntur, te contulisti, ac magnanimitatis stimulis, tamquam calcaribus impulsus es ad immortalia in Rempublicam beneficia conferenda. Præclare enim fictum est, vitam hanc nostram iter ita conficere, ut cum ratio quidem repræsentet aurigam, affectiones vero geminos equos, auriga ipse pudoris freno equos suos à rebus turpibus cohibeat, ac magnanimitatis calcaribus ad res omnes arduas impellat. Hæc illa calcaria fuerunt, quæ Leonidam, quæ Epaminondam, quæ Brutum, Decios, Scipiones, Paulum, Marcellum, Albinum, Gracchum quæ universos etiam exercitus ad mortem forti animo oppetendam incitarunt; quorum pulcherrimum exemplum cum alii multi in Republica Veneta, tum omnium fortissime Augustinus Barbadicus est imita-

A tus. Hæc illa fuerunt, quæ Miltiadem, quæ Themistoclem, quæ utrumque Africanum, quæ Sebastianum Venerium, quæ alios summos Imperatores ad insignes victorias impulerunt. Hæc fuerunt illa, Francisce Duode, vir fortissime, quæ primum te, primum quinqueremem tuam, primum eam navigiorum partem, quibus præeras, deinde vero etiam universam Venetorum classem, & Hispanorum, & Romanorum, in confertissimas Turcarum Triremes perduxerunt. 116. Nam, cum majoribus, & firmioribus navigiis, ut initio dicebam, præpositus esses, eo ipso die, quo teterrimi Christianæ religionis hostes sibi aditum facturi videbantur non modo ad imperium Venetum
B occupandum, verum etiam ad Hispanorum, & Romanorum vires confringendas, ad Christianorum principatus pervertendos, ad Christianum nomen delendum, ad universi terrarum orbis Monarchiam adipiscendam, tu non solum in primis, sed etiam primus superbientium, & prospera fortuna se efferentium ferociam; atque immanitatem repressisti. Cum enim ex portu Naupacti munitissima, & numerosissima Turcarum classis ad Christianas, quæ non procul aberant, classes advenisset, atque non minori superbia, & insolentia, quam si jam victoriam reportasset, ludibunda irruisset, tu primus sex quinqueremibus tuis illorum furorem compressisti; tu primus illorum classem
C verberasti; tu stragem ingentem fecisti; tu eam quinqueremem, in qua eras, cæteris anteriorem, à cæteris, ut quibusdam videri poterat, nimis disjunctam, nimisque hostium classi appropinquantem, tuæ autem præstantiæ, & animi magnitudini non nimis, ita hostibus opposuisti, ut, dum illorum Triremes militaribus tormentis disjiceres, deprimeres, incenderes, frangeres, Jupiter ipse tonare, fulminare, totum mare, totamque rerum universitatem permiscere videretur. Itaque Triremibus, quæ paulatim processerunt, faciliorem victoriam præbuisti, atque ita præbuisti, ut sine illarum etiam subsidio sex quinqueremium tantum, quas regebas, cum singulari firmitu-
D dine, tum præstanti gubernatione impetum trecentorum navigiorum excepturus, victoriamque reportaturus videreris. O virtutem admirabilem! apud omnes gentes, & nationes celebrandam. O mirificum in patriam, atque adeo etiam in Universam Christianam Rempublicam beneficium! O fortitudinem semper admirandam, semper colendam, semper prædicandam! Cui nam igitur tantæ victoriæ exitus est tribuendus, nisi ei, qui initium attulit hostium vincendorum? Cujus rei exstant publica testimonia ad memoriam tuæ virtutis sempiternam: exstant chirographa Illustrissimorum virorum, Joannis Austrii, & M. Antonii Columnæ, non officio aliquo facta,
E non ambitionis, non commendationis gratia data, sed ad perfunctum periculum in perpetuum testificandum: 116. v. exstant literæ illustrissimi Senatus Veneti, quibus pro amplissimo beneficio amplissimæ tibi gratiæ actæ sunt: exstant clarissima, & una omnium, qui affuerunt, vox, quæ te celebravit, & quotidie magis celebrat illius omnium nobilissimæ, omnium pulcherrimæ victoriæ auctorem. At quid opus est testimoniis Patavii, ubi, qui una tecum egregiam operam navarunt, fortes, & strenui cives Patavini quotidie de te prædicant, tuam virtutem extollunt, tuam præstantiam collaudant? Taceo te sequenti proximo post victoriam anno eandem animi magnitudinem adhibuisse, ut te-
F terrimos Christiani nominis hostes tormentorum militarium ejaculationibus etiam pluribus quam centum, & quinquaginta, semper aliis omnibus anterior, terrueris, fugaveris, exterminaveris. Id quod etiam honestissimo testimonio Illustrissimi viri, Joannes Austrius, & M. Antonius Columna, maximisque laudibus Illustrissimus Senatus per literas exornavit. Taceo, cum tibi permissum esset, ut propter infirmam valetudinem in patriam redires, fortissimum Imperatorem Joannem Austrium prope incredibili molestia affectum

affectum esse, quod tanti viri opera cariturus esset,
& per magnificum Catholici Regis Philippi Legatum
apud Summum Pontificem, per Bonericium, virum
à secretis Reipublicæ Venetæ præstantissimum, qui
erat Neapoli, per Gusmanum Sylvium, apud Sere-
nissimum Venetiarum Principem pro Philippo Hispa-
niarum Rege Legatum egregium, rogasse, atque ob-
secrasse illustrissimum Venetum senatum, ut quam-
primum remittereris, tamquam ad bellum gerendum,
& ad victoriam referendam inter alios excellentissimos
duces admodum necessarius. Cum autem non adum-
brata, sed vera fortitudine præditus sis; mirum pro-
fecto non est, si aliis etiam omnibus virtutibus ful-
geas. Nam ex doctissimorum hominum sententia, qui
unam virtutem vere habet, cæteras quoque habet; &
fortitudo in primis trahi posse ad quamlibet virtutis
materiam videtur. Etenim vir fortis non solum for-
midines exsuperat, sed etiam ignorantiæ arrogantiam
vincit in omni consultatione, injuriæ furorem frenat,
libidinem domat, & in quaque re fortiter, animose,
patienter sequitur honestatem. Id quod tu notissimum
omnibus, atque exploratissimum fecisti, non solum in
117. *iis præclaris administrationibus, quas modo comme-*
moravi; non solum cum amplissimo Venetiarum Na-
vali præpositus, cum quinqueremibus, quæ mercium
caussa Berytum mitti solebant, præfectus; cum Præ-
ses Corcyræ, nobilissimæ insulæ, constitutus fuisti:
sed etiam, cum Utinum, cum Bergomum rexisti; cum
decemvirûm caput, cum Consiliarius fuisti; & nunc
multo magis declaras in hac clarissima urbe, cujus præ-
fecturam dum geris, ita cumulatum te omnibus virtu-
tibus præstas, ut præter fortitudinem, laborem, indu-
striam, celeritatem, magnanimitatem nemo in te aut
prudentiam, aut consilium, aut temperantiam, aut faci-
litatem, aut ingenium, aut humanitatem, aut innocen-
tiam, aut integritatem, aut ullam aliam virtutem desi-
deret. O præsidem summum! O Præfectum præstan-
tissimum! O virum omnibus numeris, & partibus ab-
solutum! Gaude igitur, Patavium, tam excellenti bo-
no, quod ex tanti viri gubernatione in te derivatur:
gaude, quod tibi liceat ejus gravissimo, & jucundis-
simo adspectu perfrui, quem absentem propter egre-
giam civium tuorum de ipso prædicationem amabas,
colebas, admirabaris: gaude tanto patrono, custode,
defensore: gaudeat Gymnasium Patavinum tanti Se-
natoris in bonas artes propensione: gaudeat Animoso-
rum Academia animosi viri præsentia, favore, be-
nevolentia; ejusque excellentem præstantiam Acade-
mici omnes summis, quæ ei debentur, laudibus effe-
rant; nec ipsæ quidem Musæ de eo taceant, sed mo-
dulatis vocibus, & concordantibus sonis multarum
tanti herois virtutum concentum, atque harmoniam
imitentur.

Hanc orationem statim Musicus cantus est con-
secutus, rebus militaribus accommodatus. Quæ
ad Animosorum Academiam pertinentia pluribus
fortasse verbis, quam oportebat, exposui; non
ullius ostentationis caussa: sed quia libenter facio,
ut res in ea Academia gestas commemorem, cu-
jus præclarissimo nomini me plurimum debere
profiteor.

CAP. IV.

De obitu Constantini Paleocapæ *Rectoris.*

1574. Diem suum obiit Rector Universitatis
studiosorum Philosophiæ, ac Medici-
næ *Constantinus Paleocapa Cretensis* in funere à me
exornatus in templo Divi *Antonii* Confessoris hac,
quæ sequitur, oratione.

A *In obitu* Constantini Paleocapæ, *Rectoris* 117.
Magnificæ Philosophorum, & Medi- v.
corum in Patavino *Gymnasio Uni-*
versitatis, Oratio.

Cum maximum nobis omnibus dolorem attulerit
mors peracerba Constantini Paleocapæ, Recto-
ris magnificentissimi, ac Equitis perillustris: dici ta-
men non potest, mœstissimi Auditores majorine mole-
stia affici debeamus, quod magnifica Philosophorum,
ac Medicorum Universitas tanti Rectoris gubernatio-
ne tam cito caruerit, an voluptate, quod ipse præ-
B *stantibus suis, eximiisque virtutibus, quas omnes su-*
spiciebamus, & admirabamur, in cœlum elatus esse
existimetur. Equidem hunc communem mœrorem he-
sterna, atque hodierna aeris caligine comitatum non
possum non laudibus efferre: sed minime vereor, ne
ex honestissimi juvenis commemoratione vos mecum in
tanto mœrore illam percepturi sitis consolationem, quod
ipse ita natus sit, ita vixerit, ita mortuus sit, ut ad
cælestem pervolasse beatitudinem sine dubio videatur.
Hic non lugebo vitam hominum, nec vobis proponam
ante oculos humanæ vitæ mala, de quibus Cyrenaicus
Hegesias sic dicitur disputasse, ut multi eo audito mor-
tem sibi ipsi conscivisse narrentur. quod valde admi-
C *ratus Ptolemæus, Rex Ægypti, ubi ille concionaba-*
tur, ne ipse amplius tam perniciosam eloquentiam in
illo Regno exerceret, fertur prohibuisse. Neque enim
ego eo sum ingenio, quo ipse fuisse Hegesias perhibe-
tur: nec vos eos arbitror esse, quibus facile persua-
deri queat, hæc terrena membrorum vincula, has cor-
poris compages, hunc corporeum carcerem, in quo ani-
mi sunt inclusi, injussu præpotentis Dei esse infrin-
gendum; quod tamen fecisse fertur præter plurimos
illius philosophi, quem modo commemorabam, audi-
tores, etiam Cleombrotus Ambraciota, etiam Cato
Uticensis, etiam Lucretia Romana. Nec adducam
testimonia, & judicia Deorum immortalium, ut Ju-
D *nonis de Argiæ sacerdotis filiis Cleobi, & Bitone,*
inventis mortuis loco præmii, quod merebantur ob
matrem ad illius sacra pie convectam; ut Apollinis
de Strophonio, & Agamede, constructoribus Templi,
pro præmio morte donatis; ut Sileni, & aliorum,
qui optimum esse quamprimum emori prædicarunt.
Quid est enim quod hæc omnium sermone contrita, &
pervulgata in hac nobilissimo cœtu sapientissimorum 118.
hominum, apud Doctores præcellentissimos, & cele-
berrimos, in corona studiosissimorum, & eruditissi-
morum juvenum mea complectar oratione? Unum ta-
men silentio non præteribo de humanæ vitæ miseriis,
E *& calamitatibus, si prius vos, quos tanti æstimo,*
quanti debeo, etiam atque etiam rogavero, ut hoc,
quod dicturus sum, non ad aliquos vestrum referri
existimetis, viros præstantissimos, non ad hos præcel-
lentissimos Doctores, omnium doctrinarum lumina præ-
clarissima, omnium virtutum exemplaria pulcherrima,
quos omnes observo, veneror, &, ut debeo, colo, sed
ad eos tantum, qui sua ipsorum intelligentia, sua eru-
ditione, suis ingeniis, sua industria abutuntur. Et
vero, cum aut corporum, aut animorum, aut exter-
na bona in hominibus spectentur, corporibus Medici,
animis Philosophi, externis bonis Jurisconsulti nego-
tium facessere non desistunt. Corpora enim imperiosis
F *Medicorum jussis constringuntur, eorumque sæpenu-*
mero inscitia dissolvuntur. Animos vero in multas,
magnasque difficultates nonnunquam trahunt philoso-
phi, dum philosophiam ad regulam Theologiæ, & ve-
ritatis minime dirigentes, atque vel animos mortales
esse statuentes, vel immortales quidem, sed ita in
unam mentem coeuntes, ut nihil intersit, honestamne
aliquis, an turpem vitam duxerit ad beatitudinem vi
unius immortalitatis consequendam, nec sibi persua-
dentes ullam tantam potentiam fuisse, quæ hanc re-
rum universitatem potuerit fabricari, omninoque de
Deo, & de mentibus cælestibus ambigentes, pravis

*opinionibus mentes hominum inficiunt, & labefactant.
At externa, dici non potest, quantopere interdum
divexentur tumultuosis quorundam Jurisconsultorum
contentionibus, qui lites, altercationes, jurgia fovent,
mendacia, fraudes, scelera nutriunt, nihilque respi-
ciunt magis, quam quomodo pecuniam à miseris homi-
nibus, qui se, suasque fortunas, & bona eorum fidei,
ac clientelæ commiserint, extorqueant, suamque ex-
pleant accumulandarum opum aviditatem. O mise-
riam ingentem, & admirabilem! O vitam calamito-
sam, tot hominum insidiis, ac laqueis propositam!
Taceo alia innumerabilia hujus vitæ mala, à quibus
abstractus Constantinus Paleocapa, id est, non hoc
corpus, quod terrenum terræ debebatur, sed in hoc
118. corpore olim inclusus animus, qui cælestis cœlum ap-
v. petebat, non propter unam animi immortalitatem,
quod falso veteres crediderunt, sed propter maximas,
clarissimasque virtutes suas, propter optimos, & sua-
vissimos mores, propter singularem probitatem beatus
post mortem futurus erat. Neque enim iccirco animi
post hanc vitam beati sunt, quod immortales sint
(quod enim esset discrimen inter mortem Aristidis, &
Phalaridis, Catonis, & Catilinæ?) sed animorum,
qui è corpore evolaverint, beatitudo ex superioris vi-
tæ actionibus ponderatur. Quamobrem & Socrates
apud Platonem testatus est, duas esse vias, duplices-
que cursus animorum è corpore excedentium: & in
Consolatione scriptum reliquit Cicero non easdem se-
des incolere justos, atque impios, quod illi ad Deos
pervolent, hi vero deprimantur in tenebras, atque
in cœno jaceant: & à sapientissimis, iisdemque san-
ctissimis viris, Christianæ religionis luminibus præ-
clarissimis, statutum est, mortem bonum esse bonis;
malum malis; ut non male actum esse cum Rectore
nostro existimandum sit, qui, omnis probitatis speci-
men, & exemplar, ad eum ipsum locum, qui ejus
virtuti maxime congruebat, à Deo Opt. Max. voca-
tus est. Neque enim, si recte judicare velimus, ali-
ter existimare possumus de eo, qui multas, magnas-
que virtutes ex præstanti patriæ, & familiæ nobili-
tate hauserit, ex liberali parentis, & patrui institu-
tione arripuerit, ex præclaris literarum studiis, &
assidua tum animi, tum corporis contentione in opti-
mis artibus perdiscendis expresserit, ut ad rectum à
natura factus, & educatione, ac bonarum disciplina-
rum pertractatione formatus sine dubio esse videretur.
Nam originem traxit à nobilissima insula Creta, quæ
maximis certe laudibus efferri consuevit, quod centum
clarissimis urbibus olim fuerit nobilitata: quod ejus
situs inter orientem, & occidentem ad totius Græciæ
imperium aptus, natusque esse doctissimorum hominum
judicio visus sit: quod in ea Lycurgus Lacedæmonius
sanctissimas suas leges didicerit, & ad Cretensis Rei-
publicæ exemplar Lacedæmoniam Rempublicam ordi-
naverit: quod præstantibus semper ad omnem laudem
viris fuerit affluentissima. Atque hic quidem plura
dicenda essent, quam præsens pati tempus videatur,
nominandique quamplurimi tum ex vetustioribus, tum
119. ex recentioribus, qui eam insulam mirabiliter collu-
strarunt. Sed, ut brevitati, quod nobis necesse est,
consulamus, tantummodo considerandum proponimus,
cujusmodi sint Cretensium ingenia, cum ex aliorum
ejus gentis, & nationis juvenum laboribus, & vigi-
liis in Patavino Gymnasio susceptis, ubi maximus
semper numerus studiosorum ab ea insula profectorum
florere conspicitur, tum vero ex Danielis cognomento
Furlani opere peregregio, quod nuper editum est in li-
bros Aristotelis de partibus animalium, quo nihil sa-
ne doctius, nihil eruditius, nihil elegantius, nihil
ornatius, nihil ad ejus famam honestius, nihil ad
laudem illustrius invenitur. Cum autem præclarum
sit, originem traxisse à nobilissima insula Creta: longe
tamen præclarius est ortum esse in ejus urbis genero-
sissima familia Paleocapa, ubi prope innumerabiles
ad omnem virtutem præstantes viri claruerunt; atque*

A *inter cæteros, quos nimis longum esset enumerare,
Georgius Constantini pater, & Jacobus patruus; ex
quibus hic quidem non solum juris Pontificii, & Cæ-
sarei Doctor, sed etiam doctissimus Doctor & est, &
existimatur: ille vero Juris studiosorum in hoc am-
plissimo Gymnasio magnificentissimus Rector factus est,
&, posteaquam illam magnificam Universitatem tanta
magnificentia, gravitate, diligentia, splendore rexit,
ut ipsa ejus præstantiæ; atque excellentiæ magnam
præsidii, atque ornamenti sui partem acceptam refe-
rat, & ejus rectionis vestigia presserit ad perpetui
prædicationem temporis, & fixerit ad memoriam sem-
B piternam, maximus extitit Jurisconsultus. O maxi-
ma decora, & dignitatis insignia! Ad majorum igi-
tur suorum omni præstantia præditorum, & potissi-
mum patris, & patrui virorum excellentissimorum,
imitationem egregie se effinxerat Constantinus, ut no-
bilitatis face incensus ad omnem virtutem inflammato
studio raperetur, usque adeo, ut, quantum generis
splendore fuerat illustratus, tantumdem generi suo
splendoris afferre videretur. Neque enim solum ma-
jorum suorum virtutes sibi proposuerat imitandas, sed
etiam superandas; idque tam feliciter est assecutus,
ut ex laudum suarum flumine in domesticos rivulos
plurimum infudisse laudis videatur. Etenim, ut ejus
C pueritiam prætermittam, quæ tamen multa signa de-
dit & pudoris, & ingenii, bonamque spem, & ma-
gnam indolem præ se tulit, ut primum excessit ex pue-
ris, à sapientissimo, & prudentissimo parente suo im- 119.
petravit, ut perpetuo in hac esset urbe, tamquam in v.
amplissimo omnium bonarum artium, & ingenuarum
disciplinarum mercatu, quoad in omni doctrinæ gene-
re erudiretur; ubi dici non potest, quam mirabiles in
philosophia quatuor annorum spatio progressus fecerit,
quantumque in præclaris literarum studiis profecerit,
tum quæ ad veritatem indagandam, tum quæ ad
Rempublicam capessendam, tum quæ ad eloquentiam
pertinent excolendam. Ac possem quidem testes addu-
D cere maximos, ac præcellentissimos Patavini Gymna-
sii Philosophos, quibus hic assiduam operam dedit,
quos studiose audivit, quos semper in studiis est imi-
tatus. Sed quid opus est testimoniis in eo juvene exor-
nando, cujus dignitas, eo sita erat in loco, ut ejus
unius ratio multorum instar argumentorum esse possit?
Factus est enim Rector magnificæ Philosophorum, ac
Medicorum Universitatis, non solum quia nobilis,
quia ingenuarum artium studiosus, quia doctus esset:
verum etiam quia liberalis, quia benignus, quia hu-
manus existeret, quia prudentia, consilio, diligentia,
ingenio, quia magnificentia, altitudine animi, quia
splendore, gravitate, omni laudis genere præstare vi-
E deretur. O juvenem admirandum, atque omnibus
juvenibus imitandum. Quid dicam, qua providen-
tia, & vigilantia hanc Universitatem tueretur, pro-
tegeret, defenderet, adjuvaret, adornaret: quia in-
dustria, & diligentia Doctores, & studiosos omnes
in officio contineret: qua animi propensione, & officii as-
siduitate statuta omnibus observanda curaret: qua ma-
gnanimitate, & celeritate communem dignitatem, &
publicum commodum custodiret, atque amplificaret: quo
animo, qua mente omnia diligentissime obiret, quæ ad
ipsius Universitatis utilitatem, & decus pertinere vi-
derentur? Quamobrem nemo est, cui non reliquerit
F maximum sui desiderium Constantinus, juvenis nobi-
lissimus, & generosissimus; juvenis modestissimus, &
amabilissimus; juvenis optimarum artium studiis maxi-
me deditus, & in his ad excellentiam maxime pro-
gressus; & non solum Rector magnificentissimus, sed
etiam Eques perillustris. Hanc enim dignitatem prius-
quam Rector fieret, cum maximo splendore est assecu-
tus, ita ut non iccirco Rector factus sit, ut postea
Equitis insignia adipisceretur, quod in plerisque licet 120.
animadvertere, sed Equestre decus attulerit ad Recto-
ris munus præclarius obeundum. Neque vero minore
cum laude Doctor creatus esset, aliasque dignitates
labo-*

laboribus, & vigiliis suis comparasset, si ei diutius vivere contigisset; quem quidem immortali corpore donari oportuisse propter maximas, clarissimasque virtutes suas constans hominum opinio erat. Sed id etiamsi esse optabile videtur, humanæ tamen conditioni repugnat, quæ mortalis est, &, morte dirimatur, necesse est. At nimis cito, nimis acerbe, nimis immature decessit. Quid? si id majorem ejus præstantiam quodammodo ostendit? Divinitus enim fit, ut divina hæc ingenia mittantur quidem de cœlo ob id solum, ut incredibilem præpotentis Dei sapientiam, & admirabilem bonitatem, ac magnitudinem testentur: sed non diu in terris degere permittantur, ne diutius terrenis maculis adspargantur; citiusque revocentur, ut citius sempiterno ævo, perpetua quiete, æterna tranquillitate perfruantur. Quamobrem, Auditores vobis dolendi finis est faciendus: consolandique sunt Constantini fratres, incredibili quodam mœrore, eodemque justissimo confecti: atque iidem rogandi, ut patrem, & patruum consolentur; qui tametsi sapientes sunt, & alta quadam mente præditi, tamen, cum homines sint, hunc casum tam moderate ferre non possunt, quin vehementer doleant, quod tantum patriæ decus, tantum familiæ ornamentum, tantarum virtutum splendor extinctus sit: præterea vobis Cretensibus in patris sapientissimi memoriam est revocandum, eum non genuisse filium immortalem; eum habere alios filios, quorum virtutibus recreetur; dolendum quidem ei aliquantisper, ne inhumanus, ne ferreus, ne ex quercu, ex silice natus videatur, sed in dolore diutius non consistendum; id enim repugnare ejus sapientiæ, ejus prudentiæ, ejus doctrinæ: denique omnibus pro certo habendum, quicumque homines nati sunt, non modo mortales existere, verum etiam hujus vitæ miseriis subjectos esse innumerabilibus.

CAP. V.

De Pestilentia an. 1576. et Gymnasio revocato an. 1577.

Anno septuagesimo sexto supra millesimum, & quingentesimum pestilentia non modo totam *Italiam*, verum etiam *Apuliam*, *Calabriam*,
120. v. *Siciliam*, aliasque regiones conflictavit; qua quidem prope innumerabiles homines interierunt, cum in una *Siciliæ* urbe *Messana* sexaginta hominum millia sævissimo morbo necata sint, *Venetiis* circiter centum millia, *Patavii*, *Vicetiæ*, *Veronæ*, *Brixiæ*, *Ticini*, aliisque in urbibus tam multa millia, ut incrediBiliter mortalium numerus deminutus esse videretur. Qua tempestate mirabile fuit illud, quod se effecturos esse duo præstantissimi, & præclarissimi Medici in hoc Gymnasio maxime florentes, *Hieronymus Mercurialis Foroliviensis*, & *Hieronymus Capivacceus Patavinus* Medicinæ practicæ ordinariæ Interpretes, bona quidem mente, sed malo exitu professi sunt. Cum enim *Venetias* accersiti essent, ut controversantibus inter se Medicis *Venetis* de illius morbi natura, suam ipsi quoque sententiam dicerent, atque ad Principem in excelsum Collegium perducti asseverassent, talem morbum pestilentiam non esse, professique posse se eum curare permissu senatus in eam curam cœpissent incumbere, atque ob id ægrotantes, qui ante vel leviter suspecti ad locum hominibus peste contaminatis assignatum exportabantur, in urbe detinerent, nec jam amplius tamquam præcellentes Medici, sed veluti novi *Appollines*, & *Æsculapii*, vel, si id licet dicere, ut Sancti *Rochi* observarentur, & colerentur: tamen grassanti quotidie magis, & acrius sæviente horribili morbo, pestilentiæque naturam satis clare præ se ferente, maxime vero quia detenti in urbe ægrotantes facile alios corrumperent, malumque insigniter au-

A gerent, postea quam perierunt aliquot eorum comites, & administri, atque inter alios duo sacerdotes Jesuitæ, apud quos moribundi de peccatis confitebantur, & duo Chirurgi, unusque famulus, impetrata venia, & per octo dies in ædibus sibi datis ad fidem faciendam de bona ipsorum valetudine habita commoratione, dimissi sunt; maxime mea quidem sententia laudandi, & celebrandi, si non ob id, quod alios in principe civitate servare, quemadmodum concupiverant, minime potuerint, at certe, quod, cum pestilentes domos sæpissime ingrederentur, hominesque pestilentia divexatos servare conarentur, atque in maxi-
B mis periculis quotidie versarentur, nihilominus se ipsos servaverint, necatis tali morbo in ea urbe à mense Martio usque ad Septembrem excellentibus Medicis octo, & quinquaginta. Vix autem an. 1577. horribilis morbus cessare cœpit, cum per- 121.
territis omnibus, & plerisque ex urbe *Patavio* fugatis, mandato facto à *Paschali Ciconia* Prætore, & *Aloysio Georgio* Præfecto, viris integerrimis, & prudentissimis ad pristinam urbi faciem reddendam, ut, quamvis nondum aperti essent aditus optimarum artium studiosis, nec dum loca essent prorsus morbo liberata, tamen Doctores omnes principem locum in variis professionibus obtinen-
C tes publicas explicationes nostras susciperemus, nulla necessitate imposita Doctoribus secundorum, & tertiorum locorum propter studiosæ juventutis paucitatem: illud tamen perquam admirabile visum est, ut, dum cogitaremus vix subsellia ipsa scholarum affutura esse, plures, quam ducenti studiosi scholas ipsas frequentarent. Itaque eo potissimum tempore cognitum est, numquam Gymnasio *Patavino* congruentem studiosorum numerum defuturum, si ne in maximo quidem pestilentiæ, & mortis terrore ducenti defuerunt. Admirabilem autem eo anno Reipublicæ *Venetæ* be-
D nignitatem, & liberalitatem omnes Gymnasii Doctores experti sumus, quod, tametsi per annum, & eo amplius à publico officio vacaveramus timore pestilentiæ impediti: tamen stipendium nobis ordinarium promptissime est persolutum, non secus ac si munus nostrum obire potuissemus; cumque cæteris fere omnibus publicis administris, ut Assessoribus, Cancellariis, aliisque hujusmodi pars quædam sui quæstus fuisset adempta, merces tamen nostra nulla ex parte est deminuta; cujus beneficentiæ memoriam observantia colimus sempiterna.

E
CAP. VI.

De Imagine Beatæ Virginis in Ædem Carmelitarum translata.

Viderunt studiosi juvenes Gymnasii *Patavini*, quamvis propter pestilentiam perpauci, translationem Imaginis Beatæ Virginis in Ædem Carmelitarum, Anno enim 1576. post mensem Septembrem cum cœpisset pestilentia mitescere; creditum est id evenisse intercessione Beatissimæ Virginis, de cujus Imagine tunc posita in loco minus celebri pone aulam Præfecti in celebriorem
F locum, & in augustissimum templum Carmelitarum transferenda factæ fuerant duæ clarissimæ Visiones; una admodum Reverendi Patris, & Philosophiæ, ac Theologiæ Magistri, *Felicis Zucoli* 121.
Patavini, sacri ordinis Carmelitani in Provincia v.
Veneta Administri: altera illustrissimi Senatoris *Veneti*, & Præfecti *Patavii*, *Aloysii Georgii*; de quibus publica exstant literarum monumenta. *Felix* enim, maximus Theologus, & Concionator, Administerque ut modo notavi, Provincialis, III. Id. Septembris in Aurora duo vidit per quietem, primum transferendam esse eam, quam memora-

vi, imaginem in Ecclesiam Carmelitarum, ibique in majore ara ponendam, ubi ipse eam in sanctam ecstasim raptus videre visus est cum maximo suo gaudio, & cordis consolatione, quamvis inusitatis sudoribus, uberrimisque lacrymis in illo sancto somnio effusis: deinde post ejus translationem non solum *Patavii*, sed etiam *Venetiis* pestem esse cessaturam; quæ idem prædixit suis Fratribus Carmelitis, adhibitisque in consilium Sacris Theologis, statuit ex divino afflatu, non ex cacodæmonis illusione fuisse cognita, & perspecta, sed non prius esse patefacienda, quam facto voto eodem die ab universa illius sacri Conventus congregatione, nudatis pedibus, illa Gloriosa Imago, ac templa sanctorum hujus Tutelarium Civitatis, Divi *Prosdocimi*, Divæ *Justinæ*, Divi *Antonii* Confessoris inviserentur, sanctumque jejunium diebus Veneris, & Sabbati celebraretur, ac proximo sequenti die Dominico quadraginta horarum oratio haberetur; quæ omnia sanctissime effecta sunt, & postea cum viris sanitati præfectis, & cum illustrissimis *Patavii* Præsidibus divina revelatio communicata est. *Aloysius* vero *Georgius*, Præfectus illustrissimus, cum post exantlatos ingentes labores, & susceptas diuturnas vigilias in eo anno pestilentissimo, circiter principium Octobris incommoda valetudine laborare cœpisset, lethalique febre opprimeretur, inibique esse videretur, ut post suam de peccatis confessionem, ac consilium de sanctissima sumenda Eucharistia, quam postea sumpsit, testamentique confectionem vitam cum morte commutaret, quod Medici quoque prædixerant: ea ipsa nocte, qua moriturus esse putabatur, quietem cepit, circiterque Auroram Angelico Ave pulsato, cum ad dicendam Angelicam Salutationem aggressus esset, antequam eam posset perficere, totus plenus horroris, & lacrymas effundens, ac præter consuetudinem sudans, divinitus
122. moneri visus est, sibi à Virgine Beatissima datam esse illius noctis quietem, immo vero etiam illius ardentissimi morbi extinctionem; Evaderet igitur incolumis, & cogitaret de Imagine Beatissimæ Virginis, quæ pone aulam suam reperiebatur, honoranda, cumque animo obversaret, quidquid à reverendo Patre, & Magistro *Felice* audisset, per eam quietem sibi visus est esse in Ecclesia Carmelitarum, atque in ara majore eam imaginem intueri; à quo sanctissimo somnio cum excitatus esset, non sine maxima Medicorum admiratione inventus est ab omni morbo ex miraculo liber; quemadmodum ipse fide dignissimus, eaque probitate præditus, quæ cum incredibili sapientia, & prope singulari magnanimitate conjuncta eum ad summos in Republica honores extulit, testimonio suo gravissimo affirmavit; data illis patribus ad opus conficiendum magna vi auri, quod marsupio cæruleo pretiosiori monetæ reservato in ipsius scrinio continebatur. Quibus de rebus cum certiores facti essent *Nicolaus Galerius* Episcopi Vicarius, & *Sylvius Galassus* Apostolici Nuncii summus Auditor, has literas rescripserunt.

Nicolaus Galerius, Juris Pontificii, & Cæsarei Doctor, Canonicus, & Vicarius Patavii, omnibus fidelibus civitatis, & diœcesis Patavinæ salutem in Domino.

Cum superioribus proximis mensibus fuerit pertractatum, atque deliberatum ex consilio complurium Sacrorum Theologorum, aliorumque piorum, ac religiosorum hominum, ut illa Imago Beatæ, & Gloriosæ Virginis, quæ pone aulam est illustrissimi Præfecti, in aliquam Ecclesiam transferretur, atque produceretur, ubi decentius, & majore cum devotione debita ei veneratio, atque honor haberetur; neque adhuc id propter diversa impedimenta effici potuerit: præpotenti Deo placuit in his temporibus calamitosis ad hoc sanctum opus

A *mentem nonnullorum piissimorum hominum excitare, in primisque illustrissimi viri, Aloysii Georgii, Præfecti Patavii, qui adductus, ut credere par est, divina impulsione, se promptum, paratumque ostendit ad favendum huic rei omnibus modis, eamque conficiendam, ita ut in templum traducatur Carmelitarum: Nos collaudantes maximam pietatem tum ejus, tum illustrissimi Prætoris, qui similiter huic rei mirum in modum favet, una cum magnificis Sapientibus Deputatis ad utilia magnificæ Civitatis; cu-* 122. v.
pientesque quamprimum talem rem ad effectum perduci, unumquemque hortamur tum Ecclesiasticum, tum sæcularem, ut honorem præstet ipsius Imaginis trans-
B *lationi ad laudem, & gloriam Domini nostri Jesu Christi, ipsiusque Gloriosæ Virginis, habitis ad Deum precibus pro felici eventu hujus translationis, & pro liberatione hujus afflictæ patriæ nostræ, atque inclytæ Venetiarum Civitatis: mandamusque in virtute S. obedientiæ sub pœnis sacrorum Canonum, atque excommunicationis in supplementum, ut nemo cujuslibet generis, & conditionis, sive Ecclesiasticus, sive sæcularis, audeat, aut præsumat sub quovis prætextu, aut colore, pietatis, aut religionis huic operi se opponere, aut quomodolibet vel directo, vel indirecto id impedire, ac turbare: sed omnes ei faveant, & opitulentur, ac precibus succurrant, submittentes se,*
C *ut viros catholicos, & fideles christianos decet, ac conformantes ad talem deliberationem, mentemque superiorum. Ita benignitas Dei ob intercessionem, & meritum ipsius Gloriosæ Virginis liberare nos à præsenti malo, nobisque concedere sanctissimam gratiam suam ne gravetur. Datum Patavii. die. 7. Octobris 1576.*

Reverendo Patri, Felici Zucolo, Sylvius Galassus *Auditor. S. D.*

Accepi literas tuas, quibus certiorem me fecisti de Visione Gloriosæ Virginis; quibus prius non
D *respondi propter absentiam meam, quam etiam ex R. P. Vicario Clericato intelligere potuisti, ac propter factam migrationem ex rure in hanc urbem Vicetiam, quo nimirum Religiosissimus Legatus nobiscum se recepit, tamquam in securum portum ex tempestatibus morbi contagiosi, qui tam crudeliter Venetias, Patavium, aliasque Italiæ urbes divexavit. Non desii tamen cum ejus amplitudine hoc totum negotium communicare: quemadmodum idem præstiti cum Religiosissimo Episcopo, cum Illustrissimo Hispaniæ Legato, & cum aliis viris primariis hujus civitatis. quod quidem cum excellenti laude probitatis, atque pietatis tuæ commemoratum est, ac non sine*
E *magna spe fore ut, propter vehementem Gloriosæ nostræ Advocatæ intercessionem illæ civitates liberentur, si id quamprimum effectum fuerit, quod Regina jubet globorum cælestium, ut scilicet ejus Imago, quæ* 123.
pone aulam illustrissimi Præfecti existit, in majorem Ecclesiæ Carmelitanæ Patavinæ aram transferatur. Id quod etiam majorem nactum est fidem ex nova Visione, quam Illustrissimus habuit Patavii Præfectus, Senator tam gravis, pius, & studiosus cultus divini, atque incolumitatis serenissimæ Reip. Venetæ, ob quam simul, & ob charitatem Christianam in his angustiis atque difficultatibus ad tam gravia, tamque manifesta pericula se exposuit atque exponit. Hac
F *de re literas dedi de meliore nota ad virum admodum reverendum, Nicolaum Galerium, ut non solum huic propensæ voluntati, atque ordini cælesti minime se opponat, sed etiam pro viribus opituletur, & faveat: cum præsertim sciat illam sanctam Imaginem optime collocatum, & positum iri apud patres tam pios, & devotos, & apud Religiosos in Ecclesia Dei tam antiquos. Mihique persuadeo eum pro sua sapientia, devotione, ac prudentia ita effecturum quam libentissime, ac propter suum in vestram Religionem stu-*

studium, suamque in te ipsum reverentiam; cujus piis orationibus me etiam, atque etiam commendo, cupiens, quam qui maxime, ut in eis illustrissimum Legatum, totamque familiam ejus commemores, quo præpotens Deus, Beatissimaque ejus mater incolumes nos conservet. Vale. Vicetia. die 10. *Octob.* Magno igitur cum gaudio, multisque cum millibus personarum integra, & sine ulla labe ea, quæ superius memorata est, Imago die 12. Octobris in majorem aram Templi Carmelitarum est comportata, admirabilisque progressus ad pestilentiæ extinctionem factus est, ut ex miraculo *Patavium* visum sit liberari: quemadmodum etiam *Venetiis* admirabiliter pestis extincta est: votumque utrobique nuncupatum. Etenim die 29. Octobris congregato *Patavii* consilio in camera illustrissimi Prætoris, post disertissimam persuasionem viri præcellentissimi *Bartholomæi Sylvatici*, prudentissimumque consilium *Claudii Cumani* Sapientum Deputatorum ad utilia civitatis, cum consensu tertii Deputati *Roberti Trapolini* absentis, ac nemine contradicente, hoc decretum perlectum est.

Debet omnis verus, & fidelis Christianus tum in se ipsum, tum in aliorum actiones conversus sincero corde, & pia voce confiteri, malum, in quo hæc mi-
123. v. *sera civitas versatur propter pestem, quæ majorem hujus populi partem adhuc depopulata est, non aliunde manare, quam ex nostris ipsorum peccatis, quæ quidem vim habuerunt excitandæ justæ Iræ Dei, ita ut non auditis ejus admonitionibus, nec curatis minis, sed factis quotidie majoribus culpis nostris, merito adversus nos exerceri divina justitia videatur. Quod tamen credendum est ad nostrum ipsorum bonum fuisse constitutum, ut tandem aliquando nostrorum errorum nobis in mentem veniat pœnitere, resipiscentesque ad ejus auxilium confugiamus. Iccirco non solum unicuique convenit privatim ad divinam Majestatem preces effundere: sed universæ etiam civitati publicam aliquam dare significationem devotionis, ut precibus, ac votis tum privatis, tum publicis justa ira Dei placetur, eique placeat oculis misericordiæ suæ nos intueri. Quod pro virium suarum modulo efficere cupientes Sapientes Deputati, & Provisores Sanitatis, qui hoc calamitatissimo tempore universum Civitatis Consilium repræsentant, cum præsentia, & consensu illustrissimorum Præsidum decreverunt, ut, cum primum hic morbus contagiosus cessaverit, tres supplicationes fiant ad tria templa, Divæ Justinæ, Divi Antonii Confessoris, Divi Prosdocimi, Tutelarium nostrorum; ad quas universus populus invitetur, ut præpotenti Deo gratiæ agantur, quod hanc civitatem à tam gravi morbo liberaverit; præcipueque cum illustrissimis Præsidibus conveniant Sapientes Deputati, & Provisores sanitatis cum cereis accensis in manibus librarum trium, ære publico emptis, qui post celebratum sanctissimum sacrificium offerantur. Cumque deceat etiam aliqua publica demonstratione preces, ac vota facere ad Beatam Virginem, principem nostram Advocatam, ut pro nobis miseris misericordiam intercedat, cui nimirum placuit, ut pie credendum est, divinitus monere nonnullas pias personas, magnæque auctoritatis, atque inter cæteras illustrissimum virum, Aloysium Georgium Præfectum optime meritum, & admodum reverendum Magistrum Felicem Zucolum Patavinum, Provincialem Administrum Carmelitarum in hac provincia Veneta, ut ejus Imago, quæ pone aulam erat ipsius illustrissimi Præfecti, & ad quam magna vis populi concurrebat cum maxima devotione,*
124. *ad majorem aram Templi Carmelitani comportaretur, quod quidem quam maxima solennitate, ut per hæc tempora licuit calamitosa, effectum est: statutum, & declaratum sit, ut in die Purificationis Beatæ Virginis anni proximi sequentis publica, solennisque*

A *supplicatio celebretur, ad quam omni cum devotione populus concurrat universus; præcipueque totus reverendus Clerus, & omnes cives Consilii Patavini conveniant habentes singuli singulos cereos in manibus librarum trium, proprio singulorum ære emptos; similiterque ad eandem veniant ii omnes opifices, qui ad Montis consilium admittuntur, cum candela accensa in manibus unius libræ; ordinataque serie ex Ecclesia Cathedrali exeundo ad Ecclesiam eatur Carmelitarum; ibique sanctissimum sacrificium modulatis vocibus celebretur, ac pallium offeratur majori aræ accommodatum cum sacerdotum ornamento, qui cantibus suis sacrificii celebrationem ornaverint, in quod*
B *sumptus de publico fiat circiter trecentos nummos aureos, omnesque cerei, & candelæ simul offerantur; quarum una pars in ipsa Ecclesia Carmelitarum comburatur ad honorem ipsius Beatæ Virginis: altera sit Monacharum S. Bernardini: tertia Matrum Illuminatarum: quarta orphanorum: ut piis orationibus suis misericordiam apud Deum intercedant, ad inclytam Venetiarum civitatem, dominam, & patronam nostram, hancque ipsam patriam à morbo contagioso incolumem conservandam: cum declaratione, ut illi, qui sunt in Consiliis, tum Civitatis, tum Montis, nisi ab eo fidem habuerint, qui nobis est à secretis, quod memoratæ supplicationi interfuerint, aut ha-*
C *bentes impedimentum legitimum apud Sapientes Deputatos agnoscendum per interpositam personam cereum, aut candelam non miserint, proximo sequenti anno in Consilium non recipiatur; isque qui est à secretis Communitatis sub pœna privationis officii sui debeat primo die ipsius Consilii, antequam ad ullam deveniatur suffragationem, publice illos nominare, qui non venerint cum cereo, aut candela ad ipsam supplicationem; qui statim ab illustrissimis Præsidibus, magnificisque Deputatis ex Consilio ejiciantur; nec possit tunc admitti ulla excusatio; posteaque quotannis magnifici Deputati, & Provisores Sanitatis una cum Illustrissimis Præsidibus ad id templum per-*
D *petuo se conferant in ipso die Purificationis Beatæ Virginis; solenneque sacrificium ibi celebrandum cu-* 124. v.
rent; ac singulis annis quatuor cereos offerant, singulos librarum sex, qui in celebratione ipsius sacrificii ardeant, precibus ad ipsam Beatam Virginem habitis, ut Resp. Veneta, & hæc patria nostra incolumis conservetur. Quod votum posteaquam ab illustrissimis Præsidibus, magnificisque Deputatis, ac Provisoribus sanitatis fuerit approbatum, legatur etiam in consilio in primo die ipsius Consilii, antequam aliquid aliud pertractetur; atque si quis reperiretur, qui ei contradiceret, quod tamen credibile non est, tunc totius Consilii proponatur suffragationi. Die au-
E tem. 18. Mensis Decembris cum tale votum in consilio esset recitatum, ut probaretur; cœptum est ab omnibus conclamari, Fiat, Fiat. Itaque sine ulla suffragatione per verbum Fiat, & viva voce est confirmatum. Similiter *Venetiis* ab *Aloysio Mocenico* Principe, & Senatu votum est factum excitandi templi, quod Redemptoris appellaretur; locusque delectus in *Judaica*, quem *Capuccini* Fratres tenebant. eaque vota proximo sequenti anno sunt executioni mandata.

CAP. VII.

F
De Aloysio Ancarano Spoletino, *Rectore Universitatis Jurisstudiosorum.*

1580. Ad *Aloysium Ancaranum Spoletinum* Rectorem Universitatis Juris studiosorum hanc orationem habuit Reverendus *Dionysius Ferrarius Rhodiginus*, alumnus disciplinæ meæ, qui tunc mihi operam dabat, posteaque factus est philosophiæ Doctor, & nunc est parochus Ecclesiæ Divi *Thomæ* Apostoli in urbe *Patavio*, vir

amabilissimus, & admodum dignus, cui omnes,
quicumque possunt aliquid de suavissimis homi-
num moribus judicare, omnia vela pandant, &
omnes faces accendant amoris sui.

*Quod legum studiosi in hoc clarissimo Gymnasio o-
ptabant omnes, Aloysi Ancarane, Rector magnifice,
& perillustris, ut regendæ ipsorum Universitatis ali-
cui deferretur munus, qui gravitate, magnificentia,
splendore, diligentia, virtutibus omnibus ei satisfa-
ceret, ejusque dignitatem, & commodum optime tue-
retur, & custodiret: id ipsum te cunctis suffragiis,
maximaque omnium lætitia, atque applausu ad hunc
honoris gradum evecto, & in hac sede collocato vi-*
125. *dentur esse cumulatissime consecuti. Tua enim præ-
stantia ex clarissimo patriæ splendore arrepta, ex
præstantissimis majoribus hausta, ex flagrantissimo
optimarum artium studio conformata, ea est, ut hæc
magnifica Universitas magnam præsidii, decorisque
sui spem in te habere posse merito videatur. Quam-
obrem omnes id gaudii conceperunt, quod magnus ho-
nor magnæ virtuti tributus maximum potuit excitare.
Ego vero, cui mandatum est, ut te in hac frequen-
tissima concione exornem, in maxima omnium lætitia
iccirco dolendum mihi esse existimarem, quod respon-
dere tuarum laudum amplitudini me minime posse ani-
madvertam; nisi earumdem multitudo me recrearet,
atque reficeret, quæ quidem ea est, ut, quemadmo-
dum maximos oratores, qui omnia complecti volunt,
maxime potest deterrere: sic homines vel infantissi-
mos reddere eloquentissimos possit. Ecquis enim est,
qui quantumvis in dicendo inops timere debeat, ne
obmutescat, orationem habiturus de Spoletio nobili
Umbriæ urbe, ex qua originem trahis: de præstanti
Ancarana familia, in qua natus es: de magnis, cla-
risque virtutibus, quæ te omnibus amabilem, atque
admirabilem reddiderunt? Nam quot, & quanta
sunt ornamenta Spoletii, quo deductam esse Roma-
nam coloniam constat Q. Lutatio Cercone, A. Man-
lio Torquato cos. an. ab U. C. DXII. cum ludi Flo-
rales sunt instituti? Neque vero in Spoletinorum lau-
dibus tacendum est, cum an. Ur. DXXXVI. Anni-
bal ille Carthaginiensium Imperator ad lacum Thra-
simenum in agro Perusino C. Flaminium consulem oc-
cidisset, exercitumque Rom. delevisset, ac recto iti-
nere per Umbriam usque Spoletium venisset, eum mi-
ra Spoletinorum virtute inde repulsum esse, conje-
ctantem, ut noster Livius inquit, ex unius coloniæ
viribus, quanta moles esset urbis Romanæ. Quæ
caussa fuit, quamobrem ad obsidendam Romam non
sit profectus, sed in Picenum iter suum converterit;
ut merito eloquentiæ parens Cicero Spoletinam colo-
niam in primis firmam, atque illustrem nuncupave-
rit. Quid commemorem Theodoricum Gothorum Re-
gem Spoletium omnibus studiis complexum fuisse, ma-
gnificentissimisque ædibus adornasse? Quod tanti sem-
per fuit, ut nec injuriis Gothorum, qui post Theodo-
ricum Regem id oppresserunt: nec sævitia Friderici*
125. *Barbaroscii Imperatoris, qui in bello gesto cum Ale-*
v. *xandro III. Pontifice Max. ipsum occupavit: nec ar-
mis Perusinorum, qui an. Christi 1321. clam ingressi
idem vastare conati sunt; prorsus deleri potuerit: sed
ingenti sanctitate Divi Sabini Episcopi, qui Diocle-
tiano imperante sanguinis sui pignore divinitatis te-
stimonium Jesu Christo dedit, conservatum; à Nar-
sete capto ejus nobilitate restitutum; ab Alboino rece-
ptum, & Umbria in formam Ducatus redacta, Du-
ce imposito Faraoldo, caput Ducatus factum; vires
receperit, quotidieque magis floruerit, & in ipsa etiam
urbis Romæ direptione, quæ facta est an. Christi 1527.
se incolume, atque intactum conservarit; immo vero
etiam exercitum sanctissimæ conspirationis ad liberan-
dum summum Pontificem Romam proficiscentem beni-
gne exceperit. O mira nobilitatis decora, & digni-
tatis insignia, omnium vocibus, ac litteris celebran-
da. Hic nominari possent quamplurimi, iidemque præ-*

A *stantissimi viri, qui sati sanguine Romanorum in ur-
be Spoletio omnium virtutum egregia dederunt docu-
menta: sed, cum illorum laudibus nec propter tempo-
ris angustiam, nec propter virium mearum imbecilli-
tatem possim satisfacere; tantum dico, inter cæteros
omnes mirabiliter floruisse majores tuos; qui quidem
claritate nominis sui, virtutumque splendore, atque
excellenti erga Pontificiam sedem, patriamque suam
fide, domum Ancaranam mirifice collustrarunt. Ac
illorum quidem nomina clariora sunt, quam ut lumen
ullum accipere à mea oratione queant. Sed in maxi-
mo Ancaranorum numero tum pacis, tum belli laude
præstantium præteriri silentio non debet Placidus ille*
B *de patria sua tam bene meritus, quem grati cives
Spoletini publico funeris honore decorandum putarunt,
parentemque patriæ meritissimo nominarunt. Quid
dicam de Pompejo Ancarano, eo, qui post urbis Ro-
mæ direptionem conscriptis pactionibus cum Friderico
Imperatore obses patriæ acceptus est, tamquam Spo-
letinorum civium celeberrimus? Quid recenseam Ofre-
dutium Ancaranum, eum, qui, cum universa Italia
in duo esset genera distributa, alterum Guelforum,
alterum Gibellinorum, quorum quidem illi summum
Pontificem, hi vero summum Imperatorem fovebant,
Spoletinæ persuasit civitati, ut Guelforum partes se-
ctaretur, seque cum viris illustrissimis Ursinis à Spo-* 126.
C *letina regione originem trahentibus ita conjunxit, ut
etiam Ursinorum rosa Ancaranorum Insigni fuerit ad-
jecta, posteaque Ancarana familia Ursinæ domus af-
finitate, in qua orta est nobilissima avia tua, mira-
biliter refulserit? Sed dies me deficeret, si enumerare
omnes Ancaranæ familiæ præstantes viros mihi consi-
lium accidisset; quos satis per se claros omitto, cum
orationem meam ad sese advocet magnificentia tua,
Rector magnifice, & generose, qui cum patriæ nobi-
litate, familiæ claritate, parentum splendore, for-
tunarum fulgore illuceas, omnia tamen hæc maximis
virtutibus tuis, & fulgentissimis doctrinarum studiis
ita obscuras, ut in minimis ornamentis tuis ponatur,*
D *quod Spoletinus sis, quod Ancaranus, quod optimis,
ac clarissimis parentibus natus, quod admodum dives;
potissimumque lauderis, quod benignus sis, quod libe-
ralis, quod alta mente præditus, quod studiosus opti-
marum artium, in primisque Juris Pontificii, &
Cæsarei, id est, illius præclaræ disciplinæ, quæ do-
cet, quibus honoribus, præmiis, splendore decoran-
dus sit verus, justusque atque honestus labor; quibus
damnis, ignominiis, suppliciis punienda sint vitia,
quomodo domitæ habeantur libidines, cupiditates coer-
ceantur, nostra conserventur, aliena non appetan-
tur; omninoque quomodo omne bonum, sive priva-*
E *tum, sive publicum sit, retineatur, atque custodia-
tur. Quæ quidem omnia cum in utroque jure non
minus quam in bibliothecis philosophorum contineri
ab oratorum, & Rhetorum Latinorum Principe
didicisses, ad legum studium illud animi, atque in-
genii lumen, illamque industriam, ac diligentiam ad-
hibuisti, ut, quæ alii vix multorum annorum spa-
tio percipere consueverunt, tu brevi perceperis, atque
adhuc adolescens admirabilem cursum, progressionem-
que feceris ad legum cognitionem, & excellentiam.
Hæc autem tanta, & tam celebris fama effecit pro-
fecto, Rector perillustris, ut cum magnificæ studio-
sorum universitati præficiendus esset de multis juveni-*
F *bus in hoc clarissimo Gymnasio florentibus unus, qui
eam, quibuscumque rebus opus esset, adjuvaret, or-
naret, foveret; qui Doctorum, & studiosæ juven-
tutis privilegia custodiret; qui apud religiosissimum
Antistitem, apud illustrissimos Præsides, apud omnes
magistratus, cum opus esset, magnificæ Universita-* 127.
tis dignitatem repræsentaret, auctoritatem sustineret; v.
*qui magnanimitate, magnificentia, gravitate, splen-
dore ei decori esset, & ornamento; denique qui nihil
prætermitteret eorum, quæ ad ejus commodum, am-
plitudinemque pertinerent: tu unus inter cæteros di-
gnissi-*

gnissimus existimatus sis, qui cunctis suffragiis in publicis studiosorum juvenum Comitiis Rector deligereris, & ab illustrissimis Gymnasii Moderatoribus, atque excellentissimo Senatu Veneto facillime confirmareris, hodiernoque die, qui haud scio, tibi ne cui tantus honor habetur, an magnificæ Universitati, cui tantus Rector datur, jucundior illuceat, in hoc augustissimum templum omnibus honorandus perducereris. O rem præclarissimam, & patria, familia, virtutibus tuis quam dignissimam. O singularem, atque eximium honorem; qui, cum per se magnus sit, ut tibi rectio deferatur tot studiosissimorum, & præstantissimorum juvenum, tot clarissimarum gentium, & nationum, quæ te tamquam communem omnium principem suspiciunt, admirantur, colunt; magis etiam augetur ex eo, quod in hac clarissima urbe deferatur, quæ originis vetustate ipsi etiam omnium principi Romæ antecellit; in hoc florentissimo Gymnasio, quod veteris, & excellentis Gymnasii mirificam obtinet auctoritatem; hoc concursu hominum nobilissimorum; hoc comitatu Doctorum, & studiosorum; hac benignitate illustrissimorum Præsidum, qui hanc tradendorum tibi Insignium solennitatem sua gravissima præsentia cohonestant. Gaude igitur, Rector magnifice, & perillustris, ea insigni amplitudine, atque eo singulari ornamento, quod egregia hujus delatio muneris secum affert. Gaude totius Universitatis in te deligendo consensione admirabili. Gaude Serenissimi Venetiarum Principis, & Illustrissimorum Gymnasii Moderatorum facili, benignaque confirmatione. Gaude Illustrissimorum Præsidum mansuetudine, atque humanitate; quodque tibi contigerit hanc obire administrationem hoc Prætore, & hoc Præfecto, qui, incertum est, prudentiores, & justitiores, an benigniores, & humaniores existant. Gaude hac literatissimorum hominum & studiosissimorum juvenum corona; tibique persuade, si generosam patriæ tuæ consuetudinem retinueris; si præstantissimorum majorum tuorum vestigiis institeris si eam viam secutus fueris, quam ingressus es, signatam, 127.
& impressam pedibus civium, & propinquorum tuorum; si lumen animi, atque ingenii tui exercere volueris; si prudentia usus fueris, atque industria tua, quod te facturum esse pro certo habemus: nihil in te desideratum iri, quod ad hanc nobilissimam rectionem rectissime obeundam, & ad hanc magnificam Universitatem optime administrandam pertinere videatur. Tuum igitur est, expectationi, quam tua nobilitas, tuus generosus animus, tua virtus de te concitavit, respondere. Horum vero studiosorum juvenum est, in te colendo, atque observando constantiam, perseverantiamque retinere. Tibi hujus magnificæ Universitatis status in pristinum nitorem restituendus, confirmandus, augendus. His tua dignitas, quæ est communis ipsorum dignitas, custodienda, protegenda, conservanda. Ad te pertinet statuta magnificæ Universitatis observanda curare, pro Doctoribus, & studiosis omnibus vigilare, omnibus favere. Ad hos pertinet tuam voluntatem, tua consilia, tua mandata exsequi. Quod facere debent, & sine dubio facient, ut Illustrissimo Senatui Veneto, à cujus auctoritate, tamquam à numine aliquo sibi propitio pendent; ut Illustrissimis Gymnasii Moderatoribus, qui omni humanitate, & mansuetudine studiosam juventutem complectuntur; ut illustrissimis Præsidibus, qui omni studio eam prosequuntur, omnemque significationem dant singularis in ipsam amoris, & benevolentiæ, gratificentur.

FINIS QVINTI LIBRI.

127. v.

LIBER SEXTUS.

CAP. I.

De Legationibus Universitatum ad gratulandum Sebastiano Venerio *Principi.*

1577. Pridie Non. Junii cum *Aloysius Mocenicus Venetiarum* Princeps extinctus esset (quem *Laurentius Massa* vir à secretis Serenissimæ Reipublicæ & Moderatorum Gymnasii *Patavini* in funere exornavit, nimirum propter excellentem eloquentiam suam, id enim muneris antea patriciæ gentis proprium fuerat) & *Mocenico* aliquis sufficiendus esset, qui tantam dignitatem digne administraret, ex uno, & quadraginta viris selectis ad Principem deligendum, de *Sebastiano Venerio* (quod sane mirabile fuit) nemo prorsus dissensit, cunctisque suffragiis Princeps est declaratus, & illi ipsi, qui certi esse competitores videbantur, uni *Venerio* facillime cesserunt, viro in primis claro bellica gloria, quam ipse sibi tunc peperit, cum summum *Venetæ* classis imperium adversus *Turcas* optime gessit, atque illorum classem in *Naupacteum* sinum pugnandi caussa progressam, & in Christianas classes Pontificiam, *Hispanam*, *Venetam* vehementer insultantem fortissime compressit. Huic ego præstantissimo Principi nomine Universitatis studiosorum Philosophiæ, ac Medicinæ mense Octobri Principatus dignitatem sum gratulatus. Idem munus obivit pro Universitate Jurisstudiosorum vir doctissimus, & disertissimus *Galeacius Bigolinus*, tanta sua cum laude, tantoque omnium applausu, ut ipse omnibus fuerit admirationi.

CAP. II. 128.

De legationibus Doctorum, et Universitatum ad gratulandum Nicolao Pontio *Principi.*

1578. V. Nonas Martias cum è vita excessisset *Sebastianus Venerius*, Princeps *Venetiarum*, quem *Jo. Baptista Basadonna* funebri ornavit oratione, xv. Kal. Aprilis suffectus est is, qui tam sæpe fuerat Gymnasii Moderator, *Nicolaus Pontius*, vir ingenio, doctrina, eloquentia, gerendæ Reipublicæ laude præstans. Hic, cum junior esset, *Venetiis* in templo Divi *Pauli* illa duo cum maxima omnium admiratione disputaverat, *Quidquid tradidit Aristoteles, recte tradidit*, *Quidquid docuit Averroes*, *recte docuit.* Idem *Patavii* Doctoris insignia consecutus, & in Philosophorum Collegium cooptatus, rursus *Venetiis* in Generalibus Fratrum Eremitarum Comitiis, quibus præerat *Egidius* Cardinalis, cum tres de doctrina disputationes habendæ essent, pro tribus clarissimis provinciis, *Gallia*, *Germania*, *Italia*, honorem *Italiæ* præstantiæ suæ commissum mirabiliter tutatus fuerat. Munus publice docendi Philosophiam à Senatu obtinuerat, & magna sua cum laude multis annis obiverat: seque non solum sapientissimum, sed etiam eloquentissimum ostenderat, tunc cum illi ipsi, qui modo nominatus est, Car-

Cardinali nomine publico obviam processit, illiusque laudes in templo sancti Spiritus sancto Spiritu afflatus celebravit; & cum Legatum *Caroli V.* Imperatoris *Hieronymum Adornum Venetiis* extinctum in funere laudavit; & aliis sæpe temporibus. Magna autem cum Reipublicæ utilitate ab an. 1513. quo, ut *Veneti* loquuntur, Sapiens ordinum factus est, usque ad Principatum sibi delatum in ipsa Republica versatus fuerat: summaque cum laude id præstiterat, quod fieri non posse, aut certe difficulter posse existimatur, ut maximas divitias simul, & maximos honores compararet, atque incredibili integritate, ac æquitate amplissimum quemque magistratum tum in urbe, tum extra urbem administraverat: omnique assiduitate, ac charitate miserrimis, & calamitosissimis pestilentiæ temporibus patriæ suæ, quam plurimis abeuntibus, præsto fuerat. Ex principali Advocatione, nondum confecto legitimo spatio, *Utinum* Præses, & *Utino* ad *Carolum V.* Imperatorem in locum *Ma-*
128. v. *rini Justiniani* vita functi propter præstantiam suam ad majora properantem ordinarius Legatus missus fuerat. Ordinarium Legationis munus apud *Paulum III.* Pontificem Maximum gesserat: & *Matthæo Dandulo* suffecto, equestri dignitate donatus erat, novo exemplo, cum ante eum nulli Legato *Veneto* is honor à summis Pontificibus delatus esset. Gratulationem habuerat ad *Julium III.* quod fuisset ad sedem Pontificiam elatus. *Matthæo Dandulo* Legato ordinario apud eundem *Julium III.* honorificentissime successerat. De morte *Henrici Gallorum* Regis cum *Francisco II.* ejus filio condoluerat, eidemque de Regia dignitate gratulatus erat. Ad gratulandum *Pio IV.* iverat, quod Pontificiam dignitatem adeptus esset. Legatus missus ad Sacrosanctam Synodum *Tridentinam* adversus *Bavariæ* Legatos anteire *Venetis* Legatis volentes egregiam operam navaverat. Cum jam in medio belli ardore *Marcius* Procurator declaratus esset, ad gratulandum *Gregorio XIII.* profectus erat, quod Pontificatum obtinuisset, seque contulerat quoque ad ejusdem Pontificis iram ex pace cum *Turcis* composita exortam quamprimum sedandam, & extinguendam, felicissimo scilicet exitu, cum omnia post ejus adventum fuerint pacata, & tranquillata. Hæc ego, aliaque multa, ea complexus sum oratione, quam ad eum habui mense Majo pro omnibus *Patavini* Gymnasii Doctoribus, tum Jus Pontificium, & Civile, tum Theologiam, Philosophiam, aliasque bonas artes profitentibus, mecum *Venetias* profectis; & quidem habui novo exemplo, cum præter Legatos, qui nomine scholasticorum missi sunt, alterum pro Universitate Juris studiosorum *Galeacium Bigolinum* non minori laude oratorem, quam J. C. alterum pro Universitate studiosorum Philosophiæ, ac Medicinæ, *Herculem Saxoniam*, Philosophum, & Medicum disertissimum, cuncti etiam Doctores ad eum, qui tam sæpe Gymnasium moderatus fuerat, accedere properassent, ut virum optime de literis meritum, ac communem literatorum patronum in supremo solio sedentem consalutarent; meque delegissent, qui utriusque partis tum Jurisconsultorum, tum Philosophorum, & Medicorum personam in tali gererem gratulatione, quamvis Jurisconsultorum minimum, & Humanitatis in hoc Gymnasio explicatorem, quæ
129. nimirum omnium bonarum artium vinculum censetur, & utrique studio aditum patefacit, decusque affert, atque ornamentum. In eadem gratulatione *Patavini* professores obtinuerunt, ut antiquum privilegium, quod eos quoque cum ipsorum familiis ab omni vectigalium solutione immunes reddebat, quodque obsoleverat, observaretur, petente id omnium nomine *Bartholomæo Sylvatico*

A Doctore, atque Equite *Patavino*, & Juris Pontificii explicatore celeberrimo, datoque publico mandato, ut publicani tale privilegium exsequerentur, utque in vectigalium locatione ea immunitas exprimeretur.

CAP. III.

De Legationibus Universitatum ad gratulandum Paschali Ciconiæ *Principi.*

1585. Mortuo *Nicolao Pontio*, Principi supra omnem excellentiam insigni, cujus B laudes *Antonius Longus* elegantissimo ingenio præditus gravissima oratione in funere celebravit, *Paschalis Ciconia* successit; qui adolescens piratarum biremes, & *Monopolim* expugnaverat: *Utinensem* Quæsturam præclarissime gesserat: *Corcyreæ* arci præfectus sanctissimam Eucharistiam ex ara, atque ex ipsis sacerdotis manibus evolantem suis ipsius manibus exceperat: *Rithymnæ* Præses infestos, & periculosos crudelissimorum piratarum in eam irruentium impetus persæpe represserat, & fregerat: *Taurisi* Prætor, & Præfectus admirabili prudentia justum se, ac prope incredibili justitia prudentem ostenderat: *Cretæ* Dux eam plurimis, C maximisque periculis cinctam incolumem conservaverat: *Cydoniis* summo cum imperio præfectus *Cydonen* fame, atque auxiliariorum militum ad seditionem excitatorum armis liberaverat: *Patavii* Prætor è ferreis pestilentiæ unguibus *Patavinam* civitatem eripuerat: denique Procuratoria dignitate clarus, & religiosis virginibus pie, sancteque custodiendis præpositus, dum in augusta Cruciferorum æde Christum devoto, attentoque animo coleret, ab uno, & quadraginta viris ad Principem eligendum congregatis dignus judicatus fuerat, qui ad Principatum eveheretur. Quamobrem utraque Universitas tum studiosorum Juris, D tum studiosorum Philosophiæ, ac Medicinæ delegit Legatum suum ad eum honorandum, eique gratulandum, altera *Marcum*, altera *Nicolaum*, *Trivisanos* fratres, doctrina, & eloquentia præ- 129.
stantes, qui id muneris honestissime obiverunt. v.

CAP. IV.

De Legationibus Universitatum ad gratulandum Marino Grimano *Principi.*

1595. Cum è vita excessisset Princeps *Venetiarum Paschalis Ciconia*, quem oratione E luculentissima in funere celebravit *Æneas Piccolomineus Senensis*, vir nostri ordinis clarissimus, & publicus eorum doctor, qui Reipublicæ futuri sunt à secretis, non eleganti solum ingenio, & modestia prope singulari, sed eximia etiam doctrina, & maxima probitate ornatus, ad id muneris propter excellentem eloquentiam suam adhibitus, quod plerumque eloquentioribus patriciis deferri consuevit; cum, inquam, is vitam cum morte commutasset, *Marinus Grimanus* VI. Kal. Majas, anno ætatis suæ sexagesimo secundo ad Principatum evectus est; ex ea familia ortus, in qua Prælati, Episcopi, Patriarchæ, Cardinales splendidis- F sime floruerunt; & in qua *Antonius Venetiarum* Princeps, multique alii civitatum, atque Provinciarum administratores, summi classium Imperatores, publicorum consiliorum duces, Divi *Marci* Procuratores, atque inter cæteros *Hieronymus Marini* Pater, *Marcius* Procurator, Princeps Senatus, futurusque Princeps Reipublicæ si diutius vixisset, florentissime claruerunt: non tam suspiciendus, & admirandus, quod Princeps declaratus sit, quam quod principatu sit dignissimus, nimirum

mirum propter maximas, illustrissimasque virtutes suas, & duas in primis, sapientiam, & probitatem; quarum quidem prima in honorum ratione eum adduxit non ad Judicis officium exercendum, & ad controversias, ac caussas privatas dijudicandas, non ad invisendas ex munere Oratoris, & Legati civitates, & Principum aulas, quod munus sane magnum, & sublime exiguo temporis spatio ipse obivit apud *Sistum V.* Pontificem Maximum à quo splendidissima insignia reportavit; non ad classes gubernandas, & exercitus ducendos: sed ad eum finem sequendum, qui longe altior est, & finium finis, cui judices serviunt, oratores sunt administri, classium gubernatores, & exercituum duces parent, ut consilio, atque eloquentia Rempublicam gubernaret; qui honor *Ve-*
130. *netiis* nomen affert Sapientis. Iccircoque is primum fuit Sapiens ordinum: deinde Sapiens continentis oræ: inde Senator perpetuus: postea in numero Decemvirum, & Princeps illius Senatus: tum Sapiens Magnus: deinceps Consiliarius; in quibus dignitatibus administrandis ejus mirabiliter enituit sapientia. Altera vero in regendis civitatibus, præcipueque *Brixia*, & *Patavio*, eum omnibus amabilem, atque admirabilem reddidit, cumque suam perfectionem habeat primum in regendo animo, in quo sit, tamquam animalis ratione præditi, & hominis pii, deinde in regendis aliis, qui ejus rectioni commissi sint; eundem omnibus divinis virtutibus præclare ornatum ostendit, viva fide, inflammata charitate, ardenti spe, cæterisque omnibus, quæ de cœlo descendunt, & in cœlum perpetuo tendunt, animumque perficiunt: simulque summa præditum justitia declaravit, summopere adhibita erga singulos homines, erga universas civitates, & tunc maxime, cum Moderator fuit Gymnasii *Patavini*; qua cum excellenti virtute, virtutumque regina, conjuncta in eo est admirabilis clementia, in audiendis, & exaudiendis hominum querimoniis maxima patientia, in adjuvandis, & sustentandis pauperibus singularis liberalitas, aliæque innumerabiles virtutes, quæ merito eum an. 1588. dum Præfecturam *Patavii* administraret, ad *Marciam* extulerunt Procurationem, an. autem 1595. ad Principatum evexerunt. Quam dignitatem nomine Universitatis Jurisstudiosorum *Nicolaus Bolitius Ascruvinus*, Doctor, Eques, Rector: nomine Universitatis studiosorum Philosophiæ, ac Medicinæ *Hercules Saxonia Patavinus*, Medicinæ Practicæ ordinariæ Interpres, gratulatus est; ille sermone *Italico*: hic oratione *Latina*: uterque magna eloquentia, non magis Principem laudans, quam à Principe, cæterisque qui tunc cum Principe erant, laudatus.

CAP. V.

De Bernardo Pacio *olim Juris Civilis in hoc Gymnasio professore, & familia* Pacia.

Commemorabam inter celebres Jurisconsultos Gymnasii *Patavini*, qui Jus professi sunt sub *Venetis* ab adeptione *Patavii* usque ad bellum ex fœdere *Cameracensi* susceptum, *Alexandrum Tartagnum* ex *Foro Cornelii* nunc *Imola* nuncupato, qui habuit multos disciplinæ suæ alumnos præ-
130. V. stantissimos, atque in primis *Bernardum Pacium Ariminensem*, & ipsum Juris Civilis in eodem Gymnasio professorem inter annum septuagesimum, & septuagesimum quartum supra millesimum, & quingentesimum, in ipso prope cursu, atque progressione ad summam gloriam, quamvis juvenem, quotidianis laboribus, atque assiduis vigiliis supe-
A ratum, atque extinctum, ex ea familia oriundum, in qua non modo præclara literarum studia, verum etiam militaris scientia mirum in modum floruit. Etenim in numero virorum literatissimorum haud postremum locum obtinuerunt præter *Bernardum* etiam *Angelus* ejus Pater, & *Jo. Franciscus* ejusdem frater, celeberrimi Jurisconsulti; ex quibus quidem *Angelus* cum utriusque Juris insignia *Patavii* an. 1440. consecutus fuisset, ibidem multos annos domicilium habuit, multaque bona possedit, ac jure *Patavinæ* civitatis donatus fuit, quemadmodum propter famæ celebritatem etiam jure Civitatis *Venetæ*, & *Veronensis*, qua de re ex-
B stant publica literarum monumenta: honestissime servivit Reipublicæ *Venetæ* Assessor, & Vicarius in præcipuis *Veneti* Imperii Urbibus, *Patavio*, *Verona*, *Bergomo*, *Brixia*, *Ravenna*: claruit tempore *Alexandri Tartagni Forocorneliensis*, seu *Imolensis*, qui honestissimam ejus mentionem fecit in voluminibus consiliorum suorum: scripsit præter aliquot volumina Consiliorum etiam *Historiam de bello Cenomano*, & *de rebus Venetorum* suo tempore gestis, præcipueque *contra Philippum Vicecomitem Ducem Mediolani usque ad fœdus ictum cum ipso Philippo, & Francisco Sforcia* ejus genero an. 1441. quem auctorem sæpe citat, & sequitur *M. Anto-*
C *nius Sabellicus* in historiis suis; cujusque Historia manu ipsius auctoris scripta apud perillustrem Equitem *Claudium Pacium*, & ipsum de rebus *Arimini*, patriæ suæ Historicum præclarum conservatur. De eo Epitaphium hoc legitur;

ANGELO PACIO ARIMINENSI, J.C. PERITISSIMO, PUBLICIS MUNERIBUS PER OMNES VENETAS URBES INSIGNITO, HISTORIÆ VENETÆ DILIGENTISSIMO SCRIPTORI, FILII QUINQUE PERITISSIMI POSUERUNT.

VIXIT AN. LXXXI. De eodem & filiis ejus
D *Vincentius Ruinius* in libro *de laudibus patriæ* an. 1532. *Pisauri* edito scripsit ad hunc modum; *His animi felicitate jungendus est Angelus Pacius memoranda natorum corona circumseptus, nulla in re à pa-* 131.
rente suo degenerantium; *in quibus præcipue Jo. Franciscus, & Bernardus paternam juris scientiam cum laude sectati sunt.* Mentionem quoque fecit Hieronymus Rubeus *in Historia Ravennate an.* 1445. & Franciscus Sansovinus *de nobilioribus Italiæ civitatibus*: & Joannes Bonifacius, civis meus, *Historiæ Taurisanæ lib.* XII. *Jo.* vero *Franciscus* ita institit vestigiis clarissimi J. C. parentis sui, ut & ipse fuerit Judex, & Vicarius, *Patavii*, *Veronæ*,
E *Brixiæ*, *Taurisi*, *Ravennæ*, *Bergomi*; & ductis duabus uxoribus Patriciis *Venetis*, altera *Magna*, altera *Bondumeria*, jus civitatis *Venetæ* sit consecutus; itidemque *Patavinæ*, & *Veronensis*, vir omni laude cumulatus. Parentis autem, & fratris gloriam non solum æquaturus, sed etiam superaturus esse videbatur *Bernardus Pacius*, unus de Gymnasii nostri Doctoribus, si eum diutius vivere præpotens Deus permisisset. Nam, quod attinet ad gloriam militarem, in eadem familia insigniter floruit *Marcus*, qui Serenissimæ Reipublicæ *Venetæ* egregiam operam navavit, & pro ea diu militavit, singularique certamine sæpe victo-
F riam reportavit: cujus in primis vigilantiæ, & virtuti non desunt, qui memoriæ tradiderint acceptam fuisse referendam captivitatem *Francisci Gonzagæ* ultimi *Mantuæ* Marchionis factam nomine *Venetorum* an. 1509. quique fortissime, atque animosissime arcem *Lemniaci* defendit; multumque laboravit in defensione *Patavii* adversus *Maximilianum* Imperatorem; ubi cum ad altiores dignitatis gradus altitudine animi, fide, omnique virtute sibi aditum patefecisse videretur, morte

præreptus est, & publico funere ornatus in templo Eremitarum, ac publica oratione laudatus. De eo sic Vincentius Ruinius; *Sed quo Marcum Pacium numquam satis laudatum efferam præconio, pedestrium copiarum sub imperio Venetorum Ductorem fortissimum? qui natura agilis, & vigilantissimus præter alia gesta Mantuanum Principem captivum fecit.* De eodem Petrus Bembus *lib.* IX. *Historiæ Venetæ* ad hunc modum; *Marco etiam Ariminensi Centurioni Reipublicæ, Lemniaci qui erat, ad eamque rem conficiendam* (locutus supra fuerat de captivitate Fancisci Mantuani) *& studio, & diligentia usus fuerat; duæ auri libræ pensionis nomine annis item singulis, quoad viveret, constitutæ: auctusque*
131. v. *militum numerus ad alteros totidem.* Laude itidem militari floruit *Nicolaus Pacius Marci* frater, qui toto vitæ suæ tempore militavit partim sub vexillo *Venetorum*, partim sub illo *Roberti Malatestæ*, Magnifici nominati, Principis *Arimini*, quocum peditibus præfectus egregie se gessit tunc, cum pro Sancta Ecclesia *Romana*, ejusque Pastore *Sisto IV.* contra Ducem *Calabriæ* victoria est reportata. Similiterque arma exercuit honorificentissime pro Republica *Veneta* una cum *Marco* fratre *Augustinus*, qui ejus fuit, ut appellant, Locum tenens. Nec parum in exercitatione armorum laudatus est *Angelus*, ex *Simone* J. C. *Marci* etiam fratre ortus, *Francisci* Doctoris, & Equitis, *Claudiique* Equitis, & Historici frater, qui *Venetis* quoque diu servivit, fuitque Locumtenens Comitis *Herculis Rangonii*, & Comitis *Baptistæ Martinengi* in ductu Equitum Cataphractorum, & præfectus ducentis peditibus, atque adhibitus ad custodiam *Piscariæ*, aliorumque oppidorum. Alii autem Legum Doctores qui familiam *Paciam Ariminensem* collustrarunt, atque collustrant, ex quibus *Cæsar Pacius* superioribus mensibus in Doctoris insignibus consequendis summum ingenium, summamque doctrinam ostendit, & cum maxima sua laude, ac prope incredibili universi Jurisconsultorum Collegii *Patavini* admiratione, dum quæstiones sibi propositas doctissime, ac disertissime declarabat, argumentaque contraria dissolvebat, est auditus: & Equestres dignitates, quibus eadem familia adhuc fulget, Videlicet *Melitæ*, S. *Mauritii*, S. *Jacobi*, S. *Stephani*, hoc in loco brevitatis caussa pluribus verbis non recensentur, silentio tamen non est prætereundum, hujus præstantissimæ familiæ gentiles florere etiam *Vicetiæ*, ubi inter cæteros orti sunt duo præstantissimi fratres, *Julius Pacius*, qui nunc in *Germania* rem adjuvat literariam scriptor multorum operum in utroque studio legum, atque Philosophiæ: & *Fabius Pacius*, qui nuper edidit luculentissimos *Commentarios in aliquot Galeni libros Methodi medendi*, egregius Medicus, & literis doctus *Græcis*, atque *Latinis*, in eoque sermone, quem sibi *Etrusci* nunc vindicant, poëta non contemnendus, cujus ego scripta ita laudare soleo, ut melius non quæram.

132.

CAP. VI.

De studioso obtruncato, aliisque condemnatis.

1580. Evenit factum perquam miserabile, quod, cum antea studiosi juvenes maximam habere licentiam viderentur, ut qualibet de caussa etiam levi ob aliquem ipsorum in carceres conjectum, vel arma ipsis denegata, vel aliquem alium prætextum soliti essent gregatim profiteri cum tympanis, buccinis, vexillis vel in *Ferrariense*, vel in *Bononiense* Gymnasium se esse profecturos, & nudas *Patavii* Scholas relicturos, quod sæpe, ac sæpius fecerant: etiam eo ipso an-

A no ob nescio quam caussam collecti sunt seditiose, atque armati ad urbis portas se contulerunt. Cumque ad portam *S. Crucis* constitissent, & non modo *Ferrariam* conclamassent, verum etiam in quemdam justitiæ administrum impetum fecissent, eumque ita vulnerassent, ut ex ejusmodi vulneribus paulo post è vita excesserit, portamque ipsam occupasse viderentur: re tota à Præsidibus ad Decemvirum Senatum perscripta, statim responsum est, & mandatum, ut, qui deliquissent, omni diligentia conquirerentur, &, ubicumque reperiri possent, caperentur, atque in eos omnes, qui peccassent, vel saltem unum de ipsis, sine ulla
B literarum replicatione animadverteretur. Quamobrem fecerunt illico Præsides, ut satellites sui eos insectarentur; à quibus aliquot pauci ad *Montem Silicis* inventi, & comprehensi sunt, ac *Patavium* perducti: factaque diligenti contra eos quæsitione, unus omnium maxime vacillavit, & in dictis suis parum constitit, ita ut modo diceret sacciperium, quod ipse habebat, & in quo pilæ minorum tormentorum militarium inventæ sunt, suum esse, modo negaret, *Petrus Raimundus* ex oppido *S. Martini*, quod in agro est *Mantuano*; & ob eam titubationem ad mortem damnatus est: cui sententiæ cum *Fridericus Corne-*
C *lius* tunc *Patavii* Episcopus velle obsistere videretur, propterea quod is sacris initiatus esset: lectis tamen literis à Senatu Decemvirum ea de re datis, quas Præsides ei attulerunt, conquievit. Itaque ille summo supplicio affectus est: octo carceribus in sex menses addicti, posteaque per septem annos in exilium pulsi sunt: duo, qui in Ecclesia capti fuerant, in Ecclesiam reducti, & Ecclesiæ restituti: unus tantum absolutus. Quo terrore animis studiosorum injecto factum est, ut licentiam pristinam prorsus dimiserint, nec amplius ad tympana, ad buccinas, ad vexilla, ad 132. v.
D exeundi, & abeundi professionem excitati sint, etiam oblatis gravibus occasionibus, & vel ipsis Universitatum Rectoribus, & Prorectoribus, studiosisque Nobilioribus, nedum inferioris ordinis juvenibus male habitis, & tractatis: tantum valet justitia quandoque sæviter administrata, & summum jus ad debita tempora adhibitum.

CAP. VII.

De horribili spectaculo, quod studiosis Gymnasii Patavini *contingit videre.*

1585. Studiosi juvenes Gymnasii *Patavini* spe-
E ctaculum perquam horribile viderunt, quod *Patavii* factum est propter crudelissimam cædem Virginiæ *Acorambonæ*, mulieris venustissimæ, & ingeniosissimæ, atque altissima mente præditæ; cujus maximum infortunium, facere non possum, quin hic recenseam. Uxor fuerat *Francisci Pyreti* ex *Sisti V.* Pontificis Maximi fratre orti: cumque is in Pontificatu *Gregorii XIII.* de medio subtractus esset, post multas, magnasque difficultates *Paulo Jordano Ursino*, Duci *Arcenni*, nupserat. Statim autem ut *Sistus V.* ad altissimum pervenit gradum Pontificatus, eum
F *Paulus Jordanus*, quamvis de cæde ejus, qui modo nominatus est, *Francisci Pyreti* aliquantisper suspectus, ad pedes abjectus, omni coluit reverentia, ab eoque benigne exceptus est, hujusmodi prolatis verbis; *Non pertinere ad Sistum V. ulcisci injurias Cardinali ex Monte Alto illatas: Iret igitur ab omni impetu securus: sed caveret in primis, ne in Ducatum suum exsules, & sicarios, sicut solitus erat, reciperet: alioqui pro comperto haberet, in se gravissime animadversum iri.* Quibus verbis aliquantulum perterritus in *Venetam* Rempublicam sibi

ſibi amiciſſimam cum uxore chariſſima, totaque familia ſua ſe recepit; ac *Patavii* per aliquot menſes fuit; cumque *Saloum* ſe contuliſſet, ut illius loci amœnitate perfrueretur, ibi è vita exceſſit, teſtamento uxori ſuæ relictis centum millibus nummûm aureorum; quæ ſumma cum ex ejus bonis haurienda eſſet, orta controverſia de bonis mobilibus cum *Ludovico Urſino*, agnato *Pauli Jordani*, militum in Republica *Veneta* Tribuno, tuncque ad *Corcyræ* cuſtodiam deſignato; noctu in urbe *Patavio*, ubi ipſa domicilium ele-
133. gerat prope templum Eremitarum ad mœnia, à multitudine hominum armatorum domum per vim ingreſſorum ſæviſſime, miſerrimeque necata eſt una cum *Flaminio* fratre ſuo, qui poſt mortem Ducis ad eam venerat conſolandam. nam alter ejus frater, nomine *Marcellus*, natu major, caſu ea nocte aberat, ita ut propter abſentiam ſuam interfici non potuerit. Et vero ſuſpectus fuit de ea cæde *Ludovicus Urſinus* cum permultis ſicariis, quos apud ſe perpetuo habebat: & nihilominus *Patavii* permanere auſus eſt, unde commode abire poterat, ſola auctoritate *Urſini* nominis fretus; donec unus de Advocatis Reipublicæ quos appellant Advocatores, *Aloyſius Bagradenus*, propter facinoris atrocitatem miſſus, una cum Præſidibus urbis, Prætore, & Præfecto, eum per publicos adminiſtros vocavit, ut ſpatio unius horæ adeſſet; negantemque ſe venturum, ac domi, ubi habitabat, contra omnem vim publicam ſe munientem, magnis tormentis militaribus (quod novum, atque admirabile fuit) maxima cum populi multitudine ad æris campani ſonitum congregata aggreſſus eſt ipſo die Natali Jeſu Chriſti; everſaque magna parte illius domus, quæ erat ad Divi *Auguſtini*, ab aurora, uſque ad vigeſimam primam diei horam obſeſſæ, atque oppugnatæ, necatisque tribus ex præcipuis comitibus ejus, qui cum anteriori pariete diruto conciderunt, ſtatimque obtruncati ſunt, tandem aliquando ad deditionem compulit, alioqui vel ruinis ædium obruendum, vel, ſi egreſſus fuiſſet, ut facturus eſſe videbatur, atque cum comitatu ſuo impetum feciſſet, à multis hominum millibus, qui eas ædes circumiverant, trucidandum. Deditus igitur, in carcere, noctu, ita jubente Senatu, ſtrangulatus eſt, confecto teſtamento, ac relictis armis ſuis Reipublicæ *Venetæ*, quibus poſitis inter Decemvirum arma illa verba ſubſcripta ſunt; ARMA A LUDOVICO URSINO REIP. LEGATA, INGENUUM JUSTÆ NECIS TESTIMONIUM. Ejus vero ſicarii ſeptemdecim in plateis ſuſpendio vitam finiverunt: alii mire excruciati, & in quatuor partes diſſecti: alii publicis triremibus alligati: alii ad perpetuos carceres condemnati. Et *Marcellus Acorambonæ* frater, tamquam unus de conjuratis adverſus *Franciſcum Pyretum*, à ſummo Pontifice poſtulatus, atque à Senatu traditus, cum in Pontificiam ditionem perductus eſſet, ſummo ſupplicio affectus eſt.

133. v.

CAP. VIII.

De magno periculo cujuſdam Abbatis ſtudioſi, & ſummo ſupplicio duorum ejus comitum.

1587. Idibus Februarii *M. Antonius Memmius Patavii* Prætor inſignem juſtitiam adminiſtravit adverſus duos armatos homines cujusdam nobiliſſimi Abbatis in hoc Gymnaſio legum ſtudioſi; qui & ipſe maximo in periculo verſatus eſt, inibique fuit, ut cum illis ſummo ſupplicio afficeretur: ſed Eccleſiaſtica ſervatus eſt dignitate, ita ut in civili foro de eo non licuerit judica-
A re. Cum enim vis nocturna illata fuiſſet in ædibus *Pamphili Salicii Patavini* cuidam adoleſcentulæ ejus filiæ nothæ, nomine *Cæciliæ*, quæ quidem egregie ſonabat, & canebat, cujus rei cauſſa ille tamquam amicus fuerat introductus, duobus, ut modo notavi, hominibus armatis comitatus; cumque *Pamphilus* minoribus tormentis militaribus ad eum conterrendum diſploſis totus perterritus ad Prætorem confugiſſet, ac de gravi injuria conqueſtus eſſet; miſſis ſtatim ſatellitibus ad eos comprehendendos, captoque Abbate cum armatis, armisque adinventis, propter quæ Decemvirum decreto pœna capitis propoſita eſt, totam noctem ipſe Prætor vigilavit cum Aſſeſſori-
B bus ſuis, de quibus unus erat *Andreas Nicolius Rhodiginus*, civis meus, ipſius Prætoris Vicarius, ut diligenter illius criminis faceret inquiſitionem, habuit quæſtionem in caput illorum, rem totam cognovit, prohibitorum armorum inventione, teſtimoniisque convictos ante lucem ad ſummum ſupplicium condemnavit, fecitque ut mane maturo comites illi duo, quorum alter *Hieronymus Bonfantius* ex regione *Mediolanenſi*, alter *Franciſcus Lealius Ariminenſis* nominabatur, laqueis ſuſpenderentur, pendentibus ex eorum pedibus in furca illis minoribus tormentis militaribus, Ab-
C bateque ad forum Eccleſiaſticum dimiſſo, qui tamen ea de cauſſa *Romam* miſſus, omni culpa in adminiſtros collata, abſolutus eſt. Inſigne ſine dubio exemplum, tum juſtitiæ ſingularis, quæ nullam prorſus adhibuit tarditatem, moramque judicii: tum infortunii, quod quandoque ferre comites, & adminiſtri ſolent, nimium, & plus nimio patronis ſuis obſequentes, ita ut ne agere quidem propter obſequium contra ſæviſſimas legis minas vereantur: tum periculi, in quod interdum incidunt patroni, nimium ſicariis ſuis præ- 134.
fidentes. parum enim abfuit, quin & in illum eodem modo animadverteretur. quod ſine dubio ef-
D fectum eſſet, niſi forum Eccleſiaſticum fuiſſet impedimento. *Julius* enim *Urbanus* Epiſcopi Vicarius ſe oppoſuit, Abbatemque in periculo capitis ſervavit.

CAP. IX.

De Teſtamento Franciſci Gaſparini.

1589. Franciſcus *Gaſparinus Patavinus*, cum ſuam ſatis amplam hereditatem virginibus reliquiſſet è periculo amittendæ, propter paupertatem virginitatis ereptis, quas *Citellas* vulgo nominant, quasque in domum ad hoc ædifi-
E candam recipi, ſuisque bonis nutriri mandavit; quoniam ejus rei procurationem perpetuam eſſe cupiebat, Gymnaſiumque *Patavinum* fore perpetuum cogitabat; iccirco, præter alios quosdam, teſtamento delegit procuratores ſuos duos primarios Juris Interpretes, alterum matutinum, alterum veſpertinum, duosque primarios Artium explicatores, alterum itidem mane, alterum veſperi profitentem, quicumque perpetuis temporibus ex ſucceſſione in Gymnaſio floruiſſent; quam procurationem præclariſſime, ac diligentiſſime tractare cœperunt *Angelus Matthæacius* Eques, & *Guidus Pancirolus*, ſummi Juriſconſulti, *Horatius-*
F *que Augenius*, atque *Alexander Maſſaria*, ſummi Medici.

CAP. X.

De Nicoleto Verniate Theatino, *cive* Vicetino, *Gymnaſii* Patavini *Philoſopho Primario.*

Nicoletus Vernias Theatinus, Civis *Vicetinus*, Philoſophus, & Medicus, cum primum lo-

cum teneret in Gymnasio *Patavino* eam philosophiæ partem, quæ à *Græcis* Physice dicitur, profitendi, & crebro, ut fieri consuevit, disputandi, atque acuendi ingenii gratia falsam illam & ab omni veritate alienam opinionem *Averrois* de unico intellectu argumentis confirmare tentasset, usque adeo ut plebeji, & minuti Philosophi, qui hebeti, & rudi ingenio contrariam opinionem, quamvis verissimam, defendere non poterant, dictitarent, & in vulgus jactarent, eum totam pene *Italiam* in tam perniciosum errorem compulisse: volens occurrere rumori falso, qui ab invidis, & malevolis excitatus fuerat, & venenatum susurrum tollere, qui de eo in angulis fiebat, quod
134. v. *Averrois* sententiam sequeretur; adductus cohortationibus *Augustini Barbadici Venetiarum* Principis, & *Petri Barotii Patavii* Episcopi, opusculum scripsit de immortalitate animæ, probans pro fide Catholica plures animas esse, & non unam, atque *Averroem* maleficæ opinionis perfidum, & vanum auctorem certissimis argumentis refellens; & cum tertius, ac trigesimus annus ageretur suæ primariæ in *Patavino* Gymnasio, ac sine collega professionis, id pervulgavit, *Dominico*que *Grimano* S. R. E. Cardinali, atque *Aquilejensi* Patriarchæ dicavit, cui Cardinalatum prædixerat, & à quo ei Sacerdotium *Aquilejense* promissum fuerat, si fieret Cardinalis, ita ut ipse speraret, quemadmodum in sua ad eum epistola scripsit, se non super philosophi, sed Canonici titulo aliquando usurum. Cujus opusculi confectionem is, qui modo nominatus est, *Petrus Barocius* Episcopus *Patavinus* suis literis datis XII. Kal. Sextiles 1499. est gratulatus, & editionem suasit, ut, cum & disputando, & docendo unum esse in omnibus intellectum sic explanasset, ut tota pene *Italia* per eum errare à malevolis, & minutis philosophis diceretur, atque si id non sensisset, fuisset tamen caussa, cur alii ita sentirent, tandem aliquando intelligerent omnes, non solum eum sentire contrarium, sed etiam probare. Quamobrem edidit quæstiones de pluralitate intellectus contra falsam, & ab omni veritate remotam opinionem *Averrois*, & de animæ felicitate. Atque ejusdem exstat quæstio de gravibus, & levibus simul edita cum superioribus de pluralitate intellectus: & duæ quæstiones, quæ leguntur in principiis commentationum Burlei in libros *de Physico auditu*, altera *de partitione Philosophiæ Naturalis:* altera *de præstantia Medicinæ*, quod sit nobilior Jure Civili: & quæstio etiam, quæ legitur cum quæstionibus *Marsilii de Inguen*, & Alberti Saxoniæ *in libros generationis, & corruptionis.* Idem *in epistola* superius commemorata *ad Dominicum Grimanum*, Cardinalem, & Patriarcham professus est se commentationes in omnes *Aristotelis* libros elucubratum esse.

135.

CAP. XI.

De morte Speronis Speronii.

Spero *Speronius Patavinus*, qui an. 1524. Philosophiam extraordinariam in hoc Gymnasio explicaverat, an. 1588. ex hac vita excessit, non tribus solis maximis rebus, quibus *M. Cato*, aut quinque, quibus *P. Crassus Mutianus* dicitur præstitisse, sed longe pluribus, sane summis, & præcipuis clarissimus; nobilitate patriæ: splendore familiæ: fortunarum amplitudine: corporis firmitate: ingenii præstantia: differendi ratione: Poetica: Rhetorica: scribendi excellentia: Sacræ Scripturæ, omnisque antiquitatis cognitione: rerum futurarum prudenti quadam prædictione: Equestri dignitate: Principum consuetudine; quæ omnia de eo celebravi oratione habita in Ecclesia Cathedrali Nonis Junii.

CAP. XII.

De Gratulatione habita ad Fridericum Cornelium *Cardinalem.*

1586. Friderico *Cornelio*, qui Episcopatum *Tragurinum*, & *Bergomatem* administraverat, ac *Nicolao Ormaneto* in Episcopatum *Patavinum* successerat, & an. 1585. à *Sisto V.* Pontifice Maximo Cardinalis factus fuerat, nimirum quintus ex domo *Cornelia*, post *Marcum*, *Franciscum*, *Andream*, *Aloysium:* nomine utriusque Universitatis tum studiosorum Juris, quam regebat *Jo. Franciscus Lombardus*, tum studiosorum Philosophiæ, ac Medicinæ, quam administrabat *Jacobus Savojanus*, Cardinalatum est gratulatus doctissimus, & disertissimus Juris utriusque Doctor, *Galeacius Bigolinus* ea, quæ edita est, luculentissima oratione.

CAP. XIII.

De adventu Marci Cornelii *ad Episcopatum* Patavii.

1595. Advenit *Patavium* novus Episcopus, *Marcus Cornelius;* de quo cum plura possem scribere, quemadmodum oratione, quæ edita est, multa merito dixi: libet tantum brevitatis caussa hic adscribere elogium amici mei, *Lucæ Resii Dalmatæ*, Philosophi, Medici, & in Sacrosancto *Patavino* Theologorum Collegio Doctoris eodem anno pervulgatum. *Marcus Cornelius, Georgii amplissimi Senatoris Veneti F. cum majorum suorum, Principum, & Cardinalium, tum* 135.
sapientiæ, probitatisque suæ lumine illustrissimus, v.
incredibili omnium gaudio designatus fuit Episcopus Patavii à Clemente VIII. Pontifice Maximo in locum demortui Aloysii Cornelii VI. Kal. Novembris: & coronatus XII. Kal. Jan. an. 1594. ætatis suæ XXXVII.

Veronensi Abbatia *S. Zenonis* multo ante potitus:

In urbe gentium Principe *Roma* Tutelaris factus piissimæ societatis Nominis Dei:

In clarissimas congregationes *S. Catharinæ*, *S. Marcelli*, Indicis librorum prohibitorum cooptatus.

In cujus adventu, *Thoma Mauroceno* Prætore, *Zacharia*que *Contareno* Equite, ac Præfecto, à Sacerdotibus, & civibus *Patavinis*, celeberrimisque Collegiis, ac utraque Gymnasii Universitate, delecti fuerunt viri eloquentissimi ad habendas publicas gratulationes,

1. Pro Canonicis, & Sanctæ Ecclesiæ *Patavinæ* Capitulo excellentissimus, & admodum reverendus *Camillus Borromeus*, J. U. D. Canonicus, Theologus:

2. Pro Magnifica Civitate excellentissimus *Benedictus Doctorius* Philosophus:

3. Pro Sacrosancto Collegio Theologorum excellentissimus, & admodum reverendus Pater *Hieronymus Pallanterius*, Theologiæ publicus explicator.

4. Pro celeberrimo Collegio Jurisconsultorum excellentissimus *Franciscus Centonius* Juris Pontificii, & Cæsarei Doctor:

5. Pro clarissimo Collegio Philosophorum, & Medicorum excellentissimus *Jacobus Pernumia* Philosophus:

6. Pro magnifica Universitate studiosorum Juris excellentissimus *Claudius Curtivius:*

7. Pro magnifica Universitate studiosorum Philoso-

losophiæ, ac Medicinæ excellentissimus *Antonius Riccobonus*, J. U. D. Humanitatis in *Patavino* Gymnasio Interpres:

8. Pro veneranda Parochorum Congregatione excellentissimus, & admodum reverendus *Antonius Zoncha*, Juris Pontificii professor;

Non desinentibus aliis summis oratoribus, clarissimisque poetis maximas ejus laudes celebrare; atque inter cæteros.

136. 9. Excellentissimo, & admodum reverendo J. U. D. *Galeacio Bigolino*, cujus edita est in tam luculento argumento luculentissima oratio eo sermone egregie conscripta, quem sibi *Etrusci* nunc vindicant: & excellentissimo, atque admodum reverendo *Cornelio Amaltheo*, poeta eximio, in *Amaltheorum* familia, tamquam in Musarum domicilio mirabiliter florente.

Hæc ille. Itaque hæ omnes orationes habitæ sunt, maximoque honore ornatus est numquam satis honoratus Episcopus præstantissimus.

CAP. XIV.

De Bacchanalibus spiritualibus.

Numquam studiosi juvenes Gymnasii *Patavini* in diebus Bacchanaliorum fuerunt minus dediti corporeis voluptatibus, magisque intenti cultui divino, quam an. 1596. cum Bacchanalia *Patavii* propter divinum hominem huic diœcesi divinitus præpositum, *Marcum Cornelium*, non humana, sed divina, non adumbrata, sed vera celebrata sunt. Ac horum quidem auctor fuit is, unde nomen acceperunt, *Bacchus*, prius *Osiris* nominatus, vineæ, & hederæ inventor, primus hedera coronatus, primus triumphator, & diademate Regio insignitus; in cujus honorem duo Bacchanaliorum genera celebrari solita sunt; alterum die duodecimo mensis Anthesterionis, seu Novembris, nuncupatum Pythægia, quasi τῦ πίθυ ἀνοιγὴ, id est, dolii apertio, quoniam dolia relinebant, & amicis potum præbebant, quemadmodum hoc etiam tempore in die facimus Divi *Martini*, scilicet undecimo Novembris, cum uno tantum die à veteribus differamus: alterum circiter finem Februarii, & principium Martii, desinente hyeme, & vere ineunte, positum potissimum in delectatione harmoniæ, & rerum ridicularum; cum *Osiris* fuerit cupidus risus, delectarique solitus sit musicis, & choreis; iccircoque secum habuisse dicatur musicorum multitudinem, & inter eos novem virgines adolescentulas, tum canere solitas, tum in aliis ab Apolline Musico eruditas, & à *Græcis* Musas appellatas; satyrosque præterea ad risum, & animi remissionem, ut scriptum reliquit *Diodorus* libro primo, etiamsi paulatim postea in Bacchanalibus creverit licen-
136 v. tia, adhibitique sint non solum scurræ, personati homines, histriones, saltatores, aliæ personæ ad delectationem accommodatæ, sed etiam turpissima quædam, commemorata à Varrone *lib.* XVI. *rerum divinarum*, & à Divo Augustino *lib.* VII. *de Civitate Dei*, in *Italiæ* compitis, & in oppido *Lavinio* usurpari solita; quæ turpiora sunt, quam ut hic debeant recenseri. Verum per *Bacchum*, & Bacchanalia longe aliud intellexisse mystici scriptores videntur, quam in vulgi consuetudine positum est: siquidem gravissimus omnium auctor *Plato* in *Phædro* de quatuor divinis furoribus unum tribuit *Baccho*, qui animum humanum ad mysteriorum cognitionem, Deique cultum convertat. Et in *Phædone* per *Bacchos* intelligit eos, qui mysteria noverunt, ubi ponit hæc verba, εἰσὶ ναρθηκοφόροι μὲν πολλοί· βάκχοι δέ γε παῦροι. In quod dictum facere non possum, quin hoc in loco ea no-

A tem, quæ scripsit civis meus ad hunc modum; *Quid his paucis verbis sanctius? quid Christianæ veritati magis consentaneum? Religionem, inquit, sanctitatem prætendunt quidem plures: sed quotus quisque culpationibus reclinatis, quas vitæ deprecatur castitas, scopum pertingit, aut induit perfectionem? passim quoque vocantur omnes: electorum tamen mira paucitas; nemine non discum potius audiente, quam vere philosophantem. Nam & Chrysostomus, Multi, inquit, Sacerdotes, & pauci Sacerdotes: multi nomine, & pauci re. Non omnis Sacerdos Sanctus: sed omnis Sanctus est Sacerdos. Non vestis tenera, uti est apud Hieronymum, Clericum facit, aut Sa-*
B *cerdotem: sed casta mentis intentio, humanæ proprietatis retinentissima, quæque peccatorum proluvium prætextu nullo exemptum, purgatumque eat.* Hæc ille. Multi igitur sunt *Narthecophori*: pauci *Bacchi*. *Narthecophori*, id est, ferulam ferentes *Baccho* sacram. *Bacchi*, id est, veri Sacerdotes. Ante *Platonem* vero *Musæus* dixit, mirum justitiæ præmium perpetuam videri ebrietatem. Cui respondere illud Propheticum videtur; Inebriabor ab ubertate domus tuæ; cum duplex sit ebrietas, quemadmodum duplex est potus; unus quidem purissimus, nectareus nuncupatus, quo animi humani ebrii facti supra se divina mysteria contem-
C plando, favente *Baccho*, extolluntur: alter turbidissimus, lethæus appellatus, quo iidem ad oblivionis ebrietatem perducuntur, & infra se, atque extra se dejiciuntur, ac distrahuntur. Ante *Musæum* autem *Orpheus*, cum à veteribus Theologis 137.
supra Mundum tres Principes excogitati sint; Deus, cujus propria est veritas: Mens, cujus proprius est ordo: Anima, cujus proprius est motus; quemadmodum hanc ipsam animam primam in Mundo, tamquam animali suo, regnantem *Jovem* appellavit: sic sub *Jovis* universali providentia constitutam animæ mundanæ vegetam potentiam omnia vivificantem *Bacchi* providentiam nun-
D cupavit. Idem globorum cælestium animas ita constituit, ut singulis duas potentias tribuerit; unam intelligendi sub nomine *Bacchi*: alteram corporis cælestis vivificandi, & regendi sub nomine Musæ. Atque hæc mysteria optime pro sua sapientia novit Antistes noster illustrissimus; qui ut Bacchanalia humana in Bacchanalia divina egregie converteret, ac majori cum fructu, animarumque utilitate id efficeret, quod sibi efficiendum proposuerat, primum à *Clemente VIII.* Pontifice optimo, & Maximo Indulgentiam, quam plenariam appellant, pro die Dominico Bacchanaliorum sanctæ Quadragesimæ proximo impetravit.
E postea vero, ut, quantum fieri posset, occasionem præriperet etiam cogitationum, nedum actionum Venerearum; septum fecit in media Ecclesia altitudine unius hominis, quo mulieres à viris segregatæ continerentur, quodque hac occasione factum in perpetuum continuabitur. Præterea, ut magis populum ad concursum inflammaret, totam Ecclesiam magna vi præclarissimorum peristromatum adornavit; aramque in choro eminentem, & auro, argentoque ac gemmis magni procii onustam paravit, plurimorum luminum plenam, qua cum claustrum conjunctum erat, ubi ipse cum Clero, ac Præsidibus Urbis, sapientibus-
F que Deputatis, & primariis civibus permaneret. Accivit quoque *Venetiis*, *Veronaque* & *Mediolano* Musicos præcellentissimos, vocibus, & musicis instrumentis admirabiles, cornicinesque atque tubicines egregios, ad alliciendos animos populi universi; non solum quia humanus. *Bacchus* in primis harmonia delectatus est; sed etiam quia mysticus *Bacchus* debet laudare Deum in chordis, & organo; atque in posterioribus tribus Bacchanaliorum diebus rei divinæ operam dedit mirifice

cum honestissima omnium delectatione. In die
137. v. enim Dominico ipse sanctissimum celebravit Sa-
crificium : ac statim post cantatum Euangelium
in suggestum ascendens semihoræ spatio luculen-
tissimam habuit concionem : posuitque sacrosan-
ctam Eucharistiam in locupletissimo tabernaculo
per totum diem omnibus adorandam : postque
confectum sacrificium, quod excellens harmonia
est comitata, primum Eucharistiam communica-
vit cum Præsidibus, & sapientibus Deputatis, ac
patriciis primariis *Patavinis :* deinde ad alteram
Ecclesiæ partem se contulit, ubi paratum erat se-
ptum ad faciendam communionem ; ibique Eu-
charistiam sua ipsius manu (quod fuit mirum in
diebus Bacchanaliorum) quamplurimis impertivit
circiter tria millia; cum in eadem Ecclesia ad alias
aras alii Sacerdotes idem fecerint ; & multi etiam
propter magnam vim populi confluentis in suas se
curias receperint, ipsamque à suis curionibus Eu-
charistiam acceperint. A prandio autem in Eccle-
siam piissime reditum est : factæque sunt cantio-
nes, & musicorum instrumentorum cum vocibus
consonæ modulationes : statimque post eas *Aloy-
sius Sylvaticus* Archidiaconus de suggesto doctissi-
me, ac disertissime per semihoram est conciona-
tus: rursusque Musicorum cantus, & sonus cœ-
lestem suis numeris harmoniam expressit: inde se-
cuta est præclarissima *Camilli Borromei* Canonici
concio: denique *Augustinus Gradonicus* Abbas, &
Canonicus suam & ipse habuit egregiam concio-
nem. In die vero Lunæ, cum *Aloysius Sylvati-
cus* Archidiaconus sanctissimum Sacrificium cele-
brasset, post recitatum Euangelium celeberrimus
Concionator, *Marcellus Tolosa* ordinis Clericorum
Regularium, in suggesto ad concionandum ag-
gressus publicum certamen Sancto Spiritu ductum
ante oculos prope innumerabilium auditorum sub-
jecit sapientissime, atque elegantissime : postea-
que sacrum confectum est: ac sacrosancta Eucha-
ristia collocata per totum diem adoranda ; ut su-
periori etiam proximo die factum fuerat. Post
prandium vero pulcherrima interjecta vocum, in-
strumentorumque musicorum modulatione habiti
sunt tres ornatissimi sermones Ecclesiastici ; pri-
mus à *Francisco Biliroto* Canonico: alter à *Joanne
Bellonio* itidem Canonico : tertius à *Camillo Pel-
trario*, Priore S. *Leonardi.* Postremo in die Mar-
tis *Aloysius Pontius* Primicerius sacrum celebravit:
ac post Euangelii recitationem *Antonius Barisonius*
138. Rector Jesuitarum præclare concionatus est ; etiam
si tam vehementi, atque inflammato studio se
gesserit, tantaque animi, & corporis contentione
laboraverit, ut post priorem concionis partem ul-
terius progredi non potuerit, atque in ipso sug-
gesto defecerit, unde manibus, & pedibus in le-
ctum est comportatus. Nec mirum, si in his Bac-
chanalibus divinis aliquis defecerit : cum in Bac-
chanalibus humanis, & publicis certaminibus ali-
quorum sæpe vulnera, & cædes conspiciantur.
Confecto autem sacro Sanctissima Eucharistia in
loco consueto posita est : & post prandium simi-
liter duo doctissimi, & eloquentissimi Jesuitæ, in-
terjectis quoque cantibus, & sonis jucundissimis,
sermocinati sunt peregregie. Deinceps vero reli-
giosissimus Episcopus Sacrosanctam Eucharistiam
cum magna populi multitudine circum Ecclesiam
tulit, comitatus ab universo Clero cum cereis ac-
censis in manibus singulorum Canonicorum, alio-
rumque Sacerdotum, & ab illustrissimis Præsidi-
bus, *Thoma Mauroceno* Prætore, & *Zacharia Con-
tareno* Equite, ac Præfecto, sapientibusque De-
putatis, qui umbellam ferebant, magnoque nu-
mero nobilium *Patavinorum.* Cumque in Eccle-
siam reversus esset, post habitas exquisitas cantio-
nes, atque modulationes, cum sanctissima in ma-
A nibus suis Eucharistia benedixit populo universo;
eamque in suo loco reposuit. Itaque Bacchanalia
divina sunt perfecta, & absoluta ; in quæ tametsi
Episcopus ipse illustrissimus ad faciendos appara-
tus, & Musicos conducendos, atque honorandos
plusquam septingentos nummos aureos dicitur im-
pendisse : læto tamen animo impendit, quippe
qui nulli impensæ sibi parcendum duxerat, ut ani-
mas lucrifaceret, & sanctissima institueret Baccha-
nalia ; quemadmodum fecit, tanta populi frequen-
tia, ut nulla umquam major in Ecclesia Cathe-
drali conspecta fuerit ; tantoque suo, & omnium
bonorum gaudio, ut nullum majus inveniri posse
B videatur ; cum illud extitit admirabile, ac prope
incredibile, ut qui populus variis gentibus mistus,
& nationibus, plenusque juvenum externorum his
præcipue temporibus fervore juventutis utentium
quotannis solet omne delectationis genus conse-
ctari, tripudia, ludos publicos, certamina, co-
mœdias, convivia, personatorum hominum ju-
cunditatem, aliaque id genus quamplurima, hoc
anno in ipsis Bacchanaliorum diebus totus pius 138. v.
fuerit, nullaque in eo vestigia apparuerint ineptia-
rum, non sine magna multorum dubitatione, ne
consilium, quod Episcopo acciderat, in tam pra-
C vis nostri seculi moribus posset ad effectum per-
duci, sed tamen felicissimo exitu, & omnibus ex
voto progressis ad honorem, & gloriam Dei Pa-
tris, Dei Filii, Dei Spiritus Sancti.

CAP. XV.

De mœrore Gymnasii Patavini *propter gravissimum casum* Helisabetæ Polcenigæ.

1596. Universum Gymnasium lacrymas effu-
dit in acerbitate mortis, quam op-
petiit aquis obruta fœmina perillustris, pulchritu-
D dine eximia, pietateque prope singulari, ætate
unius, & viginti annorum, *Helisabeta Polceniga*,
parentibus nata illustribus, *Christophoro*, Comite
Polcenigi, *Aemiliaque Brandolinia* ; quæ quidem
ex *Brandolino* orta *Brandolinio*, Comite *Vallis S.
Mariæ*, ac Ductore Equitum Cataphractorum
Reipublicæ *Venetæ*, cum post obitum prioris viri
ad secundas nuptias cum *Benedicto Trivisano Pa-
tavino* Equite contractas nobiliter transivisset, fi-
liam apud se habebat heredem paternorum bono-
rum circiter duo, ac viginti millia nummorum
aureorum, nuptamque *Andreæ Minutio Seraval-
E lensi* Equiti, viri religiosissimi, *Minutii*, *Iadræ*
Archiepiscopi, fratri, ac sanctissimi quadraginta
dierum jejunii tempore arcuato vecta curru cum
filia *Helisabeta*, nepte *Aemilia* ex ipsa *Helisabeta*,
ancillisque quatuor, posteaquam augustissimum
Divi *Augustini* templum piissime invisit, preces-
que ad Deum piissimas habuit, dum secundum
flumen *Medoacum* domum reveheretur, equis au-
rigæ imprudentia in furorem versis, & ab ipso
auriga dimissis, de curru cum ipsa nepte, unaque
de ancillis prosiliit, ac relinquere impeditam fi-
liam cum reliquis ancillis necesse habuit, vixque
se servavit : curruque cum maximo impetu in ra-
F pidum flumen protracto, duabusque ancillis ægre
à periculo liberatis, ac tertia cum duobus furio-
sis equis flumine mersa, *Helisabeta*, quæ jam sex
menses gravida, ut spem illam, quam in alvo à
viro commendatam continebat, servaret, de cur-
ru exire nonnisi in ipso flumine potuerat, ancil-
læque ad rotam applicatæ adhæserat, propter in-
fortunatum filium in ventre graviter commotum,
& in illo matris horrore misere ante nativitatem 137.
mortuum, ab ancillæ collo disjuncta fluctibus mi-
serrime demersa est, cum jactura etiam preciosis-
simarum, quibus ornata erat, gemmarum : mœ-
rore-

roreque universi Gymnasii atque universæ civitatis, quæ tam acerba morte mirum in modum cum Equite, viro ejus, condoluit.

CAP. XVI.

De mœrore ejusdem Gymnasii propter mortem Hieronymi Suriani, *Præfecti* Patavii.

Eodem anno diem suum obiit unus de *Patavii* Præsidibus, *Hieronymus Surianus*, Præfectus; incredibile sui desiderium relinquens, cum *Patavio* universo, quod felicissime ab eo una cum præstantissimo Prætore, *Friderico Rhenerio* gubernabatur: tum *Patavii* præcipuæ parti, publico Gymnasio, cujus per eum pristinus nitor, & dignitas restituebatur; Doctores, & studiosi omnes fovebantur, adjuvabantur, honorabantur; jura integra conservabantur. In fidem igitur, & clientelam tanti viri receptum non poterat non ejus obitu incredibiliter dolere; cumque utraque Universitas tum studiosorum Juris, tum studiosorum Philosophiæ, ac Medicinæ summi mœroris significationem daret, & summopere expeteret, ut omne grati animi officium ei mortuo præstaretur, qui vivus divinis, atque immortalibus laudibus, atque honoribus se dignum ostenderat, & non solum rebus, sed etiam verbis ejus divinis, atque immortalibus meritis, quantum fieri posset, satisfieret: dum multi me rogarent, ut eum in funere pro virium mearum modulo exornarem, & in primis Universitas nostra, quæ ut altera Prætorem, sic ipsa Præfectum præcipuum habet Tutelarem, etiam *Fridericus Rhenerius* Prætor à me petiit, ut id muneris obirem, remque gratam Serenissimo Principi, atque Illustrissimo Senatui me facturum affirmavit. Quamobrem ego munus mihi delatum non recusavi; tantumque eo sum aliquantisper perturbatus, quod mihi speciatim mandatum est, ut ea lingua orationem haberem, qua nunc *Itali* utuntur, non *Latina*, quam multo magis exercui. nam quamvis & ipse in ea lingua ornanda, quæ nostra est, quam à natura arripuimus, à nutrice hausimus, in cunis cum lacte ebibimus, non nihil aliquando studii posuerim, atque aliis multis, ut idem facerent, auctor fuerim: tamen mihi magis placuit *Latinam* linguam sequi,
139. v. quam tot secula foverunt, tamquam latius patentem, & comparandæ gloriæ magis accommodatam. Sed cogitavi, posse utrumque effici, ut & *Latine* scriberem orationem, & *Italice* recitarem, atque hoc modo & pristinum institutum meum retinerem, & patrono meo gratificarer. Itaque hanc, quæ sequitur, *Latine* scriptam *Italice* habui, expressis in utraque mea actione rationibus tum *Latinæ*, tum *Italicæ* locutionis.

In Obitu Hieronymi Suriani, *Præfecti* Patavii *oratio.*

Cum antea, viri Patavini, multa extincta sidera hujus cæli vestri defleverim: nunc mihi potissimum lugendum est, quod unum de duobus Patavii luminibus, quasi unus de duobus oculis hujus civitatis, Hieronymus Surianus Præfectus, defecerit; eoque magis, quod alterum lumen, & alter oculus, Fridericus Rhenerius Prætor, tam charo, tam jucundo, tam excelso amico suo privatus minus quodammodo vigere videatur. Aliquam tamen censeo capiendam esse consolationem, eoque majorem, quo vir illustrissimus miseriis hujus vitæ liberatus, in extrema jam ætate, posteaquam diu fructum, voluptatemque percepit ex Serenissimæ patriæ splendore, ex illustrissimæ familiæ claritate, ex iis honoribus, qui suæ A *bonitati, præstantiæque conveniebant, sanctissima morte sua plus consecutus esse boni, quam mali existimetur. De quo cum tu Prætor illustrissime, una cum Sapientibus constitutis ad utilia Patavinæ civitatis, & universo Gymnasio Patavino, mihi mandaveris, ut ad levandam aliqua ex parte acerbitatem doloris bona nonnulla commemorem singularia, quibus ipse cum in hac vita felicissimus reddebatur, tum post mortem communi omnium opinione in cælum beatissime elatus esse creditur, quæ veræ consolationis vera existit caussa; lingua utens tot gentibus, & nationibus in Patavino Gymnasio, tamquam in amplissimo disciplinarum omnium mercatu, florentibus* B *maxime accommodata: quæ non unius Italiæ exiguis sane finibus terminatur, sed in omnibus terrarum partibus intelligitur, & trans Alpes, atque trans maria in omnes provincias, & ad sola terrarum ultima defertur; ut hunc virum celeberrimum exornem, & merito exornem, satis esse posse mihi videtur, si eum fuisse unum de principibus senatoribus Reip. Venetæ, nobilissimam propaginem familiæ Surianæ, summa bo-* 140.
nitate, ac præstantia præditum, quæ nimirum ipsum majoribus omnibus illius inclytæ civitatis honoribus dignum reddebat, quam brevissime dixero. Cumque nomino Remp. Venetam, eam dico, quæ cum Christiana, & libera orta sit, semper Christiana, & libera C *est conservata nulla alia de caussa, nisi quia ab hominibus gubernetur vere natis ad gubernandum, non ferro, aut ære, nec argento, sed obryzo auro permistis: cum egregie scriptum reliquerit summus philosophorum Plato, Jovem Opt. Max. homines formantem in iis quidem, qui populos recturi sunt, aurum commiscere: in iis vero, qui alios defensuri, argentum, quales milites fortes, ac fideles existunt: in iis autem, qui artes operosas tractaturi, atque humanis corporibus servituri, æs, ac ferrum; illud nimirum significans, ex divina providentia nonnullos oriri ad has, vel illas artes idoneos: quosdam nasci præditos fortitudine, atque fidelitate, virtutibus militaribus* D *commodum, & dignitatem publicam custodientibus: alios produci ad publicas administrationes aptos, & in publicis muneribus excellentes, quippe qui aliis prudentiores, & justiores existant, iisque virtutibus ornatiores, quæ in Patriciis Venetis tam insigniter splendent: ita ut mirandum nequaquam sit, Remp. tam prudentem, tam æquam, tam piam, & religiosam, omnique virtute ornatam, tamdiu à præpotenti Deo fuisse incolumem, florentemque conservatam, imperiique longitudine non modo Atheniensium, Lacedæmoniorum, Carthaginiensium, Romanorum, aliorum Resp. superasse: verum etiam communi sapientiorum hominum judicio perpetuam, sempiternamque fore; de quo felici imperio Venetorum idem vere pos-* E *sumus affirmare, quod Theopompus Rex tunc dixit, cum Ephoris, qui erant veluti Tribuni plebis potentiæ Regiæ objecti, ad temperandam Spartanam Remp. introductis, dum id Regina ejus uxor maxime reprehenderet, ac multo debilius, multoque humilius Regnum filiis, quam ipse accepisset, relictum iri argumentaretur, sapientissime respondit, Eo certe majus, quo diuturnius; quod nos quoque de imperio Veneto jure optimo possumus asseverare, Quo diuturnius, eo certe majus. In qua optima Rep. inter tam multas nobilissimas, atque illustrissimas familias nobilissime, atque illustrissime semper claruit familia Suriana,* 140. v.
F *originem trahens, ut vetera literarum monumenta testantur, à Principibus illis, & Heroibus occidentalibus, qui anno supra millesimum nonagesimo nono ad recuperandam Hierosolymam, Petri Eremitæ, Urbanique Pontificis Max. temporibus expeditionem susceperunt, Duce Gothifredo Balionio, & Lotharingio, qui eo anno Rex primus Hierosolymitanus est salutatus. Cum enim Gothifredo in illud Regnum successisset primum Baldoinus primus, deinde Baldoinus secundus, permultos annos hujus frater nomine Manasses*

nasses in urbe Tyro regnavit, corrupto vocabulo dicta Syro, & Suro, unde Suriani sunt nominati, retento Insigni, quod satis conjunctionem Surianorum cum illis Principibus, & Heroibus declarat, nimirum aurea cruce in argenteo campo ex veteri consuetudine Regum Hierosolymitanorum, quod quidem integrum domus Lotharingia adhuc retinet, quodque Suriani post amissum Regnum Hierosolymitanum, cum Guidus Manassis filius Lusinianus primum in urbem Ptolemaidem, deinde in insulam Cyprum se recepit, aliquantisper mutarunt, colore aureo in nigrum converso. Jacobus autem Guidi pronepos, Friderici nepos, Joannis filius ejus, quem primum appellatum fuisse Surianum memorant, translato Venetias rerum suarum domicilio, jure Venetæ Nobilitatis primus donatus est, anno nonagesimo nono supra millesimum, & centesimum, propterea quod ejus majores fidei Christianæ, Reique publicæ Venetæ insigniter servivissent. Jamvero in hac nobilissima, & illustrissima familia perlongum esset recensere, posteaquam in Venetam Nobilitatem est cooptata, quot Heroes enituerint omni virtute præstantissimi omnique laude tum belli, tum pacis ornatissimi. Verum in hac semihora, quæ mihi ad dicendum datur, quinque tantum modo sat habebo commemorare magna famæ claritate illucentes, Jacobum, Antonios duos, Michaelem, Augustinum, ac præterea octo Augustini filios sine dubio celebratissimos, Bernardum, Aloysium, Jacobum, Nicolaum, Hermolaum, Angelum, Georgium, atque eum, de quo nunc præcipue loquimur, Hieronymum, omnes præstantissimos, omnes præclarissimos, omnes dignissimos, qui ab eloquentioribus oratoribus illustrentur,
141. *à clarioribus Historicis describantur, à celeberrimis poetis decantentur; qui singuli pro integro volumine, nedum pro minima orationis parte satis esse queunt; iccircoque plerasque, quas ipsi merentur, laudes in alium commodiorem locum, aliudque opportunius tempus reservabo; & dicam solummodo quam brevissime, Jacobum summum Equitatus Imperatorem, quo tempore à Venetis Vicetia recuperata est, circiter annos Christi mille quadringentos quatuor, in eo munere obeundo egregiam operam navasse; hostilemque Carrariensium exercitum, qui magno eam urbem numero summopere perturbabat, præstantissime fudisse; posteaque Veronam, Feltriam, Cividale Bellunianum, Coloniam, Bassianum recepisse. Dicam Antonium primum fuisse Monachum Certusiensem in S. Andreæ monasterio, quod in littore Veneto reperitur: deinde Patriarcham Venetiarum, electum an. 1504. omnis probitatis, & sanctitatis specimen, & exemplar, omnibus communiter tum publice, tum privatim charum, atque jucundum. Dicam alterum Antonium Doctorem, & Equitem virum fuisse singularem, singularique præstantia præditum, adhibita peregregie ad multa publica munera obeunda, multasque legationes administrandas apud Remp. Florentinam, apud Mediolani Ducem, apud Britanniæ, & Pannoniæ Reges, apud Clementem VII. Pontificem Max. qui quidem una cum Sebastiano Fuscareno, Doctore itidem, atque Equite, Gymnasii Patavini gerens moderationem, anno quadragesimo tertio supra millesimum, & quingentesimum, viris præclarissimis, qui eo tempore Patavio præsidebant, Jo. Andreæ Baduario, Philippoque Throno Præfecto mandavit, ut nobilem publicarum scholarum inciperent fabricam, tunc cum macellum versus janua est adornata, quemadmodum elegans ejus inscriptio declarat. Dicam Michaelem Equitem, Antonii Doctoris, & Equitis filium, virum doctissimum, & disertissimum, non modo patri æqualem, sed illo etiam superiorem post egregia data documenta illustrissimarum virtutum in multis gravioribus magistratibus, præcipuisque Legationibus, & gravissima pertractata negotia, felicissimeque confecta cum maioribus Europæ Principibus; cum Ferdinando Romanorum Rege, Caroli V. Imperato-*

A *ris fratre, ac successore: cum Philippo Hispaniæ Rege, qui tunc ob connubium cum Regina Maria contractum in Britannia erat: cum Francisco II. Galliæ Rege: cum Pio V. Pont. Max. & sapientissimo; admirabili tandem prudentia, ac prope incredibili moderatione unus potuit Romæ inter Pium V. summum Pont. Philippum Catholicum Regem potentissimum, Serenissimamque Remp. Venetam sanctissimam fœderationem conficere, tam utilem, & salutarem, ut per eam teterrimi Turcarum Tyranni, Selymi Ottomani audacia, ferociaque anno septuagesimo primo supra millesimum, & quingentesimum,* 141. V.
B *die sanctissimo Divi Justinæ reportata memorabili victoria Naupactea, fuerit mirabiliter frenata, atque depressa. Dicam Augustinum, præter alias multas dignitates in Rep. recte administratas, atque inter cæteras præclaram Præfecturam in Regno Cretensi gestam, ubi maximo suæ præstantiæ relicto desiderio vitam cum morte commutavit; inter quamplurimas laudes suas ea in primis gloriari potuisse, quod octo filios susceperit Reip. longe utilissimos. In quibus Bernardus quidem præcipuos adeptus honores, qui præstantioribus juvenibus deferri in Rep. consueverunt, cum ad vitam Ecclesiasticam, cultumque divinum animum appulisset, Corcyræ Archiep. à Gre-*
C *gorio XIII. Pont. Opt. & Max. in locum demortui Archiepisc. Antonii Cauchi electus est; quam Cathedram Archiepiscopalem cum maxima sua laude, ac prope incredibili universi illius Archiepiscopatus felicitate annos tenuit quatuordecim; Visitatorque Apostolicus Magnæ Græciæ declaratus est, cum celebri fama adipiscendi in prima promotione Cardinalatus, nisi acerba eum mors præripuisset. Aloysius autem multis magistratibus præclarissime gestis, ut prudenti consilio, eloquentiaque sua Remp. adjuvaret, in Senatorum numerum est cooptatus. Jacobus vero, qui vir, (Deus immortalis) incredibili sua cum laude fuit, ut appellant, sapiens ordinum: fuit sæpenumero sa-*
D *piens continentis oræ: fuit Legatus ad Ducem Ferrariæ: fuit Legatus ad eum, à quo Eques est creatus, Carolum IX. Regem Galliæ Christianissimum: fuit in numero sapientum excelsi Collegii: fuit inter Senatores excellentissimi Decemvirum Senatus: fuit Prætor Vicetiæ anno ipso Senatorio: fuit Gymnasii Patavini Moderator: denique tunc maxime cum ad Regem Catholicum extraordinarius Legatus delectus est, totus addictus cultui divino, in sanctissimam,* 142.
& sanctissimi exempli Religionem Reverendorum Patrum Theatinorum nomen cum dedisset, decem annorum spatio, quos apud celeberrimos illos patres vixit,
E *sanctimonia vitæ, præclaroque exemplo non minorem afferre utilitatem studuit, quam consilio, & eloquentia Reip. attulisset. Præterea numquam satis laudatus Nicolaus, de quo nihil tam amplum dici potest, quod excellentibus ejus meritis inferius non existat, cum annos quatuor, & quadraginta Reip. servivisset peregregie, muneraque præcipua maritima administrasset, sinui Adriatico Præfectus, bisque factus classis Imperator, quem Provisorem Generalem appellant: sæpe, ac sæpius pro Reip. incolumitate se summis periculis objecit, multasque graves pugnas suscepit, atque in iis semper victor, semperque extitit gloriosus cum magna teterrimorum Christiani nomi-*
F *nis hostium internecione, sanguinisque effusione; unde in patriam reversus in excellentissimum Decemvirum Consilium est receptus, atque in eo admirabilem prudentiam, summamque sapientiam ostendit. Similiter Hermolaus habitus est prudentissimus, & ob id in Rep. multis dignitatis gradibus fuit honoratus. Angelus quoque cum ad publicum in mari munus obeundum se peridoneum esse non semel ostendisset, ac in superiori proximo bello Turcico Triremi Præfectus esset; ita utilem, & generosum se præbuit, ut ejus in primis opera, sane egregia, & præclara classis Veneta uteretur ad recognoscendas hostium regiones, &*

explorandam classem Ottomanam, eumque ad difficiliora, magisque ardua negotia adhiberet. Ac Georgius etiam præstantissimus existimatus, & propter præstantiam suam ad dignitates adhiberi cœptus non parvæ in Rep. existimationis, in altioribus sine dubio gradibus fuisset collocatus, nisi apud Equitem fratrem suum in Legatione Galliæ morte immatura subtractus esset. Denique Hieronymus, qui octo præstantissimorum fratrum quintus fuit, non solum patre generosissimo, sed etiam matre præstantissima, & matrona lectissima, Clara Delphinia natus, cum semper patriæ suæ nobilitati, & familiæ claritati mirifice respondisset; congruenter externis bonis, divitiisque ornatus, quæ in eo vere erant divitiæ, tantum ad gerendas res maxime splendidas adhibitæ, cum di-
142. v. *vitiæ ex doctissimorum hominum sententia magis in utendo, quam possidendo consistant, siquidem definiuntur actus, & usus rerum: congruenti corporis statura: facie ingenua, & amabili: vultu hilari: voce improbis truculenta, probis jucunda: gestu non minus humano, quam gravi: adspectu virili: natura, & ingenio adeo libero, ut nullius umquam gravitatem, potentiamque utilitati publicæ anteferret: posteaquam eas artes perdidicit, quæ ad Remp. pertinent optime administrandam, in primisque eas, quæ in usu maris plurimum valere existimantur, sphæram, navigandi artem, Geographiam, Hydrographiam, Anemographiam, aliasque Mathematicas disciplinas, quarum in primis peritus extitit: omni virtutum genere se præstantissimum ostendit, atque adeo dignissimum declaravit, qui majores omnes Reip. honores gradatim assequeretur. Etenim, cum virtutes partim ad intelligendum, partim ad agendum referantur, prioribus quidem omnibus, maxime vero prudentia valuit, ea nimirum excellenti virtute, quæ omnem continet rectam rationem, ita ut cum virtus nulla sine recta existat ratione, oporteat omnem virtutem aut prudentiam esse, ut Socrates censuit, aut non sine prudentia, ut Aristoteles existimavit. posteriores autem omnes mire tenuit, mire exercuit, mire adhibuit ad omnem actionem suam perficiendam. Cumque tam verum sit, quam quod verissimum, qui in Ethicis excellit, etiam in Oeconomicis, & Politicis posse excellere, non solum in actionibus moralibus, sed etiam in domesticis, & publicis se omnibus partibus absolutum, omnibusque numeris perfectum præbuit. Ut mirum non sit eum facillime ad multos dignitatis gradus pervenisse, egregieque in illis se gessisse; cum fuerit Trierarchus ad Regnum Cypri custodiendum: Præses Marani: unus de iis, quos X. sapientes appellant: Præses Istriæ: in superiori proximo bello Turcico Præfectus Triremi: anno, qui bellum Turcicum secutus est, Præfectus Quinqueremi: perpetuus Senator: X. virum Princeps: quinquies Consiliarius: octies sapiens Magnus: Præfectus Patavii. O virum in muneribus publicis obeundis numquam defessum, omnium vocibus, ac literis celebrandum. In quibus administrationibus si recensere omnia vellem, quæ ipse gesserit, omnium confessione præclarissima, omnique laude dignissima; dies, vox, latera me de-*
143. *ficerent; faciliusque cæli stellas numerando percenserem, quam illa singula enumerarem. Iccircoque satis esse debet, me ea generatim, strictimque complexum fuisse, potiusque nutu significasse, quam re vera expressisse. Cujus bonitas, præstantia, virtutes omnes ita omnibus in urbe Patavio notæ, ita claræ sunt, ut obscuritate orationis meæ minime indigere videantur; ubi cognitus est mirabiliter prudentissimus: ubi solertissimus: ubi æquissimus, & integerrimus: ubi clementissimus, & mansuetissimus: ubi erga omnes benignissimus, atque officiosissimus: ubi summus Patavinorum amicus, & Patronus: ubi juvenum bonis artibus deditorum amantissimus, & studiosissimus: ubi magnanimus, animosus, constans, moderatus: ubi, ut uno verbo complectar, absolutissimus. De quo si, quemadmodum oporteret, loqui vellem, numquam dicendi finem facerem, vestraque patientia abuterer, qui rerum vobis notissimarum, atque exploratissimarum longiore commemoratione non indigetis: ideoque si ex hujus maris amplitudine me in portum recepero, atque orationis meæ vela complicavero, excusatione dignus videri debeo. Non sine caussa igitur Serenissimus Venetiarum Princeps, Excellentissimus Senatus, universaque illa Serenissima Respub. magnum cepit dolorem ob jacturam in tanto, tamque celebri factam senatore. Non sine caussa tu, Prætor illustrissime, una cum clarissimis Quæstoribus, tanti amici, & in hac publica administratione socii vestri excessu mirum in modum doles. Non sine caussa vos, Sapientes assignati ad utilia hujus ipsius civitatis, quam totam auctoritate vestra merito repræsentatis, ob tanti vestri amici, & patroni extinctionem prorsus mœsti, omnique consolatione destituti estis. Non sine caussa universum Gymnasium Patavinum conqueritur, & lamentatur, quod tam potens, tamque benignus defensor, ac Tutelaris suus ex hac vita excesserit. Non sine caussa civitas universa in tanta acerbitate plurimum effundit lacrymarum: omnes pauperes suspirant: omnes divites pleni sunt mœroris: omnes homines tum magni, tum parvi, tum mediocres signa edunt mœstitiæ: nemoque est cujuslibet generis, atque conditionis, cui boni hujus privatio gravis non videatur. Quorsum tamen lacrymæ? quorsum suspiria? quorsum lamentationes, si nequaquam prosunt? si conversionibus globorum cælestium,* 143.
qui adversus voluntates nostras convertuntur, obsisti v.
non potest? si ita præpotenti Deo placuit, ut hoc ipso bono privaremur? si, quantum nostra caussa dolemus, tantum ejus ipsius caussa gaudere debemus, quod, postea quam quinque, ac sexaginta annos Christiane vixit, etiam Christiane mortuus sit, feliciterque in cœlum penetraverit, relictis ex præstantissima uxore Marieta, Marci Zeni summi Senatoris filia, summæ expectationis filiis, Marco, Nicolao, Jacobo, juvenibus ad imitationem præstantissimorum majorum, & ad summam gloriam natis? Quamobrem, illustrissime Prætor, Magnificentissimi Sapientes, ornatissimi Auditores, simul omnes consolationem percipiamus: in ejus voluntate, cujus nutu cœlum, terra, mariaque reguntur, conquiescamus: Hieronymi Suriani mœstissimos filios, & propinquos, justissimoque mœrore confectos, quantum possumus, consolemur: ejus memoriam benevolentia perpetua, atque observantia colamus sempiterna.

Habita in Cathedrali Ecclesia XI. Kal. Octobris, M. D. XCVI.

CAP. XVII.

De oratore ex Gymnasio Patavino Venetias *accersito ad* Laurentium Lauretum *Episcopum* Adriæ *in funere exornandum.*

Laurentius Lauretus, *Adriæ* Antistes, cupiens dignitatem honorari Episcopalem, quam gesserat quam dignissime, opinionemque habens de Gymnasio *Patavino* excellentem, ut nihil hinc nisi perfectum ingenio, elaboratum industria, posset proficisci, cum laboraret incommoda valetudine, ac testamentum faceret, heredibus suis, Reverendis Patribus Carmelitanis *Venetis*, ac Procuratoribus testamentariis, clarissimis Patriciis *Venetis*, *Joanni Lippomano*, *Benedictoque Taliapetræ* mandavit, ut, siquid de ipso factum esset, ad honorandum corpus suum ego, qui veterem eloquentiam in Gymnasio profiterer *Patavino*, accerserer; satisque amplum ei negotio præmium proposuit. quod negotium cum mihi magis propter munus, quod obeo explicandæ in hoc Gy-

mnasio Humanitatis, & Rhetoricæ *Græcæ*, & *Latinæ*, quam propter ullam præstantiam meam obtigisset; tametsi ipsum prius recusaveram, non solum quia invidum esse existimabam id præripi tam multis, tamque excellentibus literatis viris,
144. qui *Venetiis* eloquentiæ, ac sapientiæ laude florerent, ut ad eum rescripseram, qui prior ad me per literas petierat, admodum reverendum, & clarissimum Theologum, *Venetæ* Provinciæ in Carmelitana Religione præstantissimum, & benignissimum Administrum, *Gregorium Canalium*; verum etiam quia ex pedibus valde laborarem; & ob id me domi continerem, nec facile obire hujusmodi munus possem; accederetque etiam illud impedimenti, quod explicationes publicæ appropinquarent, quas Doctoribus publice docentibus deserere minime licet: tamen uno, atque altero nuncio ad me misso, ut id oneris subirem, promissaque mihi omni commoditate ad iter conficiendum: quoniam apud literatos *Venetos* eam habebam excusationem, quod *Rhodiginus* ad exornandum Episcopum *Adriensem*, & *Rhodiginum* proficiscerer, non ut eis ullam gloriam præriperem, sed ut officium Episcopo meo debitum præstarem; divinoque beneficio pedibus tantum, non etiam lingua male affectus eram; atque illustrissimi Moderatores Gymnasii, *Jacobus Fuscarenus*, *Joannes Superantius*, *Paulus Paruta*, Divi *Marci* Procuratores iis, quos modo dicebam, Reverendis Patribus Carmelitanis, & Procuratoribus Testamentariis concesserant benignissime, ut illis possem gratificari, etiam vacando per aliquot dies à publicis explicationibus: permisi me exorari, sumptisque duobus diebus ad me comparandum, tertio die *Venetias* me contuli, & quarto eam habui orationem, quæ edita est scilicet IV. Non. Februarii 1598. in Templo Carmelitarum.

CAP. XVIII.

De ingressu in Theatrum ad spectandam Anatomen, & honore Anatomici.

Cum in Theatrum Anatomicum ad spectandam Anatomen non nisi iis ingredi liceret, qui certam pecuniam solverent, S. C. factum est, ut omnibus pateret ingressus sine ulla nummorum solutione; & ad sumptus faciendos ipsi Anatomæ necessarios quotannis ex vectigalibus Gymnasio assignatis viginti ducati, prout urgeret necessitas ab Anatomico agnoscenda, quatuor scilicet floreni in singulas hebdomadas, iis darentur, qui ab Universitate in principio publicarum explicationum ad id negotii fuissent constituti, vel tardan-
144. v. te electionem Universitate usque ad diem decimum quintum Novembris, duobus, qui ab ipso Anatomico essent suppleti; ad quem declaratum est pertinere eorum ducatorum distributionem, prout ei necessarium videretur, vel, siqua ipsorum pars superesset, eorumdem in usus necessarios reservationem ad Theatrum conservandum, atque adornandum, semper sub custodia ejus futurum, qui Anatomen in Gymnasio profiteatur. Quoniam vero propter majus ipsius Anatomes decus, atque ornamentum an. 1584. ejus explicatio facta fuerat ordinaria, quales nimirum sunt aliæ primariæ explicationes Theoricæ, & Practicæ Medicinæ: iccirco mandatum est, ut in rotata pagina professorum sequentibus annis pervulganda talis explicatio inter ordinarias poneretur, quoniam id par esset, & servari etiam antiquitus consuevisset. Quæ caussa fuit, quamobrem an. 1597. ipse Anatomicus in ipsa rotata pagina ante Philosophos ordinarios cœperit nominari.

CAP. XIX.

Laudatio Divi Lucæ.

A *Hodierno die, Patres amplissimi, qui Divi Lucæ est consecratus, de ipso Divo Luca Tutelari Medicorum orationem habebo; quasque laudes ne summi quidem oratores enumerare, nedum exornare queunt, eas ego dicendo adumbrabo; non ut vos aliquid doceam sapientissimos viros, per totum terrarum orbem celeberrimos, sed ut earum rerum, quas optime novistis, grata commemoratione animos vestros oblectem: non quod vir sanctissimus humana egeat lau-*
B *datione, qui cælesti perfruens beatitudine humanam postulare gloriam minime videtur: sed ut hoc officium ei meritissimo præstetur, nostræ in eum observantiæ, nostræ venerationis, nostræ pietatis argumentum. Itaque quam brevissime in memoriam vestram revocabo Sanctum Lucam Antiochenum non solum egregium Medicum, verum etiam præcellentem pictorem, pium discipulum, præstantem rerum sacrarum historicum, excellentem martyrem extitisse. Natus enim Antiochiæ, loco nobili, & celebri quondam urbe divino afflatu nomen Lucæ, bovi quoque aliquando tributum, adeptus est, ut divinitus significaretur sacrum illud insigne, quod inter illa quatuor Evangelistarum in-* 145.
C *signia, primum Ezechieli, deinde Joanni Evangelistæ divino plane spiritu demonstrata, & à Sanctis Patribus declarata ab omnibus ei datum est. Faciem enim bovis, à quo ipse Evangelium auspicatur, ei merito pii homines tribuerunt; & ob id fortasse majores nostri Insigne Gymnasii Patavini bovem esse voluerunt, nimirum ut indicarent, optimarum artium studia, quorum publice tractandorum à die festo Divi Lucæ initium fiebat, sub tutela esse ipsius Divi Lucæ habentis Insigne bovis; qua insigni appellatione alter quoque studiosorum Tutelaris Divus Thomas per illam celebrem vocem est nuncupatus; Hic bos mugitum edet, qui per universum terrarum orbem audie-*
D *tur; ut (tametsi alia commemoratur ratio appellationis) merito etiam Gymnasium Patavinum à duobus Tutelaribus suis, Divo Luca, & Divo Thoma nomen accepisse bovis videatur. Cum autem Philosophiæ socia quædam sit Medicina, posteaquam Divus Lucas Philosophiam cognovit, vitæ ducem, virtutis indagatricem, expultricem vitiorum, inventricem legum, magistram morum, & disciplinæ; in Medica mirabiliter excelluit facultate, & non solum corporum pertractavit curationem, verum etiam animorum, ut, quemadmodum testatur Divus Hieronymus, omnia verba illius in Evangelio animæ languentis sint Medicina; &, quemadmodum ait Nicepho-*
E *rus, pro corporum curatione animarum Medicus factus sit. O præstantissimum, & præcellentissimum Medicum, utriusque curationis peritissimum, omnibus Medicis imitandum. Quid? quod imagines Servatoris generis humani, & Beatissimæ Dei genitricis, & Divi Petri, & Divi Pauli, ad quorum imitationem se effinxerat, ut in animo sibi, & corde pinxit, atque formavit, sic per quasi viventes, & spirantes picturas in tabellas prope vivis coloribus transtulit, atque transcripsit, ita ut illæ esse quodammodo viventia corpora, & divinitatem quandam præ se ferre viderentur? Fuisse enim eum divinum pictorem, & Nicephorus, & alii memoriæ prodiderunt. Eun-*
F *dem vero inter duos, & septuaginta discipulos Domini missos ad prædicandum ponit Epiphanius, & discipulum Divi Pauli extitisse, tam certum est, quam quod certissimum. Etenim cum Paulus ille Tarsensis, qui antea Christianam fidem acerrime insectatus, postea ejusdem acerrimus fuit propugnator, per* 145. v.
varias terrarum partes peregrinaretur prædicans Evangelium Dei, ac Troadem pervenisset, ei quamplurimos, ac innumerabiles homines ad Christianam religionem admirabili, ac divina eloquentia sua con-

vertenti

vertenti adhæsit Lucas, eumque postea in illa pere- A
grinatione perpetuo comitatus est, ab eo modo frater,
modo ipsi charissimus nuncupatus, modo propter fi-
dem, modo propter benevolentiam commendatus, &
Romam etiam perductus, ac post martyrium præce-
ptoris sui in Dalmatia, in Gallia, in Italia, in
Macedonia prædicatoris munere constantissime fun-
ctus. O virum Sanctissimum, omnium vocibus, ac
literis deprædicandum. Cum autem anno Christi quin-
quagesimo octavo in Achaja, & Bœotia Cerinthus,
Merinthus, aliique pseudo Apostoli, & falsi scripto-
res fabulas quasdam disseminassent, & genealogias,
ac quæstiones nonnullas pervulgassent, veritatemque
Christianæ fidei subvertere conati essent; quemadmo-
dum Matthæus Hebraice, & Hebræis; ac Marcus, B
vel ut putavit Divus Hieronymus Græce, & Lati-
nis, vel ut alii tradiderunt Latine, & Latinis E-
vangelium scripserat: ita hortante Paulo Lucas Græ-
ce, & Græcis conscripsit ad Christi veritatem illis in
regionibus constituendam; quibus postea accessit Joan-
nis Evangelium Græce scriptum, & antiquitus He-
braice conversum. Literis igitur consignavit Lucas
Evangelium illud, quod Divum Paulum honoris cauf-
sa nominasse Evangelium suum, Tertullianus, &
Divus Hieronymus testantur; misitque ad Theophi-
lum Antiochenum civem suum, quem optimum appel-
lavit. Anno autem sexagesimo secundo opus inscri- C
ptum Acta Apostolorum perfecit usque ad quartum,
vel quintum Neronis annum, eidemque Theophilo di-
cavit. Quibus in historiis, dici non potest, quanta
cautione usus sit, ut Evangelium, sicut audiverat
non solum à Paulo Apostolo, qui cum Domino non
vixerat, verum etiam à cæteris Apostolis, qui à prin-
cipio eum viderant, & administri fuerant sermonis;
diligentissime narraverit: ut in Actis Apostolorum à
rebus illis conscribendis, quibus ipse non interfuisset,
sæpe numero se abstinuerit, ac paucis agere, quam
veritatem vel in minimum discrimen adducere, vel
aliqua ex parte lædere maluerit: ut absolutissimi, &
perfectissimi historici munus obiverit. O viri præ- D
146. *stantiam singularem, ac prope divinam. Quam di-*
vinitatem ipse etiam declaravit martyrio suo sanctis-
simo, tunc cum in ultima senectute ducens vitam cœ-
libem, & agens annos ætatis suæ quatuor, & octo-
ginta, Deo spiritum reddidit, & ipso martyrio vi-
tam finivit, ut inter cæteros testatus est Gregorius
Nazianzenus, qui eum cum martyribus enumeravit,
& Gaudentius Episcopus, qui eundem martyrem fuis-
se ad Patras, Achajæ urbem, memoriæ prodidit,
& Nicephorus, qui à divini verbi contemptoribus
ipsum ex fructiferæ oleæ arbore suspensum fuisse, quod
aridi ligni, unde crux fieret, copia non esset, narra-
vit; miraculaque in monumento ejus edita, ac reli- E
quias Byzantium translatas commemoravit: & Mi-
chael Glicanus, & Gregorius Cedrenus, & alii, qui
unguentum medicum ex membris Beatissimi Martyris
scaturiisse, eoque signo ipsius reliquias fuisse repertas
tradiderunt. Merito igitur, patres amplissimi, vi-
rum sanctissimum Lucam Antiochenum, Medicum,
Pictorem, Discipulum, Historicum, Martyrem omni
veneratione colendum veneramini. Merito in ejus ho-
norem congregamini. Merito eum in Christianam Rem-
publicam beneficentissimum suspicitis, & admiramini;
Tutelaremque vestrum cum omnibus laudibus efferen-
dum, omnibus honoribus afficiendum, omni prædica-
tione celebrandum existimatis, tum vero, tamquam F
facem lucidissimam vobis prælucentem sequimini. Quod
dum perpetuo facietis, ut facere sine dubio debetis,
universo huic Collegio apud Deum Opt. Max. ita bea-
tissimus pater favebit oratione, ac precibus suis, ut
quod per vos assequi non potestis, per sanctissima ejus
merita consequamini.

CAP. XX. 146. v.

Quæ essent præmia Doctorum Gymnasii Patavini *an.* 1598.

1. *Bartholomæi Sylvatici* explicatoris Juris Canonici matutini in primo loco Floreni sexcenti. 600
2. *Antonii Zonchæ* in secundo centum quinquaginta. 150
3. *Thaddæi Pisonis Soaciæ* in tertio viginti. 20
4. *Sebastiani Monticuli* explicatoris Juris Canonici in primo loco quadringenti quinquaginta. 450
5. *Angeli Saxii* in secundo centum. 100
6. *Ubertini Milliarii* in tertio viginti. 20
7. *Angeli Matthæacii* explicatoris Juris civilis ordinarii matutini in primo loco sexcenti. 600
8. *Ottonelli Discalcii* in æqualitate primi loci quingenti quinquaginta. 550
9. *Guidi Panciroli* explicatoris Juris Civilis ordinarii vespertini in primo loco mille sexcenti octoginta. 1680
10. *Joachimi Scaini* in secundo quingenti. 500
11. *Claudii Curtivii* in tertio viginti. 20
12. *Victoris Saxoniæ* explicatoris Criminalium centum decem. 110
13. *Jo. Baptistæ Sylvatici* explicatoris Feudorum quinquaginta. 50
14. *M. Antonii Ottellii* explicatoris Pandectarum ducenti. 200
15. *Fabricii Cæconii* explicatoris Institutionum in primo loco centum sexaginta. 160
16. *Octavii Livelli* in secundo quinquaginta. 50
17. *Joannis Chartularii* in tertio viginti. 20
18. *Octavii Salgerii* explicatoris capitis de Regulis Juris sexaginta. 60
19. *Joannis Leonissæ* explicatoris Tabellionatus centum. 100

1. *Angeli Andronici* Theologi ex doctrina S. Thomæ centum octoginta. 180 147.
2. *Hieronymi Pallanterii* Theologi ex doctrina Scoti centum octoginta. 180
3. *Alphonsi Soti* explicatoris Sacræ Scripturæ centum viginti quatuor. 124
4. *Livii Leonii* Metaphysici ex doctrina S. Thomæ sexaginta. 60
5. *Salvatoris Bartolutii* Metaphysici ex doctrina Scoti centum octoginta. 180
6. *Horatii Augenii* Medici Theorici ordinarii in primo loco nongenti. 900
7. *Aemilii Campilongi* in secundo quadringenti. 400
8. *Alexandri Massariæ* Medici Practici ordinarii in primo loco mille. 1000
9. *Herculis Saxoniæ* in secundo sexcenti. 600
10. *Francisci Piccolominei* philosophi ordinarii in primo loco mille quadringenti. 1400
11. *Cæsaris Cremonini* in secundo quadringenti. 400
12. *Annibalis Bimbioli* Medici Theorici extraordinarii in primo loco quadringenti. 400
13. *Nicolai Trivisani* in tertio viginti. 20
14. *Thomæ Minadoi* Medici Practici extraordinarii in primo loco ducenti. 200
15. *Alexandri Vigontiæ* in secundo quadraginta. 40
16. *Jo. Petri Peregrini* in tertio viginti. 20
17. *Camilli Bellonii* philosophi extraordinarii in primo loco centum quinquaginta. 150
18. *Angeli Portinarii* in tertio viginti. 20
19. *Joannis Bellonii* explicatoris philosophiæ Moralis centum quinquaginta. 150
20. *Hieronymi Fabricii*, explicatoris Chirurgiæ,

& Anatomes mille centum. 1100

21. *Andregeti Andregetii* explicatoris libri tertii Avicennæ viginti. 20

22. *Prosperi Alpini* explicatoris simplicium in Scholis ducenti. 200

147. v. 23. *Jac. Antonii Cortusii* ostensoris simplicium in horto Medicinali ducenti. 200

24. *Julii Librii* explicatoris Logicæ in primo loco quadringenti. 400

25. *Faustini Summi* in secundo trecenti. 300

26. *Jacobi Alexii* in tertio viginti. 20

27. *Galilei Galileji* explicatoris Mathematicarum disciplinarum centum octoginta. 180

28. *Antonii Riccoboni* explicatoris Humanitatis *Græcæ*, & *Latinæ* sexcenti quinquaginta. 650

148.

CAP. XXI.

De stationario, seu Librario, & Typographo Universitatis Jurisstudiosorum.

1588. Cum *Alexander Puteus Pedemontanus* esset Prorector Substitutus Universitatis Jurisstudiosorum, ex publico decreto in locum *Simonis Galignani*, qui erat Stationarius, seu Librarius ipsius Universitatis, electus est *Laurentius Pasquatus Patavinus*, factusque Stationarius, & Librarius, ac Typographus ejusdem Universitatis. In quem ut illa se gratam ostenderet virum promptissimum, & paratissimum ad gratificandum illi, ac satisfaciendum quibuscumque rebus posset pro virium suarum tenuitate, legitime

A congregata, procurante id in primis, & proponente, ac suadente *Alexandro Puteo Pedemontano* Prorectore Substituto, decreto suo cunctis Consiliariorum suffragiis approbato, eum declaravit ejus, qui modo nominatus est, *Simonis Galignani* successorem, & Typographum suum amantissimum, statuitque ipsum gaudere debere omnibus, & singulis privilegiis, quæcumque, qualiacumque, & quantacumque ipsi Universitati à Serenissimo Principe, & Senatu *Veneto* concessa sunt, æque ac si esset unus de Doctoribus, & Scholasticis ipsius Universitatis (quem etiam honoris caussa Scholasticum appellavit, id est, Scholasti-
B cis privilegiis gaudentem) fruique immunitatibus, & exemptionibus vectigalium, & portoriorum, atque omnium, quæ nomine Datii, & Gabellæ denotantur; ac esse immunem, & exemptum ab omni Datii, & Gabellæ solutione cum omnibus bonis suis, & universa familia sua; literisque datis sigillo suo signatis, sub nomine Matriculæ hortata est, ac jussit omnes, & singulos publicanos, quos appellant Datiarios, Pallaterios, & Vectigalibus Præsidentes Serenissimæ Reipublicæ *Venetæ*, ut ipsum *Laurentium Pasquatum*, & nuncios ejus cum bonis, & rebus suis, cujuscumque generis extiterint, ad usum suum, & familiæ suæ
C necessariis ire, transire, emere, conducere absque ulla Datii, & Gabellæ solutione permittant, prout jure, & ex statutorum forma debent efficere, & obligati sunt, proposita pœna librarum centum, si contra fecerint.

FINIS.

INDEX RERUM ET NOMINUM:

Cum cognominibus ante nomina tanquam notioribus.

A.

Alpinus

INDEX RERUM ET NOMINUM.

B.

Ca-

Con-

D.

Du-

ab

N.

O.

P.

Tumultus

FINIS.





HENRICI PALLADII DE OLIVIS,

Patritii Utinensis, Medici & Philosophi Celeberrimi, Varii Academici Suentati,

RERUM FORO-JULIENSIUM

Ab orbe condito usque ad annum Redemptoris Domini Nostri CCCCLII.

LIBRI UNDECIM;

Nec non

DE OPPUGNATIONE GRADISCANA,

LIBRI QUINQUE.

Editio Novissima, priori auctior & emendatior.



LUGDUNI BATAVORUM,
Sumptibus PETRI VANDER Aa,
Bibliopolæ, Academiæ atque Civitatis Typographi.

ILLUSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO

D. JUSTO FONTANINO

CLEMENTIS XI. PONTIFICIS MAXIMI

A CUBICULO HONORARIO

ABBATI SEXTENSI ATQUE UNI

EX PRÆSULIBUS IN PARLAMENTO

DUCATUS FORI JULII VENETORUM

INSIGNI ARTIUM LIBERALIUM SCIENTIARUMQUE

CULTORI AC PROMOTORI

OB

MULTA INGENII SUI ILLUSTRIA MONUMENTA ORBI LITERARIO NOTISSIMO

IN SINGULAREM ADMIRATIONIS SUI OBSERVANTIÆ

GRATITUDINISQUE TESTIFICATIONEM

PRO

COPIA FACTA NONSOLUM CONSILIORUM SED ETIAM

EXQUISITISSIMORUM TRACTATUUM

AD

ORNAMENTUM EMOLUMENTUMQUE

THESAURI ANTIQUITATUM ET HISTORIARUM ITALIÆ

FACIENTIUM

HENRICI PALLADII DE OLIVIS

RERUM FOROJULIENSIUM

LIBROS UNDECIM

NEC NON

DE OPPUGNATIONE GRADISCANA

LIBROS QUINQUE

A ME ITERUM TYPIS MANDATOS

Submiſſe

Donat Dicat Dedicat

REVERENTIÆ TUÆ

Devinctiſſimus

PETRUS VANDER AA.

*

PRÆFATIO
HUJUS NOVÆ EDITIONIS.

Exhibemus Tibi, *Benevole Lector*, elegantissima illa eruditionis, qua pollebat *Henricus Palladius de Olivis*, monumenta, Orbi literario gratissima. Ejus Viri in indagandis antiquitatibus, & iis quidem, quarum alibi parcior occurrit mentio, quanta fuerit dexteritas, non solum tot præstantissimorum & magnorum Virorum paulo post sequentia Testimonia, sed & Operis singulæ loquentur paginæ. Institutum Auctoris intelliges ex Præfatione Abbatis *Palladii*, ut & jacturam, quam passi sumus, ubi mors præmatura Auctorem impedivit in proposito persequendo. Tanti itaque suscepti operis non nisi parte quadam gaudere posteritati licuit, ubi, *Annuentibus Superioribus*, Anno 1659. *Utini*, ex Typographiá *Nicolai Schiratti* prodierunt hi *Rerum Foro-Juliensium Libri* XI. *in Folio*, unde Anno 1658. emissi erant in eadem forma *de Oppugnatione Gradiscana Libri* V. Cum vero utrique ob elegantiam suam evaserant admodum rari, illos denuo recudendos voluimus, *Lectoris* commoditati ubique studentes. Exscribi enim curavimus Opus typis nitidissimis in charta purissima. Nomina propria, ut eo facilius pateant, ut & Orationes Magnorum Virorum, nec non ex aliis Auctoribus transscripta, diversis a contextu exhibemus literis. Numerum paginarum Editionis veteris in nostra ad marginem posuimus, ut loca ex illa citata & hic facilius queant reperiri. Tabula quoque Geographica *Fori-Julii*, ut & aliquot illustrium Virorum, quorum in Opere potior fit mentio, iconibus hanc editionem sive auctio-

rem, sive ornatiorem reddere conati sumus. Indices Operi utrique subjunctos in unum contraximus, notabiliora ibi omissa hic addidimus, & omnia in accuratiorem ordinem redegimus. Hæc in Tui gratiam, *Benevole Lector*, tentavimus; utere ipsis felix, vale, nobisque fave.

ILLUSTRISSIMO D. ET D. REVERENDISSIMO,

D. JOANNI DELPHINO,

Patriarchæ Aquilejensi Amplissimo,

Abbas Joannes Franciscus Palladius de Olivis J. C. Utinensis perpetuam Felicitatem.

Etsi alternam variæ plerumque sortes habent vicem, non sortito tamen accidisse, sed divino prorsus consilio factum arbitror, JOANNES DELPHINE, Præsul, & Patriarcha Amplissime; hoc est Natalium splendore, & Majorum consilio, manuque præstantium, & tua etiamnum virtute, & melioris famæ duratura semper celebritate Clarissime; ut in Nobilissimo Gentilium tuorum stemmate Delphini imaginem præferres, quæ cognominis cum sit naturæ, & parem sibi cum Delphinis vendicet genium, eas intelligentiæ nostræ notiones ingerat, quas venerari magis liceat, quàm intemperantius prædicare.

Tyrrheni *certè (homines mari innutriti) à natandi peritia, quam per industriam comparari certum est, Delphinorum scitè natantium in numerum veniunt.*

Ab ipsa quoque natandi audacia, quæ experientia crescere, & invalescere consuevit, uti Gradonicæ *Gentis scientissimus natator, Delphinus vocitari commeruit, ita gradatim ab ipso familia vestra cognomento maximè accommodato* Delphina *cœpit nominari.*

In tanta porro veneratione hoc genus piscium fuisse legimus, ut ab eorum captura, vel omnino abstinerent, vel si minus cauti in piscantium se retia implicuissent, sine mora, & sine noxa liberos dimitterent.

Quid quod horum venatio in eam venisse religionem traditur, ut non defuerint, qui Delphinos necare scelus duxerint, esitare vero sacrilegium putarint.

Quæ dum breviter, strictimque attingo, patiatur nos indoli tuæ innatus pudor, veræ virtutis color, temet à teneris è doctrinarum, & scientiarum difficultatibus, & civilium mox rerum involucris, quasi effervescentium undarum fluctibus non modo audacter emergentem, sed feliciter etiam enatantem suspicere, & admirari; atque adeò eum tibi ab ingenio deferri cultum, quem in inveniendo, & conjiciendo solertiæ tribuunt sapientes.

Tua insuper bona venia permitte, nos mentis tuæ præclara quæque seriò meditantis, & sedulò agitantis perennes motus in Delphinis tuis contemplari. Nam si, ut ajunt, Delphinus perpetuo motu præditus est, ut ne dormiens quidem à motione conquiescat: quis te in salute animarum procuranda diligentior, quis in altissimi muneris functione tibi cælitus commissa vigilantior?

Gaudent profectò divina perpetuo motu, & jugi agitatione se vegetat æternitas, & quicquid nos laborem homines vocamus, tua, DELPHINE, Præsul natura est.

Enimvero ut indefessa vertigo cælum rotat, ut maria æstibus inquieta sunt, & stare Sol nescit, ita tu continuatis negotiis in se quodam orbe redeuntibus semper exerceris.

Ausim dicere, te uno excepto vix alterum reperiri, qui dicenda prudentius cogitare, consultius cogitata disponere, aut disposita prudentius expedire possit. Quid? velocissimi sideris instar te omnia invisere, omnia audire, & undecunque statim velut Numen adesse.

Verum ut plus ultra cum Delphinis non natando, sed quæ sunt notatu dignissima notando, seu commemorando, pedem proferamus: quale illud, quod apud nostros insuper nautas vulgò Delphini habentur tutorum receptuum præmonstratores, præsagi & fidi indices, & futuræ tempestatis admonitores; quove navigantes commodum sese in stationes recipiant, navesque subducant, adventantibus collusores obvios se præbent, gestatores, si res postulet, de vita anxiis futuri.

Quo-

Quorum ego sensum, & naturam admiratus, quod inter hujus vitæ turbines, & procellas, viderem omnes in te unum oculos desigere; te vero tanquam è specula periclitantibus salutis lumen ostendere, deliberandum mihi diutius non fuit, quam in dubia, & ancipiti historiarum alea, velut in alto constitutus initæ navigationis Cynosuram deligerem, quando tu mihi, DELPHINE, Antistes Illustrissime, tutelaris in morem Numinis ad cursum à meis susceptum occurristi, cui Henrici Palladii de Olivis *Historicas Lucubrationes quasi concepto voto dedicarem, & consecrarem, quo me defunctum minimè putassem, nisi hasce mei in tua merita obsequii testes Honoris tui sublimi tholo tabellas appendissem:*

In quibus invenies annalibus eruta priscis,

In quibus usque leges Rerum Foro-Juliensium *varietates, atque sese ex alio in aliud mutantis fortunæ vicissitudines: videbis* Aquilejæ, *florentissimæ olim Urbis originem, & funestum excidium. Nec abibis longius, quin illam ipsam tuæ parentem familiæ recognoscas, quin & avos tuos pacis, & belli gloria clarissimos veneratus, Venerabilium subinde Antistitum præclara facta ab interitu vindicata non sine pietatis sensu gratuleris. Videbis & amplissimæ* Utinensis *Urbis, quam tu mirificè foves, tuaque præsentia assiduè exornas, atque illustriorem reddis, antiqua primordia, & incrementa.*

Quorum in Album & tu adscriptus cum sis, atque adeò inter primos Aquilejensium *Patres dono quodam Divinæ Providentiæ præ cæteris datus, in quo omnes vires tuæ Zelus Ecclesiæ experiretur, est unde bonorum omnium largitori Deo, & tua, & nostra causa plurimum debeamus.*

Cui dum per vota, precesque gratias quàm maximas agimus, prætermitto collocatam à Cærano *in Delphinos, & ab his benefactori suo repositam gratiam: Constat enim officiosos funeris sui si non curatores, certe deploratores extitisse; quod assertor ipse, numerata liberaliter pecunia à piscatoribus redemptos libertate donasset.*

Huc pertinet, quod miti, & liberali ingenio tuo non minus proprium, quàm piscibus tuis inditum à natura videtur. Nam si Delphinus solus inter pisces caret felle: quis te (quod Reges, & Principes ex omnibus maximè decet) vel placidum vultum, vel clementem animum desiderare potuit?

Pergo dicere (propositi scilicet argumenti dulcedine abreptus) quod teneræ soboli veteres Delphini tanta mansuetudine, & cura non solùm adnatant, ut pædagogi videantur Juventuti præpositi, sed teneros etiam catulos ex aliqua causa consternatos rursus excipiunt, & ventre complectuntur.

Quæ quis non videt luculenta esse tuæ lenitatis, clementiæ, benevolentiæ argumenta, quam tu jam seorsim in singulos, jam collectim in omnes imitando posteris exemplo demonstras, quibus fit, ut omnium tibi animos ultro devincias, tuosque penitus efficias.

Quam propensam generosi animi facilitatem, ne dicam demissionem admirantur, & omnes, qui te norunt, venerantur, quod quamvis tuæ gentis splendidissima in domo radiatæ spectantur auro chlamides, palmatæ togæ, paludamenta, purpuræ, fasces, litui, virentes, & lemniscatæ laureæ, & illustres pretioso lapillorum ordine tiaræ, & si quæ ullibi decora magis honorum rutilant insignia: quod etsi sapientia grande tibi in alios destinavit imperium, fortuna inito cum Gratiis choro meliorem cursum temporum pollicetur; non tamen audiunt te vel de nascendi felicitate, vel de transfusa majorum tuorum fortuna cum virtute gloriari, vel de dignitatis amplitudine exultare, vel de rerum cum laude gestarum magnitudine jactantius ostentare, sed ita gravitatem, & majestatem tuam placidissimi vultus comitate temperare, ut te nihil sit ad conciliandam benevolentiam potentius, nihil sive ad colligendam, sive ad dispertiendam gratiam propensius.

Quæ omnia eximiarum virtutum, & titulorum præcellentium ornamenta

Quod collecta tenes, quæ vel divisa beatos
Efficiunt,

me facilè adduxerunt, ut tibi potissimum, Præsul Amplissime *(quod supra jam feci) hosce* Henrici Palladii, *patrui mei, immites forsan, & insuaves fructus offerrem, quò, si tibi, cui cor sapit, non desiperent, auctoritate tua, & gratiosa commendatione fierent palato legentium gratiores.*

Quod futurum spero pro tuo erga litteras, earumque cultores studio singulari. Dum te sacri splendorem ordinis, infularum decus, & ornamentum antiquæ religionis exemplar salvere, & valere, quoad ipse cupias, Deum Optimum Maximum impensius oro: quoad verò mecum boni omnes peroptant, utinam exorem, sic enim fiet, ut communes de amplioribus ostendentis se gloriæ incrementis spes jam pridem excitatæ, vaticinationesque conceptæ optato exitu comprobentur. Vale.

Utini, Kal. Aprilis, Anno reparatæ Salutis 1659.



ABBAS PALLADIUS
AD LECTOREM.



Tatuerat *Henricus Palladius de Olivis*, quem quidem omnium diſciplinarum apices attigiſſe, dicere auſim, potiſſimas *Foro-Julienſium* res, varioſque hujus Patriæ caſus, & viciſſitudines, ab Orbe condito auſpicatus ad ſuum uſque ævum prodere litteris; & quod alta mente concepit, naviter etiam actione ſuſcepit. Proinde hic jam mihi tuum videor videre animum, *Candide Lector*, oppido devinctum hujus induſtriæ Viri, qui in tantæ arcem cauſæ invaſit audentior, nec eam, niſi cum vita reliquit. Haud enim te fugit, quàm ille duram provinciam, quàm ſpiſſum, ſimulque honorificum onus fuerit aggreſſus, cum vetera rimatus in eam totus curam incubuerit, ut poſteris honeſtè vivendi documenta præſcriberet. Putidum ergo eſſe arbitror à tua humanitate petere, ut æqui, bonique facias hujus Auctoris vigilias, quibus ille hominum mentes ad virtutis normam componere, imbuere, ac penitus inſtituere conatur.

Duo tantum Te volo rogatum; primùm, ut, ſi quid fortè mendi in opere offenderis, ignoſcas humaniter; divinitatis enim magis, quàm humanitatis eſt nuſquam labi, nuſquam incurrere. Deinde, ut æquiore animo feras intercapedinem, quam ab Auctore res antiquas ſcribendi factam conſpicies (non enim hæc dicenda eſt ceſſatio, ſed potius laboris commutatio) cum ille totam belli cauſam, tempuſque inter *Venetos*, & *Auſtriacos* exorti, ſuis poſthabitis priſcis faſtibus, ſumpſerit conſcribendum, nam hoc quinque Libris præſtito, ad ſuum ſe continuò munus, penſumque revocavit impiger, ne ceſſationis furtum de induſtria quæſiviſſe videretur. Sed dum ille haud ſegnem navabat operam in perſequendis ſuis Annalibus inſtitutis, en (proh dolor) illum intempeſtiva morte vidimus abreptum.

Ego autem hujus tanti Viri lucubrationes ornatas apprimè, ac ſplendidas perire nolui, ſed jam diu Tibi ab illo (dum inter vivos degebat) deſtinatas nuncupo lubens, tu eas læta excipe fronte, non ſolùm enim ſtyli ſuavitate demulcent, ſed etiam mira eruditione ad omne officii munus erudiunt animos. Vale, diùque vale.

Æternæ memoriæ
HENRICI PALLADII DE OLIVIS,
NOBILIS UTINENSIS,
Medici, Philoſophi, atque Hiſtorici Clariſſimi,
Hæc Doctiſſimorum Virorum Carmina dicantur.

JOANNIS MATTHÆI BUSTRONII CYPRII.

Ἐνρίκος ἱςορίην πολέμων συγγράψατο δέλτῳ,
  Ἀθάνατος γραφίσιν κρέισσοι τῶν προτέρων,
Θȣ̃ρος ἄρης ἐκάλυψεν τείχεα πατρίδος αἴης,
  Πλῆσεν ὑπερμενέτης αἵματι ἀνδροφόνῳ
Ἔςε φυλάκτορες, ἐνπροσκείρατε πείρασεν ἐχθρȣ̀ς
  Ἔκγονα ΟΥ'ΤΙΝΙ'ΟΥ, δόξα ἐφημετέρα.

ΕΙ'Σ ΤΟ'Ν ΑΥ'ΤΟ'Ν.

Γράμματα ΠΑΛΛΑΔΊΟΥ πολεμήϊα ἔργα φαείνει,
  Θερμοτάτην σοφίην πνεῦσεν ἐν ἐσσομένοις.
Ἁ πόσον ἀθλοφόρȣ μνησώμεθα ἱςοριάων,
Κύδεο ΟΥ'ΤΙΝΙΟΝ, γράψεν ἐτητυμίην.

Ejuſdem.

ΕΙ'Σ ΤΟ'Ν ΑΥ'ΤΟ'Ν.

Ἔπρεπε ΠΑΛΛΑ'ΔΙΟΝ μενεδήϊα Παλλάδος ἔργα
  Συγγραφέμεν, δεινὸς Παλλάδος ἦε τόκος.

Δȣ́ρατα μὲν σοφίης πάλλει, ἀλλȣ́ςγε τυπȣ̃ντας
  Δείκνυσίν ἔτι δανȣ̃ς πρὸς κλέος ἱςορίης.

Ejuſdem.

ΕΙ'Σ ΤΟ'Ν ΑΥ'ΤΟ'Ν.

Σὸν κλέος εὐκέλαδον, φαεθοντίδα σύνθεσο δῆριν,
  Διπλόας εὖχος ἔχεις Παλλάδος ἐν χθονίοις.

Ejuſdem.

ΕΙ'Σ ΤΟ'Ν ΑΥ'ΤΟ'Ν.

Ὄλβιον ΟΥ'ΤΊΝΙΟΝ γεραὸς τέκε ἔξοχα ἄλλων
  Εὐεπιῃ, πολέμῳ, πατρὶς ἐν εὐγενέσιν.
Οὔνομα ῥωμαίων, σοφίης κλέος, ἄνδρας ἐνέχεις
  ΠΑΛΛΑΔΙ'ΟΥΣ, ΚΑΙ'ΜΟΥΣ, ΜΑ'ΝΤΙΚΑ, ΔΑΙΚΙ'ΑΝΟΝ
Ἥρωας δὲ τόσȣς ζῶντας πέμψον χθόνα ῥώμης
  Στέμματα ληψομένȣς ἔικελα πορφυρέῳ.

Ejuſdem.

ELOGIA AUCTORIS.

JACOBI ANGELI GOSETTI.

ABdita naturæ si quis secreta reclusit,
Si quis Pæoniâ depulit arte malum.
Mellifluo historias si quis pertexuit ore,
Is meruit doctæ Palladis esse nepos.
His quòd sed titulis HENRICUS jure superbit,
Eja age PALLADIUM suspice Musa virum.
Nam nisi sit Pallas virgo, ortum hunc Pallade credam,
Hunc ipsum aut jurem Palladis esse Patrem.

Allusio ad Excellentiss. D.

D. HENRICUM PALLADIUM DE OLIVIS.

Quam benè PALLADIO cognomen quadrat OLIVÆ,
Scilicet hæc arbos Palladi sacra fuit.
An non Palladiâ censentur digna lucerna,
Lúcent ingenii quæ monumenta sui?
Quantum olei insumpsit, purgatos consule fastos,
Excubias vigiles qui benè semper olent.

Ejusdem.

HENRICUS PALLADIUS DE OLIVIS,

Ad Insignia suæ Familiæ.

Palladiæ assistit plantæ regina volucrum,
Et decorat nostræ signa vetusta domus.
Quid verò (si nosse velis) hæc symbola signent,
Audi quæ dicam; nam mihi sensus inest.
Ultima ne metuam cariosæ damna senectæ,
Vivax non dubiam præstat Oliva fidem.
At ne dispereant venientibus edita seclis,
Ad vitam spondet quæ renovatur Avis.

Ejusdem.

BARTHOLOMÆI GRIFFI

ODE.

Quid fabulosi laudibus Herculis
Utraque famam nobilis alea
Clio recenses? quid vetustis
Consiliis animum fatigas?
Nunquid remotæ gentis ab Hespero
Armenta duxit? nunquid Amazona
Nodo resolvit? barbarosque
Bistonii Diomedis ausus
Audax repressit? pabulum hiantibus
Equis, & atro sanguine sordidis
Datum? an catena traxit aurea
Attonitum temerè aure vulgus?
Hinc jam recedat, desine inutiles
Referre casus; Quid minimis juvat
Donare cantus, & relicto
Oceano peragrare fontes?
Hùc verte mentem; viribus utere
Totis in ingens PALLADII decus,
Quod majus Alcidæ, fidemque
Gesta Fori capient Iulî
Cedro perenni digna; Nepotibus
Fax ad labores prævia, & inclytas
Ut moliantur res futuris
Præpositum populis καιρὸς.
Nam quæ beatos efficiunt viros
Divisa latè, PALLADIUS tenet
Collecta; sparguntur que in omnes
Quæque animos, benè mixta acervo
Possedit unus: vis rapidos polos
Citique defectus Hyperionis
Motusque stellarum frequentes
Et varios Triviæ labores?
Hunc volve Librum, vis refluas vices
Rerumque cautus, non sine gaudio
Novisse casus, quæ senilem
Sufficiant repetita sensum
Annosque vertant? vis sub imagine
Non insolenti cernere Proteum?
Hic Liber ultro profluenti
Eloquio retulisse gaudet.
An Civitatem quis deceat status
Qua lege vulgi mobilis impetum
Frænare vertat, fert Tyrannus
Ingenua seriem locare
Sub mente totam? vel vitia, & modos
Pejusque Scylla flagitium libet
Vitare? multa Hæc luce tutum
Monstrat iter Cynosura, & actos
Semper procellis Acroceraunia
Jovisque tactos ignibus, intonat
Queis parte ab omni; queis Gigantûm
Mole sua cecidit Juventus.
At si revulsis funditus Oppidis
Altas ruinas pectore concipis
Non Troja, tantis, rapta flammis
In cinerem, foret æqua damnis.
Rursus refectum si exitium voles
Jactis in altum molibus Urbium,
Non doctior Thebæ locavit
Mercurii Citharœdus arces.
Quid? strenuorum Prælia Principum
Juvat tueri? pulvere Martio
Bellona sævit, torridisque
Acta furit facibus Megæra,

Ardetque in armis, raucaque tartaris
Perstringit aures Buccina cantibus,
Et fulgor armorum volentes
Urget Equos, Equitesque in iras
Pacem ne poscis? non sine numine
Præfert Olivam, munera Palladis
Vigent, & æternis moratur
Objicibus fera claustra Janus:
Tellus superbit læta, poli æmula,
Cornuque pleno Copia; depluit
Astris ab aurum, Memnonisque
Alma parens sine nube fulget.
Quem tanta præstet non semel irritis
Votis requiris, post hominum genus
Natum, reperta Henricus urna
Ante alios retulit favores
Nunquam indecoros; Arctos in æquoris
Mergetur undis & Siculi rapax
Consistet æstus, quàm silentes
Tantus honos abeat sub umbras.
Nec plura Apollo. misit inutiles
Tum Musa laudes, ære perennius
Sertumque finxit fronde Olivæ
Palladii Decus æviternum.

EPIGRAMMA.

Nititur Henrici *dum laudes promere Phœbus*
Innumeras, inopem copia larga facit:
Non satis est, inquit, totas Aganippedos undas
Haurire, & doctis proluere ora vadis.
Jam vinci fateor; latè sublime Magistrum
Prævenit ingenium, mens benè tuta præit.
Desinat, Utinum, *se tollere prisca vetustas.*
Nam quid fama canit, donat Oliva tibi.

Ejusdem.

ALIUD.

Dic mihi Palladiæ cur sidis in arbore Olivæ
Omnia volventis summa Tonantis avis?
Nunquid te Noë trepidæ suffecta Columbæ,
Ut referas pacem, misit ab Arce Deus?
Nunquid Athenarum, quæ numine protegit Arces
Tutari munus te sibi Diva dedit?
Falleris, ancipiti delusus imagine rerum;
Jupiter, & Pallas jussit, ut acta probem.
Est Aquila ingenii Henricus: quod gesta recenset
Juli antiqua Fori, præstat Oliva decus.

Ejusdem.

PARIDIS PIRONEI,

EPIGRAMMA.

Militiæ claros homines hæc illa, togaque
Gens parit; at duplici rara decore nitet.
Hæc tibi laus primò debetur Julia tellus:
Auctoris remanet vis generosa tui.
Palladis hic plures, plures sunt Martis alumni,
Nec minus hoc LAURO crescit OLIVA solo.

Ejusdem.

Tolle moras, Liber, exi jam pulcherrime partus:
Musis proh tecum gaudia quanta feres!
Qualis in adventu Solis fit splendor Eois,
Fiet Apollineis, te veniente, plagis.
Palladis hoc opus est: nec enim tibi nomen inane
Ipsius est tantum: mella sed oris habes.

Ejusdem, Distichon.

Nuntia sic, HENRICE, puto est tua pacis OLIVA.
Arma tua cedent PALLADE victa togis.

PRO IMPRESSIONE.

FR. Bonaventura Ripa Ferrariensis Ord. S. Francisci Min. Con. Artium, & Sacræ Theologiæ Doctor, Provinciæ Saxoniæ Minister Provincialis, in Civitatibus, & Diœcesibus, Aquilejæ, Utini, Concordiæ, ac aliis locis solitis & consuetis contra hæreticam pravitatem ab Apostolica Sancta Sede Inquisitor Generalis specialiter delegatus.

Libros undecim Historiæ D. Henrici Palladii de Olivis Medici, & Philosophi Utinensis Rerum Foro-Juliensium ab Orbe condito usque ad annum Redemptoris adventus 452. ac Libros quinque de Oppugnatione Gradiscana ejusdem Auctoris diligenter expendat Admod. R. P. Fr. Pius Porta Ord. Prædicator. Sac. Theol. Lector, ac Prior Conventus S. Petri Martyris hujus Civitatis Utinens. & si in eisdem nihil repererit, quod Fidei, Principibus, aut bonis moribus adversetur, ad Nos approbationis testimonium in scriptis mittet.

Datum Utini apud Ædes Sanctissimæ Inquisitionis 29. Julii 1656.

Fr. Bonaventura Ripa Inquisitor Generalis, qui supra.

APPROBATIO PRO IMPRESSIONE.

De mandato Reverendiss. P. F. Bonaventuræ Ripa Ferrariensis Ord. S. Francisci Min. Con. & Sacræ Theologiæ Doctoris, Provinciæ Saxoniæ Ministri Provincialis, nec non in Civitatibus, & Diœcesibus Aquilejæ, Utini, Concordiæ, &c. contra hæreticam pravitatem Inquisitoris Generalis, Domini mei Colendissimi, perlegi verbatim, & recognovi diligenter Ego Fr. Pius Porta Ordinis Prædicatorum Sacræ Theologiæ Lector, & Prior Con. S. Petri Martyris Utinens. manuscriptum, incipien. Eam Italiæ partem, & finien. argumento referebamus, foliorum 261. cujus titulus est, Henrici Palladii de Olivis Medici, & Philosophi Utinensis rerum Foro-Juliensium ab Orbe condito usque ad annum Redemptoris Adventus 452. ejusdemque de Oppugnatione Gradiscana Libri quinque foliorum 91. incipien. Sæpius avorum, & finien. conversi sunt. In eo nihil nostræ Fidei, & piis moribus incongruum inveni; imò opus singulare mihi visum est, dignissimumque ut ad communem displinam typis mandetur.

Dat. Utini in Conv. S. Petri Martyris die X. Decembris 1656.

Fr. Pius Porta, qui supra, manu propria.

Imprimatur.

Fr. Bonaventura Ripa Inquisitor Generalis, qui supra,
manu propria.

NOI REFORMATORI
dello Studio di Padoa.

Havendo veduto per fede del Padre Inquisitor Generale d'Udine, che ne gli undeci Libri, intitolati: Henrici Palladii de Olivis Nob. Utinensis, Medici, & Philosophi Historiæ Rerum Foro-Juliensium ab Orbe condito usque ad annum Redemptoris, &c. Ejusdem de Oppugnatione Gradiscana Libri quinque; non si trova cosa alcuna contro la S. Fede Cattolica; & parimente per attestato del Segretario nostro, niente contro Prencipi, e buoni costumi, concedemo licenza, che siano stampati, osservandosi le Leggi in questo proposito, e presentandone due copie nelle Librarie publiche di Venetia, e Padoa.

Dat. 16. Luglio 1657.

{ *Lunardo Emo Reformator.*

{ *Zuanne Pesaro Cau. Proc. Reformator.*

{ *Nicolò Capello Reformator.*

Francesco Verdizzotti
Segretario.

SEPTEM VIRORUM UTINENSIUM
Testimonium
IN QUINQUE LIBROS
HENRICI PALLADII
De oppugnatione Gradiscana.

Nos Septem Viri Deputati Civitatis Utini *libentissimis animis perlegimus Historiam proximi* Foro-Juliensis *Belli, quam tu,* Henrice Palladi, *Vir doctissime, & excellentissime, quinque Libris complexus nostro judicio (quæ tua fuit animi moderatio) & censuræ superioribus diebus subjecisti. Proinde rerum gestarum veritate in primis delectati cum sententiarum gravitate, &*

styli splendore conjuncta; atque istam charitatis in Patriam tuam, & in nos haud dubiam observantiæ significationem non minoris facientes, quàm eximium, & excellens antehac nobis sæpe cognitum, & prospectum tanti Viri ingenium regustantes, statuimus ex omnium sententia, ac decrevimus, priusquam volumen de manibus exiret nostris, hoc animi grati publicum, atque optimæ in te nostræ voluntatis testimonium virtutibus tuis maximè debitum præfigere, vel potius rependere. Quo præsertim tibi, & omnibus quibuscumque certiorem fidem faceremus, probatissimam Nobis fuisse industriam tuam in hàc conscribenda Historia, in qua brevi, & perfacili methodo, servatis Historiæ legibus, sine fuco, sine fallacia, sine livore, ut quæquæ gesta sunt, fidelissimè, & ornatissimè narras universa. Neque propterea dubitamus, quin tàm præclari operis monumentum nomini tuo splendorem, Civibus gloriam, Provincialibus amplitudinem; adde etiam Serenissimæ Venetorum *Reipublicæ sempiternam (si tantum dicere fas est) dignitatem sit allaturum. Tu enim tuis scriptis Reginæ Nostræ Majestatem æquè commendas posteritati, ut ipsa præclarissimis rebus gestis se se toti spectandam Orbi, omnibusque populis suspiciendam præbuit. Hinc Nos igitur gratulari debemus non modò Tibi, sed Nobis, sed Patriæ: Tibi, qui tantam indolem perpetuis studiorum laboribus excoluisti: Nobis, quibus omnium primis contigit de viciniori quasi loco succrescentes laudes tuas cernere; Patriæ demùm* Fori-Julii, *de cujus perenni gloria non secus laborare videris, quàm quotidianis curis de corporum nostrorum salute, & incolumitate. Vale, dulce decus nostrum, & te majora interim molientem, quamdiù per Deum immortalem licuerit, & gloriæ tuæ, & Nobis, & Patriæ serva.*

Dat. Utini *die Lunæ sexto nonas Martias MDCXXV.*

Vincentius de Justis Canc.
exemplavit.



HEN-




FORO-IULIENSIS PROVINCIÆ
Accuratissima Geographica Tabula Novissime Delineata.
LUGD. BAT. Impensis PETRI VANDER AA.
PARTE DEL CADORINO
CARNIA
Alpi Giulie
PARTE DEL BELLUNESE
CAMPAGNA D'AVIANO
CAMPARDO
PARTE DEL TRIVIGIANO
Val di Chiavoreto
PARTE DI CARNIOL
CONTADO DI GORITIA
CARSO
PARTE D'ISTRIA
GOLFO DI TRIESTE
TERGESTINUS SINUS
olim
MAR ADRIATICO
Scala di Miglia dieci.
Tolmezo
Gemona
Venzone
Udine
Ciudad d. Friuli
Palma
Gradisca
Goritia
Aquileia
Grado
Marano
Latisana
Belgrado
Concordia
Sacile
Aviano
Motta
Odersa
Ceneda
Serravalle
Conegliano
Trevigi
Monfalcone
Trieste
Muglia
Capo d'Istria
Isola
Pirano
Billa
Volzana
Tolmino
Lachiusa
Pontieba
Saciletto

1 # HENRICI PALLADII

De Olivis, Utinensis,

RERUM FORO-JULIENSIUM

LIBER PRIMUS.

AM *Italiæ* partem, quam *Carni* prisci tenuere, nunc nostri *Forum-Julium* dicunt. Hujus ego variam usque ad hanc diem fortunam dum scribere aggredior, quò patriæ charitati, majorumque meorum memoriæ, quantum in me fuerit, magnificè consulam, ejus primùm ante oculos imaginem, quò magis fieri poterit ad vivum expressam proponam, urbes, flumina, portus in unam veluti tabulam perstringens: unde & ea, quæ dicentur, clariora fient, & animus legentium pulcherrimo hujusmodi locorum apparatu delinitus ad cætera cognoscenda promptior, & facilior accedat. Hic mihi primus labor. Quem continuò sequentur ea, quæ *Romanis* rerum dominis memoranda pertulit. Inde tertio ordine Barbarorum tyrannides, *Longobardorum* imperia, tùm *Francorum*, & *Germanorum* tempora describemus. Quartus locus sibi Patriarchas deposcit. His *Veneti* successere, de quibus ultimò agendum, id Divino concedente, & probante Numine.

Provinciæ Fori-Julii descriptio.

Provincia, si soli ubertatem, situm, cæli clementiam perpendas, non reliquis *Italicarum* est inferior: si verò locorum varietatem, ele-
2 gantiam, prospectum conspicias, superiorem fortassis habet nullam. Adeò multa sunt in ea, quæ non sine incredibili quadam intuentium jucunditate incolarum non minus, quam externorum animos assiduè sibi c...iliant, & demulcent, ut aliquando *M. Valerius Martialis* ille deliciarum, & charitum illecebris educatus, non alibi fata ultima comprecetur.

Lib. 1. Epig. 105.

Et tu Ledæo felix Aquileja Timavo,
Hic ubi septenas Cyllarus hausit aquas:
Vos eritis nostræ portus, requiesque senectæ,
Si juris fuerint ocia nostra sui.

Altitudo Poli ejusdem Provinciæ.

Centrum regionis, quam partem *Utinum* tenet, trigesimo quinto à *Fortunatis Insulis* gradu distat, quadragesimum quintum, & scrupula triginta *Arcton* versus occupat. Quod spatium mitissimam totius orbis plagam omnium Geographicorum consensus existimavit. Ubi tellus nec Solis immodico torrida calore creditas sibi sementes exurit, nec duro torpida frigore gignendi vim insitam amittit. Quin potius inter utrumque posita, ac duobus veluti contrariis valida, ad omnem fœtum non utero gerendum tantùm, sed alendum etiam aptissima ingenti rerum proventu regionem ditat, atque fœcundat; ut quidquid apud varias, & longè dissitas nationes vix credas posse reperiri, hic natura melius, quàm arte perfectum, & absolutum agnoscas. Quam aëris temperiem terra inæ-
A qualis, & diversis distincta formis plurimum adjuvat. Nam cum illa planitie non magis, quàm montibus culta longè latèque porrigatur: fontes stagnantium aquarum, & decurrentium innumeros aperiat; silvarum hic alat opaca, illic aprica collium expediat; nil mirum, si pluribus, & contrariis sæpe gravida partubus, multarum provinciarum opes una proferat continenter, & ad naturæ portentum reliquis etiam populis ostentet. Primum in ea locum tenent Vina, generositate, & suavitate admiranda: quorum tot sunt genera, quot vineta circum frequentantur. Nec inferior laus *Cereri*: seges
B ubique laudatissima, & fructus reliqui naturali pulchritudine, & bonitate commendati. Carnium verò ea est præstantia, ut cunctas dixerim noti, ignotique orbis terras in hoc quàm longissimè superet. Hinc casei, & quæ cætera lacte conficiuntur. Pisces verò non mari tantùm, id est communi mortalium penu educti, sed fluminibus, & lacubus expiscati singulares. Quæ eò admirabiliora quis existimaverit, si bonorum horum copiam simul attendat. Quibus Provincia adeò exuberat, ut longinquis nationibus non ad usum modo, sed ad delicias etiam sufficere posse experientia demonstraverit. Fe- 3
C lix illa profectò, & fortunata, quæ tot naturæ aucta muneribus, exculta ornamentis, nihil insuper haberet, quod posset desiderare, nisi una Barbarorum vicinitas infando passim, ne dicam perpetuo miseriarum cumulo fortunam omnem lætiorem conturbaret, aut conturbare posse quàm verissimè existimaretur. Nam ultra *Timavum Japides* habet, & *Istros* ante *Romanum* etiam imperium hostes perpetuos; supra Alpes *Noricum*, & *Germanorum* odia inexsuperabilia, quorum minas quotidie exaudit, facta non raro experta est. Ut frustra natura inaccessibilia illa, & usque ad nubes obducta clau-
D stra interposuisse visa sit, quò Barbaros longè ab *Italia* submoveret. Quo factum, ut sæpius agitata regio, & suis veluti membris divulsa, ac propriis penè ruinis sepulta longùm jacuerit: donec ad imperium mitissimi Senatus composita antiquam dignitatem, & natalium suorum condignum splendorem animo concipere, & viribus assequi posse non inani sibi persuadeat argumento.

Vina, & alia genera fructuum.

Pisces.

Fines Provinciæ Fori-Julii.

Amplissimos olim habuit fines. Nam cum ad Occasum *Venetis* jungeretur, & fines, & nomen cum ipsis non rarò commutavit. Ut multos Geographiæ studio deditos, quam præcipuè
E partem ibi incolerent *Carni*, non rarò subterfugerit; sed ubi in *Carsum* effunditur, montem quàm latissimè occupasse, vel ex eo credimus, quòd *T. Livium* auctorem habemus, *C. Cassium* ab *Aquileja* per *Carnos*, & *Istros* in *Macedoniam* properasse. Quod vix fieri posse quis dixerit, nisi concedamus, *Carsi* juga, & circum adjacentes tumulos ad *Carnos* pertinuisse. Nulla siquidem alia superest ab *Aquileja* in *Istros* via, nisi

nisi ea, quæ per *Carsum* frequentatur. Nunc certis distinguitur terminis: quos sive Principes fecerint, sive invexerint Geographi, universus habitantium retinet consensus, & nos hic paucis reddemus.

Australis pars litore finitur, quod *Adriaticum* pelagus lambit. Septentrionalem *Alpes* firmant. Latera in Occasum *Liquentia*, ab Oriente *Timavus* flumina præcludunt. *Alpium* limites, ut cæteris minus certi, ita si linea imaginatione ducta comprehendas, fient clarissimi. Hæc à *Timavi* ostio assurgentia *Carsi* juga complectens per *Tulminam*, & *Roncinam Vallem* propter ripas *Sontii* ad *Pontebam*; hinc adverso *Zeliæ* cursu in *Cadubrinos* exeat: à quibus in fontes *Liquentiæ* terminetur. Toto hoc circuitu montes includuntur; reliquo planities. Pars utraque, & locorum frequentia, & habitantium studiis insignis. Sed quæ montibus colitur asperior, & minus quàm campe-
4 stris ad vitæ commoditates instructa. De quibus seorsum scitu digna conabimur explicare, ut materia, quæ minimè facundiæ, & styli capax esse videtur, hac dicendi facilitate, & locorum distinctione illustrata elegantioris homines notæ minus perhorrescat. Igitur montes duæ propemodum incolunt gentes. Ad Orientem quidquid *Alpium* dorso, aut vallium sinu continetur *Sclavi* sunt: antiquorum *Sclavorum* reliquiæ, quibus Provincia, atque adeò Imperium *Romanum* universum fermè infestatum, & devastatum est. Propriam habent linguam *Illyricorum* cognatam: corpora procera, salubria, laboribus assueta, quæ sola fermè senectus dissolvit. Mores vero barbaros omninò deprehendas; quibus nullum finitimorum commercium, aut exemplum humaniorem sensum adhuc invexit. Nulla apud eos oppida, aut loca muro cincta, præter cœmeteria nonnulla in castrorum speciem munita. His, ubi usus poposcerit, se & fortunas suas includunt. Quod genus munimentorum pluribus etiam inferioris provinciæ pagis commune videmus: eam rerum suarum securitatem adversus crebros Barbarorum insultus Paganis excogitantibus. *Sclavorum* Foro-Juliensium finis, quo à *Carniolensibus* distinguuntur, *Sontius* amnis est. Hic ad *Imperialem Clusiam* macer, & exilis exortus in Austrum semper fertur: cui vires continenter addunt aquæ in eam influentes, *Ucea*, *Idria Germanica*, *Bacius*, & *Tolmina*; & non multò infra *Vipavus*, *Turrus* postremò *Natisoni* permistus. Quibus adeò augescit, & alitur, ut navigabili ostio III. millia passuum propè *Aquilejam* in *Adriaticum* penetret. Igitur toto eo spatio, quod ab *Clusia* in agrum *Goritiensem* occupat amnis, accolas *Sclavos* habet. Ulterior ripa ad *Carniolam* pertinet, citeriorem *Foro-Julienses* tenent. Atque hæc quidem ad semina excipienda non inepta, ad vites verò serendas etiam felicissima existimatur. Quare ejus vina in pretio habentur apud *Germanos*. Ibi effugia sunt aliquot, quibus recens circa *Gradiscam* expeditio nomen dedit: *Dobra*, *Vipulzanum*, *Sanctus Martinus*, & horum magis ad montes *Caporetum*. Huic murus, & fossæ, & quædam arcis forma fuerat: ponte non ignobili ripas *Sontii* conjungente. Sed, *Venetis* cuncta devastantibus, periere. Locus mercatura celebris, & patenti in *Carniolam* accessu frequens. Ripæ *Sontii* viam faciunt usque in proximam *Travisam* (priscum fuisse *Taurisium* multi credunt) inter quam, & *Caporetum* Castellum memorabile montem premit: cujus muri, portæ, stationes vivo lapide excisæ veram *Romanorum* magnifi-
5 centiam referunt. *Clusia* nostris, *Claustrum* antiquis dicta est. Præsidio Cæsaris firmatur. Quam

Sclavi Populi. Sontius flumen. Ucea. Idria Germanica. Bacius. Tolmina. Vipavus. Turrus. Dobra. Vipulzanum. Sanctus Martinus. Caporetum. Travisa. Clusia.

A à *Clusia Venetorum* distinguentes, quæ *Fellæ* imminet, *Imperialem* vocant *Germani*.

Sed Occidentem versus; ubi paulò supra *Ventionum* Alpes veluti in quatuor sinus aperiuntur, mitiores occurrunt populi; qui uni antiquum nomen retinentes *Carni* appellantur. Caput Regionis est *Tulmetium*. Nomen fecere præterlabentes aquæ *Tiliaventi* fluminis; quod *Tulmentum* Carni olim dixere. Oppidum à Patriarchis sive conditum, sive instructum. Regio in universum vel saxis invia, vel amnibus, & torrentibus glareosa, ut vix alicubi ligonem patiatur. Sed incolentium industria vicit o-
B mnem naturæ asperitatem: siquidem cum acri illi, & facili utantur ingenio, non ut reliqui agricolæ, solo patrio contenti spes suas omnes in agris posuere. Sed ad eorum cultum mercaturam adjungunt; qua summis laboribus, & vigiliis ultima sibi senectutis alimenta conciliant. Quare quotannis, ubi frugibus collectis, & seminibus jactis exigui ruris cura defuncti sunt, illicò ad intermissa negotia se convertunt; & brevi per universa terrarum spatia effusi, suo, & alieno periculo pecunias undique corradunt. Multa sunt in hac regione, quæ prætermitti sine rerum, famæve dispendio non possunt. Pa-
C scua in primis ad alendas oves uberrima, qua pecude *Carni* plurimum abundant. Saltus navali materia fœcundi. Lacus, & fontes piscium copia clari. Adde venationes silvestrium caprarum, damarum, leporum, quorum illi, qui summis *Alpibus* agitant, candore nives suas propemodum æmulantur. Aucupia nil his inferiora. Universus *Carnorum* tractus in quatuor partes dividitur. Has montium sinus fecere; quibus aquæ assiduè percolantur. Quare suam unaquæque vallem, & flumina habet, ad quorum ripas accolæ villas, & mapalia posuere. Primam *Vallem* patria lingua *Inchiarojum Cla-*
D *risonus* amnis findit. Explicat duas in *Germaniam* vias expedito homini pervias: alteram in Orientem secundum radices *Bombasi* ad *Pontebam* ductam: alteram Septentrionalem per juga *Lanicæ* Alexandri Bassæ audacia pridem nobilitatam (qui octo inde *Turcarum* millia in *Zeliam* traduxit. Porrò *Zelia* prima est *Noricarum* sive vallis, sive regio, quæ *Carnis* adhæret. Nomen invexit flumen *Zelia*, quæ proximis montibus effusa *Villacum* usque procurrit. *Julia* Romanis, à qua *Alpes Juliæ* veterum scriptis vulgatæ. Ibi equorum armenta corporum pernicitate potius; quàm pulchri-
E tudine, aut proceritate æstimata. Ejus loci hominibus guttur supra modum intumescit, aquarum vitio fortassis. Cui corporis incommodo animi stoliditas, & amentia bestiis 6
proxima accedit: ut etiam loquendi usum intervertat. Atque ob eam causam Principibus *Germanis*, & delicatioribus viris plurimum expetiti, & conquisiti, quò intempestivis eorum ineptiis ingentes illos curarum æstus, quibus assiduè premuntur, tanquam flabello admoto demulceant, & abstergant. Quæ hic adjicienda existimavimus, ut *Joannis Candidi* Historici notam eluamus; qua ille Regionis vicinita-
F te deceptus *Carnos* aspersit. Sed ad *Carnos* redeamus. Horum secunda vallis à *B. Petro* nomen traxit. Septentrionalis est prorsus. *Butim* rapacissimum excipit. Qui unà cum *Clarisono* junctus non longè à *Tulmetio* undas *Tiliaventi* invadit. Ad hujus torrentis ripas antiqui *Castri-Julii* fundamenta visuntur; ubi nunc *S. Petri* Ecclesia, quæ Canonicorum Collegio, & ædificii structura inter saxa, & *Alpinas* illas rupes conspicua prisci decoris speciem retinet.

Carni Populi. Tulmetium. Ichiarojum Vallis. Zelia Vallis. S. Petri Vallis. Butis fluvius.

Arx

Arx Moſcarda.

Arx quoque *Moſcarda* non longè ſteterat, à *Beltrando* Patriarcha ad cohibendos ex *Zelia* tumultus excitata. Plura in hac valle admirationem faciunt.

Lacus Tamavus.

In his lacus *Tamavus* ad *Tamavum* vicum puriſſimo fonte exiliens. Cujus trottas excellentia ſaporis multò pridem palato commendavit. Senſim is lacus, labente terra ex monte propinquo, in arctiorem ſinum cogitur; ut veriſimile ſit, brevi illum in ſolidam conceſſurum. Conſultò fabellas omitto, quæ vulgò jactatæ rei cauſam perſtringunt. E regione lacus rupes aſſurgens trecentorum paſſuum altitudinem ſuperat. Inde unico ore tanta aquarum vis emergit, quantum ad piſtrinum circumagendum humana poſſet induſtria deſiderare.

Moſcardus torrens.

Sed omnia ſuperat *Moſcardus* torrens. Hic paulò infra *Tamavum* ex monte *Primoſio*, ſereno duntaxat cælo, & per æſtatem præcipiti gurgite erumpens, ſaxa eximiæ magnitudinis ſecum trahit: turbine, & vorticibus admiſtis; quales pluviæ magnæ, & tempeſtates tantùm ſolent inducere; non ſine ingenti agrorum vicinorum damno, atque etiam hominum diſcrimine, quibus illàc euntibus torrentis natura ignota eſt. Siquidem dum eo impetu cuncta rapit, aquæ ſub arena latentes omnem oculorum aciem ſubterfugiunt. Quo ſæpe fit, ut multi integri abſorbeantur aliquando, multi pectore, & capite tenus vertigine rotati vix accolarum auxilio mortem effugiant. Terribiliora hæc faciunt inconditæ voces è ſpecu ſæpius auditæ, tùm ſimulacra, & nocturnæ ſpecies illic obverſantes. Locus profectò ab infernis manibus habitari & dignus, & creditus. Summo montis jugo argenti venas aperiri antiquorum teſtimonio, & re-
7 centiorum fide accepimus.

Aquæ ſulphureæ.

Neque hic omittam ſulphureas D. *Petri* aquas, quibus *Carni* ſcabiem detergunt. Ut magno fortaſſis mortalium commodo ad frigidos morbos debellandos earum uſum Medicorum curioſitas poſſet, aut deberet traducere.

Mons Crucis.

Vallis extrema *Mons Crucis* occludit. Ibi *C. Julii Cæſaris* monumenta; & iter in *Zeliam* per ſaxum patefactum: olim curribus, & vehiculo, nunc pediti, & equo vix aptum.

Gortium Vallis. Decanus fluvius. Luintius.

Tertia ab hac Vallis in occidentem, & *Arcton Gortium* dicta eſt. Amne *Decano* alluitur, Caſtro *Luintio* à Patriarcha *Nicolao* diruto, & argenti fodina, non obſcura. Eam in *Avantio* monte haberi fama tenet. Vallem finit *Zappata* regio, quæ una *Foro-Julienſis* ditionis *Germanicè* loquitur.

Plavis fluvius.

Inde callis in *Cadubrium*. *Plavis* illic ex monte *Setia* in anfractus *Cadubrinos* impetu decidens, diu ſilveſtribus ripis, & repugnantibus circa *Belunum* ſcopulis luctatur: donec *Tarviſino* agro excepta, navigia ſuſtinens, & ratibus opportuna *Silum* admittit.

Sub-Clivium Vallis. Sub-Clivium Caſtrum. Tiliaventi fluminis origo.

Sub-Clivium quarta eſt Vallis, magis ad Occaſum brumalem declinans. Caſtrum habuit *Sub-Clivium* ab eodem Patriarcha, qui *Luintium* diruit, penitus everſum. Memorabilem facit una *Tiliaventi* fluminis origo. Huic exigua admodum principia ex frigidiſſimo ſpecu montis *Mauri*, pluribus mox eundo rivulis conceptam undam trahens, ubi *Decanum*, & *Butim* ſub *Tulmetio*, *Fellam* ad *Ventionum* accepit, verè fluvius, rapax, & ferox omnium validiſſimo curſu in plana *Foro-Julii* devolvitur; tantò Provinciæ damno, quantum vix ſtylo me poſſe conſequi certè ſcio. Violentiam faciunt pluviæ, & nives Noto ſolutæ. Nam alioquin ſicca anni temperie terra abſorptus per multa ſpatia penè ignotus labitur; donec non longè à mari iterum caput exerens in portum, & navigabilem alveum *Latiſanæ* deſinit. * Sed ubi terra Auſtris maduerit, & tempeſtates undas invexerint; tunc ripis excedens latè regionem implet; & non arbores modò, & ſaxa, ſed villas, & pagos integros exhaurit, aut agros ſaxis obruit; quos nulla ad cultum induſtria poteſt amplius revocare. Patrum memoria *Varmi* binas arces, quæ firmiſſimo murorum ſteterant ambitu, à fundamentis evulſas vepribus, & arena condidit. Noſtra verò *Belgradi* meliorem partem ſolo adæquavit. Modò ejus loci Caſtello imminet munitiſſimo; & quæ ſunt circa ipſum ædificia per vices expugnat. *Spilimbergo* agrum ad II. M. paſſus ademit; & ſilvam contra aquarum rabiem ſtudioſè educatam vorticibus univerſam demerſit. Nec ſpes aliqua ſalutis Oppido ſupereſſet, niſi arx prærupto nitens ſcopulo imminentem poſſe arcere perniciem crederetur. Quibus incom- 8
modis olim in provincia ignotis profectò occaſionem dedere illi, qui *Carnorum* ſilvas, & robora aquarum impetum remorantia nonnullis abhinc annis excidere. Quorum opera factum eſt, ut nullo in poſterum obice interpoſito, & nullis quaſi dixeris habenis curſus fluminis coercitus, aut detentus, immani extra montes præcipitio ruens cuncta ſecum ruinæ in modum ſit tracturus. Plura de hujus fonte referunt Hiſtorici. In his ligna in eo immiſſa ſilice contegi, & folia, virgultaque lapideſcere. Quod utcunque ſit, non magis ad loci frigiditatem, quàm in occultam aquarum vim juvet illud rejicere: cum frigida, æquè ac calida lapides fieri experimento pridem probatum conſtet. Proximis annis ad *Dolemontium* Sub-Clivii vicum, terra in ingentem voraginem ſubſidente, novæ aquæ apparuere: quæ lacum paſſibus XII. patentem circuitu efficiunt. Ejus verò tanta eſt profunditas, ut accolæ de pecudum ſuorum ſalute ſoliciti illud totum ſpatium arboribus, & tabulatis contegere curaverint. Nulla ab hac parte via in externas nationes, niſi quam pedes in *Zappatam* fecerit. Hanc verò *Cadubrium* ferre paulò ante dictum eſt.

Ad *Carnorum* regionem pertinere, & quædam ejus eſſe veluti appendices creduntur *Ventionum*, atque *Glemona*. Utrumque oppidum ad fauces montium. Sed primum *Carnis* magis propinquum. Propter quod *Fella* ex valle *Moſacenſi* magnam aquarum molem infundit. Hujus torrentis origo eſt *Ponteba*, ultimus *Venetæ* ditionis pagus, & prima *Carinthiis* in *Italiam* porta, plauſtris, & jumentis opportuna. Hanc noviſſimè ingenti auxit ornamento *Hieronymus Ciuranus* Provinciæ Rector, illic à fundamentis exſtructo amplo, & nobili hoſpitio: quo alienigenæ excepti, & per plures dies detenti peſtilentiæ ſuſpicionem omnem eluerint. Opus paucis menſibus abſolutum hanc accepit inſcriptionem *Varii Academici Suentati*.

Fella fluvius. Ponteba.

S. C.
HIERONYMI CIURANI F. JULII RECTORIS
PROVIDENTIA
IN AMPLISS. DEBELLATÆ PESTIS TESTIM.
ET PERPETUAM ITALICI CÆLI SECURITATEM
HINC
CONTRA OMNES EXTERNORUM MORBORUM
INSULTUS
PUBLICUM SALUTIS HOSPITIUM
MUNITISSIMUM SANITATIS PROPUGNACULUM
OBIICIOR.
M DC XXVI.

Locus mercibus ſemper refertus. Quibus in 9
Ventionum confluentibus, non mediocri ejus loci cives emolumento afficiuntur. Nam præter mercaturam nihil his reliqui fortuna fecit; quo vitam ſuſtentent; niſi inter Oppidi bona velis referri vini acerbiſſimi proventum, quo locus magis obruitur, quàm ditatur. Porro ultra *Ventio-*

Ventionum.

tionum rara vitis admodum, aut nulla profecto. Ubique verò vinum austeritate omphacion refert. Quare major *Carnorum* pars vino ex subjectis *Fori-Julii* agris advecto utuntur, quod in *Germaniam* quoque important, magno utriusque gentis commodo. Medio inter *Pontebam*, & *Ventionum* itinere *Clusia Veneta* objicitur. Nomen ob eam causam videtur impositum, quia machinamento viam claudat, quo vim hostilem omnem à *Ponteba* irruentem paucorum custodum solertia posset retardare. Locum ideo diligenter *Veneti* asservant: ad id muneris Viro Patricio singulis annis delegato. *Clusiæ* proximi sunt *Dogna*, *Resea*, & *Roccolana* torrentes: quibus rupes exesæ viam in *Carinthiam* pediti fecere. Nec longe *Aupa* fluvius, & locus Abbatiæ *Mosacensi* sacer. Plures hæc olim Monachos alere assueta: nunc in unum Abbatem Sedis Apostolicæ indulgentia ea commoda cuncta concessere. Sed *Glemona* montium dorso præfixa pulcherrimum inferioris provinciæ prospectum usurpat. Multa ibi antiquitatis vestigia. Sed specula admirabilis, quæ vivo silice, eoque altissimo ad hostiles explorandos impetus insculpta, nunc nisi volucribus adeunda relinquitur. Fons etiam ad radices montis manantium laticum copia, & perspicuitate referendus: locus si quis alius sive umbrarum opacitate amœnus, sive amantium commodis gratus. Ab eo fonte *Hidra* fluvius tructis fœcundus *Tiliavento* infertur. Circa Oppidum nobilium herbarum apparatus. In quibus daucus optimus, & *Cretico* nihil inferior. Cives habet industrios, & mercaturæ deditos, eandem cum *Ventionensibus* fortunam nactos. Supersunt in adversa *Tiliaventi* ripa vasti rupium anfractus, qui *Carnis Sub-Cliviis* contermini nihil ab eorum situ abhorrent. Cæterum Regio obscura, & habitantium ignavia vix nostris cognita. Aquis potius, quàm solo; & ovibus magis, quàm hominibus melior. Siquidem ibi *Cavatius* lacus tructas alit carpionibus æmulas; nec non tincas, & anguillas ingentis magnitudinis, & bonitatis. Caseo verò tanta est suavitas, & ad gustum demulcendum præstantia; ut longè dissitis *Italiæ*, & *Germaniæ* nationibus studiosè conquisitus, non postremum inter peregrina gulæ irritamenta locum habere cœperit. *Asinium* vocant ab *Aso* pago. *Cavatius* II. M. pas-
10 sus circuitu explet. Ab eo fluviolus *Melo*: & prope *Arginus*: mox *Cosa*. Primus ad *Osopum*, alter ad *Pinzanum*, tertius propter *Spilimbergum* Tiliavento junguntur. *Argino* vicinus *Modoaria* vicus: & occiduo propinquior *Zimularia*. Ille *Metunam*; hic *Celinam* emittunt tantæ rapacitatis, ut alveum ad III. M. passuum patentem non raro gurgite compleant.

Clusia Veneta. Dogna, Resea, & Roccolana, torrentes. Aupa fluvius. Abbatia Mosacensis. Glemona. Hidra fluvius. Cavatius lacus. Asinius caseus. Melo, Arginus, Cosa, flumina. Metuna, Celina, flumina

Citra *Glemonam* inferius *Fori-Julii* latus amplo vacat campo; & quaquà versus expansum in non ignobiles terrarum tractus effunditur: Ubi latius L. ubi longius LXX. M. passuum complexum. Montium extrema colles excipiunt. Quibus paulatim decrescentibus, solida in pelagus properat; multis illa torrentibus rupta; multis etiam majorum fluminum ripis infestata. Nam cum hæc à montibus impetu acta descendant, ante perveniunt ad mare, quam vires frangant, aut cursum inhibeant. Cui incommodo Provinciæ situs admodum inservit: quæ pressa nimis, & in humiliores sinus perpetuò se submittens decurrentium aquarum celeritatem adjuvat. Horum illustriora recensentur, *Liquentia*, & *Timavus* Regionis termini; & inter ea *Sontius*, & *Tiliaventum*. Atque hi quidem amnes non dispari admodum spatio in- A vicem divisi tres fortè campestris *Fori-Julii* plagas, nec inæquales omninò effecere. Orientalis inter *Sontium*, & *Timavum* agro *Goritiensi*, & *Montis-Falconi* litore continetur. Occidua propter *Liquentiam*, & *Tiliaventum* invia *Maniaci*, & *Polcenici* juga, & plana *Portus-Gruarii* occupat. Media à *Tiliavento* ad *Sontium* habet *Utinum*, & non ignota circum Oppidorum decora.

Quas dum sigillatim nitor exponere, permittat lector, ut, ordine locorum prætermisso, manum extremis primum admoveam, mox B contracto stylo ad centrum narrationem ducturus. Sive quia illa laboris magis, & difficultatis plena existimem, quibus cognitis, cætera plana evadent: sive potius, ut ibi terrarum hæc nostra definat descriptio, ubi factorum historia exordium est habitura.

Regionis ejus situs, quem *Tiliaventum*, & *Liquentia* lambunt, asperi plurimum circa montes obtinuit. Quare loca ibi minus jucunda: securitate verò reliquis etiam superiora. Primum ex his, quod *Tiliavento* prope aspergitur, *Pinzanum* est, *Savornianorum* ædificiis, & ditione notum. Inde in Occasum deflexa *Neocastrum*, & *Toppum* Cosæ amniculo proxima, & C *Metunum*, cui flumen nomen fecit. Tum *Phanum* arcis *Micæ* fastigio inexpugnabili subjectum. De quo illud mirum, quod ex propinquo monte marinarum concharum formas egregiè expressas aquæ decurrentes quotidiè trahunt: quas 11 nemo est, qui non credat veras chemas in lapidem mutatas. His jungitur *Maniacum*, *Celina Plinii*; cujus memoriam saxa ibi effossa diutius retinuere. Infra *Maniacum* *Mons-Realis*. Inter utrumque *Celina* fluvius ad *Zimuliam* ortus, ut dictum est. Rivus inde deductus in *Naonem* hanc habet inscriptionem.

D

Captiva hoc trahitur Celina cornu,
Et fessa in fluvium cadit Naonem,
Fomenta Venetis datura flammis.
Præfec. Gabriel. Grad. M XIIIID.

Polcenicum extrema montium finit, loci titulo, & vetustate insigne. Cui dignitatem faciunt *Liquentiæ* fontes circa ipsum scaturientes, & gurges aquarum portento infamis. Siquidem hieme exhaustus siccum prope alveum deserit; æstate verò in immensam auctus magnitudinem undis extra ripas exuberat. Cujus tanta tunc est frigiditas, ut pecudibus, & hominibus potus æquè mortem inferat. Ibi quoque *Trinitatis* templum venerabile. In eo loco E *Liquentia*, ut nata est, in Austrum descendit pleno alveo, nullis incommoda mortalibus, ut in quam partem cursum agat, vix oculorum acie deprehendas. Ubi parum processit in duos ramos divisa *Sacile* medium amplectitur, oppidum, si quod aliud, situs amœnitate singulare. Mox junctis iterum aquis *Brugnaram*, & *Celina*, *Metunaque* amnibus aucta *Metunam* ejusdem nominis prætergraditur: *Motam* postremò frequenti in reliquam *Italiam* via celebre municipium. Vastæ dehinc paludes usque ad mare: in quod *Liquentia* duobus ostiis exoneratur. Ab hoc flumine quidquid usque ad *Tilia-* F *ventum* panditur spatii universum fœcundæ tenent glebæ. Gignuntur ibi amnes placidi alioquin, & ab omni injuria alieni. Quibus nec montes impetum faciunt, nec pluviæ vastitatem addunt. Sed ut sunt editi patentibus circumvecti campis, regionum ornamento non magis, quàm beneficio cumulant. Propter fontes *Liquentiæ* ignoti nominis rivus occurrit, qui notissimas *Purlilias* alluit. Dehinc *Naon* & *Noncellus*, *Portus-Naonis* flumina. Longa illic *Ger-*

Pinzanum. Neocastrum. Toppum. Metunum. Maniacum. Mons Realis. Polcenicum. Sacile. Brugnara. Metuna. Mota. Purliliæ. Portus-Naon.

Fluvius. Sile. Lonconius. Regina, & Lemen, flumina. Porturlonum.

Germanorum imperia, & *Alviani* virtus Oppido famam fecere. Sequitur *Fluvius*, & *Sile*; quos, ut superiora nomine obruit, & undis premit *Liquentia*: tùm *Lonconius Salvarolo* Castro effusus. Post hæc *Regina*, & *Lemen*: illa ad *Porturlonum*, hoc ad *Sanctum Vitum*, exorta. Exiguum *Porturlonum* Castrum; sed *S. Vito* mœnia magnifica, & ampla; & locus habitatoribus

12 frequens. Infra VI. M. passus amnis uterque

S. Vitus. Portus-Gruarius.

coit. Ubi *Portus-Gruarius* totius fermè Provinciæ emporium, quò merces ex *Glemona* advectæ navigiis in *Adriaticum* feruntur. Par illi cum *Glemona* ad quæstum colligendum occasio: sed dispar habitantium ingenium oblatam fortunam corrupit. Prope est *Summaqua* non aspernendæ Abbatiæ commodis felix. Sub *Portu-Gruario* adest *Concordia* Lemen complexa. Coloniam fecere *Romani* amplissimam: sed *Unnorum* rabies pridem ruinis splendorem extinxit. Mox stagnantes aquæ etiam habitatoribus spoliavere. Nomine Episcopum, & Canonicorum Collegium, re *Portus-Gruarius* utrumque obtinet.

Abbatia Summaquæ. Concordia.

Capruleæ Insula.

Ad ostia Leminis *Capruleæ* insula, & Oppidulum, tutum illud piscatoribus receptaculum, & sedes non inamœna. Tenui Episcopatu, & Rectoris *Veneti* auctoritate sustentatur. Patent ibi in orientem nuda maris litora, quæ *Liguniana* iners flumen, & mole sua laborans humectat, & fœcundat. Extremas *Tiliaventi* ripas excipit *Tisana*, cultu modica, sed situ, & agrorum fertilitate optima. Extra hanc omnem fluminum, & exundantium aquarum ubertatem *Cordovatum* est, antiquo Castro, & nova Virginis Æde clarum. Loci situs infra *S. Vitum* aperto imminens campo. Huic proximat *Sextum* vetusto phano, & divite Abbatia non ignobile. Per eandem oram *Valvasonum*, non longo à *Tiliavento* secretum intervallo; & non procul ab eo *Spilimbergum*, à vorticibus *Tiliaventi* II. M. passibus non multo ante sejunctum; nunc accola, & fluminis ripa factum. Atque hæc occiduæ plagæ confinia, & loca. Cui, ne quid intactum relinquamus, portus quoque lubeat adjicere, quibus à pelago navibus in Provinciam aditus aperitur. Sunt autem *Liquentius* ex majori *Liquentiæ* alveo. *S. Margaritæ* portus, quem aquæ *Liquentiæ*, & *Leminis* simul creant. Tertium ab his *Caprulanum* Lemen edit ad *Crapruleas*. Mox *Basilicatum* Liguniana. *Tiliaventanum* quintum ostia *Tiliaventi* fecere. Cæterum orientalis regionis termini angustiores *Sontius*, & *Timavus*, ut memoratum est. Sed soli ubertas, & locorum frequentia nomen his indidit amplissimum. *Timavus* fama aquis majore fontes habet illustriores tres ad *Carsum*, parvo admodum spatio invicem secretos, quibus rivuli, & aquæ circum scaturientes plurimæ undas invehunt. Tanta verò aquarum copia emergit, ut naves, & triremes illicò natus sustineat. De quo accepimus ipsum longè in finibus *Japidiæ* exortum in proximum fonti cuniculum quasi manufactum præcipitari, atque ita absorptum tamdiu per subterraneos meatus ferri, donec ora in monte

Liguniana. Tisana. Cordovatum. Abbatia Sexti. Valvasonum. Spilimbergum. Portus maritimi. Timavus.

13 nactus hiantia, totus in lucem effunditur. Huic rei fidem faciunt aquæ pluviosis cæli tempestatibus auctæ, & cum ingenti sonitu erumpentes. Quo tempore fluvius vere

Virg. 1.

--- Vasto cum murmure montis
It mare præruptum, & pelago premit arva sonanti.

Ut facilè intelligas, vim eam universam aliunde properare: nec, nisi aquis acceptis, ali, atque augeri: quod pridem à *Possidonio*; deinde à *Strabone* observatum accepimus Hic *Timavum* terras subire tradit: mox stadiis circiter

A centum triginta in mare deferri pluribus ostiis, inquit ille. Sed melius fortasse oribus dicendum esset, quæ sanè plura sunt; nec finitum numerum habent, si cunctas circum surgentes aquas inter fluvii fontes colligas. Hinc *Virgilio* novem; *Martiale* septem, certum pro incerto numero ponentibus. Mitto, quæ de ipsis feruntur vana, & ab omni fide aliena. Quorum illud ridiculum, eos salsas aquas emittere, uno duntaxat excepto: quodve eosdem accolæ appellent *Maris Matrem*, quod de *Tanai*, & ipsa palude *Meotide* Græci vix sine rubore mentiuntur. Patet flumen P. XV. impar longitudo vix

Polib.

B D. CCC. accipit. Sudo cælo, leni, & perspicuo vado; Australi concitato decidit; limum, & vortices trahens, atque periculum navibus intentans. Ubi oritur vicus parvus; & ad ripam templum magnificum, ejus templi Numen *Joannes Baptista*. Condidere olim Patriarchæ non longè à ruderibus antiqui *Diomedis* phani: cujus adhuc vestigia circa litus maris. Heroi veteres equis sacrificasse fama accepimus: & saxum habitatores demonstrant; unde victimas in mare præcipites agere consueverant. Hic equorum armenta priscis æquè, ac recentioribus commendata; *Carso* latè montana pabula præ-

C bente, & palustria *Timavo*. Neque hoc loci *Pucini* litora, aut *Liviæ Augustæ* dilecta vina prætermittam. *Pucinum* inter *Duinum*, & *Tergeste*. *Duino* Timavus, cum *Tergeste* Istria terminat: ut hunc tractum jure *Romani* reliquæ *Italiæ*, necessaria veluti quadam terrarum accessione, adjunxerint. Nec nos à *Foro-Julio* rejicimus, vel quia credimus ab antiquis *Carnis* fuisse possessum, ut sub operis initio memorabamus; vel quia recentes loci cultores se *Foro-Julienses* vocant. *Duinum* edita assurgit rupe; hinc undis *Adriatici*, inde monte tutissimum. Eadem propemodum forma, & securitas *Pucino* fuit, quod eodem litore steterat, nunc pa-

Plin. 14. Nat. Hist. c. 6. Pucinum. Duinum.

D gus, & domus raræ. Circum rupes ad mare decurrens vites fovet, quæ palis, & arundinibus sustentatæ genus vini nobilissimum gignunt, cujus tanta est dignitas, ut in multa secula perdurans suavitate non tantum, quàm salubritate reliquas potiones facilè superet. De quo, & de *Livia* alius erit dicendi locus. *Tergeste* Formioni proximum *Italiam* antiquis clausit; nunc ultimum *Fori-Julii* additamentum. Hujus fecit mentionum *Dionysius*, nihil ab ejus situ aberrans

Vinum Pucinum. 14 Tergeste.

E *Alta Tegestreon postremæ mœnia terræ*
Quæ sinus Jonius finitur gurgite lasso.

Dionys. de Situ Orbis.

Colonia fuit *Romanorum*, quam, victis *Istris*, deduxere. Clades multæ Oppidum nobilitavere, dum inter Patriarchas, & *Venetos* veluti victoriæ præmium in medio jacet. Sed ad *Timavum* pedem referamus. Hunc ex *Carso* undas exerere dictum est, qui mons medius Regionem occupat. A *Sontio* derivatur; inde in Orientem versus *Japidiam* peragit: nostri *Carniolam* dicunt. Colitur circa planitiem ab utraque parte septentrionali, & meridionali; nec saxo desunt sua loca. quorum ea, quæ ad *Fo-*

F *rum-Julium* creduntur pertinere, sunt *Dorimbergum*, & *Raitimbergum*, & quæ recens *Gradiscana* obsidio notiora reddidit; *Dobardò*, *Fojanum*, & ad ripas Sontii *Sagra*, & *Rubia*. Sub initio montis vastus aperitur sinus plana Regionis conjungens. Ibi antiquissimi oppidi reliquiæ, & lacus proximus. Nos *Ocram* Strabonis fuisse suspicamur: quod alibi explicabimus. A meridie ubi jugum in campos effunditur, totum illud usque ad litora Adriatici *Montis-Falconi* ager, sumpto nomine ab Oppido, quod

Dorimbergum. Raitimbergum. Dobardò. Fojanum. Sagra, & Rubia. Montis-Falconi Oppidum.

propè montem positum, & antiqua structura
munitum viam in *Istros* tuetur. Opus quon-
dam *Theodorici* Gothorum Regis, qui *Verucam*
insuper adjecit inter vicinas rupes; juxta *D. An-*
tonii Ædes: quam attingunt calidarum aquarum
balnea ad frigidos depellendos affectus valida:
ischiadis præcipuè, & articulorum doloribus sa-
luberrima. Insula hæc olim; nunc saxum con-
tinenti adjunctum. Locum non *Foro-Julienses*
tantum, sed ex remotissimis *Germaniæ* partibus
mortales frequentant. Sed à Septentrione mi-
noris circuitus planities objicitur *Vipavo* amni-
culo ab *Carso* disterminata: in cujus medio col-
Goritia. lis mœnibus cinctus in sublime fertur. *Goritia*
hæc, *Norejam* perhibent fuisse, *Norici Medi-*
terranei caput; nunc sive prisci decoris memo-
ria, sive recentis Comitatus dignitate memora-
bilis. Loci situm eminentiorem *Veneti* du-
cto in circuitum quadrati lapidis muro ad
omnem bellorum necessitatem pridem instru-
xere. *Germanorum* commercio mirum quan-
tum creverit. Ibi præter *Foro-Juliensem*, &
Italicam linguam, *Germanicam*, & *Sclavam*
inquilini usurpant. Prospectat ab Oriente
15 *Sanctæ Geldrudis*, & *Sanctæ Margaritæ* lucos;
olim *Junoni* illum *Argivæ*, hunc *Dianæ Ætoliæ*
sacros. In quibus lupos cervis admisceri, & de-
mulcentium manus pati, veteres Geographi pro-
didere. Quà in Septentrionem vergit *Scavos*
Carniolenses habet, de quibus pridem dictum
est. Eorum loca *Sontio* magis propinqua sunt
Roncina Vallis. *Roncina Vallis*, recens *Antonii Rabattæ* ditio;
Tulminia. & *Tulminia* Tulmino Oppido firmissima. Hæc
Caporetum. *Caporetum* attingit. Ut jam nostra orbem, un-
de ceperit, finiat oratio. Tribus hæc regio
frequentatur itineribus in *Germaniam*. Primum
est per *Roncinam*, sive inde *Caporetum* petas, si-
ve Tulminia *Lubianam* cogites. Amplum illud
Caporeti, ut dicebamus; hoc vix jumento com-
modum, & non sine laboris, & viæ dispendio
aggrediendum. Secundum ab agro *Goritiensi* in
silvam *Sanctæ Geldrudis*, inde *Lubianam*. Ter-
tium ab *Monte-Falcone* per *Istriam*. Horum me-
dium longè, latèque patens, perpetuam Barba-
ris invadendæ *Italiæ* occasionem præbuit. Quod
ut obstruerent aliquando *Romani* Oppidum in
Carso, de quo paulò ante mentionem fecimus,
exstruxere. Et in ejus rei gratiam *Goritiæ* collis
munitionem accepit. Quibus novum addidere
Veneti obicem, ad gradus Sontii *Gradisca* mu-
nita. Sed primò *Tulminia* Arx, & *Caporetum*
creduntur sufficere. Ultimò Oppidum, & *Ve-*
rucam Theodoricus opposuit. Portus in hoc tra-
Portus maritimi. ctu, præter eum, quem *Timavus* efficit; ubi
Bel-Fortis, sive arcis, sive scopuli molem pi-
scatores ostendunt; *Pontianus* est ex *Pontiano*, &
Sdobbius, ex *Sdobbia*. Primus ignobilis Regio-
nis fluviolus, & piscatorum ratibus tantùm agi-
tatus; alter aquarum copia cum *Timavo* confe-
rendus. Hi tres, litore se in pelagus porrigen-
te, *Tergestinum* sinum respiciunt. *Sontius* quar-
tus ex *Sontio*, admisto simul *Natisone*, & *Tur-*
ro. Tuta ubique navium statio, & gratus pi-
scium recessus, quorum per ea litora ingens sem-
per est proventus. Media inter has regio *Son-*
tio, & *Tiliavento* finita, magnifica continet
multa: Urbes, Oppida, Castella; tantò reli-
quis præstantior, quantò situs excellentia illas
facilè vincit. Flumina obtinuit ampla, quibus
in novas fermè partes dividitur: tum minora
nonnulla ad litus maris. Hæc placida, & re-
gioni necessaria. Illa violenta, & accolarum
calamitatibus clara. Ubi *Adriatico* proximat in
duo promontoria scinditur. Tenent dexterum
Tiliaventi fauces, sinistrum *Sontius*, & *Tilius*.

A Quibus veluti frontibus in altum procurrens,
non exiguum, quod medium est, maris sinum
complectitur. Paludem illud totum ob te-
nuiora vada, *Marianam* à vicino Oppido dixere. 16
Hanc insulæ modicæ à Meridie cingunt, quæ
parvo inter se distinctæ intervallo portus in pa-
lude quinque efficiunt, ut mox dicemus. Ha-
rum prima *Gradus*: reliquæ sine nomine. Sed Gradus Insula.
illa *Aquilejensibus* aucta *Civibus*, brevi *Oppidum*
facta est. Et illuc Patriarcha *Attilam* fugiens
thesauros Ecclesiæ, & nomen dignitatis impor-
tavit: quod in Episcopo suo multis post seculis
retinere non est verita. Inter continentem, &
B *Gradum* modicus scopulus assurgit. *Barbanam* Barbana.
vocant. Ibi nec serpentes nascuntur, nec im-
portati vivunt. Sed circa litus sinistram oram
legentibus *Natissa* occurrit: qui primus in palu- Natissa fluvius.
dem fluit. Divitis hæc quondam *Aquilejæ* por- Aquileja.
tus, & flumen. *Natisonem* Geographi perpe-
ram vocavere. Ad ejus ripam aliquam adhuc
effigies Urbis extinctæ; quam *Poppo* Patriarcha,
novis adjectis mœnibus, & templo, & aula ma-
gnificè exstructis, inani studio ad vitam revocas-
se visus est. Canonicorum, & Monialium Col-
legia ibi clara: à quibus per hiemem ædes sanè
coluntur; reliquis temporibus infectum aëris
C halitum veriti in mitiores plagas cuncti diffugi-
unt. Propè Urbem *Aquæ-Gradatæ* memorabiles:
quarum in sacris *Aquilejensis* Ecclesiæ historiis
frequens est mentio. Nunc ubi fuerint vix satis
constat. Sed *Najadis* illic ad fontem quiescentis
inscriptionem hujusmodi nulla delebit oblivio:

Hujus nympha loci sacri custodia fontis
Dormio, dum blandæ sentio murmur aquæ,
Parce meum, quisquis tangis sacra marmora,
somnnum
Rumpere: sive bibas, sive lavere, tace.

D Agrum vicinum passim aurifodinis floruisse re- Strab.
ferunt scriptores: quarum quoque memoriam
universam vetustas abolevit. Ab *Aquileja* præ-
altis *Amphora* ripis, & ad perpendiculum dire- Amphora fluvius.
ctis in mare labitur. Opus ad aquarum exsic-
cationem sub ipso Civitatis primordio à *Roma-* Alsa fluvius.
nis elaboratum. Post hunc *Alsa* fluvius *Sacile-* Saciletum.
to ab *Antoninorum* familia instaurato; & *Stra-* Strasoldum.
soldo antiquo Castro non inglorius. Longè cla-
rior futurus, si *Palmam* usque inferri po-
tuisset. Quod frustra *Veneti* tentavere; cana-
le ad id II. M. passuum longitudine excavato.
Ad fauces Alsæ *Serviana* est insula. Ab hac Serviana Insula.
E *Zelina* parvus amnis ex palustribus circa *Castilo-* Zelina.
nium aquis originem trahens. Ibi *Porpetum* no- Porpetum.
vissimi belli furore disjectum. Sequitur *Mutia-* Mutianus.
nus, & *Tornianus*, qui uno ostio in paludem de- Tornianus.
cidunt. Celebrem facit primum *Mutianus* pa-
gus: cujus incolæ ad unum olim excæcati suam
erga Rempublicam fidem indigno supplicio il-
lustravere. *Mutiani*, *Zelinæque* mediam litoris 17
crepidinem tenet *Marianum*, vetustum Provin- Marianum.
ciæ oppidum, & Concilio contra *Severum* Pa-
triarcham scriptoribus inclytum. Nunc muni-
tione, & lectorum militum præsidio custodi-
tum, inter fortissima *Fori-Julii* propugnacula
locum habet. Ultimus ordine eorum, qui *Ma-*
F *rianam* paludem ingrediuntur, *Stella* fluvius est. Stella fluvius.
Propriis hic aquis exuberans alveo semper fertur
navigabili. *Anasum* fuisse, sive *Tiliaventum* mi-
nus, sunt qui asserunt. Cui aquæ torrentis *Cor-*
nu incrementum addunt non rarò. Cursu *Iser-* Isernicum.
nicum Cæsaris Castrum adlabitur: inde *Areas* Si- Areæ.
gismundi Imperatoris obsidione nobilitatas: tan- Palaciolum.
dem ad litus *Palaciolum*. Hic *Marianæ* paludis
terminus, quæ insulis cincta, ut dictum est,
il-

Portus maritimi. illarum beneficio quinque portubus insignitur; quos exponemus converso ordine litus recurrentes. Primus *Lavianus* est *Mutiano*, & *Stellæ* communis. Secundus *Sanctus Andreas* in *Zelinam* versus. Tertio contra Alsam *Busio* nomen dedere. Quartus, qui *Amphoram* prospicit, *Aquilejensis*. Quintus *Gradensis* ad Gradum *Natissæ* faucibus oppositum. His sextum liceat adjicere; quem extra paludem *Tilus* amnis prope *Sontium* efficit. Atque hi sunt portus, & oræ maritimæ proxima loca, quæ in hac media regione scitu digna visa sunt. Magis in continenti est *Palma:* media fermè inter *Utinum*, & *Aquilejam*. Recens hæc *Venetæ* Reipublicæ studium, quo *Italiæ* prospiceret universæ: quod numismata sub eo tempore his notis cusa declarant.

Palma.



Novem exsurgit castellis: tribus portis, fossis, & externo muri, interno terræ ambitu firmissima. Rivum Turri *Utino* emissum in eam derivavit *Antonius Grimanus* Præfectus. Cui *Varius Academicus Suentatus* hanc dedit inscriptionem.

Quæ Turri fueram beata fontis
Nympha, & pumiceis jocabar antris,
18 *Nunc arcis peto mœnia, & Theatrum*
Orbis lustro novum, tuum, Grimane,
Captiva imperium sequuta Cornu.

Varmum. Per eandem oram loca fuere duabus *Varmi* arcibus illustria. Quæ *Tiliaventum*, & *Stella* pridem irrigabant, nunc silentium & arena, nomen & opes contegêre. Tùm *Belgradum* situ, & periculo proximum. *Varmus* fluvius non longè procreatur, qui flexo ad Vesperam cursu in *Tiliaventum* cadit. Tradit *Plinius* in *Anasum* sua ætate fluxisse. Non longè à Varmo *Stellæ*, sive *Anasi* fontes. Ibi *Quadrivium* oppidulum; in quod ab *Aquileja*, & *Palma* antiqua militaris via desinit, pridem *Bononiam* usque strata. *Viam altam* nunc dicunt: & *M. Lepidum*, & *C. Flaminium* Ligurum victores, stravisse aliqui referunt. *Cornu* torrens sinistram *Quadrivii* carpit. Spatium inter ipsum, & *Tiliaventi* ripas loci ignobiles tenent. Tantùm veteris *Turritæ* memoria. Magis ad Septentrionem *Sanctus Daniel* tumulo incumbens, ædificiis, & situ conspicuus; & *Ragonea* Tiliaventum attingens, cujus muri terræmotu labefactati in præterlabentes aquas olim decidêre. Inde *Osopum* bina collium fastigia munitione complexum. *Hyssopum* antiquis forsitan ob ejus herbæ proventum, quo rupes abundat. Arci veteri novum addidit murorum ambitum *Julius Savornianus*; cujus Viri sepulchrum edito insculptum propugnaculo vacuum aspicitur. Paulò infra *Sanctum Danielem* fastigiis insurgens mollioribus Provincia paulatim in colles crispatur, qui vitibus, & arboribus vestiti latissimo exundant spatio. Siquidem ab hac parte in orientem Solem conversi cuncta ad radices *Alpium* occupant; usque dum

Belgradum. Anasi fontes. Quadrivium. Via alta. Cornu torrens. Sanctus Daniel. Osopum.

A *Sontio* interclusi ulteriorem ripam rigentibus *Japidiæ* cautibus relinquunt. *Faganea* reliquorum humilior, & prima arce olim florentissima, nunc solo penè excisa: post hanc *Arcanum*, *Villalta*, *Morutium* totius *Fori-Julii* prospectu insigne: *Colloretum*, *Brazzacum*, *Caporiacum*, *Persum*, *Melsum*, *Fons-bonus*, *Trigesimum* Antonini itinerario adnotatum; *Cassianum*, *Montagnacum*, *Tarcentum*, *Buja*; & *Glemonæ* prope juncta *Pramperus*, & *Artenea*. Hos à reliquis collibus *Turrus* fluvius, & à planitie *Cormon* torrens secrevit. Pluviis hic tumens aliquando, sed ubi campis se immiserit, dispergi-
B tur in tenues rivos, & despectus sine nomine moritur. Sed *Turrus* suis, vicinorumque torrentium undis fervens, & *Tiliaventi* prope æmulus, nisi quòd magnitudine inferior, à *Tarcentinis* montibus in occasum hyemalem emissus latè provinciam devastat: tandem *Natisone*, & *Sontio* admistus nomen, sed non vires, deserit. Ubi *Turrum* transieris cuncta magis aspera. Ibi *Cergnei* mœnia ripis fluminis, & saxis obruta. Paulò post *Atemps* rupibus, & saltibus invium. *Protestaneum* ab eo minus rigidum. Tùm *Cucanea* mollior; *Zuccum*, & *Suffumbergum* arces pridem inclytæ, nunc saxa, &
C arcium vestigia. Hinc *Zuccula* à *Cividalensibus* diruta. Postremò *Cividale* ipsum; Urbs sanè nobilis, in qua saxa exesa, informes parietum structuræ, & viarum angustiæ antiquos referunt, & retinent mores. Jacet ad *Natisonem* amnem xi. Canonicorum Collegio, nobili templo, & lapideo ponte singularis. Cujus pontis hæc est inscriptio *Quintii Æmiliani Cimbriaci* Utinensis.

Faganea. Arcanum. Villalta. Morutium. Colloretum. Brazzacum. Caporiacum. Persum. Melsum. Fons-bonus. Trigesimum. Cassianum. Montagnacum.
19
Tarcentum. Buja. Glemona. Pramperus. Artenea. Turrus fl. Cormon, torrens. Cergneus. Atemps. Protestaneum. Cucanea. Zuccum. Suffumbergum. Zuccula. Cividale.

Pontem sublicium diu vetustum
Nunc stratum silice, arcubus duobus,
Quem tu sic pedibus premis sedentem,
Quanti, te precor, æstimas locatum?
Aut quot millia curruum tulisse,
D *Qua nunc materia est fabris fabratus?*
Quæ tu si benè cogitaris, utrum
Auctores suos superet videto.
Scire hoc te volui hospes, & valere.

Ad sinistram *Sclavos* habet, in quos latè ditionem exercet. Illic fluvius conceptus præcipiti in *Cividale* fertur alveo: sed ubi Oppidum est egressus mollioribus undis in Austrum properans non aspernendam aquarum molem *Turro* infundit. Insident utramque ripam collium vertices peramœni, vini verò generosi copia etiam perillustres. Munitiones in his fuere præclaræ: nunc nomina, & informes murorum
E aspectus. Ad dexteram *Butrium*, *Mantianum*; sinistra *Gramojanum*, & *Rosaceum*, Abbatia celebre, & commendatis fortunatum poculis. Ab hoc parum degeneres tumuli *Rotarius*, *Brazzanus*, & *Cormon*. Subjectum huic est ejusdem nominis Oppidum, divitiis, & habitantium ingenio, tumens. *Josephus Sporenus*, qui multò ante hæc tempora *de Fori-Julii Antiquitate* quinque libris accuratè non minus, quàm eleganter scripsit, *Cormon* à *Carnis* priscis conditum tradit, & ab eis *Carnon* appellatum. Cujus *Plinius* mentionem fecerit in hæc verba: *In hoc situ interiere per oram Inarine, Pellaon,*
F *Palsicium: ex Venetis Atina, & Celina, Carnon, Segeste, & Ocra: Tauriscis Noreja.* Nam sic legit *Sporenus*. Ac sanè antiqua illius auctoris exemplaria, & quæ *Hermolai Barbari* castigatione illustrata mox prodiere, continuò ab Atina, & Celina, *Carnos* habent. Contra in recentioribus, facta interpunctione, sequitur, *Carnis:* ut facilè appareat primo scribendi modo Oppidum; altero Regionem designari. Sed horum qui magis ad veritatem faciat, alii judicent.

Butrium. Mantianum. Gramojanum. Rosacensis Abbatia. Rotarius. Brazzanus. Cormon.
Plin. Nat. Hist. Lib. III. c. 19.
20

cent. Nobis *Sporeni* auctoritatem sequutis libeat *Cormon* inter vetera Provinciæ loca retinere.

Gradisca.

Gradisca his proxima tumulo & ipsa à *Venetis* imposita: sed situ, quàm arte melior: nam *Sontio* ab tribus fermè partibus inundata, nec tota vallo cingi potest, nec ab auxiliis intercludi. Quæ res Arcem proximè *Germanis* servavit.

Medea.

Propè Gradiscam *Medea* pagus, & mons unico saxo attollitur; ubi Lapicidinæ nobiles. A quibus *Palma* muros, & fundamenta accepta refert. Non obscura illis *Medeæ* Æetæ Regis filiæ memoria, cujus specus adhuc monstratur, & nocturnis spectris frequentari accolæ affirmant. Paulò infra hunc locum *Sontius* Natisonem *Turro* mistum recipit. Nec longè absunt gelidarum fontes aquarum: in quos murus geminus *Cæsaris Augusti* opus desinit. Fuisse aquæ-ductum memorant, quo latices olim in *Aquilejam* importabantur. Ab his fontibus *Tilius* fluvius manat, quem hujus regionis primum stylo attigimus. Hic igitur circini terminus. Quod medium interjacet principi Civitati natura, & Dii seposuere.

Utinum, Urbs amplissima, & totius provinciæ Fori-Julii Metropolis.

UTINA hæc fuit: quæ centro *Fori-Julii* modico colle assurgens, reliqua circum loca veluti de sublimi qua- A dam specula circumspectat, & ab iis invicem aspicitur, & suspicitur. Urbs totius provinciæ est hæc amplissima, & reliquarum Metropolis: in qua non tam Principum suorum indulgentia, quàm præsentis excellentiæ splendore vetustam *Aquilejæ* Majestatem veluti reviviscentem agnoscas: duplici murorum ambitu cingitur, & tumulum sinu complexa pulcherrimum in eo curiosæ industriæ ædificium ostentat. Centum illud annorum opus; nec adhuc perfectum: quod ejus generis moles universas regali propemodum superat luxu. Rivis à *Turro* duobus irrigatur; & puteis profundissimis gelidas hau- B rit. Nec fontes publici desunt, nec porticus, aut templa non religione melius, quàm structuræ ornamento magnifica. His accedunt totius Provinciæ conventus; fora; duplicis Magistratus fastigia, Rector *Venetus*, & *Aquilejensis* Patriarcha: quibus Urbs non exornatur tantùm, sed perpetuis etiam augetur commodis. Digna profectò ea adjacentium oppidorum corona; quæ in unam *Utinam* tanquam in suum principium conversa, illi fortunarum suarum securitatem non magis, quàm amplitudinem acceptam referunt.

Libri Primi finis.

21

LIBER SECUNDUS.



TYRRHENOS primùm *Italiam* imperio tenuisse veterum testimonio accepimus. Hi juventute ad utrumque mare disposita, coloniis passim Regionem exornavere.

Carni Populi.

Inter quas *Carnorum* gentem fuisse illud nobis argumento est, quòd *Italo* solo nati, externorum neminem suæ originis autorem agnoscunt. Ad quod accedit nomen ipsum, quod ab antiquissimo *Thuscorum* Rege *Crano* acceptum retinet posteritas. *Vertumnum* dicunt *Romani*, & *Cranam* ejus sororem *Vertumnam*. Quam etiam transpositis literis *Carnam* appellant. Cui vertendi cardines jura tribuêre; priscum regiæ potestatis symbolum nomine interpretantes. Donec igitur in *Italia* res *Tyrrhena* stetit, *Carni* simul cum his floruere. Qui beatam regionem latè incolentes sui nominis splendore longinquos æquè, & finitimos sollicitabant. Ubi vero *Thuscorum* decora fluere, & imperii vires imminui cœperunt, *Carnos* quoque externorum armis vexatos opes illæ inclytæ, & secunda usque ad eam diem fortuna deseruit.

Veneti Populi.

Primi negotium *Veneti* exhibuerunt; qui sive à *Paphlagonibus* orti, *Antenore* duce, ad eas sedes

22

Galli Populi.

pervenerint; sive à *Gallis Venetis* fuerint profecti, quod credibilius videtur; cuncta *Adriatico* proxima complent. Hos *Gali Boji* subsequuti penitus *Carnorum* nomen à *Pado* deturbant. Quare in ultimum illi *Italiæ* angulum compulsi, nihil propemodum de antiqua dignitate, præter nominis appellationem retinuisse visi sunt. Quam dùm sæpius negligunt scriptores, vel etiam in controversiam ponunt, parum abfuit, quin gentis memoriam universam usque ad internecionem delerent; quod à Geographis in primis factum est: à quibus ita *Carnorum* populi vi- C cinis sive *Venetis*, sive *Japidibus* admiscentur; vel dubiis adeò, & obscuris limitibus circumscribuntur, ut qui verè fuerint *Carni* nullus eorum (si unum *Ptolemæum* excipias) literis commendaverit. Historici nihilo his diligentiores, ut quid in tam longa annorum serie gesserint, nemo prorsus animadvertat: adeò inter tot *Romanæ* fortunæ casus nec cogniti, nec in exemplum aliquod traducti, silentio usque ad conditam *Aquilejam* perpetuo sunt prætermissi. Sic, quo tempore *Romanorum* jugum acceperint, sive illi armis, & vi debellati, sive reliquarum victoriarum veluti additamentum accesserint, com- D perti nihil prodidere. Cujus rei causam nullam profectò crediderim aliam; quàm quia collibus tantùm, & montibus per illam ætatem provincia frequentata, planities universa, & proxima pelago litora habitatoribus, & commercio vacua aspernebantur. Inde fiebat, ut intra rupes; saltusque suos *Carni* abditi, ibique à nemine lacessiti, aut neminem lacessentes, procul ab omni humanarum actionum memoria, atque reliquo ab orbe veluti divisi, omnem tunc famæ loquacitatem subterfugerint, hac una saltem re beati, quòd propriis rebus, & modico contenti, majoris fortunæ discrimina nulla cognove- E re. Porrò quòd *Carni* montana primùm tenuerint, multa sunt, quæ nobis persuadent. Priscorum hominum consuetudo in primis, qui opportuna quantumvis objecta planitie nonnisi sublimioribus locis sedes ponebant: arborum proventus, & silvarum tractus ingentes, qui humiliorem partem occupaverunt. Sed ante cuncta loci situs, & naturalis insuper accessit necessitas; quæ vel invitum ad tumulos adegit hominum genus. Siquidem provincia ad mare depressa, & illuvionibus continenter obnoxia minus commoda ab ea parte cultoribus semper extitit. Quod nostro seculo licet observare; in F quo multa circa maris oram vasta relinqui necessarium est: quæ nihilominus, aquis in dies de-

decrescentibus, frequentiorem curam admittunt,
23 ut non injuria ad hoc animum adjicientes sapientissimi Viri quamplures in eam venerint sententiam, quòd plana *Fori-Julii* ab *Adriatico* primùm fuerint possessa: quo siccato illa cultum, & homines accepisse. Supersunt hujus rei vestigia ad *Suffumbergum*, apud quod in monte ferrei conspiciuntur anuli; quibus Navium retinacula alligari non fama magis, quàm verisimili ratione adducti accolæ prædicant. Quod profectò nulli mirandum videbitur; si terras alibi delitescentes ab undis modo emersas, & insulas factas intelligat; alias verò nunc pelago obrutas, quas homines olim habuere. Adeò vetustatis vis quædam, & potestas est incredibilis, cui cuncta miscere, invertere, atque iterum restituere divina quadam licentia permissum est. Nobis sanè marinæ conchæ, & piscium crustæ grandiores ad manus pervenere, quæ inter arandum effossæ omnem de hac re dubitationem sustulisse visæ sunt. Cæterùm incerta hujusmodi pro certis nunquam ausim affirmare.

Igitur jam non est dubitandum, Provinciam ad montes antiquitus cultores habuisse. Quibus verò locis præcipuè consederint, aut quas urbes condiderint, vetustatis umbra involuta, ut cætera multa, ea omnia oblivio extinxit.

Provincia ergo ob eas, quas memorabamus causas ab omni mortalium cognitione seposita, sine nomine quam longissimè delituit. Donec *Aquilejæ* erectione nobilitata, atque tunc iterum per ora hominum traduci cœpta in meliorem spem erigitur. *Aquileja* ut conderetur, *Galli* fecere. Tunc regionem tenebant *Romani*, qui *Italia* perdomita, arma ad ortum ab occasu circumferentes, in summam potentiæ opinionem pervenerant. Sed recentes de *Philippo*, & *Antiocho* victoriæ etiam suspiciendos reliquis mortalibus faciebant. Uni *Galli*, qui ad ripas *Rheni* fuere, eam armorum majestatem despicati, profectionem in *Italiam* parant. Domi conjuravere Principes juventutis; qui suopte ingenio usi, nulloque ad hoc publico expectato consilio, mobiles adolescentium animos facilè pervertêre. Moverat hos agrorum inopia, & dura rerum in Patria egestas. Hanc non alio modo lenire, quam si sedes alias quærerent, sibi persuadent. Ingens igitur in unum cogitur multitudo. Hæc *Rhenum* emensa, per eam *Juliarum Alpium* viam, quam non multo post *C. Julii Cæsaris* opera complanatam, atque nobilitatam posteritas accepit, in *Forum-Julium* tendit. Hæc prima Barbarorum in Provinciam expeditio, quam eò admirabiliorem quis existimaverit, si locorum iniquitates, per quas signa intulerint, animad-
24 vertat. Nam, sive illi ab *Rheno* per *Germaniam* in *Noricum* moverint, sive ab eo fluvio in occasum deflexi, per *Heduos* in *Rhætiam*, atque inde *Tiroli*, quæ nunc est, regione superata, sub *Alpes Carnorum* pervenerint, maximis difficultatibus ubique distentos ultimas non rarò rerum necessitates subiisse, certum est. Adeò ubique flumina ingentia, rapacia; silvæ horrentes, magnæ; montes verò asperitate non minus, quàm altitudine invii, quos omnes hi, qui sunt in *Carnis*, longè superant; ut quantumvis per eos rotabile ab *Romanis* iter postea patefactum fuerit, nostra tamen tempestate omninò fermè desiit frequentari. Igitur *Galli* summa animorum obstinatione Provinciæ jugis superatis, in mitiores terras pervenere. XII. millia virorum fuisse memorant: quorum magna pars inermis, reliqua ex agris raptim arma col-

Anno ante Christum natum 179. ex Sigonio. 183. ex Glareano.

Ann. ab Urb. C. 564. Sig. 568. Glar.

Galli Transalpini in Forum-Julium transgrediuntur.

legerat, ut illos ex patria, non ad vim inferendam, sed ad famem arcendam profectos intelligeres. Postquam omnia circum quieta vident, habitatores raros, eosque nihil hostile molientes, agros feraces, & cultui aptos, cuncta in rem suam interpretati, illic sibi considendum existimant. Quare per ocium loco ad oppidum condendum delecto, ibi genti, & proli, si per Deos liceat, urbem pergunt instituere. Hanc fuisse prope agrum, ubi nunc *Aquileja* est, auctores habeo. Aliqui etiam ad XII. ab *Aquileja* lapidem sitam scribunt; ut non invitus in eorum sententiam adducar; qui, credunt, *Galles* collem, qui *Utini* nunc medius erigitur, operibus à principio communisse. Nam præter locorum distantiam, quæ eadem sanè esset, si *Aquileja* antiquo murorum ambitu terminaretur, illud mente subit, quòd occupatis per ea tempora collibus, atque superiori universa regionis parte habitatoribus plena, ut dictum est, vix fieri potuit, ut novi incolæ in tam vasta solitudine depressis, atque humentibus locis tecta ponerent, unico in ea planitie colle præterito; quem, si castris faciundis locus fuisset eligendus, ne dum Civitas locanda, ex rei militaris peritia debuerant ante cuncta præripere. Magna siquidem apud eos homines de collium opportunitate semper extitit opinio; ut non meliori loco in hostem dirigere, aut ab eo se tueri posse, quam tumulo inclusi existimarent.

Galli Oppidum in Provincia Fori-Julii moliuntur.

Origo Utini

Ea, meo judicio, *Utini* fuere fundamenta, ac veluti futuræ amplissimæ Urbis simulacrum quoddam angustum, quo *Galli* tres integros fermè annos se tenuere, ut postea dicemus. Interim *Carni* consilium, & opera *Gallorum* conspicati, de his omnibus, quæ acciderant, 25
per Oratores suos *Romanos* certiores faciunt: *Barbaros homines, sive pennis per aëra vectos, sive nubibus cælo demissos rectà in Provinciam descendisse, ejus vacuam partem occupâsse. Nunc Urbi mœnia facere, quo diutius parto potirentur. Illos quidem civiliter admodum, & nulli injurios usque ad illud temporis se gerere. Pacem, amicitiam cum finitimis colere; agrorum curam suscipere. Cæterum sibi nec Barbarorum ingenia, nec arma placere. Alterum hoc ab* Annibale *exemplum, quod quàm* Italiæ *periculosum, quàm ipsis* Romanis *grave sit futurum, ipsi viderint; qui si transitus novos per* Alpes, *& invios usque ad eam diem saltus sinant recludere, brevi exteris exundantibus populis, Urbem oppressam, & Imperium collapsum agnoscent.* Movit Patres tam severa admonitio: quare non sine honore dimissis *Carnis*, extemplo trans *Alpes* Legatos destinant. Ibi, *qua auctoritate ea sit profecta multitudo*, percunctantibus responsum est: *Illos non publica auctoritate profectos, non publicis armis instructos; quid rerum modò in* Italia *gerant nec scire; nec curare. Ipsos hi, ad quos maximè pertinet, vi, & imperio coërceant.* Serius, quàm fieri debuit, *Romam* redeuntibus Legatis, negotium omne de *Gallis* in novos Consules rejectum est. Hi fuere *App. Claudius Pulcher*, *M. Sempronius Tuditanus*. Sed utrumque bello *Ligures* distinuere. Dum hic *Apuanos*, ille *Ingaunos* premunt, fugant, trucidant, annus vertitur. Consules in eorum locum facti *P. Claudius Pulcher*, & *L. Porcius Licinius*. *Galliam* citra *Alpes* Porcius est sortitus: *Foro-Juliensem* agrum ea amplectebatur Provincia. Ad quam cum pervenisset, atque exercitu instructo, ad expeditionem se comparasset, aliis subinde curis hominem excipientibus, ut verisimile est, à *Fo-*

Carni per Oratores suos Romanis Gallorum in provinciam adventum significant.

Romani trans Alpes Legatos mittunt.

Gallorum ad Ro. Legatos responsum.

An. ab Urb. C. 565. Sig. 569. Glar.

Ann. ab Urb. C. 566. Sig. 570. Glar.

ro-Julio se abstinuit. Crescebat interim Oppidum, & *Galli* ad unam rem familiarem intenti armorum studia omiserant. Igitur domos ædificare, terras arare, arbores ponere, fruges colligere; ac veluti si patria illa foret sine alicujus metu quiete, & otio oblectari; quin etiam cum finitimis commercia jungi cœpta, & connubia fortassis; adeò illos facilitas quædam, & mansuetudo Barbaris insueta omnibus propè commendaverant; ut ejus rei gratia etiam factum crediderim, quòd *Romani* ad eos expellendos negligentiores in dies sunt redditi. Sed * *M. Marcellus* Consul factus nimiam illam tranquillitatem interturbavit. Huic Magistratum inituro curam ingerunt Patres de *Gallis* in *Forum-Julium* transgressis. Ad hoc *L. Julius* Prætor in Provinciam præmissus; ut quatenus verbis, & imperio posset, illos ab Op-
26 pidi ædificatione prohiberet; sin armis opus esse intelligeret, Consulem certiorem faceret. Ille confestim per homines idoneos Senatus sententiam *Gallis* significat: *Abstineant à Provincia Romana atque in patriam quamprimùm proficiscantur. Hunc unum moderantiæ suæ fructum habere, quòd sine castigatione aliqua dimittantur.* Galli quamquam inexpectata ea denuntiatione perculsi, à proposito tamen non recedunt. Placet omnia prius pati, tentare, quàm præsentem fortunam omittere. Diebus pluribus hinc inde altercando absumptis, ubi Prætor tandem se ludificari cognoscit, *Marcello*, in quo statu sint res *Gallorum* significat: ad eos cohibendos ferro, non verbis opus esse. Quibus acceptis Consul, non ultra eam audaciam sustinendam ratus, *L. Porcium*, Proconsulem adhuc in Provincia cum exercitu se continentem admonet: *Ut ad novum Gallorum Oppidum legiones admoveat: se in itinere copias assecuturum.* Nec multò post literas suas supervenit. Cæterum *Galli*, qui procul ab omni periculo positi de rebus suis malè sperare usque ad eam diem nullo modo potuerant, ubi *Romanorum* signa conspexere, & terror veluti de propinquo inter armatas acies interfulgens omnium oculos simul perstrinxit; tunc primùm fortunarum suarum statum contemplati, quid tandem sibi agendum foret seriò consultant; tunc primùm, qui audaciores habebantur, hærere, nutare; & sententia, quæ ante omnium una fuerat, in duas partes scindi cœpta. Plures arma, & vim suadere. *Se virtute sua, & majorum gloria dignum facinus admissuros, si pro libertate nulla detrectent pericula; vita potius, quàm Oppido pellantur. Nam quò se vertant, aut quas terras amplius quærant?* Romanos *stare à fronte, tergori circumfusos* Istros, *ferox hominum genus, & quotidie cum finitimis bella solitum gerere; an patriam repetant, ubi suorum animos magis infensos, quam hostium arma experiantur? Igitur in dextris unicum rebus suis auxilium superesse. Quod si neglexerint, sciant, se continuò ignaviæ pœnas daturos: contra in defensione tutiora omnia: bellorum eventus varios, inopinos, inexpectatos. Haud raro ab exiguo milite multitudinem superatam: non numero, sed virtute victorias stare; ad hæc habere se Oppidum non muro tantùm, sed aggere, operibus, & colle munitissimum. Eo, si acie contendere minus tutum existimant, se contineant, donec Deus aliquis, aut Fortuna conditionem eorum meliorem faciat.* Secus disserebant, qui *Romanorum* invicta robora, & potentiam nullis usque ad id tempus
27 periculis victam agnoscebant: *Eos nunquam ab incepto quieturos, donec nomen omne* Gallorum *deleverint: odia inter eas nationes immortalia sem-*

** Ann. ab Urb. C. 567. Sig. 571. Gl.*

Senatus Rom. M. Marcello Cos. curam committit de Gallis in Forum-Julium transgressis.

L. Julius Prætor in Forum-Julium præmittitur.

M. Marcellut L. Porcio Proconf. præcipit, ut ad novum Gallorum Oppidum Legiones admoveat; ipseque paulò post supervenit.

Gallorum consultationes.

A *per extitisse: Alpes superatas; Forum-Julium insessum, prætextum belli magis, quàm materiam esse: veram irarum causam prætermitti,* Romam *à majoribus olim captam, incensam, Penates eversos, Patres trucidatos, quæ nulla temporis diuturnitate, nulla hominum memoria potuerunt consenescere, nunc illos horum factorum pœnas exposcere: hoc Consulem in eos missum; hoc consularem exercitum demonstrare. Tot verò armatorum millibus Urbem obsidentibus, quibus artibus, quibus viribus occurrendum? se quidem juventutem habere non exiguam; sed si cum* Romano *conferas, in nullos militares usus accommoda-*
B *tam; sine armis; sine disciplina; in qua si quid pristinæ virtutis, aut bellicæ laudis opinionis superaerat, ea universa otio longiori, & novæ patriæ caritate extincta, elanguescere. Quid igitur si magis secundando, & obtemperando sævientem hanc in nos procellam declinemus? Arbores validæ dum contra ventorum rabiem adnituntur, convulsæ ut plurimum, & disruptæ corruunt; sed arundinum calami, & genistæ, quas levis quælibet aura inflectit, integræ perdurant. Ea est innata* Romanis *animis sive natura, sive consuetudo, ut ampliori semper in resistentes impetu ferantur; supplices facilè fovent, & adjuvant. Ad arma*
C *sustinenda cum pares non simus, quid misericordiam prohibet experiri? Legatos mittamus, qui liberis salvis capitibus, deditionem faciant. Si eam acceperit Consul, salvos credite, sin minus, bellum tanquam extremum, desperatis rebus subsidium adhuc integrum superest.* Secundum eam consultationem perhonorifica Legatio Consuli decernitur, quæ Urbem dedat. Hanc in fidem acceptam *Marcellus* præsidio firmat. Deinde arma jubet omnia ad se deferri. Et quia id ægrè admodum passuros apparebat, milites per vias disponit, qui invitos coge-
D rent. Multa ibi fœda, & non ex dignitate Populi *Romani* admissa. Simul cum armis omnia fermè, quæcunque apud eos fuere, adempta sunt; atque in hunc modum spoliatos extra munitionem, atque agrum *Romanum* jubet abire. Vix ab Consule impetratum, ut donec Legati de hac re ad Senatum mitterentur, sub tectis esse permitteret. Legati, qui de his querantur, *Romam* missi nobiliores. His in Senatum à *C. Valerio* Prætore introductis, eorum natu maximum talem habuisse ferunt orationem.

Nullus est aut tam miser, aut tam impius, qui Deos iratos prece placari non credat. Id
E *modò nos facimus, Patres Conscripti, qui, sive scelerum furiis agitati, sive potius injustæ calamitatis pondere obruti, ad vos, quos tanquam* 28
Deos ut veneremur, fortuna nostra facit; supplices accedimus. Vobis ærumnas nostras exponimus, quas si non respicitis, neque ab Diis immortalibus auxilii quidquam quod expectemus nobis superest. Nec quòd in Majestatem hujus Imperii dicamur deliquisse à proposito deterremur; Nam si illa, quæ nobis objiciuntur, vera sunt crimina, simplici factorum confessione pietatem tentabimus, sin meri sunt errores, etiam excusationem consequemur. Hoc ut clarius ap-
F *pareat, paucis actionum nostrarum rationem expediam. Nos, Patres Conscripti, patriam infelicem, & asperi soli in* Gallia *habuimus; quare cum per paupertatem vitam illic tolerare admodum difficile esset, alias terras, quæ alimenta præberent, ab omnium Deorum, Dearumque potentissima necessitate cogimur inquirere. Hæc nos perinvitos adigit in* Carnos: *ibi planities, quam nunc tenemus, oblata est, inculta non modò, & vacua, sed sine ullo habitatore; solitudinem, non agros diceres; quæ*

Galli Marcello Cos. Oppidum dedunt.

Marcelli in Gallos deditos sævitia.

Galli Romam Legatos mittunt.

Gallorum in Senatu oratio.

quæ abnuentibus nobis, & detrectantibus etiam ultrò debuerat offerri. Quod igitur extra omnium injuriam antiquo gentium jure existimavimus permissum, ad eam colendam animum, & vires adjecimus. Ex quo factum est, ut brevi cuncta novam circum faciem acceperint. Agri frugibus, arboribus virent; & ubi fuerant modò limus, & cannæ palustres, latè in Equorum pabulum gramina succrescunt. Quin etiam oppidum fecimus, nec injucundum aspectu, nec habitatoribus infrequens. Eum vero locum ad id delegimus, ut facilè Provinciæ caput futurum auguremur. Hæc non hostium, non latronum sunt opera; non inquieti, non injuriosi animi argumenta, quæ si quis etiam extra omnem livorem consideret, tantùm abest, ut in Romani *nominis contemptum, aut contumeliam facta existimet, ut potius ad Imperii dignitatem, atque etiam amplitudinem pertinere fateatur. At Senatus ante fuerat consulendus; Populi* Romani *Quiritium sensus explorandus. Si hæc apud apud vos sunt crimina, nihil est, quòd peccasse inficiamur: sed quid? recens ex longinquis locis adventantibus, ab omni politiori vestra consuetudine alienis facilè hæc animo excidêre. Quin illud magis ad nos pertinere arbitrati sumus, si non verbis, sed factis nostrum erga vos animum exprimeremus; hæc certissima intimorum sensuum testimonia existimantes. Quod & vos fecisse velim, Patres Conscripti, vel potius Consulem vestrum animadvertisse, qui pro his à nobis gestis, nullo prorsus excusationi loco relicto,*
29 *acerbiorem, quàm de sicariis hominibus sumi solet, vindictam in nos exercet. Quidquid trium annorum spatio nostro labore, nostra industria partum habuimus, nunc illius in manu sunt. Non arma, non vestis, non supellex relicta. Parum quin in corpora libera fuerit sævitum. Hoccine innoxios, immeritos tractare? quos vel omni scelerum genere obstrictos, ob eam saltem causam debuerat servare, quia deditos acceperat. Nempe, Patres Conscripti, non ut hostes, aut ferro victos tenet: deditionem fecimus. Nos, nostraque omnia prius in fidem, quàm in potestatem Populi* Romani *dedimus. Hoc unum patientiæ nostræ experimentum, culpam, si qua foret, omnem potuit abstergere. Huic uni vindictam omnem debuit ille condonare. Sed contra omnia fecit; tanquam in victos, nullum crudelitatis, nullum avaritiæ genus prætermisit. Parum fuerat Oppido expellere, nisi etiam bonis nudaret. Videte modo, Patres, si hæc ad illam, quæ per omnes nationes vagatur, de clementia vestra opinionem faciant. Apud nos quidem sic convenerat, Populum* Romanum *non armorum magis disciplina, quàm facili in subditos moderatione in tantum potentiæ pervenisse. Quare cum bellum experiri potuissemus, pacem dubiis Martis eventibus prætulimus. Cujus fructus tantò uberiores nobis fingebamus, quantò ab omni in Rempublicam vestram facinore nos esse alienos certum erat. Sed utcunque ea ceciderint, unius Consulis libidini juvet illa imputare. De Populo* Romano *nihil ab humanitate, nihil à pietate alienum putamus. Quare ad vestra genua procumbentes, Patres Conscripti, fidem, clementiam, misericordiam divinitus vestro generi insitam imploramus. Et sive hic error, sive crimen fuerit, præclara illa, qua inter mortales excellitis, animi magnitudine, miseris subvenite. Adhuc integrum apud vos est discrimen inter armis victos, & in fidem acceptos facere. Quod de* Gallorum *gente statueritis, exemplo reliquis erit, qui in clementia Populi* Romani *summam fortunarum suarum posuere. Nos quidem illud tantum petimus, ut non acerbius in deditos, & innoxios, quàm in hostes, & sontes sæviatis.*

Hæc cum dixisset *Gallus*, Senatu amovetur.
A Patres, quamquam animus à misericordia non abhorrebat, Barbaros tamen intra montes suos cogendos existimant. Illos exemplo non bono, sed damno pejori *Italiæ* agros uberrimos tenere. Igitur Senatus Consultum hujusmodi Legatis recitatur. *Quoniam Galli, injussò Senatu, Alpes penetraverint, placere, eos ab Italia decedere. Decedentibus arma Consul, & sua omnia restituat.* Qui hoc ad Consulem significarent missi *L. Furius Papirio, Quintus Minutius, L.* 30
Manlius Acidinus. His illud adjiciunt: *Ut copias decedentes usque in Galliam prosequantur. Illic Barbaris severa oratione castigatis, jubeant, suam*
B *domi multitudinem continere; ni faciant, per eadem juga, quæ primi ipsi pervia fecissent, Romanorum signa in eorum perniciem decurrentia brevi inspecturos.* Igitur *Galli*, rebus suis receptis, post annum fermè tertium, quo in Provinciam venerant, iterum *Carnorum* montibus superatis, natali solo restituuntur. Legati, qui secum venerant, Concilio gentis coacto, Populi *Romani* jussa exponunt. Quæ comiter, & placidè cum *Galli* excepissent: *Se quidem gratias agere Senatui*, dixerunt, *quod suos malè de Populo* Romano *meritos sine pœna dimisissent. Sed melius apud utrosque actum iri, si gravi aliqua in vagantem illam, at-*
C *que effrænam juventutem animadversione edita, malè mulctatam, sive bene plexam extra Imperii fines abegissent. Quod si ab illis factum esset, nec* Gallo *in posterum superandarum* Alpium *cupiditas ulla animo accessisset, nec* Romanos *de finibus suis anxietas aliqua vexaret. Nunc se timere, ne præclarum hujusmodi pietatis, & clementiæ argumentum in pessimum exemplum trahatur, quod & gentem suam cladibus aliquando, & Populum* Romanum *sollicitudine perpetua afficiat. Cæterum daturos se operam, ne, vivis ipsis, talia deinceps quisquam audeat committere.* Quod tam sanctè servare promittunt, quàm eam Senatus in noxi-
D os indulgentiam, omni prorsus contumelia indignam cognoscerent. Post hæc, donis & obsequio Legatos oneratos usque ad *Alpes* deducunt. *Gallis* à Provincia profectis, *M. Claudium* Consulem ea cura subiit, ut Oppidum eorum continuò deleret. Nam si stare permiserit; Barbaris dubio procul ad repetendam *Italiam* incitamentum fore. Hoc cum se facturum edixisset, non æquis animis à finitimis acceptum est. Nec deerant, qui *Gallorum* operibus delectati, nimiam Consulis in eos duritiem incusarent; multos etiam cupido non exigua tenebat eorum potiundæ Urbis, quam re-
E bus suis commodam nemo non videbat. Igitur ad deprecandum facinus *Carni* propè universi accurrunt. Ac non pro finitimo quidem, aut socio, sed pro eo loco, qui jam suus esse cœperat, Consulem orare, ne talia faceret, obtestari. In memoriam reducere, Provinciæ non modicæ, & ab humano cultu vastæ, mœnia illa necessaria propemodum, quæ si *Romanorum* mancipiis repleat, quale adversus exteras nationes propugnaculum firmet, neminem non cognoscere. Se quidem Urbis modo natæ, & à qua nullam injuriam accepissent, vicem misereri; sed si nulla extaret omninò, ut ibi ab 31
F *Romanis* construeretur, ipsos auctores futuros. Nam si à Barbaris hominibus frequentata tantum usque ad eam diem splendoris accepit, ut *Romanorum* oculorum acies sustinere illam non potuerit, quantum mox politiori auctæ populo, aut mitioribus excultæ ingeniis, sive nobilitatis, sive majestatis accessurum speramus? Dum talibus *Carni* Consulem quotidie defatigant, *Romæ* Senatus de illius consilio certior factus, continuò, ut Oppidum servet per li-

Senatus Gallis imperat; ut in Patriam trans Alpes redeant.

Gallos à Provincia Fori-Julii discedentes Legati Romani usque in Galliam prosequuntur.

Legati Concilio Gallorum mandata P. R. exponunt.

Gallorum responsio.

Galli Legatos Rom. muneribus, & officiis cumulant.

teras admonet. Quippè jam inter Patres agitari cœptum erat, illam Provinciæ partem novis cultoribus indigere, cui non dubiis animis Coloniam mox deſtinabant. Sed *Marcellus* ſive Senatus decretum opere prævenerit, ſive acceptum vulgari non permiſerit, ab incepto non deſtitit, donec novis ſolo mœnibus adæquatis, ſimul cum ædificiorum forma coaleſcentis Civitatis nomen penitus extinxit; atque hoc modo deletum *Gallorum* Oppidum crediderim potius, quàm *Marcello* Senatui adverſante: nam ſi in publicæ auctoritatis contemptum tale quid ille admiſiſſet, utique facti ratio fuiſſet reddenda in ea Civitate, in qua magni ſemper honores maximis ſimultatibus locum fecere. Porrò *Marcelli* Conſulatus omnium *Latinorum* conſenſu clarus utique habetur, & ab omni publica, aut privata contentione liber; ut parum ſincerè *L. Piſonem* ſcripſiſſe appareat, à *M. Marcello* Oppidum ad XII. ab *Aquileja* lapidem, invito Senatu, deletum; niſi quis *Piſonis* verba ad noſtram interpretationem traducat. Duo adhuc *Utini* memoratu digna ſuperſunt, quæ ob antiquitatis certiſſima veſtigia *Gallorum* opera exiſtimaverim: Puteus, & ſubterranei fornices. Ille quidem ad radices collis aperitur; quem locum nunc *Rubeorum* familia, magnificis ibi conſtructis ædibus, obtinet. In eo verò non forma tantùm, & aſpectus, quàm aquarum ſcaturigines admirationem faciunt ſingularem. Quippe totus vivo ſaxo, vel manu exciſus, vel certè à natura, perforato monte, excavatus ad LXX. propè paſſus deprimitur, cujus imam partem alluunt undæ frigidiſſimæ, quæ perpetuo curſu manantes opacas montis cavernas ingenti ſtrepitu verberant continuè. Ferunt, noſtra tempeſtate anſeres ibi demiſſos; qui poſtea in *Alſa* fluvio inventi ſunt. Hic ab *Utino* XV. millia paſſuum diſtat. Ferri autem ſemper flumina ſub terris, ab eiſque aquas omnes in lucem erumpentes ortum accipere, præter Philoſophorum decreta, quæ id apertè teſtantur; quilibet etiam vel mediocri rerum uſu inſtructus ſuopte ingenio cognoſcet. Sed fornicum non
32 inferius miraculum. His magnam partem Urbis antiquæ ſuſtineri conſtans apud omnes opinio eſt, quam confirmant hujus operis veſtigia pluribus in locis fortuitò oblata, dum vel ædes ſenio labefactas reficiunt, vel novas extruunt habitatores. Illorum verò ea eſt vaſtitas, & altitudo; ut, in quos uſus fuerint excitati, vix poſſis affirmare. Quamquam vero magis ſimimile eſt, cùm ad loci inæqualitatem complanandum; tùm ad paludis circa collem ſtagnantis exſiccationem factos. Nam quòd aquis plurimum hæc Civitatis regio laboraverit, ſi quid aliud, ſoli natura ſignificat; quæ humilis adhuc, & ſi cum ſeptentrionali parte conferas, longè inferior, imbres decurrentes facilè excipit. Porrò hujuſmodi ſunt, quæ nunc extant *Utini*, ſive *Gallorum*, ſive vetuſtioris alterius induſtriæ monumenta. Sanè eſſe antiquiſſima nemo dubitabit. *Marcello* in Oppidi ruina occupato nunciatur, *Iſtros* nova moliri. Nam fines Provinciæ irruperant, & prædas ex vicinis locis convectabant. Bellum cum *Iſtris* pridem geſſere *Romani*, *P. Scipione*, & *M. Minutio* Conſulibus à quibus partim vi, partim voluntate in deditionem adducti, diutius quievere. Nunc verò, nova prædæ oblata ſpe, ad arma convolabant, quibus *Romani* per ſeptem fermè annos defatigati, an potius deluſi, tandem *C. Claudii* Conſulis opera Provinciam confecere, ut mox dicemus. Igitur Conſul inexpectato excitus tumultu, petit ab Senatu, ut in *Iſtriam*

Marcellus Urbem Gallorum in Provincia Fori-Julii delet.

Utini certiſſima antiquitatis veſtigia, & monumenta. Puteus.

Subterranei fornices.

Iſtri Foro-Julienſem agrum populabundi invadunt.

A exercitum liceat traducere. Quo annuente, dum lentius, quàm par fuerat, in hoſtes pergit, *Romam* Comitiorum cauſa revocatus exercitum dimittere, & rem omnem in ſequentem annum differre coactus eſt. Interim Senatum deducendæ in *Forum-Julium* Coloniæ cupiditas non mediocris inceſſerat. Certè omnibus una erat ſententia ut deduceretur; nam præter proximum *Gallorum* adventum, recens etiam in *Iſtria* motus exorti tantò impenſius eos ſtimulabant. Nec ambigebatur, Provinciam cultoribus non magis, quàm cuſtodibus indigere. Sed illud adhuc non convenerat, an *Latinam* Co-
B loniam, an Civium *Romanorum* deducerent. Poſt longas contentiones id muneris *Latinis* conceſſum, quò proximis *Carthaginenſium* bellis aſſumptos penitus, nedum attritos, eo oblato beneficio, ſublevarent. Deducendarum Coloniarum *Romanis* auctor fuit *Romulus*, qui oppida vi capta neque diruere, neque ſervitute mulctari ſuſtinuit; ſed in agrum bello acquiſitum Colonos ab Urbe deduxit. Quo inſtituto mirum, quantum res *Romana* coaluerit; ut aliquandò prodiderit *Gellius*, Colonias fuiſſe Civitates ex Civitate *Romana* quodammodò propagatas. Earum uſus ut fuit multiplex, 33
C ita nullus ſine ingenti utilitate. Nam præterquam quòd ſic inutili multitudine Urbe exhauſta, & ſeditionibus modum imponerent, & ſtirpem augerent; illud etiam ad Civium paupertatem levandam videbatur facere, quòd agrorum ſtudio propoſito, facilius vitæ incommoda tolerarent. Quin etiam milites de Republica benemeritos præmiis hoc pacto afficere conſuevere; unde *Coloniæ* hujuſmodi *militares* poſtea dictæ ſunt. Sed quod hæc omnia anteibat, illud ex Coloniis egregium Reipublicæ commodum inſuper accedebat; quod fideliſſimo Civium per Provincias diſtributo præ-
D ſidio, eorum ſemper opera, ſive ad ſubditorum animos nudandos, ſive ad hoſtiles incurſiones arcendas, nulla publici ærarii jactura, utebatur. Ex quo factum eſt, ut eas *M. Tullius* non oppida *Italiæ*, ſed Imperii propugnacula vocare non dubitaverit. Ac ſanè ea tunc fuit cauſa, quæ ad Coloniam deducendam *Romanos* ſollicitaſſe, atque etiam impellere potuiſſe viſa eſt. Quòd verò *Latinos* potius, quàm *Romanos* deduxerint; illud ad ſociorum animos conciliandos pertinere nullus eſt, qui neſciat. Cæterum *Iſtris* Provinciam continenter perturbantibus, neque hoc anno, neque ſequenti deducta eſt Colonia. Siquidem illi poſtquam de Senatus conſilio ſubolevere, quod futurum e-
E rat rati, ut perpetuo à *Foro-Julio* prohiberentur, omnibus viribus incumbunt, ne *Romanos* accolas habeant. Quare navibus ad litora appulſis, quotidie terrorem inferebant. Senatus ad hæc commotus mandat *Marcello*, cui ex Conſulatu prorogatum imperium erat, ut in *Forum-Julium* proficiſcatur, quem extemplo ſeptem millia peditum ſociorum, *Latinique* nominis ſunt proſecuta. His copiis maris oram tueatur, & ſi ei videbitur, in *Iſtriam*
F trajiciat. Quæ tunc à *M. Marcello* Proconſule adverſus *Iſtros* geſta ſunt, ſilentio auctores præteriere. Nullius verò, aut exigui admodum momenti fuiſſe ex eo apparet, quòd *Iſtri* hoc anno audacia elati uſque in *Apulia Tarentinos*, & *Brunduſii* habitatores latrociniis infeſtaverint. Quare Senatus illius belli curas coactus dividere, anno qui ſequutus eſt (is Conſules habuit *P. Corn. Lentulum*, *M. Bæbium Pamphilum*) Prætoribus *Q. Fabio Buteoni Galliam* citra *Alpes*, *L. Duronio Apuliam*, & *Iſtros* decernit. *Fabius* à *Marcello*

Senatus Rom. agit de Colonia in Forum-Jul. deducenda.

M. Tull. Orat. 2. Agr.

Ann. ab Urb. c. 568. Sig. 572. G.

Romani milites in Forum-Julium tendunt.

Ann. ab U. c. 569. Sig. 573. G.

cello accepto exercitu, imprigrè admodum, & ex concepta hominis opinione Provinciam administrat. *Istros* cladibus affectos, brevi ex *Jori-Julii* finibus deturbat; neque hostile quidquam, dum ipse regioni præfuit, committere
34 ausi sunt. De his Senatus per literas Prætoris edoctus, tum demum Coloniæ animum adjecit. Peditum tria millia nomen dedere. De equitibus numerus non constat. Deduxerunt Triumviri ad id creati *P. Cornelius Scipio Nasica*, *C. Flaminius*, *L. Manlius Acidinus*. Sciverant pridem Patres de nomine, & loco. Nomen dederunt *Aquileja*, ab eorum Aquila, qua pro signo adhuc *Aquilejenses* utuntur. Locum ad mare esse voluerunt, quo simul transmarinis nationibus, & barbaris ex monte moventibus, ea civitas obstaculum esset. Conditur ergo *Aquileja*, *M. Bæbio Pamphilo*, & *P. Cornelio Lentulo* Consulibus, anno ab U. C. DLXXIII. in extremo ferè angulo *Fori-Julii*, ubi fluvius *Natissa* in mare perrumpit. Hujus Urbis situm curioso verborum ambitu in hunc modum expressit Strabo. *Aquileja Adriatico sinui proxima à Romanis condita est incumbentibus imposita Barbaris. Ad eam flumine adverso onerariis navigatur navibus per Natisonem fluvium plus stadiis* LX. Summa stadiorum ad passus redacta, passus septem mille quingentos facit, quo intervallo tunc Civitas à mari distabat. Cæterùm quòd *Natisonem* pro *Natissa* dixerit, nominum similitudo certè fecit. Siquidem *Natiso* longè alius à *Natissa* II. M. passus orientem versus regionem secat; ubi *Sontii* undis admixtus ab eo nomen, & magnitudinem accipit. Sed præter *Natissam* aquas perpetuò manantes, & rivulos plures *Aquileja* habuit; quibus undique conspersa, & irrigata naviculas in sinum per singulos vicos admittebat. Ea aquarum copia in *Amphoram* derivata breviori itinere ad mare ferebatur. Sic fiebat, ut nullibi stagnante humore, aër ab omni noxioris halitus infectione liber occurreret, & perennem habitatoribus temperiem conciliaret; quam, obrutis canalibus postea, in tristes morbos atque infamem valetudinem conversam, non sine extrema Inquilinorum pernicie, ætas nostra experitur. Signatis aratro mœnibus, & insulis ad ædificiorum structuram divisis, dum novi Cives operi incumbunt, Triumviri, Provinciæ parte inculta peregrata, in *Gallorum* Castellum incidunt. Collis in speciem arcis assurgebat. Sed arcem rudera obsederant. Illi situs admiratione primò capti; mox etiam Oppidi casum miserati, *Marcelli* audaciam, libidinem incusare: qui unus tot hominum studia frustratus præclara gentis monumenta dissipaverit. Optare ergo Oppidum stare; locum, collem, aquam, omnia opportuna. Post multa inter eos agitata consilia, placet Collem rursus in speculæ formam adornare, & muros circa ipsum facere. Quibus turrim triangularem adjiciunt, Ibi ad
35 omnes casus armatorum præsidium esse voluerunt. Privatorum ædes propè arcem, atque in primis Oppidi ruderibus postea excitatæ, vicos fecere; donec habitatoribus auctus inter reliqua Provinciæ Oppida nomen habere cœpit. Hæc *Utini* instauratio, de qua, ut nullus dubitandi locus relinquatur, testem profero eundem *Josephum Sporenum*. Is inter cætera, quæ super hoc argumento fideliter literis commendavit, de hac triangulari turri à Triumviris extructa hæc ad verbum memoriæ prodidit. *Præterea id etiam probationi accedit, quod à Petro Antonio Sbrojavacca, & Petro Alchaino Utinensibus, qui antiquitate plurimum delectantur, olim*

Aquilejæ origo.

Strab. 5. Geogr.

Utini instauratio.

Jos. Spor. de Foro-Jul. Ant. Lib. IV.

A *accepi. Narrabant sibi cum Fontana Venetorum Architecto, cujus opera Jacobus Prætor Cornelius in ædificanda rursus arce (Utinensi) usus est, familiaritatis multum intercessisse, ac dum excavationi veteris arcis pariter assisterent, ter Arcem incensam sub fundamentis reperisse; ubi turris triangularis vestigia visebantur; in fundamentis cujus numismata commenti sunt P. Corn. Scipionis Nasicæ, C. Flaminii, & L. Manlii Acidini, à quibus Colonia ex Latio Aquilejam deducta est. Numismata hæc Cornelius Prætor habuit, & sua in fundamenta arcis, quæ nunc extat, collocavit.* Hucusque *Sporenus.* Quod autem dicat, Arcem
B ter incensam pro eo, ac si ter deletam dixisset, accipiendum est; quod fundamentis inspectis, clarè potuit conjici. Primum loci excidium sub *Marcello* exposuimus: reliqua prosequemur, quando de *Cimbris*, & aliorum Barbarorum irruptionibus mentio inciderit. Cæterum rebus in hunc modum circa Collem dispositis, Triumviri ad partiendos agros convertuntur. Antiquissima dividendorum agrorum ratio apud *Romanos* fuit, ut viritim bina jugera assignarentur, quod usque ad primum bellum *Punicum* pervenisse, auctor est *Varro*. Quamquam ex *Columella* satis appareat, post exactos Re-
C ges septena etiam à Tribunis Plebis fuisse divisa; quem numerum longissimis temporibus Senatus retinuit, ut ex *Valerio Maximo* licet colligere, qui *M. Curii* moderationem laudibus prosequutus, ait; *Ipsum, cum sibi quinquaginta jugera Senatus tribueret, reliquis septena, popularis assignationis modum excedere noluisse.* Sed dena etiam fuisse distributa passim legimus. Porro Triumviri, qui agro dividundo *Aquilejæ* præerant, hos omnes limites egressi, quinquagena pediti, centena Centurioni, centena quadragena Equiti esse voluerunt. Cujus facti rationem in agri vastitatem juvet rejicere. Quæ
D tantùm abest, ut tenuiorem partitionem sustinuerit; ut ex eo in publicum tantum fere aliud redactum sit; ut mox videbimus. Hoc aucti commodo *Aquilejenses* ad colendas terras stu- 36
dia conferunt. Ingentia erant agrorum spatia, quæ cuique obvenerant; quare singula villas exposcebant, quæ servos, jumenta exciperent. Has cum extruerent *Latini*, nomina singulis dedere, vel sua propria, vel locorum, ex quibus profecti erant; ita sive patriæ recordatione, sive imagine, ipsius desiderium temperantes. Qui mos fuit antiquis admodum familiaris; sic *Æginam* in *Creta* conditam, sic *Trojam*
E apud *Siculos* accepimus, sic Palatium *Romæ*: ut *Helenum* etiam non erubuerit in modico vico *Ilion*, & in amniculo præterfluenti *Xantum* agnoscere. Ad hunc modum *Latini* illi *Aquilejenses* in *Forum-Julium Tibur*, *Tusculanum*, *Antemnam*, *Fregellas*, & hujusmodi plura transtulere; nomina ex parte corrupta vulgaris sermo adhùc obtinet. Quibus Collis, & recens circa triangularem turrim munitio concessit, *Atinates* fuere; & fortè ita evenerat, ut locus situ *Atinam* referret; sic illa editiori monte posita arcem sustinet. Unde *Silius Italicus.*

--- *Nec monte nivoso*
Descendens Atina aberat.

F Igitur *Atinates* in Patriæ memoriam eum locum *Atinam* dicunt. Quam posteri, una mutata, an potius inversa litera, *Utinam* dixere. Scilicet nihil frequentius in antiquis vocibus nominum perversione occurrit. Hanc suæ stirpis originem retinuisse visa est Civitas, quæ publico signo *Atinæ* primam literam insculpsit; linea transversa, vel temporum vetustate, vel certe hominum consensu obliterata; quò simul

M. Varro de Re rust. 1. c. 10.

Val. Max. Lib. IV. c. 3. Ann. ab U. C. 443.

Sil. Ital. Lib. 8.

Utinum Atina dictum.

cum antiquo Urbis nomine, novum vocabulum, hoc veluti hieroglyphico, non ineleganter exprimeret. Nam si notæ lineam addas, *Atinam* dicit; si situm invertas, quæ fuit *Atina*, mox *Vtina* fiet; ut non illepidè ab eodem

Joseph Spor. Atina de Antiq. Fori-Julii lib. 2.

Sporeno in poëmate, quod *Atinam* inscripsit, hæc de *Utinensis* Civitatis nomine, & stemmate luserit.

Hæc Urbs, quam gemino præterfluit æquore Turrus
Progenitus latebris Musarum, & carcere cæco
Rupis inaccessæ, Latiæ vetus obtinet Urbis
Nomen, & à prisca genitrice vocabula servat.
Illa potens Atina fuit, qua vindice, Turnus
Nequicquam Rutulos armavit, & impiger igneis
Navibus injecit Phrygiis, ne maximus heros
Æneas mox Italiam ditione teneret;
Et septem geminæ fundaret compita Romæ.

37 Et mox.

Ex illo fertur Latii Mavortia pubes
His sedisse locis; hæc propugnacula summo
Erexisse jugo, turritaque mœnia nostræ
Urbis areniferi posuisse ad flumina Turri;
Et Patriæ Atinam de nomine compellasse.
Postera mox, annis Urbem fugientibus, ætas
Vtinam dixit, mutataque litera prima est;
Immo inversa pedes, cœlo vestigia fixit,
Et caput in præceps dedit, illisitque barathro.
Vtinam hinc omnes appellavere minores.
Insigni tamen Urbis adhuc nigrantibus hæret
Intersusa notis, veterisque ab origine formæ
Ostendit Latii genus, Atinamque figurat.

Apud. Jos. Spor. loc. cit.

Idem *Marcus Vasius* Cividalensis sentire visus est, eleganti hoc edito hendecasyllabo ad *Vincentium Diedum* Patriæ Rectorem.

Ave spes Venetûm, ac decus, solique
Nostri gloria, providumque Numen.
Uno quo Duce, & auspice, æviternæ
Spe pacis fruor, & superba tandem
Magni filia Cæsaris resurgo.
A quo Julia sum vocata tellus.
Passim spumifero fluens Liæo,
Et latè segetum ferax, supinis
Cincta collibus, atque opaca silvis.
Quam Turrus, Natiso, Varamus, Alsa,
Et longè gelidis refusa lymphis
Cursu Muricæ lubricant fluenta,
Sepit Adria præpotens. Ope ergo
Tua jam Latium, patremque spiro,
Romanamque animam, induo, mihique est
Atina in mediis renata campis;
Vtni nomine nuncupata ab Unnis;
Quam Romæ quoque comparare possim.

Plin. Lib. 3. Nat. Hist. c. 19.

Cæterum *Atinæ Foro-Juliensis* celebris est memoria apud Plinium. *In hoc situ*, inquit, *interiere per oram Inarine, Pellaon; Palsicium: ex Venetis Atina, & Celina. Carnis* (nos Carnos

A legimus, Sporenus Carnon sive interpunctione *Segeste*, *& Ocra. Tauriscis Noreia.* Quare si *Plinii* tempestate interiit, multò ante ipsum 38
floruisse necessarium est. De *Celina* constans apud omnes fama manet, ad *Celinæ* amnis ripam mœnia sua habuisse. De qua cum nulla extent vestigia, nemo tamen, quòd illic fuerit, usque ad hanc diem potuit dubitare: ut non videam, cur non magis de *Utino* sit dicendum *Atinam* fuisse, tot in Urbe antiquitatis superantibus adhuc vestigiis; nomine verò in primis ad priscum accommodato, quem locum si excipias, nulla omninò est conjectura, quæ
B alibi *Atinæ* monumenta possit deprehendere. Sed cum dicat *Plinius*, sua ætate interiisse, id videtur innuere, quòd à primo ædificiorum splendore, vel hominum frequentia defecerit; sic apud nos modò *Aquileja*, & *Concordia* dubio procul interiere, tametsi harum utraque habitores habeat, & aliquam veluti parvi Oppidi formam referat. Nec mirum, si illud *Plinius* de *Atina*. Quippe post cladem à *Cimbris* acceptam nunquam usque ad *C. Jul. Cæsaris* tempora, ad pristinæ fortunæ splendorem accessit. Adde, quòd tunc temporis cum *Plinius* hæc literis commendaret, res *Aquilejæ* mi-
C rum in modum vigebant, ut facilè fuerit, proximorum oppidorum civibus in hanc commigrantibus, illa ad interitum propè recidisse. Hæc sunt, quæ de *Utini* restauratione probabili argumento visa sunt in medium potuisse referri. Quibus lubens acquiesco potius, quam *Wolphangi Lazii* commento subscribam; qui *Utinum* fuisse *Idunum* Ptolemæi, non tantum ex eo credidit, quia *Idunum*, transpositis literis faciat *Udinum*, quam quia altitudo etiam *Iduni* Utinensium polo maximè conveniat. Ea est G. 45. M. 30. quæ sanè magni apud omnes momenti forent, nisi *Ptolemæus Idunum* inter
D *Noricos* populos posuisset, præterito ejus nomine in *Carnorum*, & *Venetorum* tabulis. Nec ea *Norici* divisio apud *Wolphangum* in *Ripensem*, & *Mediterraneum* causam ejus meliorem facit; quia si demus, *Utinum* in *Norica Mediterraneo* esse, nempe etiam reliqui *Carni*, & *Veneti* ad *Noricum* pertinebunt. Quare uno contextu horum loca debuit complecti *Ptolemæus*. Quod cum non fecerit, sed *Carnorum*, & *Venetorum* oppida à *Norico* penitus secreverit, utique *Idunum* illud *Noricum* nihil ad *Udinum Carnicum* faciet. Et si altitudo Poli convenit, certè librariorum lapsu potius, quàm, Au-
E ctore sic scribente, factum existimo; à quibus non pauca ejus voluminis loca depravata conspicimus.

Wolph. Laz. 14. Com. Rep. R. Sec. 6. c. 2.

Altitudo Poli Utini. Cl. Ptol. 2. Geog. c. 14.

Libri Secundi finis.

---

39 LIBER TERTIUS.



Commodùm nascenti modò *Aquilejæ*, & ab solo se paulatim attollenti *Fabii Buteonis* Prætoris imperium ab Senatu prorogatur, cujus viri virtute factum est, ut procul à Provincia hostibus amotis, opportunum exæ-
F dificandæ Urbis otium affulserit. Quod cum ipse fecisset, fovit etiam continuè, partim opus præsentia urgendo, partim per Vicarios laborantibus suis necessaria præbendo, ut brevi mœnia in altum evecta justæ propè munitionis specie Urbem cingerent. Tunc aquarum illa distributio facta est, de qua dicebamus, & ad eas in mare derivandas ingens, quam non sine admiratione adhuc cernimus, *Amphoræ* alveus excavatus. Hæc rerum tranquillitas, quæ simul cum

Aquileja ampliatur.

Ann. ab V.C. 575. Glar. 571. Sig.

cum *Buteone* steterat, eo discedente, omnis propemodum *Aquilejensibus* evanuit. Siquidem ab *Istris* extemplo latrociniis, & incursionibus vexantur. Quare imperfecta adhuc murorum opera dimittere coacti, ad se, suaque tuenda convertuntur. Sed sub ea coalescentis Oppidi infantia, nec numerus armatorum, nec vigor par hosti fuerant. Missi igitur *Romam* Legagati, qui Patres de audacia *Istrorum* doceant.
40 Hi rei indignitate, & suorum damno perciti, tandem justo exercitu sibi cum *Istris* rem gerendam existimant. Creati Consules erant *M. Junius Brutus*, *A. Manlius Volso*. *Manlio* bellum *Istricum* decernitur. Hic secunda, & tertia legione instructis, & sociorum altero tantum *Latini* nominis sibi adjuncto, in *Forum-Julium* proficiscitur. Ad ejus belli famam *Galli* citra *Alpes* exciti, atque etiam à Consule acciti cum copiis accurrunt. *Cornelius* Regulus III. M. armatorum ducebat; quibus Consul imperat, ut *Sontio* transmisso, per juga *Carsi* (*Japidùm* ea fuit regio) signa inferrent. Ipse per planitiem, quæ *Adriaticum* attingit (*Montisfalconi* ager nunc dicitur) contra hostes pergit. *Timavus* fluvius utriusque populi ditionem terminabat. Illùc postquam pervenit Consul, quingentis passibus à fluvio castra ponit; jussis *Tito*, & *Cajo Æliis* Tribunis, ut cum legione tertia, via post se, quæ *Aquilejam* ducit, subsisterent. Hac manu pabulatores, & lignatores tueantur. Ab ea regione inter *Japidum* saxa paucorum passuum intervallo, *Galli* se continebant. *Timavus* subterranea *Japidiæ* prætergressus tribus fontibus non longè quàm pass. D.C. à mari erumpens ingentis magnitudinis fluvium facit, Hunc vocat lacum *Tit. Livius*, an quia aquarum copia, & lenitate lacui magis, quàm fluvio propior incedat; ut, in quam partem cursum deflectat vix oculis deprehendas. Nam aliter hunc lacum dicere nemo audebit, Ego quidem lubens viro ad res innumeras prope intento pro flumine lacum scribere permitterem, modò reliqua historica fide, id est integrè absolvisset. Porrò multa sunt in ea narratione, quibus contra locorum situm peccat, atque illud inter cætera, quòd ultra *Timavum* ad fines *Istriæ* portum, qui nullibi est, excogitavit: & quòd Consulem V. M. passus à mari castris locum fecisse dicit, quod spatium inter *Aquilejam*, & *Timavum*, ubi pugnatum est, vix deprehenditur. Nec non, quod *Istri* post collem castra *Romana* fuerint secuti, veluti si multorum dierum itinera ea expeditio occupasset: quæ omittenda non duximus, ut illud, quod sæpius inter scribendum occurret dicere, operis initio comprobemus, auctores in iis, quæ nusquam viderint, facilè hallucinari. Ad eas copias, quas terrestri itinere in *Istros* Romani comparaverant, alia subinde ex mari auxilia transmittunt. Classi adversus transmarinos tumultus præfecerunt Duûmviros navales *C. Furium*, *L. Cornelium*: huic ab *Ravenna* dextra *Italiæ* litora in orientem commissa. *Furio* læva usque in *Aquilejam*. Hic igitur à Consule accersitus onerariis navibus *Timavum*
41 superaverat, quò commeatu exercitum levaret. Quare cum discurrerent ultrò, citròque milites continuò, necessaria in castra portaturi, brevi ad flumen emporium fecere. Ad ejus securitatem Consul inter flumen, & castra præsidium locat: duabus ibi stationibus positis, quarum alteram bini manipuli secundæ legionis; alteram cohors *Placentina* servabat. Sic munito itinere, major in dies hominum frequentia ad naves fiebat; & cuncta in castris e-

Ann. ab V.C. 572. Sig. 576. Glar.

A rant solutiora. Stationes invalidæ, turba inermis, ad quam nulla adhuc de hoste fama pervenerat. Sed ille interim copiis quam maximis comparatis, duce *Æpulone* eorum Regulo, inter abrupta ejus partis *Carsi* consederat, quod *Timavo* imminens utriusqve exercitus prospectum adimebat. Sed facilè inter cautes abditi speculatores cuncta referebant, quæ apud *Romanos* agebantur. Ut igitur milites palatos, Consulem metu vacuum, castra incustodita intelligunt, extemplo ferocientibus Barbaris animus crevit, & ad præsidium emporii delendum impetu feruntur. Tempus erat matutinum,

Istri Romana Castra invadunt.

B & nebulosus aër circum montem obduxerat. Quare cum illi à *Carso* supra fontes *Timavi* silens agmen moverent, prius penè ad stationes pervenere, quàm ab aliquo fuerint observati. Sed ut armorum fulgor, quem sol, paulatim discussa nube, faciebat, insidias aperuit, illicò *Romani* veluti œstro exterriti concidunt. Improvisus pavor cuncta veris atraciora ostenderat, & lux adhuc dubia multiplicem aciem intuentium oculis offerebat. Quare virtutis, & belli immemores, in fuga, quod unum reliquum erat, salutem omnem locavere. Pavidos, & inermes plerosque Castra me-

Trepidatio Romanorum, & fuga.

C jora receperunt; ibi dum hostium numerum ingentem, & fide etiam majorem referunt, cuncta metu, confusione replent. Ab his tumultus circa portas fieri cœptus brevi universa castra pervadit. Terror omnes incesserat, sed causam terroris nemo noverat. Ex quo factum est, ut tanto magis se periculo propiores existimarent. Clamor ergo inconditus, & sciscitantium voces exaudiebantur, & milites hinc inde incursantes, & alius in alium incidentes confusionem illam obscuriorem faciebant. Sub eo rerum turbine fuere nonnulli, qui repentè *ad mare* conclamant. Vox ea reliquis veluti

D deserendorum castrorum signum, & initium extitit. Ubique *ad mare* conclamatum, & passim armati, inermesque ad naves dilabuntur. Nec Consulis auctoritas, aut imperium retinere illos potuit, quo minus compositiori saltem fuga litora peterent. *Ecquid milites* (clamat ille) *umbras, & verba formidatis? nullus hic adest armatus hostis, nulla inimica signa ante ca-* 42
stra conspicio. Quæ si intra vallum starent, non turpi fuga, ut vos cœpistis, sed dextera, & pectore essent propellenda. Ite viles animæ, & terga illa Romana, *quæ nusquam hostis vidit, inani nunc periculo date, virgis postea, & flagellis, si Barbarus vir esse voluerit, propediem daturi.*

E *Hoccine Reipublicæ fidem exsolvere? Consulem vestrum servare? majorum decora, gloriam factis anteire?* Talia dum necquicquam iterat, & manu etiam fugientes apprehendit, paulatim, in agros effusa multitudine, castra nudari conspexit. Quare & ipse suos insequi coactus ad mare pervadit. Nec minori illic ignavia trepidatum. Videres mercatores sollicitos commeatum, & venalia reliqua, quæ antea exposuerant, ad classem deportare, vel potius rapere. Milites scaphas, remos arripere; retinaculis in naves irrepere; unam salutis spem existimare, si à li-

F tore submoverentur. Contra nautæ multitudine territi, quia naves pondere opprimi timebant, in adversos adnituntur. Naves à litore impellunt: nec verba atrociora, nec facta defuere. Multi hinc inde vulnerati, & cæsi nautæ, & milites cadebant: quando Consul superveniens jubet classem omnem in altum subduci. Quo facto, & fugæ modum imposuit, & confusas militum mentes ad saniora consilia potuit revocare. Interim hostes, qui, stationibus ca-

ptis

ptis, & deprædatis, rursus ad montem deflexerant, ubi *Romanorum* tumultum, & effusam multitudinis fugam ab editiori loco conspiciunt; id, quod erat, animo conspicati, confestim conversis ordinibus in castra deserta contendunt. Et, nullo repugnante, intra vallum penetrant. Una *M. Licinii Strabonis* tertiæ Legionis Tribuni virtus eam expeditionem nobilem fecit. Is cum tribus signis in castris permanserat, nec ut illa desereret ulla ratione adduci potuit. Quare ad primum hostium tumultum cum suis instructus accurrit; ingentem multitudinem sustinet, & propellit etiam: tanto sive virium robore, sive animorum obstinatione, ut non nisi satiata cruore dextera, inter confertos armorum, corporumque tumulos, mortem oppetierit. Qui cum eo erant eadem virtute interiere. Tunc *Istri* populabundi per castra effusi prædam supra opinionem colligunt. Impetum retardavit vini ingens oblata copia, & ciborum liberalior apparatus; ad quem conversi, ubi largius corpora explevere, somno se dedunt, non hostium, non propinqui periculi memores. Namque inter hæc *Romani* spe navium frustrati dum se colligunt, dum ab litore oculos in terram vertunt, ubique solitudi-

M. Licinii Strabonis Virtus.

43 nem, vastitatem mirantur. Nullus erat, qui sequeretur: nec quid fugerent, apparebat. Quare omnes pœnitentia affici; dolore cruciari; supplices ad Consulem manus tendere; veniam erroris daret, quò vellet, duceret tentaturus militum animos. At ille ira percitus, & justa causa ferox, infestissima oratione, ignaviam, inpudentiam eorum insectatus; à nullo deinceps verbo se abstinuit, quod in ganeones, & perditos homines dici solet. Scilicet: *Milites contra hostes experiar*, inquit, *quos contra levissimum tumultum omni muliere molliores agnovi; quibus verbis, quibus armis eos in pugnam adducam, quos umbratilis pugna viribus, & armis spoliavit? Majores nostri, quia Legiones ad* Cannam *contra* Annibalem, *id est contra omnium fortissimum Imperatorem, malè pugnaverunt, probro notatas, perpetuo pœnæ exilio in* Siciliam *damnavere. Nunc si à vobis pœna delicto conveniens exigatur, nullum erit inhospitum maris saxum; non* Scylla, *aut* Carybdis *damnata scriptoribus nomina, quæ facinus admissum possint expiare, adeò multa unum concurrunt, quæ impudentiam, timiditatem, ignaviam vestram arguunt, ut si quis à vobis quærat, ubi, aut adversus quos pugnastis; quare præcipiti fuga castra deseruistis, Consulem prodidistis, nihil omninò erit, quod ad leniendam culpam respondeatis. Non hostium virtus, non numerus, non itineris defatigatio, non æstus, non si quid alind, quod ad minuendum dedecus ab hoste illatum effingi, aut excogitari possit. Sed contra, in castris vestris, armati, nulla perurgente inimicorum manu, alius alium fugistis. Et quod longè ridiculum fuit, ratibus, & pelago potius, quàm securo valli munimento salutem vestram commisistis. His obstrictos sceleribus milites, ut ego iterum contra hostes adducam? & quem vadem commutatæ voluntatis, (nam virtutis dicere non possum) quem testem hujusce novæ audaciæ dabitis? qui fugerunt militum vultus agnosco; eorum, qui pugnaverunt nullum video propemodum. Atque utinam aliquam pristinæ virtutis opinionem, aut* Romani *animi vestigium in meo exercitu superesse animadverterem; quo fretus olim tot pulcherrima aggressus est, & Diis volentibus perfecit etiam, ut ego ultimum hoc fortunæ vestræ experimentum volens, & nimium lubens aggrederer; quo vel inexpectato armorum ausu inustam hodie notam deleretis; vel saltem honesta morte ad admissi cri-*

A *minis gravitatem justè plecteremini. Hoc animo si in hostem properatis, nihil erit, quod à castrorum recuperatione vos prohibeam. Videte modò quantum intersit ignominiosè vivere, aut cum laude oc-* 44 *cumbere. Ego, quatenus ad me attinet illud mecum in animo destinavi, satius fore inimicorum manibus sub vallo* Romano *animam perdere, quam amicorum judicium* Romæ *expectare.* Ab his dictis, cuncti veluti furiis agitati in arma ruunt: *Ducat sive ad mortem, sive ad gloriam, ad utrumque milites paratos habere.* Mitius à Centurionibus, & Tribunis agi cœptum. In his *L. Atius* Tribunus primus secundæ legionis milites

B adhortari, docere: *Hostibus Deos fortunam dedisse, mentem abstulisse. Nam si eo impetu, quò Castra ceperunt, in fugientes irruissent, nulli dubium, quin ultima clade exercitum potuissent afficere. Quod cum non fecerint, verisimile esse, illos circa cibos, & vina distineri: quibus repletos, atque etiam demersos facilè fore, ut ipsi opprimerent; & memorabili edita strage, ab præsenti ignominia* Romanam *virtutem vindicarent.* Consul ut milites ad benè agendum paratos cognovit, extemplo nunciis ad tertiam legionem, & *Gallorum* præsidium missis, qui nulla interposita mora copias ad repetenda castra sollicita-

C rent, ipse quidquid roboris, aut armorum in exercitu supererat, deligit: (plerosque sine armis, omnes fere sine equis pavor egerat:) & jumenta, quibus onera institores ferre consueverant, in speciem equitatus adornat; singulis equitibus pedes dorso additus. His copiis quanta potest celeritate in hostes properat. Parte alia *T.* & *C. Ælii* sociorum periculo moti, tertiam legionem moverant, & *Galli* subsidio accurrebant. Quare ex tribus partibus, eodem fere temporis momento, castra oppugnari cœpta sunt. *A. Bacalonius* signifer fuit secundæ legionis, vir in-


D gentis animi, & corporis fortitudine singularis: hic à Tribuno jussus, ut signum propè vallum admoveret, totis viribus enixus illud intra vallum jacit: &, ut se sequerentur, Commilitonibus adhortatis, primus omnium castra intravit. *Istrorum* quicunque mero parcius se invitaverant, primum *Romanorum* ardorem sustinere ausi partim fœdè trucidantur, partim in fugam vertuntur. Reliqui ferè omnes mortem sopori conjungunt. Inter eos, qui fortunæ beneficio incolumes evasere, *Æpulo* eorum Rex fuit; quem properè ex convivio raptum, & in equis impositum fidelissimi servi abduxere. Ita

Romani Castra recipiunt.

E paucarum horarum spatio *Romanorum* castra ad *Timavum* ab hostibus primùm capta, mox à *Romanis* recepta sunt. Cæsi ex *Istris* octo millia dicuntur, capto nullo propemodum, adeo ira, & indignatio ab omni prorsus humanitate, & misericordia victores alienaverat. Horum CCXXXVII. sunt desiderati; quos *Strabonis* æmulatione potius, 45 quàm castrorum recuperatione periisse constat; tametsi *Livius* eos matutino tumultu sublatos asserat, quod fieri vix potuit, quia terror ibi tantùm, non pugna fuit. Porrò hujus tam inexpectati infortunii fama multò ante *Romam* pervenit, quàm de victoria nuntium acceperit. Nam casu duo

F novelli cives *Aquilejenses Cn.* & *L. Gavillii* cum in castra Consulis commeatum importarent, penè in Barbaros incidere; sed equorum pernicitate periculum elapsi; ubi *Aquilejam* pervenerunt, non tantùm castra capta, sed consularem exercitum deletum quoque denunciant. Nam qui aliter fieri potuisse crederent, ut salvo *Romano* milite, *Istri* castra eorum fuerint potiti? hæc paulò post *Romam* delata ingentem in Urbe tumultum excivere. Patres rerum atro-





S. MARCUS, *Primus Aquilejæ Patriarcha.*

atrocitate territi ad majora remedia animum convertunt, illicò duas legiones *Romanorum* Civium extra ordinem scribunt, & ut socii nominis *Latini* XM. peditum, & D. pararent Equites, imperant. Consuli *M. Junio*, qui tunc in *Liguriâ* erat, ut *Aquilejam* cum copiis properet, edicunt. Ille protinus sive ad ferendum auxilium Collegæ, sive ad res perditas sustinendas, cum exercitu advolat. Postquam in Provinciam pervenit, & ubique res opinione feliciores, Consulem incolumem, exercitum salvum intelligit, scriptis ad Senatum literis, Urbem metu levat. Auxilia etiam, quæ à *Galliæ* Civitatibus impetraverat, omnia remissa; & *Romæ* delectus, qui ad id fieri cœpti erant, exauctorati. Sed *Istri*, qui post acceptam à *Romanis* cladem copias iterum reparaverant, & ab inferenda injuria non cessaturos apparebat, ubi *Romanos* Consules binos, bina castra adversus se instrui animadvertunt, non expectato periculo, singuli in suas Civitates digressi omnem armorum curam abjiciunt. Sed vere ineunte acrior belli facies apparuit. Nam *Romani* ira adhuc, & accepti dedecoris stimulo acti, multò quàm ante promptiores in *Istrorum* damna ferebantur: & *Istri* ad rerum suarum direptionem indignatione accensi, copias undique cogebant. Postquam exercitus in conspectum se dedere, maximo utrinque animorum conatu ad manus ventum est. In *Romana* acie duo erant Proconsules. Hi copias inter se diviserant, & uno impetu in hostem direxerant. *Istri* numero pollebant, collecta ex vicinis populis multitudine; quare à principio anceps pugna fuit, & terroris, & periculi plena. Sed instante *Romano*, sensim animus, & vires hosti dilabuntur; quatuor millibus eorum cæsis, reliqui in munitiora loca se recipiunt. Inde Legatis missis, de pace
46 agi cœptum est. Itaque obsides imperatos dederant, & cuncta se facturos Proconsuli pollicebantur. Quando novus Consul *C. Claudius*, cui Provincia obvenerat, studio *Istricæ* victoriæ præripiendæ inexpectatus supervenit. Ille non votis prius in Capitolio nuncupatis; non paludatis de more lictoribus *Roma* discesserat, quare nec ab exercitu receptus est; nec tanquam Consul verus obsequio, & honore cultus; ut volens, nolens iterum *Romam* redire coactus sit. *Manlius* interim, pace infecta, *Istrorum* Oppidis exercitum admovet, & *Nesactium* obsidione cingit. Ibi *Æpulo* Rex, & reliqui *Istrorum* proceres se continebant. Sed *Claudius* Consul iis, quæ ad Magistratum pertinebant, *Romæ* ritè peractis, iterum in *Istriam* advolat, quo ubi pervenit, veteri exercitu, ducibusque jussis decedere; ipse cum novis legionibus, quas secum adduxerat, Oppidi obsidionem peragit. Impedimento erat amnis, qui inter *Romana* Castra, & mœnia fluens, quo minus propius vineæ admoverentur, efficiebat. Igitur, novo alveo multorum dierum opere facto, ejus fluminis cursum aliò divertit Consul, & simul *Istris* extremam rerum necessitatem imponit. Qui operibus undique cincti, nec tum quidem ad pacem inclinantur, sed fœdo, tametsi Barbaris usitato exemplo, in mutuam cædem conversi, conjuges, puerosque primùm, mox se ipsos ferro conficiunt. *Istris* facinori intentis, *Romani* per deserta murorum in Oppidum penetrant; & viso spectaculo omnium atrocissimo, qui ad stragem edendam accesserant, ut morti destinatos à strage subducerent, necquicquam adnituntur. Namque major pars jam perierat, & Rex *Æpulo* Romanos intra mœnia conspicatus suomet

Ann. ab Urb. C. 573. Sig. 577. Glar.

Alia pugna inter Romanos & Istros.

A gladio incumbens vitam fuderat. Ad *Nesactii* casum accessit *Mutilæ* (nunc *Mugia* forsan) & *Faveriæ* expugnatio, quas *Romani* vi captas diripiunt. His tandem malis *Istri* domiti in Consulis potestatem universi se tradunt. Ita *Claudius* ex animi sui sententiâ celeriter confecta Provincia, ad *Ligures* subigendos ex Senatus Consulto victricem aciem convertit. Eo metu vacui *Aquilejenses* ad Urbem suam impensius muniendam animum adjiciunt. Adhuc mœnia summum ambitum non acceperant, & turres inchoatæ, & propugnacula neglecta jacebant; quibus cum manum ultimam Cives conarentur imponere,
B & ad id opem à Consulibus implorarent, nullus prorsus fuit, qui eorum postulatis moveretur; sive quia gravioribus curis intenti, hanc tanquam levissimam aspernarentur; sive quia profligatis *Istris*, nihil deinceps de rebus *Italicis* vellent dubitare. Interim *Macedonici* belli
incendium latè vires effuderat, & *Gentius* Rex 47
Illyricorum in *Persea* propensus ab armis alienus non videbatur; quem *Istros* imitaturos satis apparebat. Ad hæc accessit, quod *C. Cassium*, qui tunc *Galliam* cum imperio obtinebat, libido ingens ceperat exercitus in *Macedoniam* traducendi. Ejus rei gratia cum *Aquilejam* venisset,
C itineris ducibus à *Carnis* acceptis, per *Istriam*, & *Illyricum* legiones pergit ducere. Hæc ad rem suam in primis pertinere *Aquilejenses* interpretati, *Romam* Legatos destinant, qui aliquam de eorum colonia curam ingerant Patribus: *Hanc primam omnium inimicis, aut certè infidis nationibus expositam non magno conatu, sive ab Illyricis, sive ab Istris posse occupari: à quibus vix unius diei itinere distarent. Sibi ad eam muniendam vires, non animum deesse; quibus si ab Senatu auxilii quippiam accesserit, brevi futurum, ut nullum deinceps à Barbaris impetum reformident.* Digna Patribus res visa est, cui curam adjicerent. Legatis responsum datum:
D *Se integrum ejus firmandæ Coloniæ negotium Cassio Consuli mandaturos.* Tunc illi: *Ecquem nobis spem in Cassio ponitis, qui modò in Macedoniam iter arripuit?* Ad hæc hærere primùm Patres, & rem pro miraculo suspicere; *C. Cassium*, inscio Senatu, in alterius Consulis ditionem per infestissimos populos signa ferre: vix Legatis fidem præstare; ubi verò id constanter ab ipsis affirmari intelligunt, extemplo ad revocandum Consulem Legatos mittunt *M. Cornelium Cethegum*, *M. Fulvium*, *P. Marcium* Regem. Ea de Consule sollicitudo omnem muniendæ *Aquilejæ* curam in aliud tempus distulit. Sed paulò post, nova *Carnorum*, *Japidum*, & *Istrorum* legatione Senatus
E fatigatur. Hi de *C. Cassio* Consule conquestum venerant: *Ipsum de medio itinere regressum fines eorum infesto agmine petiisse; cunctos hostium numero habuisse; liberos, conjuges in servitutem abduxisse. Non à Barbaris hominibus pejora potuisse pati, quàm ab* Romano *Duce; quem pridem omni officiorum genere abeuntem excoluissent.* Quæ causa Consulem impulerit ad hæc tam fœda in socios, atque etiam subditos perpetranda non satis constat. Hominem hunc fuisse vanum, & suopte ingenio usum, hæc, & superiora sa-
F tis demonstrant. Verum enim verò Senatus ad hæc ira accensus, *de his Cassium rationem redditurum, quando Romam venerit*, Legatis respondit. *Interim daturum se operam, ut justis eorum querelis publicè satisfiat. Ad id Legatos missurum.* Missi *C. Sicinius*, *P. Cornelius Blasio*, *T. Memius.* Ab his Legatis illorum populorum res in integrum brevi vendicatæ; qui in 48
servitutem fuerunt abducti, conquisiti, & in libertatem restituti: Urbes instauratæ. Nec du-

Ann. ab Urb. C. 574. Sig. 579. Glar.

ſtigia, quæ paſſim exercentibus terram apparent, vix M. paſſuum circuitum implent; extra quem nulla propè antiquitatis monumenta deprehenduntur. Fuiſſe verò curioſi operis, & *Romano* verè apparatu inſtructam, præter marmora ingentia, & ſepulchrorum memorias, pavimenta etiam produnt, inter arandum reperta: quæ Muſivo opere magnifica de priſca fortuna Civitatis videntur fidem facere. Lapis inde effoſſus paternis ædibus *Portus-Gruarii* aſſervatur cum hac inſcriptione

SEX. NUMISIUS
SEX L. HILARUS
CINCIA M. F.
SECUNDA UXOR
NUMISIA SEX. F.
PRIMA.
SEX. NUMISIUS
SEX. F. NIG. F. P.

Plin. loco citato.

Atque hæc ad ſummum fuere Coloniæ, quas *Romani* in Provinciam deduxerunt; *Aquileja*, *Tergeſte* & *Concordia*. Namque *Tergeſte Italiæ*, ac proinde *Foro-Julio* fuiſſe adjudicatum, & *Pli-*
54 *nius* memoriæ prodidit, qui terminum antiquum auctæ Italiæ *Formionem* fluvium aſſerit VI. M. paſſus ultra *Tergeſte*; & priſca *Romanorum* conſuetudo facit, ut credamus, qui Provincias non antiquis limitibus magis, quàm Imperii finibus ut plurimum terminabant. Sic *Auguſtus* non multò poſt univerſam *Iſtriam* Italiæ adjecit; non ob aliam cauſam, quàm quia ad *Italicarum* Provinciarum formam regebatur.

Præmiſſis levia adhuc liceat adjungere, ne aliquam partem hiſtorici officii in nobis deſideret poſteritas. Hæc ſunt variorum locorum nonnullæ veluti harum Coloniarum propagines paſſim per Provinciam diſſeminatæ, quas tunc ætatis ſuccreviſſe, nomina ipſa, ſi quid aliud, demonſtrant. Sunt in his *Marianum*, *Antonianum*, *Flavianum*, *Claudianum*, & ſexcenta hujuſmodi, de quibus ne quis dubitet à *Romanis* facta fuiſſe, aut nomen ab ipſis habuiſſe, ſe-

A quens inſcriptio faciet. Hanc *Flabiani* inventam ſcriptum reliquit *Antonius Bellonus* in loco dicto *Maſeriis*, in nemore *Schiedin* anno 1505. Lateritia fuit ſesquipedalis diametri hiſce cum literis

Inſcriptio Flabiani reperta. Bell. in Lib. Inſtrumentorum ab anno 1504. uſque ad annum 1509.

Q. CÆCILII FLAVIANI.

Trigeſimum etiam tunc factum crediderim ſic dictum, quia trigeſimo ab *Aquileja* lapide in *Germaniam* euntibus occurrit. Hujus mentionem feciſſe *Antoninum Auguſtum* in itinerario, primo volumine dictum eſt. Huic proximat
B *Caſſianum* à *Caſſia* familia ſine dubio. Ad hæc tempora quoque *Caſtri-Veneris* exſtructionem fama refert. Hoc *Sbrojavaccam* verſus florentiſſimum ſteterat. Quo à *Cimbris* deleto, in ejus locum *Sancti-Viti* Oppidum poſtea munitionem accepit. Situm *Caſtri-Veneris* paludibus, & perpetuis aquarum illuvionibus infamem paucis abhinc annis purgavit *Dominicus Ruzinus*, Provinciæ Rector, & viam ibi frequentiſſimam, quæ jam penè obſoleverat, rotabilem iterum fecit, non ſine ingenti provincialium commodo. Quod illi teſtatum relinquere, hoc ad pontem inſculpto Elogio *Varii Aca-*
C *demici Suentati*.

Trigeſimum cur ſic dictum.

Et cur Caſſianum.

Caſtri-Veneris exſtructio.

Sancti-Viti Oppidum poſtea in ejus locum munitum.

Hic, ubi limoſi ſtagnabant gurgitis undæ,
Et latuit cæcis ſemita prima vadis;
Nunc ope Ruzini ſicco ſuper aggere ducta
Panditur. Antiquum carpe Viator iter.

VETERI MILITARI VIA 55
AD SBROJAVACCAM STAGNANTIUM
AQUARUM VORAGINE
ANTIQUATA
NOVAM HANC SUMMA CUM INDUSTRIA,
ET CELERITATE ABSOLUTAM
FOROJULIENSIBUS
RESTITUIT
D DOMINICUS RUZINUS
P. R.
M DC XXIII.

Libri Tertii finis.

56
LIBER QUARTUS.



Hactenus fortuna ſecundis *Foro-Julienſium* rebus indulſit. Proxima mox cladium, & miſeriarum plena ultrò Lectorem humanæ admonebunt conditionis; quæ ſemper cum ratione, id eſt cum divino, eoque expetibili bono, anxios ubique curarum ſtimulos neceſſaria veluti quadam boni acceſſione conjunctos habuit. Adeò nihil dulce eſt, quòd ibi & acidum non invenias. Provincia eo, quo dicebamus, oppidorum ſplendore, agrorum cultu, populorum ſtudiis illuſtrata, uſque ad quartum *Marii* Conſulatum feliciſſimum otium luſit. Hoc ſpatium ab *Aquilejæ* exortu annos LXXIX. complectitur. *C. Mario* IIII. *Q. Catulo* Conſulatum ineuntibus, immani ſævientium Barbarorum tempeſtate penè convulſa corruit. *Cimbri* fuere, qui ab extrema *Cimmeria* ultra *Tanaim*, & *Mæotim* paludem in *Germaniam*

Ann. ab Urb. C. 648. Sig. 652. Glar.

E profecti bello ſedes quærebant. Ibi cum *Theutonibus* miſti invadendæ *Italiæ* Conſilium ineunt. Omnem famam numerus anteibat. Supra triginta myriades fuiſſe pro vero affirmatur. Ad hoc gentis acceſſerat ferocia, qua magis ad a-
nimorum elationem oſtentandam, quàm in ne- 57
ceſſarios belli uſus, incredibilia quædam, & humanis viribus longè majora quotidie perpetrabant. Nam & montium juga glacie, & nive obducta facili niſu ſuperabant, & inde, ſcutis corporibus ſuppoſitis, in præceps ſe dabant. Omnis profectò vitæ, & ſalutis obliti. Quin etiam nive contegi, aut fluminibus mergi mi-
F nimum apud eos audaciæ, & fortitudinis fuit argumentum; ut nil mirum, ſi ad hæc humanæ naturæ portenta Urbs rerum domina exhorruerit aliquando, & de rerum ſuarum ſecuritate anxia, majori quam unquam ante armorum apparatu eam peſtem à ſe dimovendam exiſtimaverit. Una fuit ſalutis ſpes in *C. Mario*. Hic, devicto nuper *Jugurta*, magnus apud *Romanos* evaſerat, & ſolus, quem tutò ad eam rabiem poſſent objicere, videbatur. Quare in

ejus rei gratiam quartus illi Conſulatus favore populi decernitur. Quo tempore poſtquam per tres continuos annos Barbari ultra *Alpes* arma circumtulere, in *Romana* Provincia tandem ſigna ſiſtunt. Illùc *Marius* res P. R. defenſurus advolat. Sed Barbarus multitudine laborans univerſas copias in duas veluti acies partitus fuerat. Altera *Theutones*: altera *Cimbros* tenuit. Hi juſſi per *Noricum* feſtinare, ut clauſtra *Italiæ* occuparent, antequam *Q. Catulus* alter Conſul ea inſediſſet. Nam audierant, *Catulum* cum copiis ad fines *Noricos* deſcendere, ut ab ea parte eorum impetum frangeret. *Theutones* ad delendum *Marium* relicti. Sed *Catulus* ubi plures ex *Norico* aditus in *Italiam* ducere animadvertit, quos niſi partito milite, & de exercitu, quidquid fuerat roboris, imminuto, cuſtodire deſperaret, ſatius duxit ad radices *Alpium* hoſtem expectare, & de ſumma rerum, ubi occaſio ſe dederit, decernere; quàm inviis montium ſaxis inani conatu vires diſpergere. Itaque in *Foro-Julio* ſubſtitit, quod ea Provincia ab *Norico Italiam* petentibus prima eſſet, & per quam iter facturos *Cimbros* veriſimile erat. Nec Ducem ſpes fefellit. Namque Barbari *Norico* circumvecti, per patentem viam, ut credere par eſt, in *Carſum* perveniunt. Oppida ibi munierant Romani *Ocram*, & *Segeſte*, ut veriſimili probatione paulò ante dictum eſt. Eo veluti obice interpoſito, magis in iram accenduntur Barbari; quare ſcalis admotis, corona locos cingunt; & quamquam Oppidani acriter pro muris pugnarent, irrepunt tamen in arces, ubi per omnia crudelitatis genera graſſati, non niſi Caſtrorum excidio furori modum fecere. Ab his in planitiem irruentes *Noreja*, & *Sontius* amnis detinuit aliquamdiu. Sed brevior cura circa *Norejam*, quàm illicò captam penitus devaſtant. *Sontius* magis negotium exbuit. Pro *Sontio Atiſonem* habet *Plutarchus*, vitio illius ætatis, quæ ſæpius *Sontium* dixit *Natiſonem*. Ad pontem copiæ Conſulis fuere. Ubi caſtello excitato, tranſitum *Romanos* defenſuros apparebat. Tunc *Cimbri* fluminis impetum contemplati, quando ad manus nihil aliud fuit, quo vim illam aquarum refringerent, immania ex monte ſaxa evulſa, & terrarum tumulos integros in flumen conjiciunt. Ad hæc, vaſtis immiſſis arboribus, pontem nituntur deturbare. Quod ubi proſpiciunt *Romani*, ſive inſuetis illis virium experimentis territi, ſive formidabili Barbarorum aſpectu, aut etiam multitudine attoniti, extemplò de deſerendis caſtris rationem ineunt. Labentes, & paulatim in adverſum portum recedentes ubi *Catulus* retinere non potuit; ne flagitium ex fuga in majus augeretur; ipſe cum Aquilis ad primos curſu contendit. Ibique ordinibus explicatis, abeuntis magis, quàm fugientis exercitus ſpeciem præbuit. Hujus facti meminit Strabo in hunc modum. *Flumine ſurſum navigatur ſtadiis* MCC. *ad Urbem uſque Norejam. Ubi Cn. Carbo collatis adverſus Cimbros ſignis, re infecta diſceſſit*. Nimirum rem geſtam ordine referens, tantum in nomine Ducis labitur. Sed facilè auctorem *Carbonis* auctoritas decepit, quæ tunc ingens in Republica erat, & ipſe *Marianæ* factionis defenſor, ac Princeps propemodum, præclara multa bello, & pace geſſerat, ut facilè eorum temporum facta memoranti pro *Q. Catulo* irrepſerit *Cn. Carbo*. Recedente Conſule, in citeriorem ripam tranſcendunt *Cimbri*, & Caſtellum aggreſſi, quia defendentibus *Romanis*, non ſine periculo in manus venturum videbant, omnes incolumes dimiſſuros promittunt. Ejus

Cimbri Forum-Julium invadunt.

58

Strabo Geogr. Lib. v.

rei juramentum ſolenne ad Taurum æneum peractum, quem tunc Barbari pro Deo habuere. Hunc Taurum poſt rem cum *Cimbris* benè geſtam, triumphi loco in Domum *Catuli* deductum ferunt. Sic Caſtello potiti hoſtes in Provinciam, nullo reſiſtente populabundi effunduntur. Eo impetu plura regionis loca everſa ſunt. *Cormon* certè primam belli facem hauſit. Hoc *Sontio* proximum, & primum furentibus Barbaris objectum rabiem illam diutius ſuſtinere non potuit. Ruit igitur antiquum Oppidum, & priſcorum ſedes *Carnorum* depaſcentibus flammis abſumitur. Habitatores in vicinas Urbes delapſi *Celinam*, *Aquilejam*, *Atinam*, non minus terroris ibi fecerunt, quàm ſecum ipſi attulerint. At hæc acceſſerat, quod *Q. Catulus* diſcedens juſſerat Civitatibus, ut ſibimet ipſæ conſulerent. Sed illæ quantumvis à Conſule proditæ, aut inimicorum multitudini impares, ad defenſionem ſe expediunt, & cum vires modicas, aut nullas haberent, in virtute fortunam ſibi repoſitam exiſtimabant. Igitur dum impigræ aliæ alias ad ſe tuendum hortantur, improviſo Barbarorum adventu penè omnes interiere. *Atina* ante alias impetu oppreſſa manus dedit: quæ tunc mœnibus, & ædificiis ſecundum arcem incenſis, inter Civitates Provinciæ deſiit ab eo tempore numerari. Poſt hanc *Celina* ſolo adæquatur: eò miſerabiliori Oppidorum fato, quòd nulla Civium decora, nulla pro Patria occumbentium monumenta ad nos pervenerint, vixque tantarum calamitatum fama, eaque perexigua poſteritatem attigerit; ut quo hæc geſta ſint ordine, & an verè tunc temporis geſta fuerint affirmare vix audeamus. Conjecturis tantùm perſuaſi hæc *Cimbris* juvat imputare. Nam ſi ab his Oppida exciſa quis negaverit, nulla ſupereſt alia malorum materia, ad quam clades hujuſmodi referre poſſimus. Siquidem nullis aliis ab hominum memoria uſque ad *Attilæ* adventum, bellorum incendiis Provincia deflagravit. Nec civilibus, aut externis armis petita, ſi tumultus aliquot excipias, qui non magni momenti fuere, infortunium ullum ſuſtinuit memorabile; ut ſi qui ſunt etiam, qui diverſam ab ea, quam retulimus, viam *Cimbros* Italiam quærentes iviſſe fortaſſis exiſtiment, hac una ratione adducti, quia horum Oppidorum caſus alios habere non poſſunt auctores, quàm veriſſimè fatebuntur, illos per *Forum-Julium* in *Italiam* penetraſſe. *Aquilejæ*, & *Concordiæ* ſalutem attulit, quod ad mare ſitæ longè ab inſtituto Barbaris itinere diſtabant. Siquidem hi obvia tantùm, & vicina torrentis in modum trahentes, paucis in Provincia morati diebus, ad inſequendum Conſulem *Galliam* verſus profecti ſunt. Hujus in *Forum-Julium* expeditionis, præter ea, quæ modo dicta ſunt, teſtem quoque habeo *Plutarchum*, qui apertè per *Noricum Cimbros* in *Italiam* veniſſe aſſerit. *Noricum* verò *Foro-Julio* conjungi, ac penè continuari, rerum Geographicarum peritos nullos latet. Cujus etiam partem montanam *Norico Mediterraneo* magnæ auctoritatis viri includere non ſunt veriti. Sed *Plutarchus Natiſonis* etiam meminit, ut dicebamus, quem corruptè *Atiſonem* vocat, ut ſine dubio mendum in *Livii* Epitomatibus crediderim, ubi legitur ad *Atheſim* Q. Catulum *Cimbris* occurriſſe. Ad hæc non parùm etiam facit *M. Antonii Sabellici* auctoritas, viri ſi quis alius in perquirendis, & dignoſcendis antiquitatibus peritiſſimi. Apud hunc legimus, *Cimbris Italiam* petentibus *Forum-Julium* primum occurriſſe. Sed ea quoque, quæ de illorum Oppidorum devaſtatione retulimus, 60

59

Atina à Cimbris oppreſſa.

Celinæ deſtructio.

Plut. in Vita C. Marii.


Plut. loc. cit.

Epit. Liv. Lib. 68.

M. A. Sabell. de Vetuſt. P. Lib. 2.

Plin. Lib. III. C. 19. ad *Plinii* fidem facimus, qui sua tempestate *Celinam*, *Atinam*, *Cormon*, *Ocram*, *Norejam*, & *Segeste* per oram interiisse refert. Ex quibus *Noreja*, *Atina*, & *Cormon* adhuc vigent. Hoc in Castelli formam, antiqua ejus arce sæpius demolita, & rursus instaurata, donec nostro seculo penitus collapsa corruit. Reliqua vetustæ dignitatis famam antecellunt. Multi sunt, qui aliter, quam nos fecimus *Plinii* verba interpretati, in eam de *Atina* venerint opinionem, Oppido nihil æquè magis, quàm *Aquilejæ* vicinitatem offecisse, quæ tunc opibus, & multitudine florens propinqua loca ferè omnia cultoribus exspoliavit. Atque hoc modo nullum ab hoste passam incommodum, sed per suos Cives proditam *Atinam* interiisse. Quod aliquando *Latii* Civitatibus accidisse notat *T. Livius*: ex quibus cum in Urbem Cives continuò commigrarent, brevi ultima penè solitudine oppressæ sunt. Porrò quæcunque ejus rei causa fuerit, illud certum est, *Atinæ* nomen Cæsarum tempestate penè antiquatum, & de tanto modo Oppido nihil præter arcem, & pauca sub monte ædificia, quæ veterem vix benè murorum ambitum implebant, ad *Attilæ* ætatem pervenisse; hæc ipse antiqua structura offensus in melius postea mutavit, & Civitatem universam in ampliorem formam restituit, ut dicemus. *Marius* interim, *Theutonibus* prælio victis, magnis itineribus in *Italiam* pervenerat. Ibi cum *Q. Catulo*, conjunctis copiis adversus hostes signa movit. Ad *Vercellas* pugnatum est. Ea pugna Barbari ad unum deleti temeritatis pœnas dedere. Atque hæc fuit secunda *Transalpinorum* irruptio in Provinciam, per quam ipsa primum, idque propè extremum excidium passa est. Namque *Galli*, qui ante cunctos venerant, in pacatum agrum progressi bonis undequaque regionem cumulavere. Et *Istrorum* bella, quæ subsequuta sunt, latrociniis potius, quàm veris certaminibus similia terrorem magis, quàm damnum intulerunt. Sed, *Cimbris* stragem flammis, & ferro miscentibus, cuncta pessum iere. Et nihil omninò circa mediterranea, aut sancti, aut profani fuit, quod rabiem illam non sensefit. *Castrum Veneris dirutum.* Nec dubitamus, quin *Castrum Veneris* etiam eo furore fuerit absumptum. Quod postea Ducum *Longobardorum* industria propius *Tiliaventum* translatum *S. Viti* nomen tenuit, de quo suo loco. Post *Cimbrorum* discessionem res in *Ann. ab Urb. C. 649. Sig. 653. Glar.* *Foro-Julio* quietæ haud mediocrem instaurandæ Provinciæ occasionem præbuere. Cui tamen lentè animum *Romanos* adjecisse crediderim; non tam quia uni tunc *Aquilejæ* augendæ intenti reliqua ferè neglexissent; 61 quàm quia proximis expeditionibus edocti, non murorum ambitu, aut arcium robore, sed pectoribus, & dexteris Imperia stare, omnem deinceps locorum munitionem despexerint. Ex quo factum est, ut, cum privatorum opes exiguæ publicas expensas tolerare nequirent, passim Urbes sine cultu, vepribus, & ruinis sepultæ relinquerentur. Quod *Celinæ* quidem accidisse compertum est; quæ post cladem à *Cimbris* acceptam deserta jacuit omninò. Mitius cum *Atina* actum. Hanc vicinos *Aquilejenses* sui saltem commodi causa continenter fovisse, & cultoribus frequentare non desiisse minimè dubitamus. Tametsi & ipsa à prima magnificentia exciderit plurimum, & usque ad *C. Julii Cæsaris* adventum, sine nomine ferè, in obscuro jacuerit, ut dictum est. *Ann. ab Urb. C. 692. Sig. 696. Glar. C. Jul. Cæs. comm. de Bell. G. Lib. I.* In hunc modum *Foro-Juliensium* rerum ludicrum variante fortuna, regio ad ejusdem *Cæsaris* Consulatum pervenit. Hic quadragesimo tertio post *Cimbros* anno cum Imperio Provinciam tenuit. Homo plus quam dici

A potest gloriæ, & honoris cupidus. Habuit legiones, suo ipsius testimonio, in hibernis apud *Aquilejam*, id est *Atinæ*, & locis circum adjectis. *Atina Forum-Julium facta.* Et quia bello nihil tunc fuerat, quod ageret, illud in pace quæsivit, ne Consulatum suum obscurum posteritati transmitteret. *Aquileja* usque ad id tempus Provinciæ caput cuncta ad se trahebat. Ibi judicia posita, rerum venalium fora instituta, concilia facta, ut non sine reliquorum Oppidorum indignitate, adde etiam dispendio, in unam *Aquilejam* Provinciales cuncti confluere cogerentur. Scilicet illud regioni ad cæteras bellorum calamitates insuper B accesserat. Hoc ne in futurum fieret, providit *Cæsar*, novo in mediterraneis foro instituto, unde illa propemodum omnia peterent commoda habitatores, quæ ante fuerant *Aquilejæ*. Quo facto non tantùm Provinciæ utilitati consuluisse visus est, quàm proprio nomini prospexisse. Siquidem Regio universa ab eo Foro in posterum FORUM-JULIUM dicta, perennem tanti benefactoris gloriam continua facti recordatione exornare nunquam desinit. *Provincia Fori-Julii à Foro C. Jul. Cæs. sic dicta.* Fora eandem vim obtinere cum conciliabulis multi sunt, qui tradunt: quippe conjunctim hæc sæpè vocabula ab antiquis proferuntur: utraque C verò tùm ad nundinarum, tum ad juris dicundi rationem sine dubio pertinent, quæ in ejus gratiam singulis propemodum Provinciis, & regionibus Consules, Censores, atque etiam Prætores esse voluerunt: quò commodius populi commercia inter se jungere, controversias agitare, causas dicere possent. Sunt in *Italia* passim *Forum-Livii*, *Sempronii*, *Appii*, & horum plurium, qui ea condidere, quorum nomina 62 adhuc retinent. Quare cum non publico Senatus, Populive *Romani* decreto, sed ad nutum particularium Magistratuum instituerentur; inferiorem simul prærogativam obtinuere ab Mu- D nicipiis, & Coloniis, post quæ tertio ordine connumerantur Fora, quarto, ut aliquibus placet, Conciliabula; ut aliquando scriptum legerimus, jus Fori ad prædia etiam fuisse translatum. Sic *Suetonius*, *Claudium Cæsarem* jus Nundinarum in privata prædia à Consulibus refert petiisse; *C. Suet. Tranqu. in Vita Claud. Plin. in Epist. ad Valerian.* & *Plinius* junior aliquando scribit, Virum Prætorium à Senatu contendisse, ut sibi instituere in agris suis nundinas permitteret. Sed tales, si quæ fuerunt, Nundinarum institutiones, mera fuisse putaverim conciliabula; quibus nihil fortassis præter nundinas exercebant mortales. Et si quæ distinctio fuit inter Fo- E rum, & Conciliabulum, hæc sola prorsus extitit, quòd Conciliabula nundinas tantùm, Fora & has, & juris dicundi Magistratum habuere. Constat tamen, priscis ætate consenescentibus moribus, lege *Julia* sancitum, ut Fora hujusmodi Coloniarum prærogativam haberent, quare & ipsa deinceps Senatum suum instituere, Decuriones, Duumviros, Triumviros creare, reliquos Magistratus facere potuerunt, quos ad *Romanæ* Reipublicæ formam Coloniæ multò pridem usurpabant. Id ansam fortassis præbuit vulgo primùm, mox scriptoribus etiam, ut hujusmodi Fora Coloniarum nomine aliquando F vocarent. Ad quem modum irrepsit sine dubio apud *Ptolemæum* (si Librarii à culpa vacant) nomen Coloniæ; ubi *Forum-Julium* Romanorum Coloniam dicit. Porrò *C. Julius Cæsar* sui Consulatus initio, quo tempore ad *Aquilejam* stativa habuit, Forum iis impulsus causis, quæ dictæ sunt, in Provincia instituit. *Paulus Diaconus*, qui primus hujus rei mentionem facit, *Paul. Diac. II. de Reb. Long. c. 10.* paucis facti memoriam complectitur. *Hujus Venetiæ*, inquit ille, *Aquileja Civitas caput exti-*



JULIUS CÆSAR.

titit. Pro qua nunc Forum-Julium (ita dictum, quod Julius Cæsar negotiationis Forum ibi instituerit) habetur. Qua dicendi formula liquido apparet, *Julium Cæsarem* nullum locum à fundamentis in Forum erexisse: sed in loco jam facto Forum instituisse. Unde, certè ante *Cæsaris* Consulatum stetit id Oppidum. Et illud insuper à *Cæsare* habuit, ut Forum deinceps esset reliquæ Provinciæ: & nomen ab ipso, veteri obliterato, servaret. Cæterum, quod fuerit primum Oppido nomen, vel sanè sua ætate quodnam esset *Forum-Julium*, *Paulus* non explicavit; nisi pro *Paulo* dicendum sit; rem sua tempestate notissimam clariorem delineationem non desiderasse. Aptè quidem: sed nos ea res no-
63 tissima in densas errorum, & ignorantiæ tenebras impegit; & non parvas inter plura Provinciæ loca turbellas excitavit; dum certatim unumquodque suæ originis principia ad *C. Julium Cæsarem* nititur trahere. Sed & hæc quam malè, & ridiculè etiam fortassis, ex iis, quæ modo dicebamus, quilibet colligit. Nam *Cæsar* revera nullius Oppidi auctor extitit, sed Forum medio Oppido instituit tantùm. Quibus non obstantibus multi nostræ ætatis, & sanè docti viri fuere, qui, ex variis *Pauli* locis hanc rei veritatem introspexisse, sibi persuadent. Nos, ne quid officio nostro deesse videamur; summam Auctorum breviter subjiciendam duximus, qui de hoc *Foro-Julio* suopte ingenio aliquid posteritati tradidere; Quo rei iniquissima temporum injuria majori ex parte deperditæ in integrum restitutionem non prætermittamus. In primis *Sigonius*, *Silvius Piccolomineus*, & *Blondus*, *Forum-Julium* sub *Cacani* ruina, penitus sublatum existimavere. Adeò, ut nulla ejus ad hanc diem vestigia superesse, horum aliqui scriptis suis commendaverint. Quod dictum velimus, non quia huic sententiæ subscribamus, sed ut nihil, quod de hoc loco scriptum sit, intactum relinquamus. Nos autem, *Forum-Julium* post ejus eversionem instauratum fuisse, pro certo habemus. Docent hoc quamplurima facta in eodem loco sequuta successivis temporibus post *Cacani* discessum, & à *Paulo Diacono* fusius descripta; quæ cum ita sint, videamus modò varias de ejus situ scribentium opiniones. *Sabellicus*, an *Julium Carnicum* in *Alpibus*, *Forum-Julium* foret, dubitavit. *Bernardus Justinianus* Venetus, qui cum generis nobilitate historici laudem conjunxit non vulgarem, quam constantissimè credit *Julium* illud *Carnicum* priscum *Forum-Julium* fuisse. Quod quomodo deprehenderit ipse eleganter, ut omnia solet, his verbis expressit. *Oppidum illud Forum-Julium Avari radicitus evertunt. Ut non solum instauratum sit nunquam. Sed ubinam situm fuerit nullis certioribus vestigiis, aut monumentis constat. Nisi quod dum in ea Provincia legationis munere perfuncti admiraremur interiisse nobilis Oppidi vestigia; & scrutaremur incolas, & loca, repertus est in ingressu Alpium, aliquanto supra Tulmetium, vicus adhuc cum nobili Ecclesia, ubi pavimenta conspiciuntur, musivo opere depicta, & lapides juxta templum antiquis, & magnis incisi literis. Ejus loci nomen cum quæreremus, & Zulium respondissent, facilè intellexi locum esse, quem quærebamus, & Zulium, corrupto nomine, appellari.* Hæc Justinianus, qui nominis similitudine deceptus, *Julium-Carnicum* pro *Foro-Julio* accepit,
64 cum, revera ipsa loca sint omninò inter se diversa; *Julium* enim *Carnicum* in montibus situm fuit, *Julium* vero *Forum* in planitie positum est; ut inferius dicemus. *Sabellicus* autem, ante cunctos, *Cividale* olim *Forum-Julium* fuis-

Sabell. 2. de Ver. Aqu. Just. Hist. Lib. VII.

A se, quando apertè affirmare non potuit, aut non debuit, certè tamen digito veluti commonstrasse visus est, in hæc verba. *Cividatum, quod Natiso prærupto, & confragoso alveo intersecat, Oppidum inter reliqua Patriæ vetustate insigne. Libeat suspicari Forum-Julium id esse, quod Ptolemæus post Aquilejam, & Concordiam inter mediterraneas Carnorum Urbes numerat. Nisi nunc quoque extarent antiquissimi Oppidi vestigia in Montanis Carnis, quem locum proximi incolæ Julium vocant. Quamquam Plinius Carnicum Julium appellat, & nos Forum-Julium illud in montibus situm, ut fieri possit Julium diversum Oppidum fuisse à Foro-Julio. Quod illud in Alpibus; hoc vero ad radices montium sederit.* Et alibi sic. *Vulgus tenet, quod & Paulus Diaconus affirmat, Forum-Julium fuisse, quod nunc peculiari nomine Cividatum appellant.* Hæc Sabellicus. Sed à quo loco *Pauli* id mutuum sumpserit, certè nescio, cum nullibi in ejusdem *Pauli* Historia hoc appareat, Post Sabellicum *Joannes Candidus*, quadraginta fermè annos ab edita *Sabellici Historia*, cum *Cividale Forum-Julium* dicere non potuisset; ipsum *Castrum Julium* appellat sic: *Julium Castrum nunc Civitas Austriæ a Julio Cæsare cognominata.* Hoc tamen Candidus, qui ob Civiles discordias, animo erat in *Utinenses* non satis æquo, in *Cividalensium* gratiam est commentus. Ab his recentiores nonnulli; qui ad sua sensa *Sabellici*, & *Candidi* verba trahentes, jam non cunctanter, ut illi *Cividale Forum-Julium* dixere. Et præsertim Frater Leander hæc habet Italicè, quæ latinis verbis reddemus. *Superius inter montes inspicitur Cividale Carnicum; Hæc est Civitas Forum-Julium; primum à Theodorico Ostrogothorum, mox à Cacano Pannoniæ Regibus diruta, ut habet Paulus, & Blondus nono Historiarum.* Sed quam iniquè *Paulum*, & *Blondum* testes adhibeat, qui utrumque auctorem viderint continuò intelligent. De *Paulo* postea dicemus. De *Blondo* tantum abest, quod asserat *Cividale* esse *Forum-Julium*, ut immo ipsum à *Cacano* funditus eversum, nunquam restauratum fuisse affirmaverit, sicuti paulo ante retulimus. *Wolphangus Lazius* nostri ævi Historicus, hæc ad unguem de Foro-Julio. *Superest hoc etiam nunc Municipium Forum-Julium non minus atque olim cultum. Sed mutato nomine, quam videlicet Civitatem Austriæ vocant.* Hæ tamen istorum opiniones virorum, cum nullis fultæ appareant rationibus, nimirum fidem etiam omnem apud posteritatem perdide- 65
E re. Quod facilè quis animadverterit, si seriem temporum consulat, & quibus hæc scripta sint ætatibus, & affectibus, seriò perscrutabitur. Sic liquidò intelliget cunctos hosce viros à scopo penitus aberrasse. Siquidem nullus eorum est, qui nisi sexcentos, & amplius annos post *Paulum* stylo manus admoverit, quare quidquid ad *Paulum* adjecere de suo fecisse certum est. Ac de *Paulo* quidem, quod nihil horum affirmaverit, supra dicebamus. Videant igitur illi, qua fide hujusmodi commenta ad Historiæ veritatem traduxerint. Quod si alicui videbitur vero proximum esse, ut post tot annorum intervalla, quæ nullum propemodum Rerum *Foro-Juliensium* scriptorem habuere, nunc novi isti homines veritatem veluti de Cælo delapsam uni fuerint assequuti; suo periculo hoc illi faciant.

Sabell. 1. de Aqu. Vetust.

F. Leander 18. Reg. Ital.

Wolph. Laz. 12. Comm. de Rep. R. 6. cap. 2.

Quod autem *Utinum* verè priscum sit *Forum-Julium*, rationes, quas mox subjiciemus, id ponderis obtinent, ut earum nos gravissimo impulsu moti, in hanc tutissimam sententiam manibus, pedibusque descendamus. Hujus Urbis situs

tus ante cuncta nos movet, qui unus inter montes, & mare medius patentia à *Germanis* non modo, sed à citerioribus & ulterioribus *Gallis* itinera ad *Aquilejam* excipit; ut non alium ob hanc caussam locum in Provincia invenias magis ad negotiationem accommodatum; quem non debuit ille prætermittere, qui non Urbem, sed Forum in aliqua jam condita Urbe sisti voluit. Accedit *Utinensis* tumulus, mœnibus incumbens antiquus *Gallorum* Oppidi splendor, & dignitas. Stat ibi Arcis *Juliæ* recens memoria, sub qua frequens Urbis regio radices montis complexa *Forum-Vetus* adhuc appellatur. Ut verisimile sit, à propinqua munitione *Julium-Forum* fuisse olim dictum, atque inde Urbi, & Provinciæ nomen dedisse. Dum enim ad constituendum Forum istud hic commorabatur *Cæsar*, Arcis *Atinæ* à *Cimbris* devastatæ casus mentem subiit. Quare, ad majorem Fori securitatem, iterum muris, & propugnaculis munitam, secunda hac instauratione, conspicuam fecit. Ex quo & Arx ipsa, prout fuit de Foro, à conditoris nomine dicta fuit. Hæc de ea Candidus breviter: *Et Utinæ, quam Plinius ait interiisse, Arx ab eodem Julio Cæsare instaurata, Julis appellata est; ubi multa antiquitatum vestigia.* Quo loci illud obiter, vel *Candidum* apud *Plinium* loco *Atinæ Utinam* legisse, vel ipsum *Utinam* pro *Atina* interpretatum esse, quod magis verisimile; ut omnes clarè intelligerent, ipsum in novæ *Atinæ* extructione veteris *Atinæ* splen-

Arx Atinæ Julia dicta. Jo. Cand. Comm. Aqu. Lib. I.

66 dorem perpetuò agnovisse, nec aliam *Utinam* ab *Atina* fecisse. Quod ad confirmationem eorum faciet, quæ à nobis de primordio Urbis *Utinæ* dicta sunt. Addunt robur varia *Longobardorum* facta, quibus perpensis, ut suo tempore opus erit, respectu situs, facillimè *Forum-Julium Utinum* esse comprehenditur. Quæ omnia etiam in variis manuscriptis pertractantur, & præcipuè in impressa Apologia *Joannis Dominici Salomonii*. Hæc quæ diximus, quamvis satis, superque ad firmandum sufficiant, *Forum-Julium* nusquam nisi apud *Utinum* quærendum esse; lubet tamen, ex abundanti nonnullos ex multis Auctores, eosdemque magni nominis in medium afferre, qui rem hanc scriptis suis apertè commendarunt. Inter istos est præsertim celebris antiquitatum illustrator *Joannes Pierius Valerianus Bellunensis*, qui in suo *de Hieroglyphicis Libro*, postquam plura de continentia exempla in medium adduxit, hæc de *Pemmone* habet. *Invenies hujusmodi exempla in Historiis etiam recentioribus, ut de Pemmone Bellunensi; quem Utinenses, ob integritatem, justitiam, summamque prudentiam, Principem sibi delegere.* Porrò hic est *Pemmo*, quem *Fori-Julii* Ducem, post *Ferdulphum* vocat *Paulus*: ut sit necessarium dicere, *Pierium Utinum* idem cum *Foro-Julio* fecisse. Nec ab hac interpretatione *Petri Bembi* Cardinalis Historia differt. Hic locis omnibus, quibus Latinè *Forum-Julium* scripsit, *Italicè* postea (nam utraque lingua *de Venetorum Rebus Commentaria* exaravit) *Utinum* semper reddidit, quod potissimum *Libro Octavo* bis repetitum licet observare. *Nicolaus Zeno*, Senator Venetus, qui *Historiam de Barbarorum Origine* scripsit, quamquam ea sine Auctoris nomine, nostro ævo, circumferatur, loco *Fori-Julii*, *Utinum* dixit perpetuò. Sed locus est insignis in perpetrato ab *Romilda* facinore, ubi *Vtinum* perditam fœminam *Cacano* Regi *Pannoniæ* memorat prodidisse. Verba, ne prolixior fiam, lubens prætermittam. Hujus *Romildæ* factum narrant quoque Ioannes Baptista Pigna *in Historia Estensium Principum*, &

Joan. Dom. Salom. Apol. Cap. Utin.

Pierii Bell. Hierogl. cap. de contin.

Paul. Diac. Rer. Long. Lib. VI. Cap. 25.

Pet. Bemb. Hist. Lib. VIII.

Nicolaus Zeno Lib. VI. Long.

Joan. Bapt. Pigna Hist. Est. Princ.

A *Petrus Messia Hispalensis* Siciliæ Eques, qui pariter, cum referant *Romildam* insano amore captam *Utinum* eidem Regi tradidisse, dubio procul *Utinum*, & *Forum-Julium* idem fecere. Clarissimè etiam hæc omnia comprobat antiquissima Opitergii Chronica, his verbis. *Tria emporia generalia in hac ora fieri constituit Julius Cæsar, Primum Opitergii, Secundum Utini, quod meritò vocatur Forum-Julii, in memoriam ipsius C. Julii Cæsaris institutoris, quod usque in hæc tempora perseverat, ubi Patria initium sumit; Tertium Aquilejæ celebratur.* Ast, ut cum Rege Propheta loquar, *Veritas de terra orta est*, 67

Petrus Messia Cap. 15. 3. par.

B *& Justitia de Cælo prospexit.* Etenim anno Salutis millesimo quingentesimo decimo septimo, dum *Utini*, *Jacobo Cornelio* Præside, novi celeberrimi Prætorii Palatii fundamenta jacerentur, ibidem juxta Basilicam Divæ *Mariæ* effossa fuit marmorea tabula, in qua literæ incisæ nostram sententiam de *Foro-Julio* Utini à *Jul. Cæsare* constituto, mirificè firmant. Hæ autem sunt marmoris notæ

C. JUL. CÆS. D. P. IMP. OL. CXVIIIC.
A. P. UT. GEN. JUL. FOR. S. INST.
UN. NO. PRO. SUMP.

Quas quidem notas eruditissimus Vir Camillus
C Camillus sic interpretatus est.

CAJUS. JULIUS. CÆSAR. DICTATOR. PERPETUUS. IMPERATOR. OLYMPIADIS. CENTESIMÆ. OCTUAGESIMÆ. SECUNDÆ. ANNO. PRIMO. UTINI. GENTIS. JULIÆ. FORUM. SECUNDO. INSTITUIT. UNDE. NOMEN. PROVINCIA. SUMPSIT.

Igitur Forum in hunc modum *Utini* constituit *Cæsar*.

Dum autem huic rei operam impendit ipse, *Helvetii*, copiis *Rhodanum* trajectis, in *Heduorum* fines intraverant. Erant hi socii P. R.
D & multis in Remp. grati animi editis documentis, summo studio ab *Romanis* fovebantur. Quare cum ab ipsis auxilium postularent, *Cæsar*, ad quem *Gallia* utraque pertinebat, occasionem amplexus, ad eos, quà breviori poterat itinere, ut in tempore adesset, proficiscendum existimat. Cogitanti qua parte signa traduceret, prisca *Gallorum* via animo occurrit, per quam ipsi in *Forum-Julium* olim pervenere. Igitur legionibus ex hibernis deductis, in montanos *Carnos* pervenit. Vicatim, ut credere par est, ea tunc loca frequentabantur. Nec insigni ullo munimento aditus septi regionem
E firmabant. Quare non tantum contra hostiles impetus omnes, quam ut in Provinciam reverten- ti tutior occurreret recessus, in ipso montium accessu, paulò ultra locum, quo nunc confluentia *Butis*, & *Tiliaventi* aquas miscent, arcem amplissimam locat. Hæc, stativo præsidio recepto, & inquilinis ad eam commigrantibus, Oppidum deinceps factum est. *Julium Carnicum* dixere. *Julium* quidem in conditoris gratiam, *Carnicum* verò ad distinctionem *Fori-Julii*, quod in planitie steterat. Quippè pars ea re- 68
gionis, ubi Forum fuerat, sine dubio *Carni* nomen amiserat; & *Venetia*, sive *Aquileja* pas-
F sim vocabatur, ab *Aquileja* ibi condita. Veluti imposterum *Forum-Julium* dicta est à *Foro-Julii Cæsaris*. Hujus Oppidi nobiles scriptores mentionem fecere. Ptolemæus in Geographia sic: *Inter Italiam verò, & Noricum Julium Carnicum* 34½ 45½. Et Antoninus Augustus in Itinerario: *Ab Aquileja*, inquit, *Valdisena* M. P. CCXV. *sic Ad Tricesimum* M. P. XXX. *Julio Carnico* M. P. XXX. &c. quod spatium inter hæc loca adhuc nostra ætate quis facilè circino posset dimetiri. Nunc *Ju-*

Julii Carnici exstructio.

Cl. Ptol. Geogr. Lib. III. Cap. 14.

Julium Carnicum, commutata prima litera, *Zulium* dicunt incolæ, nulli dubio, ut *Annio* placet, lingua, & prolatione *Thusca*, à quibus *Carnos* prognatos *Secundo Volumine* demonstravimus. Sic *Alpes Julias Zulias*, & corruptè *Zelias* appellare idem auctor voluit. *Nam literam Z. in communi prolatione*, inquit ille, *proferebant (Hetrusci) ut Zasius, Jasias; Zulius, Julius: ut in inscriptionibus Hetruscis invenimus.* In eo loco plura adhuc antiquæ magnificentiæ visuntur vestigia. Superioribus verò annis *Dominicus Ruzinus* Provinciæ Rector, qui ad præclaras animi dotes rerum antiquarum studia summopere conjunxit, dum ea loca censoria auctoritate extra ordinem sibi à Senatu commissa, perlustraret, jussit rudera curiosius deduci, & arcis fundamenta perquiri. Et continuò præter plumbeum aquæductum, & vermiculata pavimenta ab incolis olim reperta, marmora plura, ingentia, fornices, & sepulchra integra apparuere, in quibus numismata sub *Christianis* Cæsaribus cusa nonnulla, quæ nos vidimus. Inscriptiones, quæ locum commendant, hæ sunt;

Annius in Com. C. semper. de Divis. Ital.

I. SEX. ERBONIUS SEX. L. TERTIU . . .
C. RUTENIUS. C. L. SPUERUS.
GN. CORNELIUS. GN. L. RUFIO.
SEX. ERBONIUS. SEX. L. ADIUTO . . .
M. QUINTILIUS. M. L. SECUNDUS.
SEX. ERBONIUS. SEX. L. PRINCEPS.
Q. MARIUS. Q. L. MYRO.

II. SEX. ERBONIUS. SEX. L. FRON . . . .
REGONTIUS.PRIMI.ET GENTIL.L.JUCUN. .
. . . . POTITIUS. T. L. PHILEMON.
69 SEX. ERBONIUS. SEX. L. PHILOGEN.
GAVIUS. PHILEMONIS. L. HILARI . . .
. . . EGONTIUS. L. L. STEPHANUS.
. . . MULVIUS DITIONIS LATINÆ SENECIO
GAVIUS. L. L. GRATUS.
. . . JARUS VETTI. T. SER.
. . . AGISTRI ÆDEM HERCULIS D. S.P.
SEX. ERBONIO SEX. L. DIPHILO.
. . . . QUINCTILIO M. L. DONATO . . . .
MAG. VICI.

III. SS. SA. . . . .
PECUNIA REFECERE. ET
INAURATA IN FASTIGIO V.
ET SIGNA DUO DEDERUNT.
. . . NIO P. L. PRINCIPE.
. . . POTITIOR SEX. L. ARGENTILLO.
MAG. VICI.

IIII. ARGENTILLÆ.
ET SUIS.

V. . . . . . S. Q. F. CATO
. . . . . S. C. F. PRISCUS.
. . . . US. M. F. MARCELLU . .
. . . . US. L. F. AQUILO.
. . . . US. C. F. RUFUS.
. . . UCIUS Q. F. CASTEL . . . .
. . . . . T. F. NIGER.
. . . . . T. F. PRISCUS.

Quibus & sequentem liceat adjungere, olim ex *Julio Carnico* in ædes *Brazzacas* Utinum deportatam.

VI. C. F. HUIR. T. F. I.
RETINACIA L. F. SE-
CUNDA UXOR
RETINACIA L. F. GAJA
L. RETINACIUS. L. F. CRISPUS.

70 Ex harum secunda, & tertia illud præter ea, quæ hucusque dicta sunt, liceat colligere, locum inter *Romanos* vicos potius, quàm Oppida priscis illis temporibus adnumeratum; qui postea operibus auctus, sine dubio Oppidum dictus est; sive vicus ideo dicitur, quia angustiori, quàm Oppidum deceat, mœnium ambitu terminabatur, majorem amplitudinem non patiente natura loci. Siquidem inter montem, & flumen positus ad Passus vix sexcentos expandi potest. Atque hæc de *Julio Carnico* suffi-

A cerent, nisi aliorum sententiæ moram necterent. Quibus breviter ut respondeamus necessarium est omninò. *Wolphangus Lazius*, qui sub prætextu *Austriaci* dominatus Res *Foro-Julienses Germanicis* miscuit aliquando; inter cætera, quæ satis oscitanter profert, *Julium Carnicum* id esse, quod nunc *Vellach* dicitur, ausus est affirmare. Nulla alia conjectura adductus, nisi vocis cujusdam *Germanicæ* sono; qui quomodo ad rem faciat, nec ego scio, nec ipse forsitan satis explicavit. Illud certè, patet, quod licet *Julium* hoc *Carnicum* à *Ptolemæo* inter *Noricum*, & *Italiam* ponatur, non

Wolph. Laz. 12. de Rep. Ro. Sec. 6. Cap. 1.

B tamen ad *Noricum* dixit pertinere. Et nomen ipsum satis declarat, in *Carnis* fuisse, in quibus nostrum est *Zulium*. *Vellach* verò extra *Carnos*, atque omnem *Italiam Norico* sine dubio adjudicatur. Nec minus insulsè Volaterranus. *Est*, inquit, *aliud Julium Carnicum supra ad montana pertinens, cujus Colonos Julienses Carnos appellant. Quod nunc putaverim Golitiam esse, cui Comes præsidet Duci Austriæ subjectus.* Cum Volaterrano facit Scholiastes quidam *Ptolemæi*, qui *Julium Carnicum Golitiam* interpretatus est. Ejus rei veritas ex nullo alio loco aptius peti potest, quàm ex *Antonini Augusti* verbis. Apud

Raph. Volat. Geogr. Lib. iv. Venet. reg.

C hunc habemus ab *Aquileja Julium Carnicum* tendentibus primò *Tricesimum* occurrere. Porrò *Julium* nostra tempestate secundum hanc viam situm est. *Goritia* verò longè ad aliam oram posita quid cum *Tricesimo* commune habeat non video. Huic adde spatia *Antonini*, nihil ad *Goritiæ*, & *Aquilejæ* interstitium facere, quæ mille P. xv. vix inter se distant; secus *Julium* à *Tricesimo* ad MXXX. ferè, aut paulò minus elongatur. *Cæsar*, fundata arce, eaque viris, & machinis munita, ad extrema *Alpium* copias duxit. *Mons-Crucis* nunc dicitur, qui uno saxo horridus omnem intersepisse viam visus est; ut non mediocris admiratio *Romano-*

Anton. in Itin.

D *rum* mentes tenuerit, quomodo *Galli* pridem rupes illas inaccessas tentare, ne dum superare ausi fuerint. Quare cum nullibi ad transitum calles oculis deprehenderet *Cæsar*, retrò verò signa movere sine imprudentis, aut inconstantis animi nota non poterat, ad digna suæ virtutis consilia conversus, jubet saxum ad iter complanari. Quod quomodo fuerit factum, nec imaginatione quidem comprehendere; ne dum verbis me exequi posse existimaverim. Ferro nempe, & igne ad *Annibalis* exemplum id totum perficitur. In quo 71

E quantum laboris, & patientiæ insumpserit, qui locum inspexere, facilè cognoscent. Ipse verò id exiguam sui nominis memoriam interpretatus, nullum penitus *in Commentariis* à se editis de hac re verbum facit. Quemadmodum etiam reliqua in Provincia præclarè ab eo gesta silentio præteriit, quæ una immortalem gloriam, vel ambitiosioris notæ homini conciliare potuissent. Sed ad majora intento facilè animo cecidere, tantùm in silice hæc insulpenda curavit.

C. IULIUS CÆSAR VIAM INVIAM.
SOLERTIA S. ET IMPENDIO ROTAB.
REDD.

F Notæ adhuc in monte apparent, sed corruptæ adeo, ut vix interstingui possint. Quam temporum injuriam eodem modo stratum per saxa iter perpessum paucos admodum nostro hoc ævo viatores excipit. Atque hæc sunt loca præcipua in Provincia *C. Julii Cæsaris* monumentis illustrata; sive omnia eo ipso anno, quo illam Consul administravit; sive sequentibus, quibus quantum per belli *Gallici* tu-

M. Tull. Cic. in Vatin. orat. 54.

multum licuit, regionem coluit, atque frequentavit. Quod non obscurè ex M. Tullii *Vatiniana Interrogatione* elicitur, ut non immeritò ad viri memoriam æternandam, cui præclara tot accepta Provinciales referunt benefi-
A cia, Provinciam universam esse *Forum-Julium* voluerint; & se *Julienses* in posterum dicere non sint veriti; deducto nomine à Foro per eundem *Cæsarem* (ut superius diximus) *Utini* constituto.

Libri Quarti finis.

72
LIBER QUINTUS.



Orbem universum victor habebat *Romanus*, & nihil jam superierat, quod aut imperium detrectaret, aut potentiam convelleret. Quare in tam vastò dominatu, grassante in dies libidine, & avaritia, brevi factum est, ut mutuis in se telis conversis, verum Cives in simu repererint hostem, qui foris nec per somnium quidem occurrebat. Partium Principes *Gn. Pompejus*, *C. Julius Cæsar*. Hi ad *Æmathiam* signis collatis primi Reipublicæ nomen sustulerunt: & multo insuper suorum sanguine fuso, egregias extinctæ inferias facere non dubitarunt. Ea pugna mortales continuò armorum strepitu attonitos tenuit usque ad confirmatum imperium *Augusti*; in quem tandem summa rerum omnium conversa, pax denuò insperata de medio armorum turbine afflictis gentium rebus illuxit. Hac quam longissimè illius ævi homines usi fabulosam antiqui seculi felicitatem omnem supergressi sunt. Siquidem civilibus latè, atque exteris conticentibus armis, DEUS, DEUS ille humani generis auctor, & Creator; quò primi parentis lapsum ingenti in nos edito charitatis argumento rependeret aliquando, atque emendaret; ad humanam naturam sponte traductus, & homo factus occlusam beatitudinis viam tunc primum errantibus populis reseravit. Id totum *Augusto* à *Sibylla Cumana* præmonstratum ferunt, qui ideo aram in Capitolio cum hac inscriptione dicavit: ARA PRIMOGENITI DEI. Quæ sive vera, sive falsa; certum est prodigia, quæ *Christi* ortum antecessere, omnem inferioris naturæ vim, & potentiam illusisse. In his Soli circulus obductus: templum *Romæ* sponte collapsum; quod incolume usque ad Virginis partum vates promiserant: & præter hæc fons, quem oleo media Urbe fluentem *Romani* sunt admirati. Sub eo tranquillarum rerum statu *Augustus Aquilejam* aggressus novis ornamentis Oppidum illustrat, ut non injuria, se ejus conditorem, atque instauratorem appellari passus sit; ut in inscriptione, quam mox subjiciemus. Nàm, Civium exundante multitudine, quæ jam prisco murorum ambitu sisti non poterat, pomœrium quàm latissimè protulit; novis mœnibus auxit; turribus, propugnaculis firmavit; Templa, Theatra addidit, Portum munivit, vias stravit: ut nihil jam Urbi ad summam deesse felicitatem quis jure existimaverit. Auctum ab *Augusto* circuitum XII. M. passuum complecti, sunt, qui tradant; quidam etiam XVIII. in ea verò censa fuisse CXXX. M. Civium capita *Candidus*

[Margin notes: Ann. ab Urb. C. 706. — Ann. ab Urb. C. 725. — Ann. ab Urb. C. 752. Christi nati Ann. I. Nativitas D. N. Jesu Christi. — 73 — P. Orosius Lib. VI. C. 20. Imperator Augustus Aquilejam aggressus. — Aquileja aucta. — Joan. Cand. Comm. Aqu. I.]

B refert. Quæ omnia credibilia fecit *Augusti* studium in eam singulare. Namque hic, sive Civium ingenio delectatus, sive loci situ in primis persuasus, plurimùm, quoad vixit, *Aquilejæ* se continuit. Hujus rei testis adhuc murus geminus, quem non sine aliquo antiquitatis illius horrore integrum ferè totum conspicimus, ad II. M. passuum decurrentem. Rectà in Orientem fertur: veluti si parallelas lineas duas immiseris, quarum altera alteram vix tangat. In hunc modum murus hìc duplex exsurgit; & tactu tantum, non materia, aut cæmento jungitur. In eo lapis olim insi-
C gnis. Nunc in sacrarum Virginum Claustris *Aquilejæ* servatur cum his literis:

Murus geminus.

CÆSAR AUG. AQUILEJENSIUM RESTITUTOR ET CONDITOR. VIAM QUOQUE GEMINAM A PORTA USQUE AD PONTEM PER TYRONES JUVENTUTIS NOVÆ ITALÆ SUÆ DELECTUS POSTERIORIS LONGI TEMPORIS LABE CORRUPTAM MUNIVIT, ATQUE RESTITUIT.

Porrò ea fuit hujus Principis in *Aquilejenses* charitas, & animi propensio; ut primus Coloniam Civitati *Romanæ* donaverit. Quæ dein-
D ceps Urbis rerum dominæ privilegiis usa in tantum pulchritudinis, & potentiæ pervenit, ut secundæ *Romæ* nomen non immeritò sibi vindicaverit. 74 Apud hanc ille *Herodem* Regem de filiorum contumacia conquerentem audivit: sive potius ad mugitum immanis illius belluæ mitissimum viri ingenium exhorruit, & ingemuit, ut aliquando de illo apud familiares dixerit: *Feliciori fato apud Herodem sues in lucem prodire, quàm filios nasci.* Abstinent siquidem se *Judæi* à porcello: at *Herodes* in filios grassatus, dum alium post alium obtruncat, impia tandem crudelis pater nato-
E rum propè omnium funeribus lumina satiavit. Cæterum *Livia* Augusti conjux non tam Urbis aspectu, quàm bonis delectata, tantum Pucino vino tribuisse fertur, ut aliud nullum in epulas admiserit. Hoc ad *Timavum* propè *Aquilejam* decoqui à principio dictum est. Cujus vini sive ad palatum mulcendum, sive ad sanitatem conciliandam ea semper extitit vis, atque præstantia, ut facilè *Falerna* illa, ne dicam decantatum Deorum nectar, ab eo superata, quilibet sanioris gustus affirmare non dubitabit. Certè *Livia* ad vinum *Pucinum* LXXXII. annos vitæ acceptos retulit; nec im-
F meritò fortassis. Nam eorum omnium, quæ intus corpus immutant, & commodum humanæ naturæ excoquunt alimentum, nulli dubium, quod vinum primas tenet. Quod non qualitate tantùm apta sanguinem reficit, sed fluxili sui substantia quàquà versum penetrans reliquo ali-

[Margin notes: Aquileja secunda Roma. — Livia Augusti conjux vino Pucino delectata.]

alimento est vehiculum, simul & temperamentum. Quare si convenienti ad singula corpora proportione sumatur, innumerabilia utique vitæ commoda secum affert. In quibus sensuum promptitudo, ingenii acumen, ætatis longitudo non sine omnium commendatione præcipua numerantur. Talia vinum præstat. Quæ *Pucino* divinitus veluti, & planè excellentiori quodam modo insita quis mirabitur, si ejus utendi facultatem nactus parcius aliquid de illo quotidie hauserit; sed hæc fortassis externa; & aliunde petita *Aquilejensis* Civitatis ornamenta, & monumenta. Quod verè illius per hæc tempora gloriam auxit, & nomen illustravit, *Gn. Cornelii Galli* Poëtæ virtus, & ingenium fuit. Hic *Aquilejæ* natus, & per bonas artes ad clariorem famam provectus *Augustum* familiarissimum habuit, à quo inter cætera benevolentiæ pignora *Ægypti* Præfecturam obtinuit. *Latinis* poëtis, qui tunc vivebant omnibus, sed *Virgilio* in primis carissimus. Hic illum amore *Licoridis* impatientem *Ecloga* nobili prosequitur, & partem *Quarti Libri Georgicorum* ad illius famæ commendationem insumpsit, quod totum ad *Aristæi* fabulam mox traduxisse dicunt, jubente *Augusto*; in cujus indignationem *Gallus* incidit tandem suspicione conjurationis. Sed *Dion* gravissimus *Romanarum* Rerum scriptor adversam omnem *Galli* fortunam in *Valerii Largi*, qui socius ejus, & convictor fuerat, pessimum ingenium rejicit. Hic primus *Augusto* Gallum accusavit, quod in illum vana plura blaterasset, quodvè insolenter nimis in Præfectura se gereret: & statuas sibi per universam propemodùm *Ægyptum* poneret. Quæ multi gratiam *Largi* quærentes confirmare non dubitarunt, variis insuper de *Gallo* delatis criminibus: ut ab Senatu illi exilium fuerit decretum, cujus rei dolorem non ferens *Gallus*, morte voluntaria damnationem prævenit. Hæc totius facti tragœdia apud *Dionem*, quam aureis hic terminat verbis in hunc modum. *Documento fuit is Galli casus, quàm parum sincerè plerique alios benevolentia prosequantur: quando eos se Gallo, quem adulati hactenus fuerant, præbuere, ut eum ad inferendas sibi manus adegerint: & ad Largum, quoniam eum jam crescere videbant, studia sua convertere, procul dubio, si quid similis rei evenisset, eadem in ipsum statuturi.* Illud addens præterea. *Certè Proculejus ita de Largo sensit, ut obviam eo fortè facto, nares suas, osque manu compresserit, iis, qui secum erant, significans, ne respirare quidem, Largo præsente, quemquam posse.* Quæ adjicienda putavimus, ut in *Gallo* fatum potius, quam mentem posteritas accuset. Sed illi *Augustum* illacrymasse *Tranquillus* refert; & vicem suam doluisse; quòd amicis non liceret, quatenus vellet irasci. Hujus viri pauca, vel nulla ad nos pervenere (si modò sunt *Galli* aliquæ earum elegiæ, quæ ejus nomine circumferuntur.) Quæ sanè elegantiori stylo, & cultu verborum explicata auctoris ingenium commendant. *Euphorionem* in *Latinum* transtulit, de quo Virgilius.

> *Ibo, & chalcidico quæ sunt mihi condita versu,*
> *Carmina pastoris Siculi modulabor avena.*

Et libris quatuor amores suos in *Citherida*, quam *Licorim* vocat, nobilitavit. Hinc illud vulgatum.

> *Gallus & Hesperiis, & Gallus notus Eois;*
> *Et sua cum Gallo nota Licoris erit.*

Inter hæc à *Christo* Salvatore nostro, vanissimo Idolorum cultu, atque omni curiosa in dæmones superstitione antiquata; nova hæc, & salutaris in orbem introducta est Religio: per quam ad ipsum æternorum bonorum fontem inhiare,

Gn. Corn. Gallus Poëta Aquil.

75

Cass. Dio. Histor. Lib. 53.

Suet. Tranqu. in Vita Augusti.

P. Virg. M. Ecl. ult.

A atque adeo Cælum spirare (quæ summa fuit legislatoris pietas) vilis quilibet de plebe audet homuncio. Igitur continuò per *Romanas* Provincias non tantùm, sed ignotissimis penitus terrarum partibus lex *Christi* indicitur, & summo bonorum omnium consensu sancitur; Apostolis ad reliqua Orbis conversis. *Roma Petro* eorum Principi cessit. Sic Divino confirmante Spiritu, ut ibi cælestis imperii caput exereret Religio, ubi mundi gubernandi summam fortuna stitisset. Porrò jactis *Romanæ* Ecclesiæ fundamentis, prima curarum *Petrum* excepere de *Aquileja* ad *Christum* concilianda. Nempe harum B duarum Urbium, quæ in *Italia* maximè pollebant exemplo, cæteras facilè manus daturas. *Marcum* is habuit sui familiarem, quo interprete utebatur apud *Romanos*. Hunc initio sui Pontificatus *Aquilejam* ablegat: ejusque Civitatis Episcopum primum, an potius Patriarcham designat. Sed locus, & nomen Patriarchæ me admonent, ut altius aliquid de hac dignitate repetam; vel ob eam saltem causam, quia summi nostra ætate viri eam in *Aquilejensi* Antistite impugnare non sunt veriti. Atque eò contemptus, sive arguendi studium processit, ut tantæ C Ecclesiæ nomen, non ut precarium modo, sed ut schismaticum etiam sugillaverint. Quam injuriam ut ab ea Sede repellam, non charitas Patriæ tantùm, quàm rei veritas vel nolentem impellit. Igitur neminem fugiat, dignitatum nomina coalescentis Ecclesiæ initiis partim fortuitò oblata, partim reliquis religionibus fuisse communia. Hinc *Græcis* Presbyteri, & Diaconi; sic dicti, illi ab ætate, quia seniores; hi ab officio, quia ministri. Pontificum verò, & Sacerdotum *Latina* sunt nomina, & in sacris faciundis apud priscos *Romanos* frequentata. Nempè Sacerdos is fuit, qui sacrificiis præfuerat; Pontifex, cui præter sacrorum curam, D reficiundi pontis in *Tiberi* officium suberat. Hi cæteros sacrificulos eminentiori prærogativa antecessere, quorum supremus Pontifex summus dictus. Id nominis nostri ad summam *Christiani* cœtus auctoritatem postea transtulere. Idem venit dicendum de Episcoporum, Archiepiscoporum, & Patriarcharum nominibus; quibus vel multò pridem antiqui usi sunt; vel *Christiani* parum diversa ab eis significatione rebus suis accommodavere. Quod cum à principio confusè adeo, & sine ullo delectu factum fuerit; ætas insequens, & rerum experimenta deinceps certas singulis interpretationes invenere. Quare E cum Episcopi passim infimi, & summi Antistites dicerentur, usus invaluit, ut ii tantùm essent Episcopi, qui cum unicæ præsint Civitati, aut Diœcesi, Archiepiscopos superiores habent. Contra Archiepiscopi, qui Episcopis pluribus imperant. Idem in nomine Patriarcharum evenit. Quod cum plures olim Archiepiscopi usurparent; nunc eos designat Archiepiscopos duntaxat, qui plures nutu Archiepiscopos moderantur, & sunt quatuor *Constantinopolitanus*, *Hierosolymitanus*, *Antiochenus*, & *Alexandrinus*. Hanc sanè nominum expressionem nonnisi posterioribus Ecclesiæ temporibus F factam eò potissimum constat; quod sub primo illo *Græcorum* Patrum seculo insignium quosque Præsules Urbium, quæ Provinciarum veluti capita fuere, Patriarchas nominatos scimus. Quod apud priscos Ecclesiæ Commentarios licet videre; in quibus non *Orientalium* tantùm, sed *Occidentalium* etiam Patriarcharum facta est mentio. Adeò ut Summus ipse Pontifex *Romanus*, Patriarcha quoque dicatur, & præter hunc sublimiores aliqui, inter quos nunquam

Ann. Christi 34.

76

Ann. Christi 45.

S. Marcus primus Patriarcha Aquil

Cur sit vocatus Patriarcha.

77

postremi *Aquilejenses* Antistites: ut verisimile sit, sub ipsa illius Ecclesiæ primordia Patriarchas etiam fuisse dictos. De hujus nominis usu apud *Orientales*, quo Archiepiscopos Patriarchas vocabant, testem habemus Justinianum, qui sic aliquando: *Jubemus beatissimos Archiepiscopos, & Patriarchas, hoc est seniores Romæ, & Constantinopoleos, Alexandriæ, & Theopoleos, id est Antiochiæ, & Hierosolymarum.* Et alibi. *Justinianus Aug. Anthemio Sanctissimo, & Beatissimo Archiepiscopo Constantinopolitano, & universali Patriarchæ.* Sed quod idem apud Occidentales loquendi modus invaluerit, Epistola *Theodorici* Regis satis demonstrat, ad Joannem Papam. Ubi hæc: *Vos autem qui Patriarcharum honore reliquis præsidetis Ecclesiis; quoniam constitutio nostra ab illicita promissione liberavit, restat, ut bona imitantes exempla sine aliquo Ecclesiarum dispendio dignos Majestate Pontifices offeratis.* Quo loci nulli dubium, quod Patriarcharum nomine Archiepiscopos compellat. Nec *Cæs. Baronius* S. R. E. C. qui hanc ipsam epistolam Annalibus suis inseruit, ab eo sensu abhorret. Illud tantum ad loci explicationem adjiciendum putavit, ut lectorem admoneret, *Italos* Patriarchas non à communi fidelium usu, sed à *Gothis* primùm sic appellatos. Cui sententiæ non modo ea, quæ hucusque dicta sunt apertè refragantur, sed vox ipsa acriori telo insistit. Quæ cum *Græca* sit, commodius sanè, & aptius à *Latinis*, quibus cum *Græca* literatura maxima intercessit semper familiaritas, quam à Barbaris hominibus aut potuit, aut debuit primùm usurpari. Atque hujusmodi fuere *Gothi*, ut prorsus ab omni veritate alienum sit, eos ante *Romanos* hujusmodi in *Italiam* nomen invexisse. Et ne quis credat, nos nostro ingenio usos hæc in medium afferre, consulat *Joannem Azorium* celeberrimum nostri ævi Theologum; apud quem

78 hæc habentur. *Et in Oriente nonnulli Episcopi, præter Constantinopolitanum, & Antiochenum Patriarchæ nomen retinuerunt. Quia talis est apud eos consuetudo, ut Archiepiscopos nominent Patriarchas. Hinc etiam factum est, ut in Occidente Archiepiscopus Aquilejensis habuerit nomen Patriarchæ. Quia Episcopi, & Presbyteri Dalmatiæ, & Istriæ more Orientalium eum sic nominabant. Cui parebant tanquam earum Provinciarum Archiepiscopo. Et hoc maximè convenit cum ipsa nominum etymologia. Nam Patriarcha Græcè dicicitur Patrum Princeps, hoc est Episcoporum primus. Et Archiepiscopus dictus est Episcoporum Princeps.* Hæc Azorius, & verè quidem: quamquam variatis ætate nominibus, quatuor illi, Patriarchæ nomine sibi vendicato, nunc Archiepiscopi vocari desierunt. Nec Archiepiscopus aliquis hodie in *Occidente* Patriarcha dicitur, præter unum *Aquilejensem* Antistitem, qui, sive illud ex *B. Marci* institutione hauserit, sive ex Sedis suæ, & Civitatis splendore mox fuerit consequutus, Patriarcha perpetuò dictus est, & à summis etiam Pontificibus sic appellatus. Quæ cum ita se habeant, & meridiana luce clariora, vel diligentius perscrutanti interfulgeant, non possum non valdè *Cæsaris Baronii* Cardinalis sensum admirari, viri sanè omnium in Ecclesiastica Historia eruditissimi: tantum verò de *Romana* Ecclesia benemeriti, quantum nemo alius fortassis ante ipsum; sed in *Aquilejensem*, nescio, quo malo nostro fato, aut parum æqui, aut indiligentis certè; qui ad eam, quam Patriarchali nomini in *Italia* notam huc usque inussit; nova insuper, eaque impuriori *Aquilejensem* asperserit dignitatem. Nam circa tempora *Paulini Primi* in nomen Patriarchæ fortè incidens, il-

Justin. Imp. Novell. II. & 123.

Novell. 16.

Cassiod. Var. Lib. IX. Epist. 15.

Baron. T. VII. Ann. 533.

Joan. Azor. Instit. Mor. P. II. Lib. III. Cap. 33.

Cæs. Baron. Tom. VII. Anno 570.

A lud schismaticum esse, & à schismaticis contra *Romanum* Pontificem excogitatum definire non est veritus: nulla alia ratione adductus, *nisi quia*, inquit ille, *ante Paulinum Patriarcham, schismaticum, nunquam fuit auditum hoc nomen in Italia.* Quod quomodo viro doctissimo irrepserit, prorsus nescio. Pro multis, quæ adversus hanc opinionem possent undique conquiri, satis sit dicere, hæc *Baronium* suimet oblitum protulisse, qui multò pridem *Theodorici* Epistolam illam in medium dedit, quæ Patriarchas *Italiæ* alloquitur. Ergo ante *Paulinum*, nomen Patriarchæ auditum in *Italia*. Quod libentiùs mihi adjiciendum putavi,

B quò *Baronius* non dubitanter, aut perplexè, sed clarissimis verbis illud non affirmare tantùm, sed veluti de pleniore aliquo auctoritatis fonte sanciri non dubitavit; nullo ad hoc vel ignobilioris scriptoris adhibito testimonio, vel alicujus momenti conjectura ad trutinam revocata. Sed cuncta non secus, ac si ipse 79 his temporibus affuisset ingenio suo comprehensus, ut etiam hoc tanquam dictorum corollarium de suo quam humanissimè addiderit. *Habes igitur hæc de Aquilejensis Ecclesiæ Patriarchatus origine, ex schismate derivata. Quod quidem nomen eidem retinere bono pacis permissum videtur;*

C *quoad præsens utitur Sedis Apostolicæ indulgentia.* Itanè, indulgentia? Ecquæ optime senex isthæc permissio per tuam fidem? quæ indulgentia? an Patriarchatus nomen aliquando in controversiam positum? vel contra omnem consuetudinem Ecclesiæ, aut dicendi modum retentum, aut usurpatum fortassis? nihil omninò. Nusquam aut de nomine, aut de dignitate disputatio. *Aquilejensis* Præsul, quod pridem habuit, adhuc obtinet. De novo nihil dignitati additum, vel tributum. In hunc modum apud plerasque Civitates Canonici dicebantur Cardinales. Nunc *Compostellæ* Canonici priscum no-

D men retinent. An ideò incusandi, aut in suspicionem schismatis revocandi? vel indulgentia Apostolicæ Sedis hoc illis permissum nomen dicemus? scilicet non nominum, sed rerum notio sub quæstionem cadit. Sint quantumvis Cardinales *Compostellenses*: Cardinalitiis utantur ornamentis *Rhavennates*, & *Mediolanenses*; dum aut Pontifici *Romano* assidere, aut Consistorio sententiam dicere, sive (quod maximum fuit ejus ordinis additamentum) ad Pontificatum *Romanum* aspirare non possint. In hunc modum sint Patriarchæ *Aquilejenses* Antistites, dum ipsi limites Archiepiscopo permissos non egredian-

E tur. Sint & *Veneti*, modo ex Patriarchali *Aquilejensi* dignitate nihil imminuant. Nomina ad rerum formas nil faciunt. Sed formæ per nomina commodius explicantur. Scilicet voces ad nutum immutari, variari contingit. Res suo robore nunquam destituuntur. Ut meritò *Socrates* aliquando irriserit sacra illa mysteria ex verbis petita, aut observata; & nostri, qui tantum ponderis in syllabis, & literis ponunt, vanissimo labore se ipsos, & res perdunt pulcherrimè. Sed jam ad rem nostram. Restituto Patriarchali nomine ad pristinum decus, re-

F stat, ut reliqua ejus Ecclesiæ accuratiùs videamus. Quævè ab ipso *Baronio* in dubium apparent revocata. Ac primùm an Beatus *Marcus* id muneris obiverit in *Aquilejam* missus; mox de tempore, quo ad eam accessit; atque de Evangelio ibi conscripto. Ac quod *B. Marci* opera *Aquilejensis* Ecclesia sua habuerit fundamenta, præter plures egregii nominis scriptores; habent in primis sacra acta, quæ diebus *B. Hermagoræ* martyrio solemnibus Sacerdotum Chorus singulis annis repetit. Hæc per tot æta-

Tom. VII. Ann. 535.

Carol. Sig. de Reg. Ital.

80 ætatum ſpatia ab æditiuis ſanctiſſimè cuſtodita, ab omni dubitationis ſuſpicione quam longiſſimè abſunt. *In feſto SS. Mart. Herm. & Fort. lect. I.* In his inſpicies *Marcum* Evangeliſtam ab Apoſtolo *Petro* primum *Aquilejæ* Epiſcopum conſtitutum; ibique plures annos degiſſe. Ut jam manifeſtè appareat *Euſebium Cæſarienſem*, *Euſeb. Cæſ. in chronic.* & cum Euſebio *Baronium* non ſatis temporum momenta captaſſe, *Baron. Ann. I. ann. 45. art. 15.* qui credunt *Marcum* primo *Petri* anno (is fuit quadrageſimus quintus à Nativitate *Chriſti*) *Alexandriam* profectum. Cujus rei cauſam, vel conjecturam hanc videntur habuiſſe, quòd *Philo Alexandrinus* eo ipſo anno *Romæ Hebræorum* legatione perfunctus in patriam conceſſit. Eo cum *Petrus* amiciſſimè uteretur, vero proximum facit *Baronius*, ut *Marcum* ſecum adduxerit. Sed videant iſti ſummi viri, an tanti *Philonis* fuerit amicitia, quæ tunc *Marcum* ab innumeris curis evulſum in alienum veluti orbem potuerit deportare. *Petro* ille latera cingebat continuè in- *Bar. loc. cit. ann. 45. n. 32.* terpretem agens. Quod munus, ſi quòd aliud, novo homini in ampliſſima Urbe neceſſarium fuit, ſanè ut nulla ratione adductus dixerim, *Petrum* ſui Pontificatus initio eo commodo ca- *Bar. loc. cit. ann. 45. n. 19.* rere voluiſſe. Ad hæc adde, *Marcum* in *Romanorum* gratiam Evangelium ſcripſiſſe antequam *Alexandriam* adiret. Quod opus non exigui temporis, aut laboris fuiſſe nullus eſt, qui non videat: dum ſingula percunctatur, excipit, ſtylo explicat, iterum ad examen revocat, judicio *Petri* ſubjicit, menſes, & anni fortaſſis circumvolvuntur. Sed quid? Prima ante *Alexandriam* *Bar. loc. cit. ann. 46. n. 2.* vel ipſius *Baronii* conſenſu erecta eſt Eccleſia *Aquilejenſis*. *B. Hermagoras* poſt *Marcum* ibi Epiſcopi munere initiatus; quæ non tumultuariè, aut momento temporis fieri potuerunt, quin potius multa *Hermagoræ* conſecrationem præceſſiſſe veriſimile eſt, verbi Dei annunciationem, diſquiſitionem, confirmationem, credentium numerum, qui ſine moderatore, aut duce aliquo non debuit relinqui. Quare miſſo facto nunc *Philone* in *Alexandriam* ſine *Marco*; hunc *Aquilejæ* egregium *Chriſto* Domino opus inchoaſſe dicamus, vel ſub fine præſentis anni, quo *Petrus* primùm *Romæ* ſedit, vel ini- *Bar. loc. cit. ann. 46. n. 2.* tio ſequentis, in quem *Baronius* quoque ejus Eccleſiæ initia viſus eſt rejeciſſe his verbis. *Habuit à Petro inſtitutos Epiſcopos Sicilia Pancratium, Martinum, Berillum, & Philippum. Capua Priſcum, Neapolis Aſprem, aliter Aſprenatum. Terracina Epaphroditum. Æquicoli populi Marcum, alium tamen ab Evangeliſta. Ptolemæum Nepe; Romulum Feſulæ. Paulinum Luca. Rhavenna Apollinarem. Verona Euprepium. Patavium Proſdocimum. Ticinum Sirum. Aquileja poſt Marcum Evangeliſtam Hermagoram.* Igitur

81 *Ann. Chriſti 46. Claud. Imp. 4.* *Marcus* ad annum ab ortu *Chriſti* XLVI. prima *Chriſtianæ* doctrinæ ſemina dedit *Aquilejenſibus*. Rei benè gerendæ occaſionem ab *Ataulpho* ac- *Joan. String. Lib. I. Vitæ S. Marci c. 5. Pet. Æquil. Epiſc. in Catalog. Lib. XV. Cap. 86.* cepiſſe viſus eſt. Hunc ſummo loco natum, & divitiis pollentem morbus invaſerat contumaciſſimus: elephantiaſin *Græci* dicunt; quo cutis temperies univerſa invertitur, & color immutatur. In eum cum fortè incidiſſet, Evangeliſta portam Civitatis tunc primum ingreſſus, extemplo juvenis conditionem miſeratus comiter manu apprehenſum ultrò alloquitur, & ſe medicum ejus morbi profeſſus ſanitatem pollicetur: modo dictis fidem præſtet. Ille tam inexpectato nuntio delectatus intra paternas ædes hominem adducit, ubi per otium *Chriſtianis* ſacris imbutus Baptiſmi fonte abluitur, quo mentis ſimul, & corporis ſordes dicto citius evanuere. Pater *Ulphius* ad hæc præſens *Chriſto* dat manus continuò, & miraculum per vicinia vulgatum hoſpitem multitudini commendavit. Mox, ſi qui fuerant corpore malè affecti, ad eum perducuntur; & ſub nomine *Chriſti* ſanantur. Inde de Chriſto percunctatio, ſtudium, favor, ut jam incepti muneris *Marcum* non pœniteret. Nec contentus quotidiano ſermone, quo incolas ad *Chriſti* fidem perpetuò ſollicitabat, ſcripta etiam oratione retinendos exiſtimat. Fuit hoc Evangelium, quod anno ſuperiori *Romæ* conſcripſerat *Latinis* verbis profectò, ut à *Latinis* hominibus intelligeretur. Sed cum *Aquilejæ* tunc eſſet, Urbe *Italicarum* ultima, in quam quotidiè *Orientalium* populorum appulſus fiebat incredibilis, opus univerſum ad *Græcam* linguam traducendum exiſtimavit: quò duplici hac vulgata editione, non *Aquilejenſibus* tantùm, ſed etiam cæteris nationibus ſuæ induſtriæ fructum communicaret. Non longè ab *Aquileja* mari alluitur litus. Id in altum excurrens ſcopulo in undas deſinit. In eo ſcopulo ædicula piè magis, quàm magnificè colitur. Ibi Beatum *Marcum* alterum hunc in Evangelio laborem inſumpſiſſe, conſtans eſt antiquorum traditio. Prototypus auctoris manu exaratus ab *Aquilejenſibus* Patriarchis quàm longiſſimè cuſtoditus eſt, donec petentibus *Venetis*, in quorum ditionem *Forum-Julium* tunc primùm conceſſerat, eorum Legatis traditur. Factum non ſine divini Numinis teſtimonio narratur. Nam cum Canonici *Aquilejenſes* non æquis animis *Venetorum* poſtulata excepiſſent, & proinde omnes circa ſacram aram, ubi codicem impoſuerant, triſtes muſſarent, quid facerent, non facerentvè incerti: horum ſtudio *Dardanus* quidam offenſus (impurioris notæ hominem fuiſſe exitus demonſtrat) audaces exporrigit manus; & temerario niſu librum ar- 82 reptum *Venetis*, tradit. Sed contemptæ religionis pœnas Divina non diſtulit vindicta, nam ſubitò manus profanæ exaruere; brevique in furorem adactus, dum ſe totum dentibus diſcerpit, miſerandum in modum vita functus eſt. *Veneti* præclarum in patriam munus deferentes inter pretioſa Urbis ornamenta condidere. Porrò quòd ſecunda hæc editio Evangelii *Græca* fuerit non *Latina* præter cætera perſuadet, quòd ad *Latinas* dicendi formas plurimum ea lectio accedit: ut veriſimile ſit auctorem magis de ſenſu, quem pridem *Latinè* expreſſerat, laboraſſe, quàm ſtylo indulſiſſe. Dum his operam impendit *Marcus*, nec ceſſat interim verbo, & exemplo ad *Chriſtianæ* vita excellentiam populos allicere, atque etiam impellere; brevi Diſcipulorum numero auctus non contemnendam *Chriſto* multitudinem adjunxit. Tunc Dæmonum ſacris *Aquilejenſes* intenti, præcipuum Numen *Apollinem* habuere, quem *Felenum*, & *Belenum* dixere. *Felenus, vel Belenus Aquilejenſium Numen.* Hic ab *Herodiano Beles*. De *Feleno* hæc habentur apud Giraldum. *Eodem modo Latini Faunum coluere: Sabini Sancum, vel Sangum: Romani Quirinum, qui eſt Romulus. Murica fuit Dea Minturnenſium, Felenus Aquilejenſium.* *Herod. Hiſt. Lib. VIII. Lel. Greg. Gir. in Lib. de Diis Gent. ſint. I.* Sed clarius Julius Capitolinus, in hæc verba. *Quum fruſtra obſideret Aquilejam Maximinus Legatos in eandem Urbem miſit, quibus populus penè conſenſit; niſi Menophilus cum Collega reſtitiſſet, & Deum Belenum per Haruſpices ſpopondiſſet, Maximinum eſſe vincendum. Unde etiam Maximini Milites jactaſſe dicuntur, Apollinem contra ſe pugnaſſe.* *Ju. Capitol. in Maxim.* Hujus Dæmonis multa ſuperſunt monumenta, quæ curioſius his annectere operæ pretium duxi. Sunt autem hujuſmodi:

I. BELEN. AVG. IN MEMOR. JVLIOR. ET MARCELLÆ. ET IN HONOREM JVLIARVM CHARITES. ET MARCELLÆ FILIARVM

ET LICIN. MACRON. JUNIOR NEPOTIS
C. IVL. AGATHOPUS IIIIII VIR AQVIL.
L. D. D. D.

II. BELENO MANSVETIVS VERVS LAV.
LAV. T. VIBIANA IANTVLIA V. S.

III. FONTI BELENO.
C. AQVILEIENSIS. DIADVMENVS.
B. V. S.

83 M. HOSTILIVS.
AVCTVS.
IIIIIIB. S. D. VIR.

IV. BELINO SEX. CÆSERINVS FAVSTVS
IIIIII VIR. V. S. L. M.

V. BELENO AVG. SACR. L. CORNELIVS L. FIL.
VELL. SECVNDINVS AQVIL. EVOC. AVG.
N. QVOD IN VRBE DONVM VOVIT AQVIL.
PERLATVM LIBENS POSVIT. L. D. D. D.

VI. BELINO AVG. SACR. VOTO SVSCEPTO
PROA. AQVILIO GE. POMP. VALENTE.
IIII V. I. DESIGN. PHEBVS LIB. V. S. L. M.

VII. T. MARIVS APTVS VERCELLEN. ET
ASIATICVS MAN. BELENO.
V. S. L. A.
P. C.

VIII. APOLLINI BELENO C. AQVILEIEN.
FELIX. . . . .

Feleni Templum.

Locus, ubi olim *Feleni* templum ſteterat, nunc Sancti *Felicis* Martyris nomine in titulum Præpoſituræ clarus conſpicitur. Ejus ædis Præpoſitus ad communem toties Provinciæ conventum admiſſus calculi prærogativam habet. Incolæ non *Felicem*, ſed *Felum* dicunt; non obſcura ſcilicet ad priſcum vocabulum alluſione. De *Belino* certior memoria, quippe ejus nominis nobilis adhuc ſupereſt *Aquilejæ* Abbatia, & hæc, ut ſuperior Præpoſitura, ſuffragii jure utitur, cujus Divus tutelaris *Martinus* eſt: ſed *Belinus* paſſim vocatur; haud alia, uti reor, cauſa, quàm Idoli recordatione, quæ tot annorum ſeculis elapſis, nullo veræ religionis cultu aboleri, aut extingui potuit. Ut nunc *Belinenſe* Templum prætercam; hoc ad *Fulignam* parum ultra Liquentiam: ubi ara nobili commendata miraculo; quod in rabidis canum morſibus quotidie deprehendi multorum teſtimonio confirmatum eſt. Porrò cum Aquilejenſes *Belenum* hunc, ſive *Felenum* magnificis tanquam Deum colere ſacrificiis non deſinerent,
84 & in eam ſuperſtitionem propenſi nimis, & addicti externa ſacra omnia exhorreſcerent; quicunque ejus Dei cæremoniis initiati fuerant non parvo Evangeliſtæ impedimento eſſe cœperunt, quò latius is *Chriſti* doctrinam fereret. Hinc illud Beati *Siri*, fama magis, quàm auctoritate vulgatum, qui aliquando *Ticinum* ingreſſus celebrem ejus Urbis gloriam ob *Chriſti* fidem ſuſceptam, contra *Aquilejæ* ejuſdem fidei jugum detrectantis perpetuam prædixit vaſtitatem. Ex quo apparet non plenam omninò, aut uberem ex opinione meſſem *D. Marci* labores aſſequutos, quamquam innumeros propè crediſiſſe, & ſacri Baptiſmi fonte expiatos *Chriſtianam* pietatem cognoviſſe nullus

Ann. Chriſti 50.

eſt, qui neget. Incertum, an ob hanc cauſam offenſus *Marcus*, ſive potius ut *Petrum* viſeret, poſt aliquod temporis de profectione cogitat; quam non eſt aggreſſus, niſi facta prius de ſucceſſore ad Divina myſteria pertractanda deliberatione, & electione. Fuit *Hergoras* Civis *Aquilejenſis*, præclaris ortus parentibus; *Chriſtianarum* virtutum ſplendor longè admirabilis. Hic communi *Chriſtiani* populi conſenſu in paſtorem depoſcitur, quod futurum promittens Evangeliſta illum ſibi præcipuum itineris comitem deligit. Huic *Fortunatus* Diaconus, & novelli plures *Chriſti* ſectatores adjuncti ſanctiſſimum Antiſtitem in Urbem proficiſcentem proſequuntur. Et *Aquileja* qui-

Hermagoras ſecundus Patriarcha Aquilejenſ.

Fortunatus Diaconus.

A dem prima poſt *Romam* in *Occidente* hoc modo *Chriſti* legem amplexa, ipſum *Chriſtiani* gregis paſtorem acceſſit veneratura. Fama tenet, his per æſtuaria navigantibus, dum fortè circa inſulas continenti proximas tempeſtate detenti oberrant, Beato *Marco* earum inſularum futuram majeſtatem cælitus præmonſtratam, illic brevi, vicinis circumfluentibus nationibus, inclytam fore Civitatem, cujus Imperium non magis, quàm pietatem, & religionem futuræ gentes prædicabunt. In ea verò præclarum ſibi apud poſteros ſepulchrum Divina Numina deſtinare, ubi votis, & frequenti hominum
B ſtudio cultus, *Venetorum* Patronus, & interceſſor vocari aſſueſcat. Hæc ille ab Angelo. Quare oculis fortunata litora lubens circumluſtrans; & quæ animo futura præviderat, veluti præſentia contemplatus; jam tum à Deo O. M. promiſſa expoſcere, pro Patribus, & Senatu nondum ſibi cognito preces fundere. Civibus populo bona omnia precari. Quæ nunc æternæ proximus menti continenter expetere, atque à ſummo bonorum omnium fonte tanquam debita etiam exigere, qui res eorum geſtas, regni amplitudinem, animorum præſtantiam, fidem, juſtitiam contemplantur, dubi-
C tare nunquam poſſunt. Quo tempore *Marcus* 85 Aquileja *Romam* diverterit, vix poſſumus affirmare. Adeo cuncta illius ævi perpetuo quodam, neſcio dixerim ignaviæ, vel potius ignorantiæ ſopore oppreſſa uſque ad noſtram ætatem jacuere. Nempè illud commune omnibus ferè de rebus *Chriſtianis* ſcriptoribus; ſed iis præcipuè, qui Martyrum vitas ſtylo ſunt aſſecuti, ut volentes, & ſcientes annorum ſeriem non raro prætermiſerint, quam facilè, ſive ad Auguſtos Principes, ſive ad Conſules creatos, qui priſcorum mos fuit frequentiſſimus, potuerant, aut debuerant accommodare.
D Hinc multa apud illos obſcura, dubia, & aliquando etiam à fide, & à veritate abhorrentia, quæ ſuis diſtincta temporibus ſplendorem non minus, quàm auctoritatem accepiſſent. Quare non parum iis debemus hominibus, qui huic operi plurimum inſudantes Eccleſiaſticam Hiſtoriam exornavere. Id primum ab *Euſebio* tentatum mox plures tractare non ſunt veriti. Inter noſtri ævi doctiores omnium celeberrimi, & induſtrii *Onuphrius Panvinius*, & *Cæſar Baronius* Cardinalis: tametſi in utroque plura ſint fortaſſis, quæ humana curioſitas poſſet deſiderare. Cæterum ut ad *Marcum* redeamus, ipſum non niſi
E poſt firmatam *Aquilejæ* Chriſti fidem *Romam* cogitaſſe crediderim. Quare non menſes, ſed annos ad hoc inſumptos. Demonſtrant hoc in primis vetuſta *Hermagoræ* acta pridem à nobis repetita; quibus multis annis *Marcum* Provinciæ præfuiſſe ſcriptum eſt; ubi populorum querelas, & lacrymas videas, diſcedente Pontifice obortas; quibus ille motus de ſucceſſore cœperit cogitare. Idem ſentire viſus eſt *Petrus* Epiſcopus *Æquilinus*, qui Sanctorum res geſtas uno volumine complexus eſt. Hic *Marcum* poſt aliquot annos *Aquileja* profectum aſſerit. Nec aliena tradunt *Alexander Græcus* antiquiſſi-
F mus Eccleſiæ Hiſtoricus; & *Gerebrardus* hujus ætatis celeberrimus ſcriptor: quorum alter novem annis *Marcum Ægypto* præfuiſſe memorat; ſecundus vix quinquennium tribuit, ut magna ſanè, horum utriuſque ſententia, ſuperſint *Aquilejæ* temporum ſpatia, quibus illa Evangeliſtam habuit. Siquidem cum apud omnes conſtet, Beatum *Marcum* anno à *Chriſti* ortu ſexageſimo tertio, vel ad plus quarto, hanc, quam dicimus vitam cum æterno beatiſſimorum animorum ævo com-

P. Æquil. Epiſc. Lib. 14.

Apud Metaphr. 11. Junii.

Gilber. Gerebr. Chron. Lib. 3. fol. 371.

Ann. 63. ſecundum Gerebr.

Ann. 64. ſecundum Baron.

commutasse, utique post quinquagesimum quartum, si *Alexandrum* sequaris, vel non ante quinquagesimum octavum, si *Gerebrardo* acquiescis, *Ægyptum* ille instruendam suscepit. Atque hoc modo *Aquilejæ* duodecim, vel novem, quod minimum, annis sacra *Christi* my-
86 steria reseravit. Sed cum hæc opinione firmata potius, quàm certa auctorum fide in medium referantur, nos neutram sententiam comprobantes, quadriennio contenti erimus *Marci* primum Pontificatum includere: ob eam saltem causam, ut successori locus relinquatur, quem vigesimo ab inita dignitate anno, *Nerone* Principe, ad Superos emigrasse constanti antiquorum traditione compertum retinemus. Quod fieri vix potuit, si ultra dictum spatium *Marcus* in Provincia agitasset: ut ex his etiam, quæ *in sequenti Volumine* dicemus, clarum apparebit. In hanc partem eò lubentius inclinat animus, quò *Joannes Stringa* Canonicus *Venetus* parum ab his diversus, Beatum *Marcum* duobus annis cum dimidio *Aquilejæ* Sedem habuisse ex antiquissimis *Marcianæ* Ecclesiæ, quæ *Venetiis* colitur, manuscriptis testatum relinquit. Ut jam ex dictis liceat colligere *Marcum* Evangelistam primum *Aquilejensis* Ecclesiæ Patriarcham anno Domini quinquagesimo, qui quartus est ab ejus in Provinciam adventu, vel paulò ante sanè *Romam* profectum vacuam sui Episcopatus Sedem posteris reliquisse. Et sic nostra cum *Metaphraste* celebri scriptore perbellè congruet supputatio: qui anno quinquagesimo primo *Petrum* edicto *Claudii* cum cæteris *Judæis* ejectum in *Africam* refert navigasse, & *Carthaginensem* ibi erexisse Ecclesiam, atque ab eo loco *Alexandriæ* appulsum, *Marcum* Civitati Episcopum dedisse. Neque ab his *Baronium* abhorrentem habemus, ut in actis ejusdem anni apud ipsum satis deprehenditur. Atque hæc de Beato *Marco*, ejusque in *Aquileja* Præsulatu pro Historiæ necessitate dicta velim. Nam quæ deinceps in *Ægypto*, & vicinis Provinciis opera edidit; quovè mortis genere ibi pro *Christi* fide retinenda vitam effuderit, nostri instituti non est referre. Quibus reliqua cordi sunt; inspiciant *Armacanum*, *Voraginem*, *Petrum de Natalibus*: & inter recentiores *Joannem Stringa*, à quibus hæc omnia, & superiora plura fusius, & clarius fortassis pertractata accipient. Quo loci illud saltem

Metaphr. 29. Junii.

Baron. T. 1. ann. Domini 51. nu. 3

Armac. Lib. ix. de Quæst. Jac. Vorag. in Serm. de S. Marco. Petrus. de Natal. in Cathal. Joan. Stringa. Lib. 1. Vitæ S. Marci.

prætermittere non debemus; quod paucis abhinc annis à *Francisco Barbaro* Patriarcha excogitatum, & summis laboribus, atque impensa absolutum *Aquilejensi* Ecclesiæ splendorem eximium attulisse visum est. Nam cum Patriarcharum seriem, atque etiam acta, veluti in obscuro jacentia nostri plerique, ne dicam omnes ferè scriptores sicco pede præteriissent; ut ex eis præter Antistitum nomina, quicquam memoriæ dignum vix possis elicere; ille singulorum, qui usque ad sua tempora fuerunt Patriarcharum imagines in superiori aula Palatii à se magnificè *Utini* extructi, coloribus ex- 87
primendas curavit, & singulis elogia, & inscriptiones adjecit, quibus, proposita ante oculos hac antecessorum recordatione, successores ad eorum gloriam æmulandam quotidie incitarentur. Opus à *Joanne Baptista Scarsabursa* Patriarchali Locumtenente, & Apostolico Protonotario, viro sanè eruditissimo brevi confectum, amplissimi Præsulis diligentiam quam longissimis temporibus prædicabit. Hoc ne aliquando ætatis injuria, aut successorum ignavia, quod in rebus humanis non rarum, depereat aliquo modo, aut situ confectum corruat, ad ea, quæ de Patriarchis *Aquilejensibus* præclara dicemus, has ipsas inscriptiones adjungere operæ pretium duximus; quò simul & narrationi fides constet; & *Francisci Barbari* memoria, non injucunda illius nominis repetitione toties excitata, quàm sæpissimè revirescat. Porrò si quid etiam in his aut dubium, aut à vero alienum apparuerit, id totum exponere, & ad examen revocare non dubitabimus, ne quid eorum, quæ ad rerum *Foro-Julienfium* cognitionem pertinent, aut non intentatum, aut non discussum accipiat posteritas. Primum, quod sub Beati *Marci* simulacro occurrit Epigramma, tale est.

S. MARCVS EVANGELISTA A PRINC. APOSTOLORVM
PETRO MISSUS AQUILEIAM,
IBI PRIMVS ANTISTES SEDIT,
AC FIDEI CHRISTIANÆ IECIT FVNDAMENTA,
INDE EVANGELIO GRÆCE LATINE CONSCRIPTO,
MISSUS ALEXANDRIAM,
ILLAM QVOQVE ECCLESIAM INSTITVIT.
PRÆDICATO DEMVM EVANGELIO IN LIBIA,
MARMARICA, PENTAPOLI, THEBAIDE,
ATQVE VNIVERSA PROPE ÆGYPTO,
ALEXANDRIÆ GLORIOSVM MARTYRIUM
CONSVMMAVIT.

Libri Quinti finis.

88

LIBER SEXTUS.

Anno Domini 50.



VBi *Petrus* Romæ de statu *Aquilejensis* Ecclesiæ *Marcum* disserentem audivit, qualivè coalescentia illa *Christi* germina cultu indigerent accepit; in maximam rei benè gerendæ spem erectus novum populis sufficiendum Antistitem existimavit: qui morum sanctitate, & religione insignis inchoato à *Marco* operi ultimam manum imponeret. Hæc in *Hermagora* futura non obscurè apparebant, cui non *Aquilejensium* consensus tantum, sed *Marci* favor insuper accesserat. Quare *Petrus* ad se adductum, manibus de more capiti impositis, illum Provinciæ *Italiæ* Episcopum pronunciat: & simul dignitatis insignia adjicit baculum, & velamen; quorum utrumque inter pretiosam *Aquilejensis* Ecclesiæ supellectilem religiosè custoditum nostram ætatem attigere. Baculi materies lignea, nulla carie, nullo situ confecta. Altitudinem habet pedum IV. cujus pars superior inflectitur ad litui, quo canitur similitudinem; unde nomen à *Romanis* obtinuit. Pedum etiam dixere antiqui; & propriè fuit bacillus, quo pastores capras, aut oves humi jacentes sublevabant. Hujus mentio est apud Virgilium: 89

Baculum Patriarchale Aquil. & Velamen.

At tu sume pedum. ——

Virg. Ecl.

Et in Enniana Hiphigenia legebatur:

Festus.

—— *gratum proferre pedum cessas.*

Quod

Quod Pontificibus ad officii expressionem tribuit priscorum consensus: ut inde charitatis in subditos, ac diligentiæ admonerentur, & propterea clarissimum fuit Augurum insigne: quorum Sacerdotium publicum, perpetuumque fuit. Hinc in Augurum nummis lituus insculptus perpetuò, quem aliquandò ad caput Auguris positum inspicimus; non raro in parte adversa inter reliqua Pontificum insignia; ut numismata Cæsaris demonstrant; in his pedi, sive litui forma curiosè expressa. Porrò lituum, ut pleraque multa ad *Christianorum* Pontificum dignitatem exornandam *Catholica* deinde traduxit Ecclesia: quæ non tantum nomina, ut *Superiori Libro* dicebamus, sed res insuper plures nefariis Dæmonum sacris dicatas in veri Dei cultum vendicare non est verita: ut his quasi hostium manubiis, & spoliis conspicua, præclarum de victa superstitione trophæum ubique circumferret. Ad ea, quæ de lituo *B. Hermagoræ* retulimus, illud non omittendum, quod multis admirationem fecit. Nempe ejus ligni speciem cunctis hucusque ignotam latere, ut de eo possimus dicere, quod de telo *Cephali* apud Poëtam prodidit Phocus:

P. Ovid. N. Lib. VII. Metamorph.

——— *certè si fraxinus esset,*
Fulva colore foret; si cornus, nodus inesset.
Unde sit ignoro: ———

Nec minori miraculo velum intuentium oculos torquet; quod abhinc mille sexcentos annos baculo suspensum, sive colorem aspicias candidum, & cum nivibus certantem, sive serici operis pulchritudinem, & subtilitatem nebulas æquantem admireris, nunc primum artificis manu emissum, & pectine recisum jure possis affirmare. Adeò cuncta in eo recentis texturæ studium videntur exprimere. Atque hæc quidem non adverso *Foro-Juliensibus* Numine usque ad hæc tempora pervenere. Quòd si privilegia tunc *Hermagoræ* à *B. Petro* concessa unà adservari dedissent Superi; nihil jam esset, quod ad sui majestatem *Aquilejensis* Ecclesia posset, aut vellet desiderare. Siquidem inter cætera, quibus *Petrus* auctam in *Hermagora* dignitatem illustrare, atque ob omnium oculos ponere summoperè conatus est, illud in primis decreto firmavit, quòd ejus Ecclesiæ Sedes, prima post *Romanam* inter *Italicas* agnosceretur. Quod non sine ratione factum credimus. Nam cum hæc origine temporis reliquas præcedat, honoris ètiam prærogativa cunctas debuit antecellere.

Ecclesia Aquil. prima in Italia, post Romanam, à D. Petro pronunciata.

90 Hujus rei ab Apostolo tabulis consignata documenta retinuere *Aquilejenses* usque ad *Longobardorum* adventum, quo tempore, cum illa incendio consumpta deflagrassent, ne facti memoriam æterna premeret oblivio, providit *Leo VIII.* Pontifex *Romanus* novo concesso diplomate *Aquilejensi* Patriarchæ, quod loco dabimus. Interim pauca hæc, quæ faciunt ad rem præsentem illinc excerpta habeat Lector. *Et ut omnibus pateat Christianis, quanta te charitate diligamus ob amorem B. Marci Evangelistæ Pastoris nostri gloriosissimi discipuli, qui vestræ præsedit Cathedræ, renovamus vobis per præsens privilegium illud antiquissimum Sanctissimo Hermagoræ Evangelistæ successori à Beatissimo Petro contraditum; verum peccatis nostris promerentibus à Paganorum sævitia concrematum. Volumus scilicet, & Apostolica auctoritate jubemus, ut inter omnes Italicas Ecclesias Dei Sedes, prima post Romanam Aquilejensis, cui Deo auctore praees, habeatur.* Quòd subinde Pontifices sequentes confirmare non sunt veriti, novis editis sanctionibus, in quibus *Joannis XX.* decretum illustre ad *Poponem* Patriarcham, cujus hæc sunt ver-

A ba. *Confirmamus vobis, vestrisque successoribus Patriarchatum Sanctæ Aquilejensis Ecclesiæ fore Caput, & Metropolin super omnes Italiæ Ecclesias, quoniam ante omnes constitutum in fide Christi fundamentum fuisse cognovimus. Ac volumus Sanctam Aquilejensem Ecclesiam in cunctis fidei rebus peculiarem, & vicariam, & secundam esse post hanc almam Romanam Sedem, sicut olim a Beato Petro concessum fuisse videtur.* Cujus rei si quis antiquiora velit testimonia, inspiciat *B. Hermagoræ* acta, quæ omnium consensus à primis propè nascentis Ecclesiæ temporibus accepta huc usque retulit. In quibus hæc. *Tunc B. Marcus*

B *dixit ad populum, ut eligerent sibi quem voluissent virum Christianissimum. Turba populi elegerunt sibi elegantem personam nomine Hermacoram, tunc iter faciens cum B. Marco ad Urbem Romam, & à B. Petro baculum Pontificatus, & velamen Sacramenti suscipiens, factus est Protoëpescopus Provinciæ Italiæ.*

Ex Lect. in Fest. S. Herm. & in antiquo Breviario Aquil. impresso Venetiis anno 1496. per Andream Torrisanum de Asula.

Qua dicendi formula nullus est, qui non videat summam in *Italia* prærogativam *Hermagoræ* relinqui; quam tunc *Hermagoram*, & post illum successores exercuisse aliis auctoribus demonstrabo. Longè pluribus fortassis rem comprobaturus, si prisci illi Antistites pluris dignitatis ornamenta, quàm dignitatis officia fe-

C cissent. Sed ea tunc erant tempora, quibus recenti *Christi* exemplo humilitatis, & modestiæ assiduè Pastores admonebantur. Unde fiebat, ut eos impensior semper cura teneret de populorum salute, quàm inutilis sollicitaret ambitio de ditionum amplitudine. Nunc quantum ab illo interno splendore defecimus, tantùm ex- 91
terna hujusmodi decora ardentiori prosequimur cupiditate. Facit ad hujus Ecclesiæ primatum confirmandum ante cuncta Concilium, *Carolo Magno* Imperatore, *Francofurti* coactum; cujus Concilii acta cum magna ex parte exciderint, libellus ad Episcopos *Italiæ* superstes sum-

D mam *Aquilejensis* Ecclesiæ majestatem, & in reliquos Episcopos auctoritatem satis declarat. Siquidem *Paulinus* Aquilejensis Patriarcha est, qui libellum edidit, & cæterorum nominibus suum præfixit; quod non fecisset, nisi auctoritate alios anteisset, ut clarius in libello videbimus, cujus aliquam partem, quando de *Paulino* veniet agendum, in medium dabimus. Hoc idem non obscurè comprobant illa, quæ *Baronius* ex Concilio *Romano* contra *Joannem* Pont. XII. facta recenset.

Bar. anno 963.

Ibi primum Concilii locum *Elgiberti* Patriarchæ Vicarius obtinet, post quem Episcopi *Itali*, *Galli*, *Hispani*, *Germani*, & reliqua Ecclesiasticorum decora. Quod nemo ob aliam causam factum animo concipiet, nisi quia primus Patriar-

E cha post Pontificem, perpetuò usque ad ea tempora exemplo, publicis præsidebat conventibus. Nec causam nostram deteriorem facit, quod *Baronius* ejusdem acta Concilii in dubium videtur revocasse: quia non legum in eo latarum vim modò perpendimus; sed suffragiorum ordinem tantùm observamus: qui sic facilè immutari, aut perverti non potuit, sed potius credendum, quòd Patres illi, quo magis à vera Conciliorum formula se abesse intelligebant, eò curiosius hisce externæ pietatis ornamentis operam impende-

F rint, ut priscum Ecclesiæ morem retinerent, quem confudissent omninò, si præpostero ordine inferior Episcopus reliqua dignitatum fastigia unus antecessisset. Nec à præsenti consideratione ea penitus sunt rejicienda, quæ *Carolus Sigonius* de *Eberardo* Patriarcha memoriæ prodidit: quantumvis illa à *Mediolanensi* Episcopo mox oppugnata: de quibus & nos suo loco clarius aliquid disseremus. Nam in Concilio, quod *Romæ Clemens II.* coëgerat, ait Si-

Carol. Sig. Lib. VIII. *de Reg. Ital. ann. Dom.* 1047. *Wolph. Laz. Comm. Reip. R. Lib.* XII. *Sect.* 5. *C.* 8.

Sigonius, *Eberardum* dexteram Pontificis summi sibi vendicasse, quod factum antiquæ prærogativæ firmissimum extitit argumentum: sed omnium clarissimè *Wolphangus Lazius*, qui Cæsarum, & *Germanorum* Principum scriniis assuetus, & versatus, unus mortalium veritatem hanc potuit introspicere. Siquidem summa semper cum *Germano* Imperio necessitas Patriarchis intercessit, ut non aptius eorum ornamenta, aut emolumenta, quàm ab illius Archivis peti posse cuncti fateantur. Hujus viri sensus est: *Petri vestigiis in-*
92 *sistens, ut magistri discipulus, Beatus Hermagoras Episcopii Sedem primus (in Aquileja) posuit; quæ posterius non solum Metropolitanum jus, sed & Patriarchatus insuper apicem conscendit, locumque in dignitate Ecclesiastica à Roma secundum obtinuit.* Finem dictis imponam, & illud addam; nusquam apud Ecclesiam usum invaluisse, ut ab superiori ad inferiorem ordinem Episcopi promoveantur. Quare cum illud hucusque observatum fuerit, ut *Aquilejensis* Præsul, Patriarchatus nomine abdicato, nunquam in alieni Episcopi Sedem irrepserit, sed potius contra amplissimi Antistites plures, suis posthabitis infulis, *Aquilejensem* Ecclesiam exoptaverint aliquandò, & ab *Romanis* Pontificibus impetraverint etiam; quod *Mediolanensis*, *Patavinus*, *Comensis*, & hujus notæ viri olim fecere; nimirum illud necessariò sequitur, Patriarchalem hanc in *Italia* magnificentiam reliquas omnes sine dubio eminere, & in ea cunctos primatum perpetuò agnovisse; eoque Patriarchas sine controversia semper usos, donec Cardinalium Collegio utrumque latus *Romani* Pontificis occupante, præclara hæc antiquarum dignitatum vestigia prorsùs evanuere.

Cæterum *Hermagoras* his à *B. Petro* auctus muneribus, & præceptis, admonitionibusque sacris abundè instructus, summo bonorum consensu *Aquilejæ* excipitur. Ibi ille conceptæ satis de se opinioni, satis desiderio facturus, ad egregia quæque vires convertit. Nec laboribus corpus, nec difficultatibus animus frangitur. Dum omnia tentat, monet, & se ubique Parentem simul, & Pastorem exhibet; aliàs castigatione, aliàs indulgentia usus; multa argumentando, & ratione; plura miraculis comprobat; brevi annorum intervallo Civitatem in *Christi* studium convertit. Una fuerat hominis sententia, mortales ab Idolorum cultu revocare, antiquos gentium errores abstergere, pietatem, religionem animis inserere, huic uni intentus reliqua omnia aspernari, non Magistratus potentiam vereri, non Cæsaris gratiam quicquam facere, quem nimirum non leviter offendi certum erat, novo hoc adorationis genere in Civitatibus constituto. Nam inde & Reipublicæ administrationem perturbari, & populorum animos ab Principum charitate abalienari simul sibi persuaserant. Ad hoc accedebat Pontificum, & Sacrificulorum nimia cura de rebus suis, & anxietas: quas in dies pessum ire animadvertebant; confluente ad Ecclesias multitudine; eorum interim templis, & aris sine victimis, sine foco desertis; ex quo factum, ut de tollendo *Christianorum* nomine, una veluti totius Orbis facta conspiratione, jam tum
93 primùm ratio iniri cœpta fuerit, quæ novis subinde accedentibus causis aucta postmodùm, & magis confirmata tandem sub *Nerone Claudio* Principe in summam *Christianorum* perniciem emersit. Sed ea fuit Summi Numinis potentia, sive potius in genus humanum facilis miseratio, qua novam errantibus de Cœlo viam voluit demonstrari; ut nulla Dæmonum fraus, nulla Ty-

A rannorum rabies, non illa Imperii *Romani* robore armata crudelitas, aliquam surgenti Ecclesiæ noxam intulerit; aut mediocre saltem inflixerit periculum. Quin potius acrior inde resurgens, &, veluti de *Hydra* fabulantur Poëtæ, post sanguinem, & mortes, majori, validiorique conatu in resistentes invecta, amplissimam tandem terrarum Orbis debellati victoriam est consequuta. Atque ea tunc fuere, quæ *Christi* sectatoribus damna parabantur, quævè *Hermagoram* sui Episcopatus initio non parum cœperunt exagitare. Sed ille nullo incursantis fortunæ casu territus, postquam circa *Aquilejam* res satis ex sententia succedere B animadvertit, ad sibi commissæ Diœcesis amplitudinem animum convertens; novo Antistite opus esse intelligit; qui *Cenomanorum*, *Insubrium*, & adjacentium populorum aspera pectora sanioris doctrinæ fomento inciperet demulcere. Ad id operis *Sirus* destinatur, quem inter *Aquilejenses* Christianos moribus, & disciplina egregium prospexerat. Quare *Ticini* Episcopum factum in eam Urbem dirigit, addito itineris, & laborum Comite *Juventio* impigro viro; quem postea *Sirus* in Episcopatu successorem habuit. Ecclesiam pariter *Laureacensem* instituit per *Fortunatum* Diaconum. Horum opera factum est, ut no- C vam extemplo faciem ea reciperet Civitas: & quæ pridem nullis non dedita superstitionibus infandas Dæmonum sordes in sinu habuerat, sub eo tempore, veri Dei lumine exornata, nullis mortalium bonis in posterum invideret. Sed interea major in dies *Aquilejæ* Christiano gregi fiebat accessio; in his plures rerum gestarum splendore inclyti, qui perituræ patriæ gloriam nullis interituram seculis conciliasse visi sunt. De quibus sanè eò impensius mihi agendum esset, quò præclara eorum privatim, publiceque edita facinora omnem procul dubio mortalitatis conditionem exuperant; nisi argumenti amplitudo, & secretiora illa *Christianæ* religionis instituta audentem admonerent, divina hæc omne scribendi genus effugere, nedum abjectum hoc, & impura exaratum manu. Juvet nihilominus aliquid è multis decerpere, & fœminarum saltem decora his nostris scriptis interponere, quod illæ æquis patiantur animis explicare; ut hoc qualicunque in eas edito observan- 94
tiæ, & charitatis officio, nulla nos ætas in posterum, aut ingratitudinis arguat, aut impietatis condemnet. Fratres tunc nobilitate, & opibus illustres *Aquilejæ* duo fuere: *Valentius*, & E *Valentianus*: hic *Christianus*, & veri cultus sectator; idololatra alter, & superstitionibus deditus. Singuli filiarum par habuere: *Euphemiam*, & *Dorotheam* Valentius; Valentianus *Teclam*, & *Erasmam*. Has uti generosa stirpe natas decuit, liberalibus instructas disciplinis non vulgaris insuper commendabat pulchritudo. Sed jam *Tecla*, & *Erasma* assiduo patris alloquio, & continua sacrarum literarum lectione *Christum* pectore conceperant; jamque parum dè corruptibili forma solicitæ æternam Dei speciem cupidissimis animis inhiabant, ad quarum exemplum patrueles commotæ non adversas F *Christo* aures præbuere. *Hermagoras* tunc in *Aquilejæ* suburbio se continebat; *Pabulum Vitæ* id dicebatur: quo loci *B. Marcum* Sedem tenuisse ferunt. Nec successor ab ea solitudine abhorruit, tantùm ubi usus poposcerat, Civitatem frequentabat. Igitur inde ab *Valentiano* accersitus *Christianæ* doctrinæ præceptis puellas erudiens, altissimos his legis sensus, & secreta religionis mysteria sensim aperiebat. Interim *Valentius* ad opus novum

SS. Euphemia, & Dorothea sorores Aquil.
SS. Tecla, & Erasma sorores Aquil.

H. Palladius. E mi-

mirandum manus admovet. *Natissa* fluvius ædes interfluebat; hujus utramque ripam arcubus ille conjungit, & turrim vastam superimponit; eo consilio, ut filias ibi contineat, donec maritos acciperent: nam cum forma excellenti eas cerneret succrescere, non meliori modo earum pudicitiæ consultum iri existimavit, quàm si firmo murorum ambitu inclusas longè ab omnium oculis relegaret. Quod cum fecisset *Valentius*, Aquileja evocatus, multos extra Urbem dies impendit. Interim puellæ ad duas, quæ in turri fuerant, fenestras tertiam adjiciunt in orientem, ad quem de more *Christianorum* conversæ Deo preces effunderent. Operi occupatis *Tecla*, & *Erasma* superveniunt, ut par fuerat, inter puellas de amore loqui cœptum; sed amor hic fuerat in Divinam mentem ardor, & impetus tantum: sales, jocique aberant; & præter *Christum* nihil purus animus noverat; in quem dum verba, cogitationesque omnes intendunt, ecce ibi *Valentianus*, & cum ea *Hermagoras* Archidiacono *Fortunato* comitatus: quos proximè insequebantur tres Clerici *Amatus*, *Benignus*, & *Honoratus*. Horum virorum aspectu, & auctoritate relaxata custodia, puellæ ad flumen descendunt. Ibi aliæ alium aggressæ, ut sacro tandem baptismate ablutas *Christo* consecrarent summopere
95 contendunt. E quibus *Euphemia* in aquas conversa dum dignas mysterio preces ad Deum effundit, undarum impetum stetisse ferunt, & fluvium sine cursu immotum diutius perdurasse: quo miraculo persuasus *Hermagoras* continuò Virgines baptizat, & novis exercet documentis: quibus dum virginitatem laudibus cumulat, ad virginitatem suam Deo dicandam non invitas compellit. Pater post hæc *Aquilejam* regressus, fenestram in pariete admirari, facti rationem exquirere. Ad lumen excipiendum extructam respondent, quo locus plurimum laborabat, atque ita vocis ille ambiguitate deceptus, acquievit. Sed de illustriori illo, diviniorique lumine facilè Virgines intellexere, quod in hunc mundum veniens densissimas errorum tenebras ab humanis mentibus tunc primum abstergebat. *Nero* interim ad *Romani* Imperii fastigium

Anno Domini 66.

evectus, post multas domi, forisque humano generi clades illatas, tandem in *Christianos* universam furoris tempestatem converterat. Primùm de incendio, quod ille *Romæ* excitaverat, accusati, aliquam infortunii causam præbuisse visi sunt. Mox Principis grassante crudelitate, tantum quòd essent *Christiani* delati, impietatis crimine arguebantur. Sic post multos cruciatus, quotquot in manus venerant, necati, de illorum temporum iniquitate fidem faciebant. Ea lues in cunctas Imperii Provincias brevi effusa *Aquilejensem* Civitatem diutius vexavit. Ibi *Sebastus* locum Principis non tantùm, sed mores etiam agebat. Nam nihilo *Nerone* mitior, maximè ad sui gloriam pertinere arbitrabatur, si recentem religionem funditus extirparet. Nulla vox est, quæ sanctorum virorum calamitates dignè possit explicare; passim infimi, summique ad mortem deposcebantur; unus erat mortis prætextus, quia *Christum* colerent; sed verè plures invidia, & avaritia perdidere; eorum bonis, fortunisque in accusatores commigrantibus; multos etiam dicendi libertas perdidit: qua dum Principis crudelitatem prosequuntur, in eam facilè incidebant. Felices in hoc tamen, & fortunati, quod levi præsentis lucis dispendio beatam sibi, nullisque seculis perituram vitam sunt assequuti. Sub hoc

A rerum statu *Valentius* filias suas in primarias familias despondit. Fit ad turrim concursus. Pater generis latera stipatus, quod sibi, natisque faustum, ac felix precatur, se eas nobilissimis adolescentibus in uxores dedisse nunciat. At illæ, quibus pridem unus virginitatis amor pectoribus insederat, faustum illud, ac felix abominatæ, paucis parentem, & sponsos docent, *Christo* multò ante desponsatas nullo mortalium vinculo posse amplius alligari. Præsentibus ad ea 96
consternatis, pater in tantum iræ exarsit, ut gladium illicò in filias stringeret; sed generi illum furorem detinuere, donec puellæ extra tu-
B multum elapsæ ad patruum *Valentianum* perveniunt, à quo peramanter susceptæ, in occultissima ædium parte unà cum suis seponuntur. Commodùm exierat *Valentianus* de his omnibus *Hermagoram* certiorem facturus, quando pater cum amicorum, & servorum turba supervenit. Perquirenti ubi lateant, & domum universam diligentius perscrutanti servus indicium detulit; quare non filias tantum, sed neptes etiam tanquam erroris socias arreptas ad se jubet deportari. Ibi nullo saniori admisso consilio, cunctas ad Prætorem defert: & ut in eas lege contra *Christianos* agat, summoperè expo-
C scit. Rapiuntur virgines ad tribunal, & quæ vix infra domesticos parietes hominis aspectum admiserant, nunc præsenti populo *Christiani* nominis reæ, magni veluti alicujus sceleris causam coguntur dicere. Placidè *Sebastus* primò, generis præstantiam, ætatem, formam laudare: nihil his indignius, quàm crucifixi hominis deliriis, impietatibus immisceri; *Jove* interim Opt. M. & *Romani* Imperii vindicibus Diis præteritis, aut neglectis: his ut cultum exhibeant hortari, atque etiam precari; si faciant, multa, eaque præclara polliceri; factorum impunitatem, nuptias clarissimas offerre, quales ipsæ
D votis sciant concipere; detrectantibus compedes, verbera, neces parata; eorum optionem penes illas esse, quid velint eligant: mox ab eo loco non sine ingenti aut præmio, aut pœna discessuræ. Sed illæ breviter, unum *Christum* Deum profiteri, ab eo nullis se artibus posse abduci, certò sciat, vitam prius, quam semel conceptam veritatem deserturas. Tunc patientia rupta torvus ille, ac ferox exclamat. *Agite, videamus, an facta ferocioribus verbis respondeant. I, lictor, expedi fasces, & nudas ad satietatem virgis cæde.* Amovere vultum honestiores, & populus ad tam immane spectaculum infremuit. Unæ vir-
E gines veluti ab omni doloris sensu abalienatæ importunam illam feritatem rident, & inter verbera positæ jucundissimo carmine verum suarum nuptiarum epithalamium ludunt. Tunc ille pedibus jubet vincula injici, & inversas trabe suspendi. Ibi ictus repetiti; & ora malleis contusa, donec virginei cruoris rivuli latè curiam inundarent. Sic extremam propemodum agentes animam publico carcere custodiendas tradit. Quæ sub eam noctem illic gesta sunt, nemo est, qui referat. Scilicet majora fuere, quàm hominum oculis perstringi, aut mentibus concipi potuerint. Postridie Prætor ad se adductas suspicere, faciem, hu- 97
F meros contemplari. Nullus in corpore livor, nullæ verberum notæ. *Nempe*, inquit, *tandem Belenus suas in vos exercuit artes: sive vestra ætate, sive parentis optimi pietate motus. Quodcunque illud fuerit, vos divinum munus ne spernite: & cum nullam possitis gratiam referre, generosa saltem gratiarum actione beneficii magnitudinem agnoscite.* Tunc illæ: *Absit ò Sebaste, ut, quod à Christo acceptum ferimus, Beleno imputemus. Conferat ille, si qua habet medicamenta, ad amentiam vestram com-*

pe-

pescendam; qua dum in Cacodæmonum cultus perciti ruitis, æternam rebus vestris perniciem comparatis. Jam facto, refert Prætor, *experiemur, quis nostrum majori insania laboret.* Et illico suspensas Equuleo, admotis facibus jubet torreri. Quibus dum Virginum latera incenduntur, illæ nihilo mœstiores *Christo* laudibus plaudunt, ac veluti si de alieno corio res ageretur, inter tristes tormentorum sonitus de futura beatitudine verba faciunt. Magis irritatur *Sebastus*, & ad atrociora conversus mammas tum primum turgentes Virginibus præcipit amputari, & sic tot modis miserè dilaceratas, nudasque per Civitatem traducendas ministris committit. Dum illæ rubore præsentis ignominiæ ingemiscunt, & supplices ad Cælum manus tendunt, ut hoc unum judici iniquissimo non liceret deprecatæ: protinus excellenti forma juvenis, majorque humana specie visus, qui pretiosis vestium voluminibus explicatis, singulas regali propemodum instruit cultu. Tunc plagæ obductæ & vulnerum cicatrices deletæ, additusque decor vultibus immortalis; ut in quamcunque partem oculos verterent, stupore non minùs, quàm religione attonitos homines in sui admirationem traherent. Turba favet miraculo, & alacri clamore euntes comitata, non jam ut reos ad pœnam, sed ut triumphantes ad gloriam per Urbem deducit. Postquam hæc, ut acta sunt, *Sebasto* fuerunt nunciata; & ipse præsens insolitum oculorum splendorem sustinere non est ausus, capitali tandem damnatas sententia *Valentio* permittit, ut in eas more patrio animadvertat. Universæ is fuerat tragœdiæ spectator, nec ferum ingenium hucusque aut tormenta demulcere, aut portenta potuerunt infringere. Sed ut pœnæ destinatas agnovit, ultrò se carnificem professus, ut erant, vinculis constrictas
Anno Domini 67. 3. Non. Septemb. in turrim abripit; & stricto gladio incumbens singulis cervicem secat; corpora de fenestra in *Natissam* præcipitat, quò inhumata diutius, & aquis jactata *Christiani* nominis hostibus ostentui forent. Sed non tulere Superi impietatem,
98 & violati Numinis pœnas exposcentes acri in nefarium vindicta concitantur. Igitur continuò Cælum misceri, terra motu quati, & tempestates, & grandines insequi: & cum grandinibus immista fulmina volitare: quibus turris petita miserabili incendio in cineres abiit, & unà *Valentius*, & qui cum eo erant momento temporis absumpti periere. Sed frater *Valentianus*, & *Hermagoras*, successu mœsti, nocte, quæ sequuta est, sacra pignora de flumine expiscaturi ad portam *Valentianam* conveniunt. Nec mora, navis multo lumine interfulgens, in qua Sanctarum Virginum corpora, conspicua secundo fluminis cursu ad ripam appulit. Vectores aderant duo ore, & cultu insignes, qui ad *Hermagoram* conversi, ut sacrum suscipiat thesaurum, admonent; nec plura loquuti in auras recessere. Sed illi oblatis muneribus læti, spolia omni auro præferenda de navicula legunt, & ad domum *Valentiani* deportata marmoreo ibi condunt sepulchro. Mox, ara dicata, domus efficitur templum; quod primum *Christiani* intra mœnia Civitatis tenuere. Hujusmodi exitus eam virtutem habuit; quam dum stupet *Sebastus*, & *Valentii* casu attonitus aliquem furori contra *Christianos* concepto modum imponit, spatium præbuit *Hermagoræ*, quo labentem Ecclesiæ statum sustentaret, & ad futuras calamitates impensiori studio etiam firmare posset, quod ipse præstitit, nulla ad opus diligentia prætermissa; tanto verò populi favore, ut jam de idolorum cultu actum existimares: siquidem sub iisdem die-

A bus tria millia hominum capita salutaribus undis abluta Christo nomen dedere, quorum exemplo unus post alium continenter ad B. Antistitem advolabant. Ex quo factum est, ut, primo suæ habitationis loco relicto, Patriarchalem *B. Marci* Sedem in Urbem ad recens extructum templum transferret, quod ideò Ecclesiæ matrem postea populus appellavit. *Sedes Beati Marci adhuc integra servatur.* Hujus Sedis non memoria tantùm, sed structura etiam integra ad nostra tempora pervenit, quam ebore intersectam se *Gradi* vidisse refert *Candidus*. Nec mirum, cum inter cætera Episcopalis dignitatis ornamenta Sedes non in ultimo loco pone-
B rentur; de quibus Antistites sacra verba populo faciebant. Unde ille accepti memor beneficii primorum Episcoporum Sedes colere, & inter eximia Ecclesiarum decora habere cœpit: ut jam *Romanos* non pigeat inter tot Urbis miracula *B. Petri* Sedem festis diebus proferre; & *Hierosolymis* Sedes *Jacobi*, *Canstantino* Principe, intacta servabatur, quod de altera quoque Sede *Marci* apud *Alexandriam* factum *Eusebius* est auctor. *Euseb. Hist. Eccl. Lib. VII. Cap. 14.* Igitur *Hermagoras* unà cum Sede, Patriarchatus fastigio in domo *Valentiani* constituto, 99
majori, quàm unquam ante factum est, animi *Anno Domini 68.*
sive ardore, sive impetu ad *Christum* populares
C suos compellebat: ut brevi tertiam Civitatis partem in sententiam tractam ab omni Idolorum superstitione liberaret. Ea res cum à *Sebasto* negligi videretur; magis impiorum Sacerdotum animos accendebat. Nam honoribus templi, & sacrificiorum quæstibus assueti, tunc utrisque se spoliari non obscurè intelligebant. *Anno Domini 69.* Et cum dolorem conceptum diutius perferre nequirent, agmine facto in Prætorium tendunt. Ibi diù, multumque de *Christianorum* injuriis conquesti, quibus perpetuum templis suis bellum indictum apparebat, unam malorum causam in *Hermagoram* conferunt. Hunc caput, & fontem scelerum accusant, in quem nisi Prætor
D pro delicti ratione animadvertat, rem integram se ad Cæsarem delaturos; atque ab eo non de *Christianorum* magis contumelia, quàm de ministrorum ignavia pœnas exposcituros. Eo stimulo *Sebastus* accensus, sopitos in *Christum* spiritus exsuscitat. Et confestim, ut *Hermagoram* ad se adducant, imperat. Nec imperium mora vilescit. Continuò vir ætate, & moribus conspicuus, manibus ad tergum revinctis ante tribunal sistitur. Ingens *Aquilejensium* turba sequebatur amore, & obsequio in pastorem suum effusa: & pro ipso mortem parata oppetere:
E veluti si in eò capite non de *Hermagoræ* tantum vita, sed de communi omnium salute, & fortunarum summa ageretur. Sed ille impavido ad Prætorem vultu, doctrinæ, & factorum suorum rationem reddens, *Deum Optimum Maximum unum esse*, commemorabat; *qui vi, & bonitate sibi soli similis, cunctorum auctor, & parens extitit. Ac proinde uni illi parentis, & auctoris, & Dei veri honores deferendi; abrogata in impurissimos homines adoratione; quales* Joves *illi, &* Martes, *atque alii fuere, in quibus nihil æquè quàm scelera, & libidines suspicias. Hæc quantum à Divina Natura absint, neminem nescire: qui*
F *sub nomine Dei Sanctum quid, & purum, & ab omni labe alienum concipiunt. Hujus se cultum per* XX. *annos professum, nihil inauditum populis persuasisse; pietatem, castitatem, justitiam tradidisse, peccatorum expiationem docuisse: quam unus ille Deus in mundum invexit, ad hoc* Jesu Christo *Filio ejus inter mortales delegato, ut morte sua totius humani generis crimina luens, de futuræ vitæ beatitudine certa nobis relinqueret argumenta.* Hæc cum summa, qua plurimum pollebat, gravita-

te peroraſſet Antiſtes, pauci in eo conſeſſu fue-
re, quos hominis ſapientia non commoveret.
100 At Sebaſtus: *Hactenus longis ambagibus*, inquit,
*aures præbuimus. Ite famuli, præcipitem hunc ra-
pite, & lento cruciatu confecto corpore, damnatam
animam ad inferos dimittite.* Dum illi juſſæ in-
ſtrumenta necis expediunt, & ferrum, & ignes
parantur; verſis ad Cælum oculis Pontifex gra-
tias Deo agebat, quòd in ea tempora incidiſſet,
quibus ea ſibi pro *Chriſti* fide tuenda certamina
forent ſubeunda. Hæc in votis, in ore aſſiduè
habuiſſe: præſentia tantùm abeſſe ut detrectet,
quòd potius beneficii loco accepta referat.
Tantùm Divina Numina precari, ut ſi qua po-
pulum *Chriſtianum* ſecundarum uſque ad eam
diem rerum mutatio maneat, univerſam ſan-
guine ſuo expiatam antevertat, & unus capite
reliquorum pœnam ſentiat, & ſuſtineat. Ta-
lia dicentem flagris adorti carnifices, innume-
ris plectunt verberibus. Inde in Equuleum ire
coactum ferro corpuſculum laniant, & arden-
tibus in plagas immiſſis laminis uſque ad vi-
ſcera torrent. Cruor undique manat, & nervi
patent, denudata cute. Jamque nihil erat ni-
ſi vulnus unum: quando ille eo, quem primum
induerat, vultu, imperterrito ſcilicet, & ju-
cundo, ad Prætorem converſus: *Ecquid inſuper*,
inquit, *condimenti habes, quo aſſatum palato ſua-
viorem facias? ſiſamo aſperge, cinnamum, acetum
adjice, antequam ultima operi cruſta accedat.* Sed
multitudo tribunali effuſa ultra ſe nequit conti-
nere, unuſquiſque clamorem tollere, probra in
Judicem, in Deos ſuos jactare; nec manibus
temperaturos apparebat, niſi continuò *Herma-
goram* Equuleo dimiſſum *Pontianus* cuſtodien-
dum ſuſcepiſſet. Illi mœſti, ac veluti parente
orbati lacrymis, & querelis Urbem replent.
Facti atrocitatem nimiam, viri ſanctitatem in-
felicem deplorant, ſequentes mulierum cœtus
clamitant, eamne bene factis conditionem, ea
juſtitiæ, ac pietati præmia deberi? in eam ſpem
ſe liberos aducare, ut ad unius libidinem vita,
& opibus priventur? multaque alia, quæ in mu-
liebri dolore æger linguæ animus ſolet ſubjice-
re. Quæ eò miſerabiliora videbantur, quò
non in eo capite iram Principis extingui, ſed
ab illo membra cætera invaſuram prævíderant.
Quare non tam facinoris horrore, quàm futu-
rorum diſcrimine attonitos ſtupor altus Cives
defixerat, & quò reliquos vel fama, vel opi-
bus quis anteiret, ſe periculo magis propin-
quum intelligebat. Sed jam *Hermagoram* divi-
na reſpexerat miſeratio; quando *Pontiano* inte-
riora carceris flammis collucere viſa ſunt, &
gratulantium voces exauditæ ſcrupulum facie-
bant: quare clauſtris dimotis, quid rerum eſ-
ſet, inſpecturus carcerem intrat; & ſimul vi-
101 rum laudes Deo ſolventem inſpicit, cui præ-
ter ſanitatem, & priſtinum virium robur, au-
guſtior aſpectus, & lumen acceſſerat divinum.
Quare ad pedes procumbens, ut in *Chriſtiano-
rum* numerum permittat eſſe hominem tunc
primum *Chriſti* potentiam agnoſcentem, depre-
catur. *Hermagoras* benignè alloquutum ſacris
imbuit myſteriis; inde jubet, ut jejunio, &
precibus divinum Numen placet; quibus pera-
ctis, ſalutaribus undis aſpergit. Lætus ille be-
neficio, & ad conceptum pectore ardorem
diutius reticendum impotens, publicis *Aquilejæ*
locis ſe *Chriſtianum* profiteri, miracula viſa ex-
ponere, injuſtè virum ſanctiſſimum contume-
lia affici. Quæ populari favore excepta iratos
animos magis in *Sebaſtum* acuebant. Igitur ad
carcerem plebs ruere, armis, & imperio, quan-
do verba non ſuccederent, Patriarcham in li-

A bertatem vindicatura. Quos allóquio mitiga-
bat *Hermagoras*, & aſſiduè de futura beatitudi-
ne diſſerens ab omni vindictæ ſenſu alienabat.
Nam hæc, ad quam vos ſollicito, dicebat ille,
*vera eſt vita, quam non niſi per ſumma diſcrimi-
na obtinendam Deus propoſuit, ut jam nullo me-
liori argumento ad eam me properare vobis perſua-
ſum exiſtimem, quàm ſi minimam hujus ergaſtuli
curam habens, tormenta, & mortis genera illa cru-
delia, quæ Tyrannus oſtentat, pro Chriſti fide re-
tinenda deſpexero.* Eam conſtantiam dum *Chri-
ſtiani* æquè & Idololatræ admirantur, magnus
horum numerus *Chriſtum* amplectitur; quos
B ipſe, & *Fortunatus* poſt aliquot dies baptiſmo
initiat. In his clarum *Gregorii* nomen. Hic
genere, & divitiis inter *Aquilejenſes* facilè prin-
ceps filium habuit dæmoniacis præſtigiis vexa-
tum, quem fruſtra, humanis, diviniſque ten-
tatis remediis, ad ſanitatem revocare hucuſque
conatus erat. Igitur ea, quæ *Hermagoræ* acci-
derant, ſecum reputans, & aliquid ſupra natu-
ræ vires in homine ſuſpicatus, quem nec fer-
rum, nec ignis aliquo affecerant nocumento,
ad eum accedit. Infortunium filii, familiæ ca-
lamitatem exponere, multis lacrymis remedium
exorare; in eo ſuam, filiique ſalutem pendere.
C Ille juſſos, in *Chriſtum* ſpes omnes ponere, u-
bi ſacra doctrina utrumque ſatis exercuit, ad
baptiſmum admittit; & ſimul Dæmonis impe-
rio juvenem liberat, Quod factum nobiliſſi-
mos quoſque *Hermagoræ* addixit; ut nec Ma-
tronæ ab ejus colloquio ſe abſtinerent. Inter
has *Alexandrina* illuſtris fœmina de adempto o-
culorum uſu conqueſtum veniens, unà cum ex-
terno lumine, internum mentis ſplendorem im-
petravit; & non multo poſt à *Fortunato* bapti-
zatur. Hæc ad *Sebaſtum* Sacrificuli ſui quoti-
die deferebant. Sed ille populares impetus ve-
ritus ad tutiora confugerat conſilia. Placet 102
D vindictam in aliud tempus differre. Interim ne
tacendo vires feciſſe ſeditioni videretur, *For-
tunatum* jubet comprehendi, & vinculis ad-
ſtrictum unà cum *Hermagora* adſervari. Illi
carceris otio bene uſi, *Chriſti* familiam novis
auctam pignoribus perpetuò fovent; doctrina,
& miraculis alunt; & ſuorum exemplo ad o-
mnes caſus inſtruunt. Noctu etiam aliquando
extra cuſtodiam egreſſi ſunt; ut Eccleſiæ ſuæ
neceſſitatibus præſentes inſervirent. Quod præ-
cipuè in baptiſmo *Gregorii* ferunt accidiſſe, quem
intra proprias ædes *Hermagoras* cum univerſa
familia lavacro expiavit: adeò nihil erat, quod
E captivis *Pontianus* non indulgeret; ut per eos
ſtetiſſe certum ſit, quominus proximum necis
periculum effugerint. Quæ res in primis *Her-
magoræ* auctoritatem faciebat ſingularem; ut jam
de carcere, veluti de libero quodam loco quo-
tidie ad populum conciones haberet. Nec *Se-
baſto* ad multitudinem arcendam ſatis animo-
rum fuerat. Contra Sacerdotes ira torqueri;
& ſecum die, nocteque de fortuna ſua, de I-
dolorum cultu ſublato conqueri. Stat ſenten-
tia hominem perdere, antequam cuncta perver-
tat: nihil ſe ipſos, nihil *Sebaſti* ſecuritatem
facere. Lubet in peſſum cuncta dare, modo
F ea ruina *Hermagoram* etiam attingat. Quare ut
erant cultris, & ſecuribus inſtructi, quibus in
ſacrificiis uti conſueverant, uno impetu ad *Se-
baſtum* pergunt, & jam non cunctanter, aut
precibus agunt: *Tollat quam primum de medio
Magum, & Civitatem ſuperſtitione liberet, vel ſe
neglectis, Numinibus primam actutum victimam
ipſorum manibus caſurum credat.* Res improviſa
horrorem incutit, & objecta religio omnem
cunctationem vicit. Igitur recedentibus ſacer-
do-

Alexandrina Aquil. à B. Hermagora lumen recipit.

Fortunatus Diaconus à Sebaſto juſſus comprehendi.

dotibus, ipse intempesta nocte in carcerem lictoribus missis, utrumque capite plectit. Ea laborum requies sanctissimis viris, quos in hunc modum humanarum rerum curis defunctos summo *Aquilejenses* honore sunt prosequuti. Illud futurum sibi persuasi, ut qui dùm viverent, pro eorum salute acerbissima pati non recusaverint, nunc cælo redditi, ardentiori inde studio in Ecclesiæ suæ commoda quam promptissimè ferantur. Hinc Patroni Provinciæ ab omnibus, & dicti, & crediti, & aræ magnificæ illis instructæ. Dies verò, qua occubuerunt, inter sacras adscripta; quam ætas præsens solemni cultu quotannis celebrat, & veneratur, indicto insuper pridie ejus diei jejunio, ex Provincialis Synodi decreto, quam *Utini* proximè habuit *Franciscus Barbarus* Patriarcha. Cadavera *Pontianus* sustulit, & *Alexandrina* ingenti bonorum omnium lacrymis, & plangore comitantibus

SS. Hermagoras, & Fortunatus Foro-Juliensium Tutelares.

103 in proximo agello honorificè sepelienda curavit. Nunc *Aquilejæ* nobilissimo sacrario custodiuntur unà cum ossibus Sanctarum Virginum *Dorotheæ*, *Teclæ*, *Euphemiæ*, & *Erasmæ*, & aliorum plurimorum, qui pro *Christo* ultimam passi sunt necessitatem. Quo thesauro felix adhuc, & fortunata Civitas reliquas temporis injurias minus perhorrescit. *Veneti* à principio *Hermagoram* Imperii sui tutelare Numen habuere, accepto à *Gradensi* Episcopo vexillo Divi effigie claro, quo prosperè ad bella diutius usi sunt; donec *Marci* corpore ex *Ægypto* ad eos delato, Magistrum Discipulo præferre non dubitarunt. Neque hìc prætermittam sacrificia, quibus solemniter pro infantium salute institutis, ab omni Dæmonum vexatione regionem liberatam credimus, quod *Hermagoræ* meritis Provincialium consensus pridem imputavit. Hujus Elogium in Patriarchali *Utinensi* Palatio tale est.

S. HERMAGORAS AQVILEIENSIS A S. MARCO
ALEXANDRIAM ITVRO DVCTVS ROMAM
A S. PETRO PRINCIPE APOSTOLORVM ANTISTES
AQVILEIENSIS CONSECRATVS,
VELAMINE SACRO, ET PASTORALI BACVLO INSIGNITVS,
ATQVE ITALIÆ FACTVS PROTOEPISCOPVS,
MISSIS TICINVM SS. SIRO, ET IVVENTIO
AQVILEIENSIBVS DISCIPVLIS.
ET POST TICINI EPISCOPIS AD FIDEM
IN INSVBRIA PRÆDICANDAM,
COHORTE SS. MARTYRVM, CONFESSORVM,
ATQVE VIRGINVM,
TVM INSVBRIVM, TVM AQVILEIENSIVM,
PRÆEVNTE, COMITANTE, ET PROSEQVENTE,
MIRACVLIS CLARISSIMVS,
VNA CVM FORTVNATO AQVILEIENSI DIACONO
GLORIOSISSIMO MARTYRIO TRIVMPHAVIT.

Libri Sexti finis.

104 LIBER SEPTIMUS.

Anno Domini 69.



Empora, quæ deinceps *Aquilejensibus*, & reliquis *Fori-Julii* habitatoribus usque ad *Maximinum* Imperatorem consequuta sunt, quantò minus aut scriptorum stylo petractata, aut factorum recordatione illustria apud posteros emicuere, tantò ab omni fortunæ & varietate, & acerbitate aliena magis, otii plus, & commodi secum attulisse quam verissimè existimamus. Namque non *Italia* tantùm, sed universo fermò terrarum Orbe ad unius moderationem confirmato, nulla in posterum pericula esse potuerunt, quæ Imperii Provincias diutius, aut insolentius divexarent: nisi forsitan de Principatu dissidentes *Romani*, se ipsos aliquandò perditum issent: vel circa fines tumultuantibus Barbaris, fama magis, quam ferro externorum injurias hausissent. Hoc verò non sine Divini Numinis providentia factum quis dixerit; ut ab omni armorum strepitu vacui mortales, post summos & corporum, & fortunarum suarum exantlatos labores, enixius inde, ac facilius quidem ad mentem exornandam studia quisque sua conferre, & ingenium exercere non dubitarit.

105 Quod cum superioribus temporibus sæpè usu venerit, quibus parta pace, bonæ artes in pretio haberi, & coli cœptæ sunt; in hoc tamen seculo altiori quodam modo, & munere planè divino homines in sapientiam incitati ab ultimo illo benè, beatèque vivendi scopo vix unquam, at ne vix quidem aberrare potuerunt. Illud verò his evenisse præcipuè certum est, qui ad *Christi* doctrinam amplectendam conversi, spes omnes, cogitationesque suas in illam primi contulerunt: qua, dum ignorantiæ caliginem detergunt, & novæ Philosophiæ fontibus impurum antiquorum cœnum abluunt, pulcherrimam beatitudinis speciem, atque ipsam rerum veritatem nullis ambagibus abditam, non coloribus, non fuco depictam, sed qualis esse, & quanta solet, quando Divorum mentibus se spectandam præbet, soli omnium inspexere diutius, & felicissimè sunt contemplati. Sensit Orbis felicitatem suam; & tunc primum *Saturni* tempora cœpit contemnere. Ibi justitia, & religio lapsæ cælo mortalibus apparuere: libertas verò, quæ usque ad hanc diem iniquo sub jugo pressa hosti omnium acerbissimo manus dederat, ruptis jam tandem catenis, liberum humanum genus salutat. Tunc divinationes periere, & si qua populos illudebant, oracula siluere universa. Non Tripos in *Delpho*, non *Dodonea* quercus in pretio habita. *Triphonius* ad *Thebas*, & *Apollo Tyrxeus* in *Lycia* cecidit. Sic *Nilo* suo *Serapis*, & *Ammon* arenis delituere, cam amissi Imperii confessionem perpetuo in posterum silentio Diis illis suppositiis exprimentibus. Sub eo otio privatim, publicèque *Aquilejæ Christi* cultus auctus mirum in modum adolevit. Tantum verò abfuit, ut *Hermagoræ* excidio quicquam ille de pristino decore immutaverit, ut potius novum in dies splendorem accepisse, & ex Pastoris morte immortales fidelium Ecclesia spiritus assumpsisse visa sit. Quibus non clanculum, ut ante, aut per vices, sed palàm deinceps, atque in lucem prodiens, Prætoribus idololatris bellum ausa indicere pulcherrimam omnium victoriam consequuta est. Cui rei adjumenti plurimum dedit mors Principis improvisa. Nam eo è terris sublato, unà leges ab ipso latæ antiquantur. In his adversus *Christianos* decreta abolita; nova restituta, quibus usque ad ultimos *Domitiani* annos, nullo reclamante, recens per *Romanas* Provincias religio seri, & dilatari permissa.

Hilarius Patriarcha Aquil. III. Anno Domini 70.

Quo tempore *Hilarius* Aquilejensem Patriarcha-

chatum adeptus nihil, quod ad illum exornandum pertineret, prætermisisse visus est. Nam lingua, & moribus illustris cuncta facilè persua-
106 debat, & miraculis editis præclarissimis, hominum mentes ad veritatem retrahebat, ut jam novo hoc, & salutari *Aquilejensibus* affulgente lumine, facilius populi *Hermagoræ* desiderium tolerarent. Initio ejus Pontificatus civilibus Provincia motibus concussa non mediocriter exhorruit, & parùm ab periculo abfuit; siquidem *Vitellianorum* armis primùm tentata latè belli facem reliquæ *Italiæ* prætulit, qua quidquid *Padum* inter *Alpesque* Urbium & camporum jacet, longiori postea deflagravit incendio. Mox *Antonio*, & *Varo* cuncta circa *Aquilejam* occupantibus, iterum in discrimen adducitur. Sed facili negotio *Vitellio* superato, & ad *Flavium Vespasianum* fortuna rerum summa inclinante, pristinæ restituitur tranquillitati: dum interim *Tito* Principis, filio, oppugnatore debitas ab *Hebræis* impietatis, & perfidiæ pœnas divina exigit vindicta. Qua factum est, ut post innumeras gentis clades, & infanda populorum funera, Urbis unius excidio antiquissimum eorum imperium oppressum, atque à stirpe penitus evulsum corruerit universum. Vespasianum *Titus* hic ipse excepit, orbis amor, & humani generis deliciæ ob singularem humanitatem dictus. Tito *Domitianus* successit, quantùm initio paternæ virtutis, aut fraternarum laudum æmulator egregius, tantùm novissimis temporibus *Cajo*, aut *Neroni* proximior. Ibi alteram in *Christianos* procellam excitat homo impurissimus, tanta animi acerbitate, aut perfidia, ut non generi suo pepercerit. Siquidem *Flavium Clementem* Consulem, patruelem suum, & ejus uxorem, & filiam, *Flavias Domicillas*, cum nihil aliud haberet, quo illos perderet, quia *Christiani* erant, per summos cruciatus vita, & bonis spoliavit. Inter hæc *Beronio*, Aquilejæ Præfecto, *Hilarius* impietatis defertur, & cum *Hilario* plures *Christiani* nominis accusantur. Ille vinculis constrictos ad se jubet adduci, & verbis non melius, quàm factis de constantia martyrum periculum facit: sed demum ubi fortia virorum pectora nullis tormentis labi, aut suppliciis loco moveri intelligit, inter eos eminentissimum quemque de medio tollendum existimat; ut multitudinem exemplo coërceret. Itaque *Hilarius* securè percutitur; & una *Tatianus* ejus Diaconus interficitur. Eandem sortem subiere *Dionysius Largus*, & *Smeragdus*, illustria apud *Aquilejenses* nomina; mox felici hujuscemodi vitæ exitu illustriora apud posteros futura. Die hæc acta sunt xv. ante Calend. Aprilis, quam anniversario cultu Provincia celebravit. Anno verò, si conjecturis non decipimur, nonagesimo sexto, aut septimo post

Anno Domini 96.

107 natum *Christum*, qui fuit vigesimus septimus Patriarchatus *Hilarii*. Quod, si quid aliud, antiqua certè *Hilarii* acta nobis demonstrant, quæ Antistitem mortem narrant oppetiisse *Domitiano* Principe. Hoc verò non nisi post annum Salutis nostræ nonagesimum evenisse certum est; quo tempore Imperator in *Christianos* cœpit furere. Sed cum sensim à principio id ab illo fieret, sub exitum vitæ quàm maximis potuit viribus in eorum perniciem debacchatus est, ut non injuria in nonagesimum sextum, ac fortassis etiam in sequentem Præsulis casus veniat reponendus. Adde primarium in sua Ecclesia virum, ex cujus vita reliquorum salus non obscurè pendebat fermè universa, debuisse primos illos irarum impetus declinare, & secretioribus locis sævientem Ty-
A rannorum rabiem eludere, quod *Petrus* ante ipsum, & reliqui Pontifices *Romani* tunc faciebant, quibus cavernæ, & montium recessus tutissima contra illam pestem effugia fuere. Atque hæc non tantùm ad illustranda *Hilarii* tempora dicta velim, quàm ut annorum seriem apud Historicos veteres, sed in *Chronico* potissimum *Patriarchali* passim recepto, tanquam fallacissimam arguam: quod si sequamur, manifestis deprehensi erroribus citas pœnitentiæ pœnas dabimus. Cujus rei nobis argumento sit, quod *Hilarium* decimo sui Pontificatus anno Cælo redditum Chronicon affirmat. Hoc si demus,
B jam non in *Domitiani* tempora, sed in octavum *Flavii Vespasiani* annum ut Antistitis fatum collocemus, necessarium erit. Idem error irrepsit in recensendis reliquorum Patriarcharum temporibus saltem usque ad *Aquilejæ* excidium; quorum omnium annos si summatim colligas, vix tertiam partem ævi attingent, quo res *Aquilejensium* integræ perdurarunt. Quare operæ pretium facturum existimavi, si probabilioribus veritatem assequutus conjecturis rem aliter, quam Chronicon refert, in posterum composuero. Sic præclarè futurum mihi persuadens, ut factorum illa narratio, quæ inani verborum stre-
C pitu legentium animos hucusque defatigavit, suis mox distincta spatiis, & propriis illustrata temporibus, simul cum splendore certiorem apud posteros fidem accipiat, & auctoritatem. Hæc de *Hilario* in Patriarchali Palatio *Utini* leguntur.

S. HILARIUS EXEMPLO SUI MARTYRII FECIT, UT IN SÆVISSIMA IMPP. PERSEQUENTIUM TEMPESTATE AQUILEJENSIS ECCLESIÆ CHRISTIANI IN MARTYRIO VERAM TRANQUILLITATEM NANCISCERENTUR.

Corpus Antistitis, & sociorum in majori *Aquilejensi* Ecclesia summa veneratione custodiuntur. 108

Anno Domini 97. Grisogonus Patriarcha Aquil. IV.

D Hilario *Grisogonus* suffectus est, *Græcus* genere, ut ex nomine facilè deprehenditur; quod etiam in sequentibus tribus licet observare, *Theodoro*, *Crisocoma*, & *Agapeto*; quibus ob præstantem animorum virtutem summam Ecclesiæ credere non sunt veriti *Aquilejenses*; idem per ea tempora facientibus *Romanis*, quibus *Anacletus* Atheniensis tunc impositus, summum Pontificatum egregiè tutatus est. Ejus viri exemplum sequutus *Grisogonus* in custodiendo grege sibi commisso diligentiam suam desiderari non est passus. Hoc ut commodius absolveret Divina effecit Providentia, *Coccejo Nerva* terrarum

Anno Domini 99.

E Domino constituto; mitis ingenii viro, & à cædibus abhorrenti; in *Christianos* verò deditissimo, quibus parcendum omninò duxit; si *Dionis* verba alium fortasse sensum non habent; sunt verò: *Cæterum Nerva omnes, qui impietatis in Deos rei fuerunt, absolvi voluit, & exulos in patriam reduxit.* Et paulò infra: *Neminem quoque impietatis, aut ritus Judaici accusari permisit.* Ab hoc multum distans *Trajanus* gravia multa, & atrocia in fidelium nomen admisit, & Rempublicam *Christianam* plurimum, eo Principe, laborasse veterum scripta testantur. Sed quam inani hæc omnia conatu moverent Imperatores,

Dio in Nerva.

Anno Domini 100.

F unus declarat *Plinius* Nepos, tunc Proconsulari potestate in *Bithyniam* profectus. Hujus ad *Trajanum* extant Epistolæ, quibus Civitates *Christianis* cultoribus repletas queritur, templa verò adeò ab omni hominum frequentia desolata, ut vix emptor victimis reperiretur. Adeò ubique victus Deorum inanium cultus, nova crescente religione, loco pellebatur. Tantùm quod in illa ætate doleamus illud superest, quòd plura tunc Sanctorum Virorum egregiè pro *Chri-*

Christo facta, passavè, non temporum injuria magis, quàm Imperatorum perfidia perierint. In his nulli dubium, quod res *Aquilejensium* meliores intercidere; & proinde de priscis istis Patriarchis tenuis admodum memoria ad nos pervenit. De *Grisogoni* verò factis, aut obitu nullam prorsus habemus: an ille fulmine Principis ictus corruerit, sive naturali fato vitæ concesserit. Utcunque illud fuerit, cum Cælo redditum meritò credimus, & laborum suorum præmia illa recepisse, quæ famæ jacturam omnem facilè rependant. Annos XX. divinis præfuisse rebus suspicamur. Cui in Aula Patriarchali hujusmodi dedit Elogium *Franciscus Barbarus*.

109 GRISOGONUS GREGEM AQUILEJENSEM,
FURENTE TYRANNORUM RABIE
PERTERRITUM
PASTORALIS CURÆ SOLICITO STUDIO
INTRA DOMINICUM OVILE CONTINUIT.

Theodorus Patriarcha Aquil. V.

Grisogoni locum *Theodorus* suscepit sanctissimus Præsul. Multis hunc vexatum periculis, & indigna plura ab *Christiani* nominis hostibus tulisse, Imperatorum ingenia nobis sunt argumento; quorum ætate ille *Aquilejensem* Ecclesiam rexit; *Trajani*, & *Adriani*. Truculentus uterque in *Christum*, sed intolerabilior adhuc *Adrianus* nihil omninò prætermisit, quod ad ejus cultum delendum crederet pertinere. Magna utrique certamina cum Barbaris: quibus non citra sanguinis, & laboris plurimum finem posuere. Verùm *Adriano* omnium difficillimum cum *Hebræis* bellum exoritur, quos post clades plures hinc inde datas, & acceptas domuit tandem; & usque ad internecionem fermè redegit. Urbem verò *Hierosolymam* ab ipso iterum ædificatam novis replevit habitatoribus, & de suo nomine *Æliam* voluit appellari. Porrò in ejus porta ingentis magnitudinis porcum sculpendum curavit, quo incisæ bestiæ symbolo oblato, scirent *Judæi*, se perpetuò patria carituros. Ab eo die res eorum fractæ penitus corruere: *Christianorum* contra meliores fieri. Imperatorum vires, fortunamque ipsam longe superare. Siquidem *Athenis* agenti *Adriano* *Quadratus* illius Urbis Episcopus, nobili coram habita oratione, & Apologetico insuper Libello pro Ecclesia edito, conceptum in *Christianos* furorem unus jam cœperat extinguere. Ut si qui in posterum morte sunt affecti, hoc non Imperatoris jussu factum fuerit; sed ministrorum calumniis, & astu, quo novis confictis criminibus, aut in deterius antiqua *Romanorum* jura trahentibus, plures perdere non desierunt; quod sacræ passim demonstrant Historiæ, quibus non sub ultimis *Adriani* temporibus tantùm, sed sub *Antoninis* etiam, mitissimis Principibus, sanctorum martyrum certamina passim describuntur. In his *Theodori* Patriarchæ casus non postremus, qui post multos domi, forisque pro *Aquilejensium* salute actos labores, imperante *Antonino Pio*, ut credimus, Præfecto verò Aquilejæ *Agone*, martyrii gloria illustris in Cælum
110 receptus est. Corpus tenent *Aquilejenses*; & quotannis Divo ab universa Provincia parentatur. Sedit annos XXXII. Ejus effigies in ædibus Patriarchalibus sequens habet Epigramma.

S. TEODORVS MARTYRII TRIVMPHVM
CHRISTIANÆ FIDEI CONSTANTISS.
PRÆDICATIONE OBTINVIT.

Anno Domini 151. Crisocomas Patriarcha Aquil. VI.

Crisocomæ, qui sequutus est, ut brevis Pontificatus, ita omninò obscurus. Annum non excessisse Chronicon, & Patriarchalis inscriptio asserit, quæ talis est.

CRISOCOMAS CIRCVLO XII. MENSIVM,
QVIBVS ANTISTES FVIT,
MVLTORVM ANNORVM LONGA SPACIA
PROFICIENDO PERFECIT.

Anno Domini 153. Agapitus Patriarcha Aquil. VII.

A Post hunc *Agapitus*, cujus Pontificatus longissimus præcedentis brevitatem satis compensavit. Statum hic nactus est Ecclesiæ tranquillissimum, de quo testem affero *Justinum* Philosophum, qui *Romæ* per ea tempora præclarum ingenii specimen præbebat. *Atqui*, (inquit is) *ne unum quidem est genus mortalium, sive Barbarorum, sive Græcorum, sive etiam aliorum omnium, quocunque appellantur nomine, vel Amaxobiorum, vel Nomadum domo carentium, vel in tentoriis viventium, & cum pecoribus vitam tolerantium, inter quos per nomen Crucifixi Jesu supplicationes, & gratiarum actiones, patri fabricatori rerum omnium non fiant.*

Just. Philos. & Mart. in Dialogo contra Tryph.

B Et Tertullianum nunc prætercam, qui non longè ab hoc seculo vixit, & apud Imperatorem .... hæc de Christianis ausus est differere: *Externi sumus, & vestra omnia complevimus, Urbes, Insulas, Castella, Municipia, Conciliabula, Castra ipsa, Tribus, Decurias, Palatium, Senatum, Forum. Sola vobis reliquimus Templa.* Uberrimæ hujus messis satorem, sartoremque egregium *Agapetum*, ut credamus, multa sunt, quæ nobis persuadent. Pax Ecclesiæ reddita, Augustorum tolerantia; sed *B. Pii* Pontificis Maximi sanctitas in primis, & eruditio singularis. Hic *A*-

S. Pius Aquilejensis, Summus Pontifex. *Anno Domini 158.*

C *quilejæ* honesto loco natus, *Petri* Sedem tunc tenebat. Ab eo verò loco veluti de sublimi quadam specula interfulgens, latè veritatis viam reliquis Ecclesiis demonstrabat, ut verisimile sit, non vulgares illum benè agendi stimulos in *Agapetum* præcipuè contulisse; quibus vir suapte natura fervidus promptiorem in dies de *Aqui*- 111
leja curam & susciperet, & exerceret. Porrò de *Pio* cum multa supersint ab ipso literis tradita, ex his aliqua juvet referre, ne hanc saltem partem sicco penitus pede emensi, *Aquilejensium* gloriæ, quæ maxima cum *Pio* semper floruit, parùm prospexisse videamur. Hujus
D Pontificis curarum prima in Ecclesia fuere, diem, statum, formamque celebrandæ Paschæ definire, quo *Judaizantes* populos ad *B. Petri* normam traduceret. Siquidem passim ea irrepserat consuetudo, ut quartadecima Lunæ ejus diei solemnia vulgo agerentur, quod ab *Asiáticis* observatum reliquis *Europæis*, & *Africanis* errandi occasionem præbuit. Igitur *Pius*, ne altercantium studio Apostolorum placita aliquo modo convellerentur, Dominicum diem Paschati adjudicavit, &, ut à fidelibus observaretur in posterum, decreto ad id edito sancivit. Quod divino admonente, atque etiam im-
E pellente Numine ab eo factum esse, testatum reliquit *Hermes*, sive *Hermas* Pontificis frater: edito per eos dies Libro sub titulo *Pastoris*, in quo se ab Angelo pastoris formam vultu, & corporis cultu exprimente, admonitum refert Superûm cordi esse, ut *Christiani* non nisi die octavo annuam resurrectionis memoriam colerent. Hujus *Hermæ* meminit *Tertullianus* in hæc verba:

Post hunc deinde Pium: Hermas cui germine frater
Angelicus Pastor, quia tradita verba loquutus.

Non postremæ fuit auctoritatis hic Liber apud antiquos Theologos *Athanasium*, *Eusebium*,
F *Hieronymum*, & horum similes, & legi in Ecclesiis suis multi voluerunt, quamquam inde anctoritatem ad fidem confirmandam accipere supersederint omnes, ut rectè admonet *Ruffinus Aquilejensis*. *Pii* Pontificis quatuor supersunt Epistolæ, quæ quantum ab inani hoc nostro, & turgido scribendi genere recedunt, tantùm *Christianæ* magis proximæ simplicitati pulcherrimam nascentis Ecclesiæ imaginem ob oculos proponunt, & vel ob hanc causam referendæ; sed

Tertull. cont. Marc. Lib. III. carm.
Athan. de Incar. V.
Eus. III. Hist. Eccl. 3.
Hier. de Viris Illust.
Ruff. in Expos. Symb. Athan.

sed brevitati consulentes duas tantùm dabimus, atque eas minus prolixas. Utraque est ad *Justum*, qui apud *Gallos Viennensi* præfuit Ecclesiæ. Prima ante initum Pontificatum est hujusmodi.

Pius Episcopus Romanus Fratri Justo Presbytero. Antequam Roma exisses soror nostra Euprepia (si bene recordaris) titulum domus suæ pauperibus assignavit; ubi nunc cum pauperibus nostris commorantes missas agimus. De te autem, Superbeate, postquam ad Senatoriam Urbem Viennensem perrexisti, quid factum sit nosse cupimus, & ut se-
112 *mentem Evangelii sparseris, audire multum desideramus. Presbyteri illi, qui ab Apostolis educati usque ad nos pervenerunt, cum quibus simul verbum Fidei partiti sumus, à Domino vocati in cubilibus æternis clausi tenentur. Sanctus Timotheus, & Marcus per bonum certamen transierunt. Vide Frater, ut illos imiteris sequendo, ne vinculis Mundi illigeris. Festina palmam perseverabilem cum Sanctis Apostolis tenere, quam per multas passiones Paulus suscepit, & Petrus, cui Crux charitatem Christi tollere non potuit. Salutant te Soter, & Eleutherius digni Presbyteri. Saluta Fratres, qui tecum vivunt in Domino. Cherintus Primarcha Satanæ multos avertit à fide. Gratia Christi habitet in corde tuo.*

Altera eundem *Justum*, Episcopum creatum, alloquitur in hunc modum.

Pius Episcopus Romanus Fratri Justo Episcopo S. Attalus epistolas Martyrum portaturus ad nos venit, gaudium inæstimabile faciens de triumpho eorum: qui dixit nobis, Sanctum Verum collegam nostrum victorem de mundi Principe triumphasse. Tu verò apud Senatoriam Urbem Viennensem ejus loco à fratribus constitutus, & habitu Episcoporum vestitus, vide, ut ministerium, quod accepisti in Domino impleas. Cura autem Sanctorum Martyrum corpora, sicut membra Dei, quemadmodum curaverunt Apostoli Stephanum. Carceres Sanctorum visita, ne aliquis tepescat in fide; Martyria Sancta Spiritu Sancto proba, ut perseverent in fide eis incitator insiste. Presbyteri, & Diaconi non ut majorem, sed ut ministrum Christi te observent: Plebs universa sanctitate tua protegatur. Fratres nostri, quos per Attalum recognosces, de Tyranni sævitia jam liberati requiescunt in Domino. Presbyter Pastor titulum condidit, & dignè in Domino obiit. Revelatum mihi esse scias, Collega Beatissime, citius me finem hujus vitæ esse facturum. Unum flagitabo. In commune sta, & mei ne obliviscaris. Salutat te Senatus pauper Christi apud Romam constitutus. Saluto omne Collegium fratrum, qui tecum sunt in Domino.

Anno Domini 167.

Atque hæc in epistolis. In quibus, ut cætera omittam, divinationem illam futuri obitus quàm verissimè agnosce. Siquidem anno, qui ad hæc sequutus est, quarto verò *M. Aurelii*, & *Q. Veri* Impp. felici martyrii triumpho ad Superos evolavit. Porrò nomine titulorum, de quibus in utraque fit mentio, templa martyrum nominibus dicata intelliguntur, quæ titulos, & memorias prisca Ecclesiæ consuetudo appellare consuevit; quo ab idolorum templis sua distingueret. Nomen apud *Romanos* tenent, & in hanc diem Cardinalitiæ Ecclesiæ Tituli dicuntur. Extant hujus Pontificis de-
113 creta plura, quæ à *Gratiano* collecta, suisque distincta locis, & argumentis apposite referuntur, ad quem Lectoris curiositatem rejicimus.

Romanum Pontificatum post *Pium* tenuere *Anicetus*, *Soterus*, & *Eleutherius*; quos omnes *Agapetus* factorum suorum testes proximos habuit. Sed ætate *Aniceti* duos Imperatores intra muros *Aquilejæ* conspexit, *M. Aurelium*, & *L.*

M. Aurelius, & L. Commodus Aquilejæ hibernant.

A *Commodum*: dùm contra *Marcomanos* signa moturi, illic hibernarent. Hos *Galenus* jussus subsequi, ut in Urbe tamen relinqueretur, benignitate *Marci* impetravit. Quo ille benè usus otio, ad scribendos suos *de Medicina Commentarios* animum dedit. Sed brevi *Verum* ab expeditione redeuntem apoplexia de medio itinere sustulit. Sunt, qui dicant, hunc ad *Concordiam* coloniam, quæ *Lemini* adjacet, dùm lectica veheretur, mortem oppetiisse. *Marcus* adversum *Marcomanos* solus bellum gessit: satis adversa primùm fortuna, si *Luciano* credimus. Nam vano *Pseudamantis* ille oraculo fisus, post-
B quam leones duos in *Danubium* immisit, XX. suorum millia propemodum ferro absumpta desideravit. Ea strage usque in *Aquilejam* est trepidatum; quæ ejusdem impostoris fraude parùm abfuit, quin in hostium potestatem veniret. Factum uti notum veluti digito demonstrasse contentus *Lucianus* in hæc verba concluclu dit: *His similia sunt ea, quæ in Aquileja contigerunt, cum parum abfuerit, quin ea Urbs caperetur.* Cæterum periculo defunctus *Marcus Marcomanos* subegit: atque ab his in *Quados* invectus divino certè beneficio ab imminenti nece eripitur. Quod à Mago Ægyptio *Cassius Dio*,
C ab *Christiana* Legione *Xiphilinus* acceptum refert. Cujus precibus factum est, ut Barbari fulmine, & ignibus absumpti omnium præclarissimam victoriam *Romanis* reliquerint. Sanè ejus beneficii ergo *Legio* in posterum *fulminatrix* appellata est. Et ita metu levatus Imperator *Aquilejam* repetit: & inde triumphum in Urbem duxit. Hoc fatis absumpto, *Commodus* ejus filius cœpit terrarum orbi illudere, gladiator, mimus, auriga, adulter, & quidvis aliud potius, quàm Imperator. De quo illud unum admiratione dignum, quòd cum ærumnis innumeris *Romanum* Imperium diutius vexaverit,
D nullum inter hæc *Christianis* hominibus damnum, aut incommodum intulit; ut non alio sub Principe felicior usque ad eam diem Ecclesiæ status illuxerit. Sub his *Agapetus* Patriarcha laboribus, & senio confectus extremum clausit diem, ad nonum annum *Commodi*, uti reor, & vigesimum septimum sui Pontificatus. Ejus imagini hæc adscripsit *Franciscus Barbarus*.

Galenus hos subsequutus, ibidem Commentarios de Medicina conscripsit.

Lucian. in Pseudamante.

Anno Domini 176.

Dio in M. Aurel. Xiphilinus ibidem.

Marc. Aurel. Imp. Aquilejam repetit. *Anno Domini 182.*

AGAPITO, QVIA AQVILEJENSIS POPVLI CARA SALVS FVIT: IDEO DILECTI DEO, ET HOMINIBVS NOMEN CONTIGIT. 114

Fortunatus I. post *Agapetum* Aquilejensem
E adeptus Ecclesiam, exercendi ingenii campum quàm latissimum habuit: siquidem in eos Principes incidit, qui bellum paci semper antepofuerunt, nec ærumnis finis est repertus, donec in ultimum adducta discrimen *Aquileja* non multum ab excidio distasse visa est. Plura fuere, quæ eorum temporum clades denunciarunt, in quibus templum pacis subito incendio absumptum non dubium extinctæ tranquillitatis portentum præbuit. Idem incendium *Vestæ* delubrum evastavit. Et tunc primùm *Palladium* in oculos hominum venit: arcanum illud *Romanæ* Urbis numen: & multa ante tempora ab *Troja*
F evectum, quod tunc ignibus raptum *Vestales* media sacra via in palatium detulere. Omen *Commodus* ante cunctos expertus, post paucos menses fraude *Martiæ* meretricis extinguitur. Nec *Pertinaci*, qui sequutus est, diu licuit Imperio frui. Vix renunciatus Imperator ad necem deposcitur. Nec odii causa promptior, quàm quia Rempublicam servatam voluit. Scilicet corruptissimi ejus ætatis mores, non nisi violenti remedii genere sanitati restitui debuerant.

Fortunatus I. Patriarcha Aquil. VIII. *Anno Domini 190.*

Anno Domini 193.

Anno Domini 195.

Anno Domini 196. rant. Præstitit hæc *Severus* homo Barbarus, qui per vim Imperio potitus, sanguine, & civilibus bellis universum deformavit. Nihilo patre mitior *Caracalla* cuncta in pessum dedit. Hunc à fratris cæde regni exordia auspicatum xx. millia intra aulam, quia fratrem cognitione attigerant, ferro sustulisse, narrat *Herodianus*. Ex quibus cætera quis facilè cognoscet. Horum tempestate *Tertullianus* pro *Christo* luculenter scripsit; & *Origines* ille ingenti literarum flumine inundatus *Christianam* Religionem tuendam suscepit. Inter *Græcos* hic; inter *Latinos* ille clarissimi: uterque doctrina, lingua, & morum integritate insignis; sed fœdus utriusque exitus, & vitæ anteactæ, & scriptis probabilioribus fidem detraxit. Siquidem in multos errores studio contentionis delapsi, utrique hæretica labe infecti *Catholicorum* consensu damnati sunt. Cæterùm sublato Caracalla, *Macrinus*, huic *Heliogabalus* suffecti, si quid reliqui superiorum libidinibus, aut crudelitati fuit, de suo abundè congessere. Unus *Alexander* paucorum annorum spatio Orbem
Anno Domini 224.
115 levavit. Hunc ex Imperatoribus primum à *Christianorum* sacris non alienum ferunt; ut non injuria ejus in administranda Republica moderationem scriptores omnes laudibus prosequantur. Hujus principatum attigisse *Fortunatum* credimus; genere *Afrum* fuisse, Patriarchales inscriptiones demonstrant. Secus in Chronico, ubi alterum *Fortunatum Afrum* agnosces. Sedit paulò minus annis L. de quo hæc habentur *Utini* in Patriarchali Palatio:

FORTVNATVS PRIMVS AFER, RE IPSA SANCTOS PATRES AFROS OSTENDIT MAGIS CHRISTIANÆ CHARITATIS INCENDIO VBIQVE GENTIVM EXARDESCERE, QVAM SOLIS RADIIS IN PATRIO SOLO FERVERE.

Quæ ad *Cyprianum* potissimum referri debere, illud mihi persuadet, quia sub his Imperatoribus *Carthaginensis* ille Episcopus egregiam *Christianæ* Reipublicæ operam tunc navabat, usus *Tertulliano* doctore, quem assiduè in manibus habebat. Cujus rei auctor *Hieronymus* hæc habet: *Vidi ego quendam Paulum Concordiæ, quod est Oppidum Italiæ, senem, qui se B. Cypriani grandis ætatis notarium, cum ipse admodum adolescens esset, Romæ vidisse diceret: referreque sibi solitum, nunquam Cyprianum absque Tertulliani lectione unum diem pertransisse, ac sibi crebrò dicere, da magistrum; Tertullianum videlicet significans.* Quæ hoc loci non prætermittenda existimavi, non tantùm, quia *Concordiæ* meminit, cujus apud scriptores rarissima est mentio; quantùm ut obiter colligat Lector, malorum consortio, vel sanctissimos viros labem posse contrahere. Quod *Cypriano* evenit, qui à *Tertulliano* sententiam contra Hæreticorum baptisma mutuatus, tanquam propriam postmodum defendere non dubitavit, ut à *Baronio* rectè notatum est.

Hieron. de Script. Eccles. in Tertull.

Baron. T. 2. anno 217. num. 5. 6.

Anno Domini 224. Defuncto Fortunato *Valerius* (modò in Chronico mendum non irrepserit) *Aquilejensem* Ecclesiam regendam suscepit. Quo tempore *Romani* ex diuturna illa, & intolerabili miseriarum serie ad insperatam evecti felicitatem, *Alexandro* Mammeæ filio Imperatore, aureum tunc primum seculum veluti de propinquo sunt contemplati. Adeò cuncta in eo Principe inerant, quæ ad populorum beatitudinem necessaria communis hominum consensus existimat. Prudentia in primis, & mansuetudo, & ani-
116 mus à cæde, & sanguine tantum abhorrens, ut nullum extra judicium occidi passus sit. Verùm enim verò, in tanta bonitate quid carperet, habuit invidia; vitio datum, quòd matri

A fœminæ avarissimæ nimium deditus, plura muliebri impotentia administrari pateretur. Quod ipsum, & matrem ad extremum perdidit. Siquidem dum, educto contra *Germanos* exercitu, ad ripam *Danubii* cunctatur, & parùm felici conatu inde Barbaris resistit, tyrones *Pannonii* ingenio hominis offensi, primi in *Maximinum* oculos direxere; fortem bello virum, & quem ex armentis olim, & stabulis ad summam militiæ famam sola virtus extulerat. Hunc igitur Imperatorem dicunt. Commilitonibus in sententiam adductis, extemplo *Alexandrum*, & matrem obtruncant. Sed ille oblata potestate *Anno Domini 237.*
B ferociter usus brevi in non dubiam tyrannidem ingenium barbarum vertit. *Romæ* non minus, quàm in exercitu cædes quotidie edebantur. Ipsi verò, qui Civitatibus, qui Provinciis præerant, nulla habita aut ætatis, aut dignitatis ratione vehiculis impositi ad Imperatorem rapiebantur: quos vel exilio, vel morte mulctabat; bonis certè semper, quorum gratia hæc omnia fiebant. Ad eam feritatem *Africa* primum nutare cœpit. Ibi *Gordianus* ab *Carthaginensibus* Princeps acclamatur. Et Senatus Populusque *Romanus* occasionem, tanquam divinitus oblatam complexi, continuò *Maximinum* Reipublicæ hostem judi-
C cant. Quæ necessario propemodum consilio suscepta, factis insuper audacioribus confirmantur. *Maximini* Ministri, quotquot in manus veniunt, interfecti. Legati ad Provincias missi. Urbes, nationes, ad avitam recuperandam libertatem sollicitatæ, evocatæ. Delectus ubique jussi. Arma præparata. Nec ardorem minuit nuncius de *Gordiani* cæde allatus. Nam quantò immanissimi Principis iram se excitasse, & pœnam propius imminere cognoscunt, tantò sibi enitendum existimant, ut nulla salutis habita ratione, unam evadendi spem in excidio *Maximini* reponant. Adhuc cum Barbaris in *Germania* bellum is ge- *Anno Domini 239.*
D rebat. Quare ut hostilia circum omnia esse intelligit, non *Italiam* modò, sed universum fermè terrarum orbem in ejus perniciem conjurare, *Romam* primum, quantò citius aggrediendam statuit. Igitur subitò ad iter militem instructum, quàm maximis potest itineribus, in *Italiam* pergit ducere. *Alpes Juliæ* magis proximæ fuere; quas ubi attigit, ad explorandas viarum angustias speculatores præmittuntur: nam verisimile erat, primos illos aditus *Romanos* obstruxisse; unde modica quantumvis manu hostiles impetus omnes poterant cohibere. Sed præter spem cuncta neglecta nunciantur. Sive ad id
E animum non adjecerint *Romani*, sive quia, cum 117
multæ essent viæ, non sic facilè omnes posse firmari existimarent. Quin etiam *Æmonam* ipsam *Italicarum* Urbium primam ad radices *Alpium* sitam reliquerant habitatores, & fortunis indè omnibus ablatis, penè universam diruerant, atque incendio deformaverant. Quare nullo resistente, *Maximinus* cum exercitu in *Forum-Julium* descendit. Qua tunc ille usus via copias duxerit, non est in promptu affirmare: *Æmona* præsertim ad nostram ætatem antiquata. Nam quòd *Glemona Foro-Juliensis* sit antiqua illa *Herodiani Æmona*, nec per somnium quidem suspi-

Maximinus Imperator in Forum-Julium descendit.

F candum venit; vel ob hanc saltem causam, quòd nostra citra *Alpes* est, illa ultra steterat, & præter hæc ab *Æmona Aquilejam* petentibus flumen viam disterminabat, ab *Glemona* verò nullus fluvius, ac propè ne dixerim aqua usque ad *Aquilejam* negotium facessit. Ut tantùm conjecturis locus supersit, quibus hujus itineris vestigia inquiramus. Quod faciemus, si, quæ super hoc argumento *Primo Volumine* dicta sunt, in memoriam revocabimus. Nempè tribus tantum

tum locis aditus plaustris accommodatos ex Provincia in *Germaniam* patere; primum secundum *Pontebam* ad *Villacum*; alterum ex *Goritia* in *Lubianam*; tertium à *Monte-Falcone*, & *Tergestino* sinu in proximam *Croatiam*. Primus reliquis iniquior: ubi *Alpes* illas ultra nubes obductas, colles invios, saltus, & rupium prærupta facilè agnoscas, quæ *Herodianus* ambitiosè non minus; quàm verè prosequitur. Medius lato effunditur campo; quem ideò *Atthilam* agitasse fama tenet, dùm ex *Pannonia* moveret. Ultimus asperitate propè cum primo conferendus; per quem non raro *Ottomanni* in Provinciam expeditiones suscepere, dum illi ex *Græcia Venetis* negotium exhibent. Porrò *Maximino* ab *Sirmio* Pannoniæ Metropoli in *Italiam* properanti non alia via, quàm commodior, & brevior erat ineunda; quævè minus ab hoste posset circumsedi. His verò *Goritiensem* commodis frui nullus est, qui nesciat. Quæ rectà in *Pannoniam* exporrigitur, nullis periculis, aut impedimentis obnoxia, si *Geldrudæ* lucum excipias. Contra in reliquis omnia importuna. *Tergestina* longitudine, & angustiis laborat: *Pontebanam* præcipitia territant. Ut nihil magis ab *Maximini* solertia alienum appareat, quàm si se ipsum, & copias suas his voluisset difficultatibus intricare. Quare satius crediderim; *Herodianum* locorum ignoratione deceptum montium juga, & scopulorum asperitates Historiæ suæ innexisse, dùm ipse *Italiam Alpibus* ita obductam credit, ut nulla ex parte commodè possit adiri. Cæterum
118 de *Æmona* mirum, quòd nusquam apparet. Nam post hanc calamitatem fuisse restitutam, & cultu floruisse insigni, ex posterioris ætatis scriptoribus satis constat. Unus *Wolphangus Lazius* situm designat propè *Lubianam*, quem nunc *Iggium* appellant. Hunc fuisse *Æmonam* ex *Romanorum* monumentis sibi persuadet. Monstrantur etiam antiqui Oppidi vestigia in silva *Geldrudis*: quod proximius vero est *Æmonam* fuisse. Nam silva, & locus *Goritiense* solum propemodum attingit. Ut jam non inani argumento fuerit demonstratum, *Maximinum* per hanc partem in *Italiam* penetrasse. Cui quisquis addat ea, quæ mox de ponte, & de flumine subjiciemus, quàm verissimè colliget, quantùm loca hujusmodi *Goritiensi* viæ conveniunt, tantùm à *Pontebana* toto Cœlo distare, & in *Herodiano* melius eloquentiam, quàm veritatem admirabitur.

Interim *Romani* rebus suis intenti novos Imperatores deligunt *Maximum Pupienum*, & *Clodium Albinum*, spectatæ nobilitatis Senatores, quibus jussu populi *Gordianum* adolescentem adjiciunt. His Reipublicæ cura commissa: videant illi, ne quid hæc detrimenti patiatur. Inter eos verò ita convenit; ut *Albinus* Romæ præsidio sit, *Pupienus* contra *Maximinum* pergeret. Jamque ille *Ravennam* pervenerat, & exercitum novis delectibus contrahebat, non ex *Italis* tantum, sed ex *Germanis* etiam, qui *Pupieno* auxiliares promptissimè accessere, ob multa ab eo pridem in populares suos collata beneficia. Sed cura de *Aquileja* in primis novos Imperatores, & Senatum anxios faciebat, Scilicet hanc Barbarorum faucibus objectam, primùm Tyranni furorem excepturam: Urbem summæ auctoritatis, & post *Romanam* alteri non conferendam; qua capta, reliquas manus daturas apparebat; sustentata verò, reliquis animus, & vires accessura. Igitur pro illius propugnatione extemplo illuc Consulares Viros duos mittunt cum summa potestate, *Crispinum*, & *Menophilum*, qui Civitatem in of-
A ficio continerent, dum *Pupienus*, justis comparatis copiis auxilio accurrat. Sed is fuit tunc rerum *Aquilejensium* status, ut nec auctoritate ad servandam fidem, nec milite ad sui defensionem indigeret; namque *Romana* pridem Oppidum donatum Civitate, & patriciis hactenus auctum familiis non aliam, quàm *Romanam* fortunam multò ante sibi animo destinaverat. Populi verò multitudine, & loci situ munitum nihil minus quàm hostiles impetus verebatur. Ad quod accedebat, quòd ex vicinis locis non aspernandam Comprovincialium manum recens acceperat; quæ
B desertis vicis, & Castellis in unam *Aquile-* 119
jam, tanquam in commune salutis hospitium confugerat. Sed præter hoc ingens hospitum, & mercatorum numerus aderat, qui circum à continente non tantùm, quàm à pelago Urbem frequentabant, *Illyricis* inde, & *Germanis*, atque etiam *Italiæ* universæ necessariam rerum copiam asportaturi. Quare factum, ut mortalium in ea multitudo esset incredibilis. Ex quibus bello idoneos armis instruxere Duces, & per centurias divisos ad Urbis custodiam præposuere. Inde ad instauranda mœnia conversi, quidquid superiorum temporum tranquillitate neglectum corruerat, tunc summa celeritate re-
C ficiunt, & pinnis, castellisque novis additis enixius confirmant. Pons quadrati lapidis steterat ad *Sontium*, ubi desinit via *Goritiensis*, de qua modò dictum est. Loci situm inter *Gradiscam*, & *Goritiam* nostri *Mainizam* dicunt. Pilarum fundamentis adhuc memorandum, opus illud Triumvirorum, qui coloniam deduxere, de quo in *Cimbrorum* expeditione mentionem fecimus: & armis nequicquam ab *Romanis* defensum memorabamus. *Crispinus* ergo, ne quid tale sibi contingeret veritus, periculi aleam declinans, pontem universum rumpit, ac resolvit; ea diligentia ad commeatum colligendum usus, magna frumenti copia Urbem instruxit. Aquas dabat fluvius mœnibus effusus, & rivuli intus insulas irrigantes. Porrò *Maximinus* ira percitus, & omnis impatiens moræ, ubi *Italiam* oculis hausit, *Pannoniorum* aciem electissimam ad Provinciam recipiendam ante se mittit. Hi transmisso *Sontio*, quà per colles, quà per planitiem evecti regionem discurrunt. Sed nullibi habitatores apparere. Vasta omnia, & deserta conspicere. Portas Castellorum apertas, domos vacuas, agros si-
E ne cultoribus; ut jam in alium orbem se venisse crederent. Admirantibus causam longè *Aquilejæ* propugnacula emicuere. Et jam fremitus virorum, & fulgor æris omnem dubitationem sustulerunt. Nempè Provinciæ illud receptaculum esse, quo turba pavore consternata se ipsam incluserit. Quare concitatis equis ad illam opprimendam feruntur. *Crispinus* portas occluserat pridem, & suos pro muris dispositos omni missilium genere armaverat. Quæ, venientibus *Pannoniis*, ex superioribus locis protinus discussa, ingentem eorum stragem fecere. Res inexpectata primos ordines laxavit, & me-
F tum reliquis incussit. Sed eò ventum erat, unde non sine dedecore licebat pedem referre. Igitur utcunque possunt, contra nituntur. Sagittis invicem, & telis mortem inferunt; aliqui etiam *Natissæ* ausi se credere in Urbem pergunt evadere. Scalas alii admovent, & murum manu 120
posse capi suis ostendunt. Quos omnes *Aquilejenses* facilè repellebant, & lapidibus oppressos conficiebant continuò. Donec per tenebras certamine intermisso, Barbari irritæ oppugnationis nuncii ad *Maximinum* revertuntur. Cæterum *Cri-*

spi-

spinus, & *Menophilus* eo virtutis experimento contenti, belli prima rudimenta ab hostili cruore *Aquilejenses* inchoasse maximè lætabantur; quos ut confirmarent magis, & ad Reipublicæ defensionem capessendam incenderent melius, in unum sequenti die advocatos non vulgari laudum genere cumulant. *Dignum illos conceptæ de se opinioni, dignum Patriæ facinus externa propugnatione edidisse: cujus se non testes tantùm, sed laudatores etiam amplissimos apud Senatum, apud terrarum orbem futuros. Nunquam animo; nunquam verbis excisurum,* Aquilejenses *primos fuisse, qui recuperandæ libertatis exemplum reliquæ Italiæ præbuissent. Qui uni barbaris* Maximini *consiliis ausi resistere,* Romanæ *Reipublicæ Majestatem sustentassent. Macte ergo virtute: & quantam præclaris initiis sibi fecerint laudem futurorum discrimine non sinant obscurare. In eos omnium hominum oculos, mentes conversas: fortitudinem, constantiam contemplari: inde fortunarum suarum eventus singulos sibi ominari. Ad earum casus cætera successura haud dubiè interpretantes. Sed præclarè illa, & ex sententia successura, se non tantùm sperare, sed quàm verissimè etiam polliceri, si firmos illos, & inexpugnabiles murorum ambitus, fossarum profunditates, propugnaculorum robora, eo, quo cœperunt ardore, pergant tueri. Si pectora illa, quæ ingenti cum suo damno vidit hostis armata, pro Patriæ salute pergant periculis objectare. Stent modò, & contra primos impetus se viros exhibeant. Reliqua facilè confecturos.* Pupienum *Ravennæ exercitum parare,* Romæ *alterum conscribi.* Africam, Gallias, Illyricum *ad damna Tyranni vires exerere. Si paulùm hic admittamur, si moram injiciemus, extemplo audaciæ pœnas pendentem videbitis. Nempe dum nos in amplissima Civitate, armis, commeatibus, viris abundè instructa, sedendo, & nihil faciendo diem ex die terimus, hunc ipsum dierum mora, & sola cunctatio conficiet. Quem verisimile est, interim commeatum, auxilia, suorum promptitudinem, atque etiam animum fortassis desideraturum. Nam quo animo creditis, Cives, exercitum inter prædas usque ad hanc diem, & gulæ irritamenta se solitum oblectari; mox circa unam Urbem cunctabundum longioris obsidionis incommoda laturum? Quid si pau-*
121 *latim mari, & terra itineribus obstructis alimenta incipiant minui? Quid si fame, fastidio, laboribus afflictis repente circa* Romanorum *arma concrepent? novi exercitus exitium intentent? gladios jugulo admotos hauriant? quamquam hæc illos expectaturos non est credendum, qui pridem Ducum suorum, & Imperatorum cædibus assueti, facili compendio rerum suarum incolumitatem* Maximini *saluti anteponent. Sed utcunque ista eveniant, unum est, quod prætermittere non debeo; majores nostros plura, difficillima, & præclara bella virtute, & sola patientia confecisse, quibus nihil aliud quàm gloria, aut Imperium quærebatur. Nunc eò ventum est, ut non de nomine, aut de rebus partis sit certamen futurum. Rem cum eo hoste habemus, qui nihil in nobis reliqui faciet. Libertatem, opes, conjuges quærit, natis inhiat. Sed quid natos moror? anima nostra est in dubio, pro qua si periculum, quodcunque illud tandem fuerit, subire recusatis, nec amor patriæ, nec Reipublicæ studium, nec liberorum charitas stimulos facient acriores.* Hæc ab universa concione plausu accepta singulari, summopere ad confirmandos animos valuere. Sed *Maximinus*, secus ac crediderat futurum, de *Aquilejensium* virtute nuncio accepto, magis in eorum perniciem accendebatur. Igitur, ut prima luce *Sontium* transirent, omnibus edicit. Ferunt, jam tum in ipso itinere infelicis exitus signa non inania accepisse. In tentorio dor-
A mienti canes plus quam duodecim ululantes circumsistunt, & ibi animam quasi flendo posuere. Postero die instructam aciem præcedenti, mulier lugubri habitu, & passis crinibus ocurrens, dùm sæpius *Maximini* nomen repetit, ante pedes provoluta extinguitur. Hæc horribiliora faciebant malè factorum conscientia, & admissa in *Alexandrum* crimina; quibus veluti furiis divexatus, vix jam stare loco poterat. Auxit terrorem *Sontius* sub eadem nocte ad summam auctus altitudinem. Amnis hic suapte natura mitis, & vado interdum superabilis; à propinquis montibus in *Adriaticum* fertur, ut pri-
B dem est monstratum, quem si pluviis, aut nivibus effusis augeri contingat, nihil est, quod ejus impetum possit sustinere: adeò cuncta in præceps rapit, & undis demergit, & fortè illud tunc acciderat, ut hiberno sole nives solverentur. Quare ingentem ille nactus magnitudinem cursu omnium violentissimo latè regionem infestabat. Una *Germanorum* cohors placidis popularium fluminum ripis assueta, dum furorem illum aspernatur, unà cum equis alveo se credidit, quos omnes facilè vortex absumpsit. *Maximinus* incertus, quid rerum ageret, quando navigia ad manus non erant, tri- 122
C bus diebus ad flumen substitit fabros opperiens, qui ad conquirendam materiam pro pontis ædificatione missi fuerant: sed res erat longioris laboris, & milites expectationis impatientes non obscurè incendebantur. Nam jam rerum penuria exercitum incesserat, & spes illa, quæ cunctorum animos primùm imbuerat, ut Provincialium bonis laboriosi itineris damna compensarent, evanuerat prorsus; ut potius se in omnium rerum difficultates adactos quàm verissimè existimarent. Quare fiebat, ut murmure primùm tacito secum mussitarent Centuriones, mox etiam apertè de Imperatore conquererentur: quæ
D hominem suopte ingenio ferum facilè ad vindictam stimulabant. Et parum abfuit, quin multos è medio tolleret: & non nisi precibus exoratus militum sanguini pepercit. Hæc verò odium illi apud universos fecere, quod in aliud tempus delatum, tandem in ejus perniciem erupit. Ad hunc modum res propè ad seditionem venerant; quando paucorum ingenio conficiendi pontis ratio inventa reliquos in officio continuit. Abundabat regio vinetis, quorum usque ad hanc diem maximus in his locis proventus: & habitatores, cæteris rebus ablatis, cupas reliquerant plures (amplioris vasis est id genus) quibus, omisso torculari, ad vinum exprimendum utebantur, & nunc etiam utuntur
E *Foro-Julienses*. Namque ubi pedibus in his uvas maceraverint diutius, & presserint diligentius, per noctem ibi, & amplius mustum permittunt decoqui, donec vi naturalis caloris vinaceis in sublime evectis, illud à sordibus repurgatum eliciunt. Igitur has cupas nonnulli ad *Maximinum* adducentes docent, si simul plures in aqua catenis jungantur, & cratibus desuper, arenaque stratæ ad cursum fluminis firmentur, haud difficulter ex his pontem futurum, ad traducendum exercitum aptissimum. Quod cum face-
F ret ille, copias nullo negotio in alteram ripam deportavit. Ibi antequam ulterius progrederetur, visum est Legatis *Aquilejensium* animos tentare. Missi Centuriones aliquot, & Civis *Aquilejensis*, qui fortè stipendia merebat. His jungitur, ut ad reserandas portas Cives hortentur, factorum oblivionem promittant, & præmia: si secus pergant facere, cunctis paratam necem, & patriæ excidium expectent certissimum. Quæ inani sub muris jactata conatu, magis ad

H. Palladius.

sui defensionem *Aquilejenses* erexere. Quare furens, fremensque *Maximinus* exercitum ad Urbem quàm primum admovet. Objecta circum ædificia solo adæquat; non segetem, non arborem felicem relinquit. Et quando non erat amplius, in quod sæviret, fluminum alve-
123 os, & aquarum fontes medicamentis nititur corrumpere; ita admoto ad mœnia milite, subita oppugnatione tentat locum capere. Sagittarii eminus dispositi pinnarum summitates verrebant. Magis propinqui Legionarii arma expediunt. Tunc unusquisque pro ingenio telis, lapidibus, glandibus pugnare. Pars succedere, & murum qua parte adiri poterat, suffodere; modò scalis aggredi; nihil denique prætermittere, quo propius manibus pugnam faciant. Sed *Aquilejenses*, domibus cunctis, & Templis clausis, universos ordines, non virorum tantùm, sed & mulierum pro muris collocaverant; ut alter alterius exemplo incitatus, proprio quisque periculo, & capite, si sua sors ferat, servatæ patriæ decus, & parta victoria judicaretur. Igitur contra omnes obnisi; tela manu, saxa machinis intorquere: quæ valido cum impetu librata etiam eos, qui longè substeterant, vulnerabant. Ad hæc paraverant picis, & bituminis vim ingentem, quam sulphure ardenti mistam in subeuntes dispergebant, tanto cum eorum damno, ut cedere coactum sæpe in adversam partem agmen resilierit. Tunc funera passim edebantur, & mortales hinc inde cade-
A bant; sed multò plures ex *Maximini* exercitu, quibus nullum ad evitandos ictus erat subterfugium. Ignitæ materiæ præ cæteris incommodum inferebant, quas nullum armorum genus poterat arcere: sed ubi semel milites apprehenderant, ad vivas corporis partes perveniebant; quibus corruptis, arma abjicere, & semianimes à certamine recedere cogebantur. Atque ex his alios oculis captos, quosdam brachiis mutilos vidisses incedere, aut altero crure truncatos per arenam reptare. Plures incensis loricis decurrere: qui ubi à pugna paulùm processerant, doloris impatientia humi provolvebantur; ibique
B per summos cruciatus animam emittebant. *Maximinus* extra teli jactum positus certamini aderat, bonorum hortator assiduus, ignavorum increpator acerrimus; nunc hos, nunc illos verbo, præsentia urgere, ad benè agendum incitare: modò præmium, modò pœnas ostentare. Sed omnia in cassum fiebant. Siquidem quò longius certamen trahebant milites, tantò sui periculi sensum majorem percipiebant. Unde laboribus, & vulneribus fessi, multùm quamvis repugnante *Maximino*, ad extremum in tentoria dilapsi sunt: tanta animorum sive impudentia, sive alienatione, ut multos non e-
C rubuerit ejus fugæ auctorem *Belum* Aquilejensem Deum facere; quem pro mœnibus pugnantem, & imbrium ritu tela, facesque spargentem se conspexisse memorabant.

Libri Septimi finis.

124
LIBER OCTAVUS.

Anno Domini 239.



SEd Imperator, rei malè gestæ causam in milites, & Centuriones rejiciens, ex his nonnullos comprehensos capite damnavit, alienissimo tempore, quo suorum animos potius nullo non officii genere debuerat demulcere. Sed ita sunt humana, ut in sui perniciem quisque facilè feratur. Namque hæc *Maximino* exercitum summopere infensum reddidere. Ad quæ accesserant commeatus difficultates, & spes illæ ingentes, quas singuli de *Italia* sibi fecerant, sub ipsis initiis propemodum frustratæ, ut jam minus hilares ad obeunda munera se exhiberent milites; quidam etiam convitiis Imperium detrectarent. Contra, *Aquilejenses* ad primos rerum successus reliqua sibi interpretantes, majoribus in dies animis augebantur, ut jam propè despicerent *Maximinum*, quem de muro jocis, & probris insectabantur assiduè: & filio præstanti forma juveni, quem secum habebat, muliebria turpiter objicere non sunt veriti; quæ altius animis recepta graves patri, natoque curarum stimulos addidere. In tantum verò audaciæ illos crevisse vix patiebantur, quos
125 solo aspectu potuisse deleri pridem confidebant. Nunc quibus armis, qua fiducia in reliquam *Italiam* exercitum ducant? Qua fronte *Romam* pergant oppugnare? Igitur cum animo destinassent, nonnisi Civitatis excidio satis conceptæ de virtute eorum opinioni, satis præsenti rerum necessitati se facturos, enixius ad instaurandum
D certamen vires, & animum convertunt. Machinas antè cuncta, quascunque possunt, ex materia ædificiorum, quæ locis proximis diruerant, instituendas curant. Turres, arietes, testudines parant, Quæ postquam absoluta sunt, milites ad se vocatos in hunc modum alloquuntur: *Illos tot terrarum spatia, flumina, montes emensos, ut condignam de Populo* Romano *vindictam sumerent, ut Imperium, quod semel dederant, confirmarent, quæ si perficere in animo habent, illud modò videant, quantum à rebus suis sit alienum circa unam Urbem diutius immorari, vel potius ab una Urbe tot præclaros eorum conatus,*
E *aut longius deludi, aut certè quàm incommodè impediri. Hoc non magis ad Imperatoris salutem, quàm ad exercitus dignitatem pertinere. Se volentes illos, atque etiam impellentes in* Italiam *adduxisse, ad quam cum pervenerint, cur ab iis debent cessare, in quorum gratiam expeditionem susceperint? Scilicet* Aquileja *negotium facessit, Urbs non adeo magni nominis, non armatorum præsidio, non munitione firma. Multitudine verò onerata potius, quàm defensa. Quæ si cum militum nostrorum robore*, inquiunt, *numero, felicitate conferatur, non sine rubore etiam venit nominanda. Attamen hæc ipsa, quam primo impetu in potesta-*
F *tem debueramus redigere, acerrima omnium oppugnatione tentata, nec vires, nec animum submisit, nobis verò ignaviam, socordiam, stuporem adeo incussit, ut quò properemus, quid tentemus, insuper nihil habeamus. Una scilicet malefactorum excusatio superest, quia ad manus machinæ non fuerant; quorum in oppugnationibus usus est admodum necessarius. Nam, si reliqua spectes, nihil est fortè, cur in tam inæquali pugnandi occasione, aut militis studium,*

dium, aut promptitudinem possis desiderare. Sed modò, machinis extructis, & pugna cum oppidanis exæquata, quam deinceps desidiæ nostræ defensionem obtendemus? Omnia, ut videtis, sunt in promptu, & quæ ad convellendas Urbes humana excogitavit industria, fossæ citius admovebimus. Vestrum erit nunc factis ostendere, quantum à tumultuario illo, & subito certamine compositum hoc, & verè militare oppugnandi genus distet, & quantum virtus arte, & disciplina proficiat. Quod facietis profectò, si eo animo, quo tot præclara nobis-
126 *cum aggredi non dubitastis, minimum hoc laborum vestrorum additamentum capessetis, in quo nihil à vobis alienum exposcimus. Tantum fidem, constantiam, fortitudinem requirimus, quibus per tres continuos annos in* Germania *multo his majora confecistis. Hæc si in vobis nunc eadem sunt, nihil est, quod de* Aquilejæ *excidio dubitemus; nihil, quod* Romanorum *minas insuper faciamus. Nam, si semel hanc ferro viam aperiemus, mihi credite, quod armorum solo strepitu, & victoriæ nomine obruta, ultrò supplex cervicem submittet* Italia. *Cujus rei id vobis argumento sit, quod non campo, aut acie fortunam illa suam credere sustinuerit; sed muris abdita, & turribus latens, ut fugitivi faciunt servi, extremum supplicium usque ad hanc diem declinavit. Ite igitur commilitones, & latebras hasce quantumvis lapidibus septas tentate, excutite; specus reserate: pavidæ verò, & de salute sua nihil speranti actutum manus injicite, de quâ postea apud vos erit deliberatio, an capite plexa vitam simul cum bonis relinquat, vel Imperio viduata perpetuam apud vos ætatem servitio transigat.* Hæc à *Maximinis* jactata iniquissimis animis à militibus accipiebantur, quibus pridem longè his contraria rumores dissipati persuaserant, ut jam nullus propè esset, qui populi *Romani* vires in eorum perniciem instructas summoperè non reformidaret. Nec defuere, qui *Pupienum Ravenna* movisse nunciarent, copias ingentes secum adducere; hunc *Italiam* insequi universam: se interim verbo quidem *Aquilejam* obsidere, sed re ab *Romanis* invicem premi, circumveniri; commeatum interceptum; auxilia prohibita. Quis non magis obsessos, quàm obsidentes dixerit? Quibus si diutius ea perduraverit obstinatio, aut fame pereundum, aut sub hostium manibus ab omni corporis vigore destitutis breviter erit cadendum. Inter hanc ancipitem studiorum sollicitudinem, milites ad oppugnationem trahit *Maximinus*, quæ à principio verè *Romano* apparatu tractata non parum *Aquilejensium* animos, & vires defatigavit. Siquidem supernè de turribus pugnantibus *Maximinianis*, à quibus omni missilium genere oppidani perpetuò infestabanbantur, infrà verò ariete crebrioribus ictibus murum quatiente, res non multum ab expugnatione abesse videbatur. Sensit periculum *Crispinus*, & confestim sagittis incensis, quas prius apta ad ardendum materia imbuerat, in tormenta directis, metum omnem ab Urbe in hostes avertit. Siquidem facile ligna flammam accepere, quæ late in machinas effusa temporis momento tot dierum labores miserabilem in modum depopulatur. Sic ba-
127 listæ, arietes, catapultæ corrupta periere, ut in nullos postea usus possent occommodari. Turres, quæ recentibus intectæ coriis, & frigida sæpius infusa, vim æstus diutius sustinuerant, ad extremum & ipsæ incendio altius accepto, omnes fermè perierunt. Fœda ibi militum strages, & dira pereuntium exempla. Plures à fumo, prius quàm igne circumvenirentur, suffocati extinguebantur. Quidam mediis flammis cremabantur. Nonnulli per fenestras se præcipitantes, dum imminentem necem effugiunt, in non minora discrimina inci-

A debant. Nam, aut collisa cervice illico exspirabant, aut fractis cruribus; & corpore lacero in longiores cruciatus servabantur. Fremit *Maximinus*, & Superos querelis onerat universos. In suos verò, quando in hostes non licebat, rabie conversa, non paucos, quasi malè pugnassent, stricto gladio obtruncat. Nox interim prælium diremerat; & ille amicis in tentorium advocatis, de expugnanda Civitate pertinacius consultabat. Illud animo certum, & obstinatum, nolle, nisi deleta *Aquileja*, inde pedem referre. Sed milites dudum Imperatori suo infesti de communi salute seorsum & ipsi
B deliberabant. Jam singulos incepti pœnitet: & non præsentis rei tædio magis, quàm futurorum discrimine anxii expeditionem illam simul & se ipsos execrabantur. Nec jam ullus est, qui pro immanissima bellua sanguinem velit effundere, aut periculis caput objectare. Igitur rupta semel in duces reverentia, cœptum inter eos disquiri, qua potissimum ratione cervicem jugo exsolvant. Extrema tantum occurrebant remedia, ut Tyrannum morti dederent, in cujus gratiam *Romanorum*, atque adeo totius orbis terrarum odium meritò subiissent. *Romana* cohors fuerat, olim in Monte *Albano* stativa habere
C solita, ibique liberos, & uxores reliquerant. Ab his facinus primò mente destinatum in reliquos demanavit. Quare impetu in tentorium facto, postquam de signis Imperatorum imagines dextraxere, *Maximinum* unà cum filio ad tumultum sedandum prodeuntes telis intentis confodiunt; & capitibus abscissis, corpora ad ludibrium insepulta projiciunt. Tunc ad muros *Aquilejæ* concursu singuli advolare, facti rationem edocere, ut portas aperiant petere, inopibus non tantum, & omnium bonorum egenis, sed de oppidanis insuper benemeritis, ut subveniant, obsecrare. *Crispinus* non temerè infido militi
D Urbem credendam ratus, intra portas Cives continuit. Tantum de muris, quæ ad sublevandum exercitum fuerant necessaria, præbebantur. Advenit inter hæc cum copiis Imperator *Pupienus*, qui, *Maximini* militibus in fidem susceptis, cunctorum oblivionem indixit. *Aquilejam* verò ingressus nullo non laudum genere cives 128
exornavit. Sic *Aquilejensium* virtute periculosissimo tempore Respublica adjuta pari officio in posterum Civitatem fovit, & honoribus additis mirum in modum auxit. In his præcipuus, Templum, quod *Veneri Calvæ* in perpetuum *Aquilejensium* matronarum decus, *Romæ*
E sub ea tempestate Senatus dicavit; quia illæ de capillis funes fecissent, cum deessent civibus nervi ad immittendas sagittas: cujus facinoris memoriam à gravissimis auctoribus commendatam, nec nos, qui sigillatim res *Aquilejensium* prosequimur, debemus omittere. *Cæsar Baronius* nostri ævi scriptor egregius, de cujus singulari diligentia in perscrutandis antiquorum monumentis aliàs à nobis dictum est; tunc primùm accidisse existimat, ut *Aquileja* in posterum *Romana* Civitas diceretur: quod *in Annalibus*, & *in Martyrologio* suo scriptum reliquit. Nos *Candidi* testimonio ad *Augusti* tempora hanc honoris prærogativam refere-
F bamus. Illud porrò certum est, post hanc de *Maximino* victoriam Antistites *Aquilejæ* Romanos Episcopos cœptos appellari. Quod in *Chromatio*, & *Niceta* præcipuè factum videbimus. Dignum quidem illud tantæ virtutis testimonium, sive hoc Principum privilegiis, sive, ut credere potius juvat, communi totius orbis favore, & studio fuerint *Aquilejenses* consequuti. Gravioribus istis de Civitate suffragiis, levia etiam liceat adjungere. Memoriam de *Maximino* apud *Foro-Julienses* diuturniorem fe- cit

Maximinorum cædes.

Templum Veneri Calvæ Romæ à Senatu dicatum in honorem Matronarum Aquil.

Jul. Cap. in Maximino. Barthol. Plat. in Anth. C. Bar. Ann. T. 2. ann. 240. Idem Martyr. 22. Jun.

Joan. Cand. comm. Aq. 2.

Jul. Cap. in Maximino minore.

Barth. Plat. in Anth.

cit calceus ipsius in luco inter *Arsiam*, & *Aquilejam* dicatus, vel ob hoc memorabilis, quia pede major fuerat omni humano vestigio. Unde Adagium in vulgus eductum, quo proceros nimium, & ineptos homines *Maximini caligas* dixit antiquitas. Hæc ex *Julio Capitolino*, in quo, loco *Arsiæ*, sine dubio *Alsa* est reponendum. Est autem *Alsa*, ut jam dictum est, flumen regionis celebre; quod non longè ab *Aquileja* in *Marianam* paludem exoneratur, inter quod, & Civitatem luci ingentes usque in hanc diem succrescunt; ut verisimile sit, ut plerumque solent alia facere Librarii, quod pro *Alsa*, *Arsiam* exscripserint. Sed de alio loco ejusdem *Julii Capitolini* major adhuc insurgit dubitatio, quæ nullis hucusque conjecturis potuit explicari. Est autem, ubi *Maximinorum* iter in *Italiam* commemorans, Urbem, quam vacuam primum offendere, tum *Æmonam*, tum *Archimeam* vocat: nisi quis velit *Æmonam* Glemonæ nomine, & *Artheneæ* Archimeam interpretari, quorum *in Primo Volumine* facta est mentio. Atque *Artheneæ* quidem Castri vestigia propè *Glemonam* de-
129 monstrantur, & locus circum habitationibus colitur. Cui sententiæ illud videtur adstipulari, quòd auctor non extra *Alpes*, sed citra, atque in *Italia* ipsa sitas hasce Urbes perscribat, nec alicujus interim fluminis mentionem faciat, quo *Maximini* impetus impedimentum acceperit, ut sic non immeritò, illum copias duxisse per *Pontebam*, quis dixerit: à qua *Ventionum*, & post illud prima *Glemona*, mox *Artenea* occurrunt. Sed hæc omnia, & viarum asperitate, & certa *Herodiani* ejus tempestatis scriptoris de flumine enarratione objecta, pridem diluimus; neque, ut his occeptum interturbem cursum, permittemus.

Anno Domini 240. Anno Domini 241. Anno Domini 246. Vincent. Lirens. advers. Hæres. C. 23. Paul. Oros. Lib. VII. Cassiod. in Chron. C. Bar. 2. T. anno 246, Anno Domini 253.

Post extinctum *Maximinum* in secula mitiora *Romanum* Imperium provehitur: quibus *Maximus Pupienus*, & *Albinus*; mox *Gordianus* junior, & *Philippi* duo terrarum orbi præfuere. Hos *Philippos* fama refert *Christianos*. Quod *Vincentius Lirensis* invexit primum, *Orosius* post illum, & *Cassiodorus* constanter affirmare non dubitarunt. *Baronius* addit, quarto illos Imperii anno ad *Christum* accessisse. Quod, si quid aliud, mores eorum post quadriennium in melius immutati confirmare videntur; & amplissimi Senatus in demortuos favor; quo illos, non æquis certè *Decii* auribus, inter Divos referendos censuit. Nobis quidem illud satis persuasum est, *Quirinum* Philippi Imperatoris fuisse filium, qui ætate *Diocletiani* Aquilejensem Ecclesiam administravit, & pro *Christi* fide martyr immortalem vitam est consequutus. Initio Principatus Decii *Valerianum* Patriarcham ad Superos evolasse, magis opinione ducti credimus, quàm testimonio nixi confirmamus. De quo in Patriarchali Palatio nullum extat monumentum; quod ab Elogiorum auctore prætermissum est sanè, sive quia verè suppositium hunc Pontificem crediderit, & ad supplendum locum à Chronico invectum: vel quia cum duo occurrissent *Valeriani*, alterum errore additum putavit; quod etiam in *Fortunato* ab eo factum, inferius dicemus. Nos *Valerianum* hunc post *Fortunatum* primum posuimus in primis Chronicon sequuti: & auctoritate *Candidi* mox confirmati, qui *Fortunato* primo *Valerianum*, huic *Benedictum*, & Benedicto *Quirinum* sufficit. Illud liquet, inter *Fortunatum*, & *Quirinum* annos paulò minus LX. intercessisse: quos omnes, nisi aliquem interseramus, unus *Benedictus*, sive, ut nos instituimus, *Maximus* occupasset. Hoc verò dicere

Valerianus Patriarcha Aquil. IX.

A monstri simile fortassè foret. Atque sanè, ut de supplendo loco cum *Candido* facilè sentimus, ita, ut pro Benedicto *Maximum* reponamus, persuasit antiqui codicis exemplar, quod *Maximum* hic pro *Benedicto* habet, & *Benedictum* in 130
locum *Maximi* rejicit. Ad quod mirificè facit auctoritas *Romani* Concilii à *Julio Primo* celebrati, anno Domini 337. quod *Benedicti* Patriarchæ subscriptione firmatum circumfertur. Ut necessarium sit, ipsum longè post hanc ætatem vixisse. Sed de his plura, quando *Benedicti* Pontificatum stylo attingemus.

Maximus Patriarcha Aquil. X.

Igitur, defuncto Valeriano, *Maximus* Pa-
B triarcha creatur. Hunc infelicissimo omnium tempore ad Episcopalem dignitatem evectum multa sine dubio & acerba, & crudelia sustinuisse, ea nobis sunt argumento, quæ de *Decii* immanitate in *Christi* fideles debacchata sacri referunt scriptores. Septimus hic post *Neronem* feralia contra *Christum* promulgavit edicta; & undique ejus sectatores conquisitis novis suppliciorum generibus interficiendos curabat. Saluti fuit, quòd impius malefactorum pœnas citissimè absolvit. Siquidem vix primo Imperii anno expleto, dum adversus *Gothos* Thraciam infestantes decertat, à *Treboniano* Gallo proditus
C equo in paludem præcipitatur, à qua confestim absorptus, nunquam postea visus est. Primum hoc Imperii *Romani* verum dixeris infortunium, ac veluti futurorum discriminum omen de Cælo missum. Nam, cum Respublica usque ad eum diem per mille integros annos (tot siquidem ab V. C. ad *Philippos* Impp. numerantur) in summam potentiam felix excrevisset, & quantumvis malignioris fortunæ iniquitate concussa aliquando, & labefactata non longè ab excidio fuerit; suorum tamen Principum virtute erecta, & quasi nova sibi reddita juventute revirescens, antiquum semper majestatis splendorem retinuis-
D se visa est; & novis subindè titulis accedentibus acceptam à majoribus dignitatem sustentasse, qua se ipsam tueri, & terrarum orbem Imperio complecti non tantùm, sed quàm longissimè etiam potuit retinere. Sed nunc ad *Decii* casum omnia hæc sive decora, sive robora protinus evanuere: & ipsa tanquam œstro percussa, aut fulmine decussa corruens exemplo posteris fuit, nihil tam gratum esse fortunæ, quàm ut ea, quæ in sublimi sunt collocata, mutentur assiduè, sive ut ea, quæ longè ab omni infortunio veluti seposita creduntur, magis casibus opportuna, & rerum varietatibus obnoxia dignosca-
E mus. Tale quippiam inexsuperabilis illa *Romanorum* felicitas ea tempestate experta est: ut ab eo vulnere nunquam in posterum ad sanitatem potuerit revocari. Quod cum facere tentaverint in primis *Aurelianus*, *Probus*, *Constantinus*, & ultimo loco *Theodosius*, omnibus illa tamen impar remediis singulorum semper lusit operam, 131
& ingenium, donec sensim labentibus viribus, in tenebras & silentium miserabilem in modum deducta periit postremò, & exaruit. Primi post *Decium* mutati Numinis iram sensere *Gallus*, & *Volusianus*: quibus imperantibus insueta vox *Romanis* audita, væ victis esse, & ut pacem à
F *Scythis* redimerent, fœda tributi pactione primi Majestatem Imperii sugillarunt. Quæ omnia leviora fecere strages illæ ingentes, quibus lues ab *Ægypto* egressa omnes penè terras tunc exhausit. Inter hæc, dum *Valerianus* afflictis rebus succurrit, à *Sopore* Persarum Rege victus, indigna tanti viri captivitate apud Barbaros consenuit. Post quem filius *Galienus* Imperium luxu, & socordia penè perdidit universum. Tunc in triginta Tyrannos summa rerum distra-
cta

Eus. VII. Hist. Eccl. C. 33. P. Oros. Lib. VII. C. 21.

Anno Domini 251.

Anno Domini 263.

ćta potentia, & quo ea calamitas cumulatior accederet, fœmina in his bonam partem *Asiæ* in contemptum legitimi Principis occupat. Hunc excipit *Claudius*, vir dissimili animo, & viribus non aspernendis, & fortè aliquid ausurus, si fata vitam concessissent. Obiit *Aquilejæ* secundo Imperii anno. *Quintilius* frater *Aureliani* famam veritus decimo septimo Imperii die venas sibi exsolvit. *Aureliani* ferox ingenium necessarium omninò: quo tabidam illam Imperii senectutem sublevavit aliquo modo: ut jam se erigere, & lacertos inciperet movere. Sequuntur *Tacitus*, & *Florianus*; imagines potius Principum, quàm verè Principes, quibus ad dignitatem sustentandam & vires, & tempus defuere. *Tacitus* dicitur Imperator suffragio Senatus; quando milites longis edocti infortuniis creandorum Principum jus in Patres rejecissent. Cujus rei, inter reliqua, Epistola testis ad Aquilejenses in hæc verba: *Senatus Ampliss. Aquilejens. S. D. Ut estis liberi, & semper fuistis lætari vos, credimus; creandi Principis judicium ad Senatum rediit. Simul Præfecturæ urbanæ appellatio decreta est.* Inde *Probus* victoriarum titulis illustris, quibus antiquum Reipublicæ decus innovasset forsitan, nisi, & ipse fati iniquitate acerbè nimium præreptus Imperium *Caro* illudendum reliquisset. Per hæc tempora *Quirinum* M. Julii Philippi filium (nimirum puer sub exitum patris præteritus domesticum infortunium effugerat) *Aquilejensium* Patriarcham designatum credimus, qui posteà sub *Diocletiano* martyrium passus inter Sanctorum numerum refertur. *Maximi* antecessoris tolerantia sequenti elogio quàm verè exprimitur:

Anno Domini 270. — *Claudius Imp. Aquilejæ obiit.* — *Anno Domini 278.* — *Anno Domini 283.* — *S. Quirinus Patriarcha Aquil. XI.*

MAXIMVS TITVBANTEM GREGEM INTER MAXIMA EXTREMÆ CALAMITATIS PERICVLA MAXIMO CHARITATIS EXEMPLO SVSTINVIT

132 *Carum* Imperatorem *Aquileja* dedit, cujus avum juri *Aquilejensis* Civitatis inscriptum refert *Vopiscus*. Atque ille quidem, quantum in ipso fuit, non improbè Imperium tractavit: sed vitæ brevitas, & successores *Numerianus*, & *Carinus* omnia in pessum dedere. Sub his *Servulus* nobilis Dei servus *Tergesti* martyrio decoratur Kal. Apr. Anno Domini 284. Tunc quoque *Hilarium* Aquilejæ Patriarcham martyrio sublatum habet *Romanum Martyrologium*, & *Baronius* idem confirmat. Tametsi antiqua *Aquilejensis* Ecclesiæ traditio, & *Chronicon Patriarchale* ad *Domitianum* illum disertè referant, ac *Hermagoræ* successorem faciant, ita apud *Candidum*, ita apud Elogiorum Auctorem, quos satius in rebus, quæ ad Provinciam pertinent, duximus sequi, quàm externis in hoc credere. Libuit tamen adnotasse, ut Historiæ fidem absolvamus.

Carus Aquilejensis, Roman. Imper. F. Vop. in Caro. — *S. Servulus.* — *R. Mart. 16. Mart.*

Interim *Diocletianus* rerum potitus simul cum *Maximiano* Rempublicam egregiè vindicabant. Fortunatus uterque, si inopportuno defendendæ superstitionis studio incensi tot innoxiorum millia non sustulissent. Primus furor *Romæ* desævit, ubi Ecclesia calamitate afficitur insigni, ut jam nulli quippiam emere, aut victui necessaria permittantur comparare; nisi prius thura Diis adolerent, quò facilius *Christiani* deprehensi mulctarentur. Mox ea pestis per Provincias vagata universum fermè terrarum orbem invasit. *Aquileja* quantò cæteras dignitate præibat, eò majori rabie affligitur. Decimo octavo Imperii anno in Tyrannidem versi Principes, *Maximianus* Orientem, *Diocletianus* Occasum cædibus, & sanguine pergunt fœdare. Ad Urbes singulas Præfecti missi, aut Legati, qui *Christianos* morti dederent. *Aquilejæ* præerat *Dulcius*, & *Sisenius* Legatum agebat. Primæ ejus incendii victimæ fuere *Cancius*, *Cancianus*, & *Cancianilla* fratres, *Anitiorum* soboles, & *Carini* Imperatoris gentiles, quos non generis nobilitas magis, quàm morum candor illustres fecerat. Recens illi *Aquilejam* pervenerant Principis crudelitatem vitabundi. Ibi dum liberè *Christianam* fidem tuentur, & suo exemplo plures *Christo* asciscunt, ad Prætorem impietatis crimine deferuntur. Sed ille *Anitiæ* gentis splendorem agnoscens, inscio Principe, nihil in eos sibi innovandum existimat. Rescribit *Diocletianus*, nisi Deos colant, morte juvenes afficiat. Sed illi per amicos re intellecta, confestim ab Urbe progressi in tutiorem locum nituntur evadere. Ad *Aquas Gradatas* pervenerant. Ibi altero ex equis, qui currum ducebant, fortè collapso, cum ultrà nequirent progredi, ab insequenti *Dulcio* in vincula conjiciuntur. Atque hic quidem variis artibus ad antiquam retinendam su- 133
perstitionem singulos impellebat: modò generis nobilitatem, modò fortunas eorum, modò ætatem in memoriam reducere. Per hæc obtestari, obsecrare, ut vitam cariorem velint existimare, quàm crucifixi hominis impietatem. Sed cuncta surdis auribus jactabantur. Mente manet repositum, sine *Christo* nobilitatem, fortunas, ætatem vana esse nomina, in quibus præter falsas rerum imagines nihil deprehendas. Ubi firmos cognoscit *Dulcius*, carnifici eodem loco, quo fugientes deprehenderat, necandos tradit. Sic cum sorore capite plexi *Christo* junguntur prid. Kal. Jun. Corpora à *Zenone* Sacerdote *Aquilejam* deportata usque ad præsentem ætatem magnificè coluntur. Sed *Diocletianus* inter hæc *Aquilejam* pervenerat, præsentia, & verbo ardenti ministrorum studio fomenta daturus: cuncta illicò mœrore, luctu compleri. Alii querelis, & gemitibus tecta onerare, alii se ipsos, & familiam ad mortem hortari. Multi etiam spontè Tyranno occurrere, quò corporis ergastulo soluti, facilius animarum saluti prospicerent. Funera singula, quæ tunc ibi sunt edita, memoriæ non commendasse scriptores existimo numero, & exitûm atrocitate attoniti, & si qui fuere, qui aliquid de his scripserunt, Principis rabies id totum postea dissipavit. Siquidem *Diocletianus* non contentus corpora lacerasse, bonis miseros spoliasse, Ecclesias à fundamentis evertisse, illud insuper diligentius exquirebat, ut libros suos proderent, quos omnes flammis absumendos curabat. Atque eo commento impius, non unam *Aquilejensem* tantùm, sed cunctas per orbem effusas Ecclesias incommodo affecit singulari. Ibi tot ingeniorum monumenta exhausta, tot factorum memoriæ deperditæ æternis dignæ temporibus vivere, & per ora hominum assiduè volitare: ut nullum de tot modo admissis criminibus majori sanè invidia posteritas in *Diocletiano* possit arguere, quàm acerbam hanc in litteras contumeliam, per quam factum est, ut rerum Ecclesiasticarum plurima splendore non tantùm, & ornamentis viduata, sed certitudine etiam aliquando spoliata videamus; ut nunc omittamus Sanctorum virorum doctissimas illas lucubrationes, quarum tituli vix ad nos pervenere. Sed hæc quanquam gravia, præsentium malorum comparatione, levia tunc fortassis videbantur. Nos, ad quos damnum pertinet, jacturam altius ingemiscimus. *Diocletiano* in *Aquilejensium* damnis occupato *Chrysogonus* adducitur. Insignis hic inter *Romanos* & virtute, & nobilitate
Senator, quem pridem *Christiana* religione im- 134
butum *Romæ* in vinculis habuerat Imperator. Quo tempore illum *Anastasia*, Christiana fœmina,

Anno Domini 301. — *SS. Cancius, Cancianus & Cancianilla.*

na, invisit sæpius, & mox *Aquilejam* adductum insequuta est. Habuit hæc virum Patricii ordinis *Publium*, à quo religionis suspectu domestico ipsa diu, multumque carcere afflictata, non prius libertatem obtinuit, quàm *Publium* ad *Persas* proficiscentem morbus improvisus absumpserit. Hoc illa *Chrysogoni* precibus factum imputans nullo non deinceps officii genere virum sanctissimum, & de se benemeritum prosequi desinit, donec supremum emittenti spiritum assidens, illustri & ipsa martyrio, quod unum à Deo poposcerat, ærumnarum finem est

S. Chrysogonus Roman. assecuta, ut mox dicemus. Cæterum *Chrysogonus* cum ab Imperatore nullis aut durioribus, aut mollioribus verbis à proposito posset deterreri, ad *Aquas Gradatas* securi percussus occubuit, XVIII. Kal. Decemb. Cadaver in *Adriaticum* vicinum projectum *Zoilus* Presbyter collegit, & in proximam insulam (sive *Gradus* illa fuerit, sive *Barbana* incertum) honorificè composuit, funeris sumptus *Anastasia*, & sepulchrum procurante. Tres ibi virgines sorores

SS. Agapes, Chrysonia, & Irenes sorores Aquilejenses. *Aquilejenses* fuere *Agapes*, *Chrysonia*, & *Irenes*, quæ *Christum* professæ edicta Principum in ea solitudine detrectabant. De his *Zoilus* nocte postera à *B. Chrysogono* per quietem admonitus cognoscit, intrà IX. dies martyrio vitæ finem habituras. Nec promissis defuit eventus. Adductæ prima luce ad *Diocletianum*, modo donis, modò præmiis propositis, ut religionem susceptam proderent, sollicitantur. Persistentes in sententia *Dulcius* cruciandas accipit. Sed is virginum forma captus, dum libidine furens ad stuprum paventes allicit, tetro perfusus ora colore, & nihil ab *Æthyope* factus dissimilis, à suis, dum non cognoscitur, extra Prætorium ejectus malè mulctatur. Ubi res innotuit, *Sisenius* Legatus magicæ hæc artis portenta clamitans *Agapen*, & *Chrysoniam*, flammis jubet cremari; *Irenem* ad *Lupanar* publicum duci. Atque illæ quidem rogo impositæ corporibus, & vestibus integris animam dedere. Sed *Irene* Angelorum ministerio in proximi *Carsi* apicem collocata diù Judicis sollicitudinem elusit, donec à speculatoribus inventa, jussu Legati sagittis transfigitur. Corpora sepulturæ mandantur ab *Anastasia*. Atque hujus fœminæ virtutem cum jam non possent ferre *Christiani* nominis hostes, apud *Lucillum* Prætorem novum illam accusant. Diu in quæstione habita, verbis, cruciatibus vexata, & tandem sine potu, sine cibo carceri absumenda includitur. Sed illa divinis pasta dapibus omnem Prætoris feri-

135 tatem despexerat. Tunc pira incensa, inter flammas conjicitur. Corpus intactum, & ridenti deprehensum oris habitu, qualem internæ mentis lætitiæ maximè solent exprimere; modò *Sextiensi* conditum Abbatia sanctè, pièque veneratur. Eamdem fortitudinis gloriam sunt

SS. Felix, & Fortunatus Forojulienses. consequuti *Felix*, & *Fortunatus* fratres, sub *Euphemio* Præside, quem postero anno suffectum *Lucillo* credimus. Hi propè *Aquilejam* nati, dum constantissimè *Christum* retinent, primum fustibus, mox equuleo vexati, tandem ferventi nequicquam oleo perfusi, capite ad extremum puniuntur Prid. Id. Maji. Corpora post exci-

S. Justus Aquil. dium Aquilejense *Clodiam* sunt translata. *Justus* quoque *Aquilejensis* ab eodem Principe pro *Christo* occiditur. Nec minoris famæ felix infortu-

SS. Musca, & Cyriaca Aquilejenses. *Lect. prop. in Brev. Aquil.* nium *Muscæ*, & *Cyriacæ* Virginum *Aquilejensium*, quarum per ea tempora effusus cruor æternam patriæ gloriam XV. Kal. Jun. consecravit. Quæ inter hæc pietatis, & sanctitatis exempla ediderit *Quirinus*, cum nullus sit, qui referat, mente saltem liceat concipere. Ac de

eo sanè par est credere, nihil in tàm pernicioso tempore prætermisisse, quod ad crediti sibi gregis commodum videretur pertinere. *Maximum* Præsidem post *Euphemium* Civitas acceperat. Internecino hic in *Christianos* odio accensus omnem antecessorum rabiem longè superavit. *Quirinus* à suis persuadetur, ut primos illos irarum impetus effugiat: ab ejus capite universam *Aquilejensem* pendere Ecclesiam; quod si servaverit satis suæ, satis reliquorum saluti factum

B existimet. Conantem evadere de medio itinere lictores ad Prætorem rapiunt. Ibi de religione interrogatus, dum se *Christianum* confessus libera in Deos utitur oratione, verberibus multis de loquendi licentia castigatur. Indè catenis gravis in carcerem truditur. De more per noctem oranti splendor divinitus cum affulsisset, *Marcellus* carceris custos miraculo percitus accurrens baptismum petit, & accipit. Re vulgata, populi fit concursus ad carcerem, Urbs tumultu, querelis miscetur. Quare *Maximus* plebis audaciam veritus, quò facilius omnem à se facti invidiam removeret, sub noctis silentio *Quirinum* eductum longè in *Pannoniam* ad *Amontium* ejus Provinciæ Præfectum ablegat, à quo

C diù, multumque vexatus, post diuturnas carceris ærumnas in *Danubium* projicitur. Ubi quamvis ferro, ac lapidibus oneratus, divino numine super aquas natans, multos ab idolorum cultu ad fidei veritatem traduxit. Sed ille à Deo laboribus finem deprecatus, tandem, ut mergeretur, obtinuit. *Candidus* ab aquis ereptum tradit. Hujus res gestas multi referunt, sed præcipuè *Petrus* Æquilii Episcopus *in Catalogo*, quem tamen non *Aquilejensem*, sed *Sciscien-* 136
sem Episcopum vocat. Hinc illud *Venantii:* Venantius Lib. VII.

Africa Cyprianum, dat Sciscia clara Quirinum.

D Errorem manasse crediderim, quia huic primum Ecclesiæ: mox *Aquilejensi* præfuerit. Quam Ecclesiarum commutationem multos antè annos invexerat *Antherus* Summus Pontifex edita sanctione, quòd liceret, omisso primo Episcopatu, ad alium transire, populorum necessitate id exigente; quod à *Quirino* etiam factum *Candidus* animadvertit. Sed de loco discrepat: dum *Laureacensem* primùm, mox *Aquilejensem* Episcopum creatum asserit: nisi forsitan *Laureacum* pro *Sciscia* acceperit. Est autem *Laureacum* antiqua *Bavariæ* Civitas, de qua, *Christi* fidem à *B. Hermagora* suscepisse, *Primo Volumine* dicebamus. *Sciscia* verò est op-

E pidum in ripa *Savi*, nostris *Sisach*. Reliqua cum nostro Chronico non tantùm, sed insuper cum actis iis conveniunt, quæ in antiquo *Aquilejensis Ecclesiæ Breviario* leguntur. Ut jam non sit dubitandum, hunc *Quirinum* Aquilejensem, esse eundem cum *Scisciano*. Corpus *Budæ* servatum, donec, Barbaris *Pannoniam* devastantibus, *Romam* transfertur, ibique ad *S. Sebastiani ad Catacumbas* reconditur. Sed Patriæ, atque Ecclesiæ tandem suæ sacer thesaurus debebatur. Quare factum est, ut septingentos post annos *Popo* Patriarcha illud pe-

F teret à *Joanne XIX*. Summo Pontifice, & obtineret, quod testatum ipse reliquit sequenti inscriptione.

M. XXXI. INDICTIONE XIII. ID. JULII.

EGO POPO HUJUS AQUILEJENSIS ECCLESIÆ PATRIARCHA, UNA CUM DUOBUS ROMANIS EPISCOPIS CARDINALIBUS, ET XII. COEPISCOPIS, PRÆSIDENTE DOMINO JOANNE PAPA XIX. ET IMPERATORE CONRA-

RADO AUGUSTO, CONSECRAVI HOC TEMPLUM IN HONORE S. MARIÆ GENITRICIS DEI, ET SANCTORUM MARTYRUM HERMACORÆ, ET FORTUNATI. OB CUJUS SOLEMNITATEM IDEM ROM. SUM. PONTIFEX DE GRATIA APOSTOLICA CONCESSIT INDULGENTIAM C. ANNORUM, ET C. DIERUM SINGULIS ANNIS OMNIBUS VERE POENITENTIBUS, ET CONFESSIS DICTAM ECCLESIAM VISITANTIBUS CAUSA DEVOTIONIS. ET IN FESTO DICTORUM MARTYRUM HERMACORÆ, ET FORTUNATI, ET PER OCTAVAM EORUM SINGULIS DIEBUS XVIII. ANNORUM, ET TOTIDEM QUADRAGENARUM. ITEM DICTI CARDINALES AUCTORITATE APOSTOLICA, OB REVERENTIAM S. QUIRINI MARTYRIS, QUI EJUS CORPUS PORTAVERUNT DE URBE, ET CONDIDERUNT A PARTE DEXTRA IN ALTARI PARVO JUXTA ALTARE MAJUS, ET OB REVERENTIAM B. MARCI PAPÆ, ET CONFESSORIS, CUJUS ETIAM CORPUS DE URBE PORTAVERUNT, ET COL-
137 LOCAVERUNT A SINISTRIS IN ALTARI PARVO JUXTA MAJUS ALTARE, CONCESSERUNT INDULGENTIAM X. ANNORUM, ET X. QUADRAGENARUM TAM IN SUPRADICTIS SOLEMNITATIBUS, QUAM ETIAM IN FESTIVITATIBUS EORUNDEM.

Hæc in vetusto marmore, ad portam australem Cathedralis Ecclesiæ *Aquilejensis*, quæ jam situm obduxere, ut difficile legi possint. Ex his verò satis constat, egregiè illos fuisse deceptos, qui vel *Mediolani*, vel in *Bavaria*, quantumvis certis testimoniis situm *Quirinum* affirmant.

Ecclesia cum Monasterio S. Quirini extra muros Urbis Utinensis.

Divo ædem sacram cum Monialium Sancti *Benedicti* Cænobio habuere *Utinenses* extra portam *Glemonensem*: quam non multò pridem malè feriatus quidam militiæ magister solo æquandam curavit, causatus, quia portæ negotium exhiberet. Campus circa maceriam, quamquam feracis soli, & ad segetem creandum idoneus, solo tutus Numine ab omni ligone, & aratro vacat. Causam religionis ferunt, quòd nullus impunè usque ad hanc diem manus illi admoverit. Siquidem diris statim correpti cruciatibus, vix post multos annos sanitati sunt restituti. Cujus rei exempla bina adhuc conspicimus. Ad Sancti *Quirini* simulachrum hæc subscribenda curavit *Franciscus Barbarus* in Patriarchali *Utinensi* Palatio.

S. QVIRINVS MARTYR IVLII PHILIPPI IMPER. F.
IVGVM DOMINI SCEPTRIS ANTEPOSVIT,
ET AQVILEIENSIS ANTISTES PROPAGATA CHRISTI FIDE
IN PANNONIA MARTYRIO CORONATVR.

Benedictus Patriarcha Aquil. XII. Anno Domini 304.

Post Quirinum *Benedictus* non dissimili ingenio Patriarcha sufficitur. Tristiora huic à principio cuncta processere, quæ brevi in melius mutata felici postea rerum successu fortunæ iniquitatem longè compensarunt. Malorum causam præbuit multiplex illa Imperii divisio, quæ subsequuta est. Nam, cum repens multi prodierint Cæsares, Augusti, Imperatores, nec moribus, nec sanguine invicem conjuncti, mirum quantum ex hac diversitate calamitatis accesserit Reipublicæ. Res tandem ad unum *Constantinum*, & *Maxentium* deducitur. Ad

Anno Domini 306.

A hunc opprimendum cum ille pergeret, penè *Italiam* oppressit universam: ibi inter cæteras Provinciæ Civitates *Aquileja* acerba vexatur obsidione. Arcuit ab utraque parte infortunium *Constantini* virtus, & mortalium omnium favor in eum conversus. Quare & ipsa *Aquileja* reliquarum exemplum sequuta tandem portas reserat; & missis Legatis ultrò deditionem facit. In fidem acceptos omni charitatis officio Imperator est complexus. Mox, devicto *Maxentio*, donis etiam, & ornamentis illustrat. Quod 138
Nazarius oratione post hæc ad ipsum habita testatum reliquit, his verbis: *Præterea te, Aquileja, & Mutina, cæterasque regiones: quibus propter insequutas omnium bonorum commoditates gratissima fuit ipsius oppugnationis injuria.* Ibi, non *Aquilejæ* tantum, sed universo terrarum orbi immutatæ fortunæ felix exordium. Tyranni extinguuntur, persequutio in *Christianos* aboletur, pax mortalibus restituitur. Et quod longè hæc omnia superat, *Christi* fides non tantùm à subjectis *Romano* nationibus, sed ab hostibus etiam, & dissitis Imperio Regibus amplexatur, pietate in primis, & studio Principis singulari, qui primus *Christum* Salvatorem intra regiam tacitè recipi cœptum in apertam lucem, atque antè omnium oculos proferre non dubitavit. Mox ejus se cultorem professus pro *Christiana* fide sanctissimas leges tulit, & observandas curavit. Tunc, eversis Cacodæmonum templis, Deo Optimo Maximo & Uno passim Ecclesiæ eriguntur, donis exornantur; Sacerdotes, Episcopi è latebris in publicum conspectum prodire, gregem sibi creditum alloqui; Numinis beneficium laudibus, gratiarum actione celebrare; populorum ubique concursus, gratulatio. Per ea tempora *Beleni*, sive *Feleni* simulacro everso, ejus templum dedicatur memoriæ *B. Felicis*, cujus martyrium modò referebamus. Hunc vulgus *Felum* postea dixit; antiqui *Feleni* memoria sine dubio; ut pridem est expositum. Sed locus, ubi Sanctorum Martyrum *Hermagoræ*, & reliquorum corpora pro fide *Christiana* mortem passa custodiebantur, in augustiorem formam erectus fit Ecclesia *B. Mariæ* Virginis, & Sanctorum *Hermagoræ*, & *Fortunati* consecrata. Huic Patriarchæ, & Clericorum domicilia amplissima jungebantur; undè continuis temporibus, tanquam ex quodam bonarum artium seminario sanctissimi, atque doctissimi viri prodiere, quos propria virtus, & pro *Christiana* Republica suscepti labores celebres postea fecere. Neque hic prætermittendum existimo nobile *Aquilejensium* in Principem studium, qui ab ipso honoribus aucti ejus apud se memoriam perennem esse voluerunt. Quod cum statuis, imaginibus, & inscriptionibus in reliquarum Civitatum exemplum fecissent, nihil ex his posteritas accepit, præter insignem tabulam, quæ in antiquo panegyrico suis pulcherrimè expressa coloribus contra omnem temporis volentiam adhuc perdurat. Hanc auribus Lector, quando oculis non potest, ex verbis hauriat auctoris, quicunque ille fuerit. Sunt autem hæc ad ipsum Constantinum: *Hoc enim, ut audio, imago illa declarat in Aquilejensi Palatio ad ipsum convi-* 139
vii posita aspectum. Ubi puella jam divino decore venerabilis, sed adhuc impar oneri suo, sustinet, atque affert tibi etiam tum puero galeam auro, gemmisque radiantem, & pennis pulchrè alitis eminentem, ut te, quod vix ulla possunt habitus ornamenta præstare, sponsale munus faciat pulchriorem?

Constantinus Aquilejenses in fidem accipit.

Nazar. in Orat. ad Const.

Ecclesia S. Felicis in Urbe Aquilejensi.

Cæterum eam *Christiani* orbis felicitatem nimiam *Christianus* homo, quis crederet? primus

Anno Domini 314.

interturbavit non modò, sed penitus abstulisse visus est. Hic fuit *Arius*, qui ab *Ægypto* funestam hæreticæ pestis facem quatiens, ea per trecentos, & amplius annos universam Ecclesiam immanissimis cladibus affecit. Res à principio neglecta in immensum crescit. Quare ad eam compescendam opus est concilio, quod

Anno Domini 325.

Niceæ habuit *Constantinus*, CCCXVIII. Episcoporum. Hoc damnata, sed non extincta hæresis ardentiori studio, quia vetebatur, à multitudine amplectitur: tandem intra Palatium accepta Imperium funeribus devastavit. Nec deerant muneri suo interea *Romani* Pontifices, qui crebrioribus coactis sanctorum virorum conven-

Anno Domini 337.

tibus, diris omnibus sacrilegos devovere. Hoc *Silvester* præstitit ætate *Constantini*; hoc eo defuncto *Julius*, à quo nobili CXVI. Episcoporum Concilio *Romæ* habito, *Ario*, & sectatoribus ejus communis fidelium societas interdicitur. Ibi non dixerim inter cæteros, sed supra cæteros Episcopos, post Summum Pontificem adstitisse *Benedictum* Patriarcham *Aquilejensem* ejus Concilii acta demonstrant in hæc verba: *In nomine Domini Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi. Imperatoribus quoque Constantio, & Constante Augg. Anno primo. Indictione* X. *Præsidente Sancto, & Beatissimo Papa Sedis Apostolicæ Romæ. Præpositis sacrosanctis, & venerabilibus Evangeliis in Ecclesia Domini Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi, quæ vocatur Constantiniana. Residentibus etiam viris venerabilibus, pariterque cum eo audientibus Benedicto Aquilejensi Episcopo, Ruffo Carthaginensi Episcopo, Agapito Ravennatis Ecclesiæ Episcopo, Julio Mediolanensi Episcopo, Luciano Mamnensi, & reliquis cum eis centum sexaginta sex Episcopis, &c.* Quibus satis apparet, prærogativam à Petro *Aquilejensibus* Episcopis concessam hucusque servatam, ut in *Italia* primus esset post *Romanum* Pontificem. Sed ab hoc eodem Concilio admoniti *Benedictum* non antè *Quirinum*, ut perperàm habet *Candidus*, sed post *Quirinum* numeremus: à quo usque ad hanc ætatem anno-

A rum triginta trium spatium intercessit; quod totum, ut *Benedicto* assignemus nihil est, quod prohibeat. Veluti si hoc anno, aut sequenti dixerimus obiisse, nihil aut historiæ veritati, aut sequentium probabilitati officiet. *Benedicti* 140 elogium, quia nec tempori nec loco convenit (auctor in eo *Candidum* fuerat sequutus) omittere satius duximus, quàm alienis laudibus viri virtutem intempestivè exornare. Benedictum *Fortunatus II.* excipit, vel *Baronii* testimonio, qui in his, quæ de Concilio *Romano* memoriæ prodidit, hæc inserenda curavit: *Porrò ex centum illis, & sexdecim Episcopis, qui Concilio huic in-* B *terfuere, hi tantum illic leguntur, Benedictus Aquilejensis, qui præcessit Fortunianum ejusdem Civitatis Præsulem.* Quod autem hic sit idem cum Fortunato, paulò infra sic ostendit: *Rursus in re comperta hæsitat (Rubeus) dum Fortunatianum Episcopum Aquilejensem, qui Concilio Sardicensi interfuit, Fortunatum potius existimat appellandum ex quadam sibi, ut ait, cognita lectione. Sed si hoc attendendum est, ut, cum apud Athanasium recensetur series Episcoporum, qui interfuerunt Concilio Sardicensi, legatur perperàm Fortunatius pro Fortunianus: non duo, ut vult, sed tres dicendi sunt, eodem fermè tempore præfuisse Ecclesiæ* C *Aquilejensi, Fortunatianus, cujus est mentio quoque apud S. Hieronymum, Fortunatus, & Fortunatius.* Ac sanè his omnibus nominibus Patriarcham antiquitas appellavit. Sed hæc longius prosequi nimis esset ociosum. Porrò quod *D. Hieronymus* de *Fortunato* meminerit, locus est in Libro de Scriptoribus Ecclesiasticis: *Fortunatianus, inquit, natione Afer, Aquilejensis Episcopus, imperante Constantio in Evangelia titulis ordinatis, brevi, & sermone rustico scripsit commentarios. Et in hoc habetur detestabilis, quòd Liberium Romanæ Urbis Episcopum pro fide ad exilium pergentem primus sollicitavit, & fregit, & ad subscriptionem hæreseos* D *compulit.* Quæ diligentius venient inferius examinanda.

Anno Domini 338. Fortunatus II. Patriarcha Aquil. XIII. *C.Bar.T. III. ann. Dom. 337.*

D. Hieronym. in l. de Script. Eccl.

Libri Octavi finis.

---

141 LIBER NONUS.

Anno Domini 338.



Nterim *Constantino* ad Superos evocato, & inter filios, *Constantinum*, *Constantem*, & *Constantium* Imperio diviso, sævis iterum tempestatum procellis res *Romana* convellitur. Initium malorum à *Constantio*, qui *Arianam* impietatem complexus sacra, profanaque omnia deinceps polluere non dubitavit. Igitur regia *Constantinopoli* cædibus extemplo fœdatur. Carissimus quisque *Constantino* patri, aut affinitate junctus extinguitur. Indè inter fratres dissidia, odium, jurgia, donec ad manus ventum est. *Constantinus*, cui *Galliæ* in partem cesserant, adversus *Constantium* moturus in *Forum-*

Anno Domini 340. Pugna filiorum Constantini Imper. in agro Foro-Juliensi.

Julium venerat. Hic ex *Pannonia* occurrens partem exercitus præmisit; cum parte ipse subsequitur. Duces præmissi *Constantinum* non longè ab *Aquileja* inventum nulla interposita mora ad pugnam provocant. Lucus propè fuit densis consitus arboribus; cujus pridem mentionem

A fecimus in iis, quæ de *Maximino* dicebamus. Ibi locum opportunum conspicati *Constantiani*, lectissimum equitem, & peditum fortissimos quosque in insidiis collocant. Contra hostem verò tanta pergunt festinatione, ut *Constantino* 142 præter expectationem deprehenso vix ad explicandam aciem tempus superesset. Diu, multumque pugnatum est pari ardore, nec inæquali virtute. Quod posteaquam *Constantii* milites conspexere, paulatim primum loco cedere, & magis magisque pedem incipiunt referre, mox, vera simulata fuga, effusiori cursu in silvam se recipiunt. Tunc *Constantinus* in fugientes invectus, facili negotio in insidias præcipitat. Igitur ab recentibus, & or- F dinatis sparsi, & cursu defatigati circumveniuntur, & antequam se colligendi spatium haberent, ad unum fermè trucidati sunt; in his *Constantinus*. Cadaver a militibus postea inventum, & agnitum in *Alsam* ignobilem usque ad eam diem loci fluvium dejectum est. *Constantius* victoriæ suæ superveniens *Aquilejæ* ad res *Italiæ* ordinandas substitit. Ibi fratri extincto inferias more regio persolvit, sic

sic facti invidiam pietatis officio temperaturus. Dum *Aquilejæ* esset, rescriptum dedit VII. Id. Aprilis. Mox, Occidentali Imperio ex sentententia constituto, ad *Catholicos* persequendos animum adjecit. Prima curarum fuere *Antiochiæ* Concilium ex suæ factionis Episcopis cogere. Ibi *Nicænam* fidem abrogat; & *Athanasius* sanctissimus vir, *Alexandriæ* Patriarcha, & plures cum eo, quia benè de *Christo* sentiebant, exilio plectuntur. Salutem aliquam attulit *Constans*; qui à Pontifice *Romano* persuasus miserorum patrocinium suscepit; & labentem per ea tempora *Christianæ* Religionis dignitatem unus sustentasse visus est. Is fratri per literas persuadet, ut legitimo tandem Concilio rem
Anno Domini 347. tantam discuti permittat. Sic utriusque Imperatoris jussu, trecenti, & amplius Episcopi conveniunt *Sardicæ*. Est hæc Urbs *Daciæ* Mediterraneæ intra duas *Mœsias*. Ibi summo omnium bonorum favore *Ariana* hæresis anathemate percutitur; & exulibus Episcopis sedes propriæ restituuntur. In his, qui egregiam Reipublicæ *Christianæ* operam navarunt, fuit Antistes *Aquilejensis*, quod etiam Concilii subscriptio demonstrat in hæc verba: *Fortunatianus Episcopus Civitatis Aquilejæ*; & præclara in *Athanasium* amoris, & caritatis ab eo edita argumenta satis declarant. Siquidem cum hic quantumvis ab Concilio absolutus, inimicorum nihilominus adhuc insidias vereretur, ut nihil minus, quàm *Alexandriam* cogitaret, *Fortunatus*
Anno Domini 348. hominem *Aquilejæ* esse voluit, donec *Constantii* literis advocato reditum permiserit. Sed non diù *Catholicis* hæc ocia duravere. Post paulò *Constans* eorum defensor à *Magnentio* occiditur, de quo postquam *Constantius* justam exegit ultionem, omni illicò exutus pudore, quem *Constantis* me-
143 tu hucusque induerat, in *Nicænam* Confessionem amens debacchatur, Conciliisque iniquissimis conceptam impietatem confirmat: ut non in Oriente tantum, intra quem se continuerat, sed in Occidentem, atque in ipsam *Italiam*, & *Gallias* pestis illa *Ariana* populabunda se effuderit. Tot malis nullo saniori remedio posse occurri, quàm vera, eaque universali Synodo
Anno Domini 353. existimat *Liberius*, Romanus Pontifex, qui *Julio* successerat. Quare ab Imperatore per *Vincentium*, & *Marcellum* Episcopos petit, ut ad has dirimendas lites Episcoporum conventum *Aquilejæ* velit indicere; non tàm crediderim, quia loci situm Orientalibus æquè, ac Occidentalibus opportunum videbat, quàm loci Antistitis prudentia fretus, quem pridem acerrimum *Arianæ* perfidiæ oppugnatorem cognoverat. Ac sanè talem usque ad hanc diem se præbuit
Baron. Tom. III. ann. 353. *Fortunatus*, ut eum *Baronius* magni nominis virum appellet aliquando. Legati *Constantium* Arelati conveniunt. Ibi visum est Imperatori Concilium facere. Advolant Episcopi: in his *Fortunatus* Aquilejensis. Sed res ad libitum Imperatoris agebatur. *Athanasius* antè cuncta damnatur, & damnationi *Vincentius* Legatus Apostolicus pessimo exemplo subscribit. *Fortunato* in sententia persistenti *Liberius* anno sequenti literas dedit, ut notat *Baronius*. Sed quid? eo impudentiæ processit *Constantius*, ut, quod persuasione non poterat, violentia, & minis extorquere non desisteret. Quod præstitisset extemplo, ni recens cura de *Gallo* hominem aliquamdiu continuisset. Hunc in Oriente Cæsarem ipse designaverat, cujus dum facinora plura accipit, veritus tandem, ne gravius
Anno Domini 354. aliquid in se moliretur, astu ad *Polam* Istriæ Civitatem productum, ibi necandum curat. Ministros vero illius, & quicunque illum fami-

A liaritate attigerant *Aquilejam* tractos variis suppliciorum generibus vita exuit. Ab ea cæde veluti violentior factus inceptam in *Catholicos* vexationem prosequitur. Violatæ Religionis prætextus, ac veluti scelerum velamen fuerat *Athanasii* nomen, in hunc *Catholicorum* exquirebantur sententiæ, in quem si quis subscriberet, tanquam suarum partium assertor dimittebatur. Ex quo factum est, ut multi magni etiam, & clari viri manus dederint ea sui erroris excusatione usi, quod hæresim non subscriberent, sed tantum *Athanasium* damnarent. Quod fecit in primis *Osius* ille *Cordubensis* An-
B tistes, & *Catholicæ* fidei columen hucusque, & propagator egregius. Idem præstitit *Fortunatus Aquilejensis*, & innumeri cum eo. De *Fortunato* hæc habentur apud Athanasium: *Vincentium Capuæ, Fortunianum Aquilejæ, & Herminum Thessalonicæ, cæterosque in Occidente Episcopos, vim non vulgarem gravesque contumelias passos, donec promiserint sese à nostra communione abstinere.* Ex quo satis liquet, horum virorum crimen non ad hæresim *Arianam* pertinere, sed in damnatione *Athanasii* totum versari, quem non ut alienum à fide, sed novis obnoxium accusationibus tunc apud Imperatorem *Ariani* cri- Athan. in Apol. ad Constant. 144
C minabantur: nempè ut, eo sublato, faciliori in posterum aditu rabies eorum in orbem terrarum se proriperet. Inter hæc *Liberium* Pontificem *Athanasio* addictissimum Urbe submovent, atque in exilium curant deportari. Ibi ille angustiis pressus generosum tandem animum flexit, & calculum contra *Athanasium* tulit: ad hoc *Fortunati* consilio persuasus, qui suo exemplo Pontificem ad facinus protraxit. Ex quo fit, ut in hæreseos suspicionem facilè inciderit *Liberius*: *Fortunatus* verò hæreticus planè ab omnibus judicatus sit, ut nullus sit, qui ipsum hoc nomine summoperè non reprehendat. E-
D go quidem, si, quod sentio, liberè in medium licet afferre, utrumque facilè crimine libero: ac *Liberium* quidem judicio *Baronii*, qui multa super his doctè, pièque *Fortunatum* eadem ratione, qua *Liberius* absolvitur. Nempe si hic immunis ab hæresi ex eo censetur, quia salva fide *Catholica* in *Athanasium* subscripsit, ille æquè *Catholicus* existimandus, quia nihil contrà fidem, sed votum contra *Athanasium* persuasit. Ut jam locus ille *D. Hieronymi* non sit S. Hier. de Vir. Ill.
omnino recipiendus, quo affirmat detestabilem *Fortunatum*, quia hæresim *Liberio* persuaserit: nam ex dictis rem alio modo se habuisse satis ap-
E paret; & *Baronius* credit, fama magis, quàm Baron. Tom. III. ann. 357.
veritate persuasum hæc *D. Hieronymum* scripsisse, alioquin non *Fortunatus* tantum, sed *Liberius* quoque detestabilis inter hæreticos esset seponendus. Nec obstat, quòd idem *B. Hieronymus* scribens *Chromatio* Presbytero, qui *Valeriano* postea in Episcopatu successit, dixerit ali- D. Hieron. Epist. 43.
quando ab illo, & fratribus suis *Ariani* dogmatis virus ab Urbe *Aquilejensi* fuisse exclusum. Nam in tàm corrupto seculo nihil mirum, si, universo penè nutante orbe, *Aquileja* etiam periculum senserit: in quam cum mortales undique confluerent, non magni fuit laboris hære-
F ticos *Catholicis* se admiscuisse. Quare aptè in illo loco Civitas erroris arguitur ab *Hieronymo* nulla interim facta mentione de Episcopo, nulla de clero; quibus salvis, fieri potuit, ut vulgus morbo laboraret. Unde multum est sanè, cur in hoc *Liberii*, & *Fortunati* casu *Baronii* nostri diligentiam desiderem. Liceat hoc mihi pace tanti viri, qui cum pro *Liberii* defensione omnes intenderit nervos, tantum abest, ut *Fortunatum* infamia liberet, ut potius illum hæ- 145

reticum ubique insimulet, atque in hæresi perseverantem attestetur. Quod unde hauserit planè ignorat. Sed ita sunt hominum ingenia, ut facilè in aliena ferantur, suis utique parcant. Quæ à me sic dicta velim, ut si quis in contrarium meliora adduxerit, non invitum rationi, & veritati me concessurum sciat. *Constantio* in his occupato, *Julianum* in *Gallia* Imperium abripuisse, nunciatur. Fuit hic *Galli* frater, malo *Christianorum* fato ab Imperatore Cæsar dictus, qui non tàm felici rerum à se gestarum successu, quàm ariolis, & vaticiniis fausta prædicentibus elatus se Augustum nominari ab exercitu passus erat. Nomen factis probaturus in *Pannoniam* cum majori parte copiarum contendit: reliquam ad occupandam *Italiam* mittit. Atque ea quidem in manus venerat penè universa, quando una tantis *Aquileja* resistere ausa inceptis acriter ad certamen se comparat; & suo exemplo contra *Julianum Italicos* sollicitat. Adeò in ea Urbe libertatis vis quædam, & incredibilis in Rempublicam charitas universos ordines agebat. Illuc armatorum cohortes aliquot sub primo tumultu se receperant, duce *Nigrino*, equitum Tribuno: qui, suis Civibusque ad defensionem instructis, *Juliani* conatus omnes despiciebat. Sed is facti dolore percitus jubet *Jovino* equitum magistro, ut quàm primum Urbi exercitum admoveat. Moverat animum non tàm præsens *Aquilejensium* facinus, quàm præteritorum memoria, qua divino quodam fato huic Civitati datum reputabat, ut Reipublicæ hostibus semper impedimento foret; ab ipsis verò diutius vexata, & obsessa nunquam nisi volens in potestatem venerit. Quare eò obnixius sibi agendum existimat, ut à principio eos spiritus frangat: quos si diutius crescere permittat perniciem sine dubio allaturos prævidebat. *Jovinus* justis copiis ad rem gerendam instructus Oppido succedit. Ac fortè inter hæc *Constantius* vita excesserat: qua usus ille occasione, antequam vim experiatur, rem mollioribus verbis aggreditur. Factum igitur Civibus aperire; *Constantium* ad Superos elatum, terras *Juliano* regendas commisisse; hunc mortales dominum accepisse; Senatum, Populumque *Romanum* consensisse. Quare reserent postes, & potius justi Principis clementiam, quàm hostis acerbi contumelias experiantur. Sed nulla consilia admittebant *Aquilejenses*, quibus illud pridem persuasum erat, *Jovinum* hæc omnia fingere, quò incautos opprimeret. Inde res ad arma vergi cœpta. *Jovinus* ea, quæ ad oppugnationem videbantur necessaria, foris comparare;
146 scalas, pluteos, pontes facere, crates contexere. *Nigrinus* mœnia intus circumire; eorum vitia reparare; viris, tormentis instruere: &, quod caput salutis credebatur, materias ad ignem concipiendum accommodatas plurimas habere, quibus avorum memoria *Maximinum* depulsum *Aquilejenses* memorabant. Dum hæc fiunt, in castra cum summo Imperio venit *Immon*, qui, *Jovino* ad Imperatorem demisso, solus postea reliqua obsidionis absolvit. Sub adventum novi Ducis, milites pugnæ impatientes invadendi oppidi signum deposcunt. Ille jussis corpora curare, postridiè se ejus rei periculum facturum pollicetur. Ubi dies illuxit, extemplo militaris buccinæ clangore singuli excitati ad pugnam capessendam concurrunt. Videres milites arma expedire, pluteos, crates agere, sagittas nervis, tela manibus aptare, mox ordinatos, & per acies dispositos certamini succedere. Oppidani ex alia parte nulla terroris specie commoti pro muris alacres stabant, venientes lacessunt, atque etiam irrident. Alii machinis majoribus, alii missilibus suis intenti nihil aliud, quàm Ducum Imperium expectabant. Nec mora, ingens tormentorum fragor auditus; tela, lapides per aëra visa volitare, quæ horrendo cum strepitu in confertissimas acies conjecta nunquam sine vulnere cadebant. Contra *Juliani* nihil de impetu remittunt. Tollunt sinistras, & scutorum ponderibus tuti magno cum clamore periculo subeunt. Pars eminus jaculis propugnaculorum summa infestare; pars propius scalas admovere, aut muri fundamenta quatere. Quos desuper *Aquilejenses* infensi, intentique sine tumultu accipiebant, & immissis sudibus, saxis, pilis vulnerabant assiduè. Quin & ardentibus tædis, & ferventi aqua pugnatum est; quibus in ultimum adducti discrimen oppugnatores non sine magno cruciatu animam amittebant. Et, si qui ab infortunio sunt servati, reliquos ab eo conatu facilè averterunt. *Immon* cum cerneret copias inani labore periclitari, receptui signo dato, omnes in castra reduxit: *Aquilejensibus* interim gaudio vix se continentibus: ac sanè ab ejus diei exitu majorem illi audaciam consequuti certissimam sibi victoriam animo destinabant, Sed *Immon* de pugnæ eventu anxius, ubi parum apertam vim profuisse intelligit, ad instruendas machinas ingenium adjicit; quibus minori cum suorum damno Urbem in posterum urgeret. Flumen bonam partem muri alluebat. Hanc ille ideò vel ab oppidanis neglectam, vel structura minus firmam ratus, antè cuncta sibi tentandam proponit; nobili ad id industriæ commento adhibito. Siquidem, tergeminis navibus valido inter se nexu firmatis, turres in eam altitudi- 147
nem erigendas curat, quæ facilè *Aquilejensium* propugnacula adæquaret. Has milite, & armis adornatas secundo flumine jubet muro appropinquare, eo consilio, ut dum milites de summo loco adæquatis viribus oppidanos implicitos tenerent, expediti interim velites ex infernis turrium cavernis egressi, ponticulisque jactis, quos in hos usus contabulaverant prius, in opposita incurrerent ædificia, atque ibi instrumentis ad id opportunis aditum in secretiores Urbis partes aperirent. Quibus in hunc modum dispositis, *Immon* ab ea parte, quæ flumini adversa steterat, omnem belli terrorem mœnibus objicit: quo diutius distentus hostis sui periculi sensum minus perciperet. Sed omnia ante *Aquilejensibus* erant prævisa, & pridem militari consilio imminens periculum anteverterant. Siquidem murum fluvio proximum diligentius ante firmaverant; novo intus aggere adjecto; & fortissimis impositis ad custodiam militibus instruxerant universum. Quibus nec bellicæ machinæ, nec flammarum fomites deerant. Igitur oppidum ab eo loco, quo commodius adiri poterat, à principio tentari cœptum, ac magna, sanè virium, & animorum contentione ab utraque parte certamen initur, & in multas horas perducitur, neutris loco cedentibus. Quando turres per flumen demissas adventare significant illi, qui celsioribus Urbis locis distributi hostiles incursus longè, latèque speculabantur. *Aquilejenses* eò se continuere, quò ad jactum venisse intelligunt. Tunc machinarum furor in illas conversus omnè à principio de jaciendis pontibus consilium interturbat. Instant contrà *Juliani*, & quando pares hosti essent, illatis vulneribus terribiles magis magisque muro succedebant. Plura conantes ignes represſere, qui validè à propugnaculis jaculati, non arma tantùm, & viros, sed turres etiam ipsas misera-

Anno Domini 361.

Aquileja ab exercitu Juliani Imperatoris aggressa.

A rabili incendio pergunt depopulari, donec contignationibus consumptis non sine ingenti militum strage omnes in flumen procidunt. Qui mortem evaserant, dum natando salutem quærunt, *Aquilejensium* sagittis confixi cumulatè infortunium sunt consequuti. Sed pedites navalium sociorum casu attoniti, dum spes, quas de capienda Urbe conceperant, irritas deplorant, immanibus saxis, & telorum desuper cadentium imbribus attriti, tandem ab incepto depelluntur. Sic ab armis per eum diem, pari veluti ab utrisque consensu, sed disparibus animis cessatum est. *Aquilejenses* læti intrà tecta noctem agere, & tanquam discrimine liberati meliora mente concipere. B *Juliani* successu tristes querelis, & gemitibus castra replêre. Se ipsos,
148 ignaviam suam incusare. Hinc ira, dolor, stomachus paulatim obrepere, quibus agitati in Urbis incendium iterum exardescunt. Gliscit furor, crescit ardor: nec ab incepto desistunt, donec *Immoni* neganti, & multum resistenti persuadent tandem, ut luce sequenti ultimum capiat suarum virium experimentum. Igitur vix brevi corporibus quiete concessa; ac ne vix quidem tenebris discussis, ad Urbem conglobati convolant. Res impetu magis agitur, quàm disciplina. C Eo tumultu scalæ muris admoventur innumeræ; alii portarum obices nituntur infringere; multi etiam ferratis trabibus murorum structuram violant. Rei novitatem primum *Aquilejenses* admirari; mox etiam indignatione accendi, quòd bis victis tantum aut audaciæ, aut temeritatis accessisset. Quare tantò enixius ad sui defensionem se expediunt; & cuncti extemplo per munitiones dispositi furorem illum brevi ruiturum sustinent, atque etiam propellunt. Plures in his fuere, qui occultioribus reseratis aditibus, in fossam proruunt, & manu pugnam ausi conserere inconditos, & incautos sub mœnibus decurrentes transfigunt, & D tandem in fugam adigunt: dum interim de superiori parte tormentorum violentia etiam illi, qui propè non accesserant, malè infestarentur. Eo certamine complures utrinque sunt desiderati Sed *Juliani* damno magis proximi, quòd in aperto positi nullum ad ictus effugium haberent. Quare cedere coacti in posterum ab omni oppugnatione se abstinuerunt. Tantum, ne stando nihil fecisse viderentur, itineribus circa Urbem munitis ad prædas agendas se convertunt. Cum igitur in diuturnæ obsidionis speciem res conversa videretur: *Julianus* de his omnibus certior factus non leviter angebatur, id primum sibi E metuens, ne ab oppido eruptione facta, *Alpium Juliarum* claustra occuparent *Aquilejenses*; atque ita non auxilia tantum interciperent; sed *Italiam* totam ad defectionem incenderent. Scilicet, nihil in novo Imperio non timendum; & ex primis rerum eventibus reliqua satis pendere. Qvare eam curam minimè sibi negligendam ratus, quando vis parum successerat, ad mitiora consilia conversus, *Agilonem* inclytum ejus ætatis ducem, & *Aquilejensibus* in primis gratum ad eos Legatum destinat. Inter quæ cum *Immon* fluvio maximè fidere *Aquilejenses* F cerneret, quo pro munimento simul adversus hostes, & pro vitæ sustentamento etiam utebantur: illum sub ea oppugnationis cessatione, per ocium, aliò sibi derivandum statuit. Quare copiis ad opus distributis, summo labore, & patientia novum incredibilis magnitudinis al-
149 veum excavat; quo aquarum illam molem à mœnibus longè semotam in proximum pelagus exonerat. Nec non aquæductus omnes, & rivulos, qui Urbem alluebant, penitus dissipat, &

corrumpit. Sic sperans futurum, ut *Aquilejenses* in maximas conjecti necessitates obstinatos facilius ad deditionem flecterent animos. Sed cuncta in irritum cessere: namque amoto fluvio, nulla inde aquarum penuria Civitatem incessit; quæ puteis, & cisternis frequens, iis ad sitim tolerandam commodè deinceps usa est. Aderat etiam vini copia haud mediocris, & omnium rerum commeatus; quem ad alendam multitudinem in multos menses suffecturum *Aquilejenses* existimabant. Ex quo fiebat, ut nihil illi ad novum hoc miraculum commoti, quippiam de solita diligentia ad sui, patriæque defensionem in posterum non remitterent. Et quantum in illis fuit, conatus omnes *Immonis* quàm longissimè frustraturos apparebat, quando sub adventum *Agilonis* omnia sunt mutata. Siquidem vir aspectu gravis, & Civibus pridem notus, ubi primum mœnibus succedens, se de communi salute cum *Aquilejensibus* velle loqui postulavit, ultrò ad eos venire jussus in propugnacula peramanter suscipitur. Ibi turba, quæ confluxerat, de morte *Constantii* certiore reddita, multa de humanitate *Juliani*, nec falsa omninò subjecit. Salutem hunc quærere Civitatis, non excidium; quod ipsi, si ulterius pergant repugnare, facilè sibi & volentes accersunt. Nam qui fieri poterit, ut uni contra orbis terrarum potentiam nitantur? aut impunè eam Imperii majestatem eludant? adhuc tempus superesse pœnitentiæ, dum omnia sunt in integro, dum factorum ignorantia justam obstinationi excusationem obtendit. Mox qua fronte, quibus verbis causam suam tuebuntur? quo nomine rebellionis crimen diluent? Vera dicere *Agilo* Aquilejensibus visus est. Quare extemplo se in potestatem viri futuros respondent: modò factorum oblivionem promittat. Annuente illo, & fidem suam religiosius etiam interponente, protinus ex diuturno mœrore in lætitiam effusi cives ad portas reserandas concurrunt. Sic *Agilo* Urbe potitur. Quod ubi obtinuit, omnem facti invidiam in unum *Nigrinum* conjiciens, hominem vivum concremat. *Romulum* verò, & *Sabostium* Constantii familiaritate claros variis tormentis absumit. Atque intra hos ira Principis compressa, reliquos crimine absolvit. Quin etiam humaniter alloquutus liberos, uti ad eam diem fuerant, esse voluit, & verbis etiam virtute commendata, nihil quod faceret ad Civitatem honestandam deinceps prætermisit. *Juliano* Principe *Fortunatus* II. Pa-
triarcha moritur. Elogio & hic caret, quod 150
crediderim negatum viro hæresis, opinione vulgus saltem, damnato; cum alioquin debuisset auctor post primum *Fortunatum* secundo locum fecisse, & ne quid ad *Fortunati* infortunium deesset, quæ de hujus patria veniebant dicenda, in primum ille lubens traduxit. Adeò nominum similitudo etiam accuratissimos fallit. Locum Fortunati *Valerianus* II. implevit. Quo præside, si quæ irrepserant *Arianæ* labis contagia, à Civitate penitus exturbantur. Præclaram hujus Pontificis virtutem satis comprobant illorum virorum nomina, qui ab ejus contubernio, tanquam ab omnium bonarum artium fonte illustres prodiere: *Hieronymus*, *Chromatius*, *Joannes Eusebius*, *Chrysogonus*, *Ruffinus*, *Bonosus*, *Julianus*, & alii plures *B. Hieronymi* stylo commendati. Ac quidem *Hieronymum* per ea tempora literis, & moribus florentem tulerat *Stridon* Istriæ proximum oppidulum, & *Aquilejensi* Diœcesi subjectum; ut illum ideo *Aquilejæ* Baptismo ablutum multi non inani forsitan argumento sibi persuadeant; & adhuc in majori ipsius

S. Valerianus II. Patriarcha Aquil. XIV.

Urbis Ecclesia sacellum colitur Divo dicatum; ubi rei factum inscriptione confirmatur. Quæ si vera essent; verba *Hieronymi* dicentis, se *Romæ* vestem *Christi* accepisse, non ad Baptismum, sed ad primam Sacrorum initiationem forsitan essent traducenda. Illud quidem pro comperto affirmamus, sanctissimum virum plurimum cum *Valeriano* Aquilejæ degisse, & eorum familiaritate usum, qui tunc præcipui apud eam Ecclesiam habebantur; atque invitissimum inde recessisse, quanquam de causa nihil certi colligimus, scribente ipso ad Ruffinum: *Postquam me à tuo latere subitus turbo convulsit; postquam glutino caritatis hærentem impia distraxit avulsio.* Meritò post *Hieronymum* secundus locus in celebri illa Academia *Ruffino* cedat; de quo non est cur multa dicam, cum ejus scripta nomen viro fecerint immortale. *Aquilejensis* hic fuit, *Damaso* Papæ perquam familiaris, quo ad scribendas epistolas utebatur; *Hieronymo* verò adeò carus, ut non vulgaria in eum amoris, & observantiæ ediderit argumenta. Unus porro dignus, qui *Melaniæ* consularis, atque præclarissimæ fœminæ in Orientem ad loca sacra pergenti comes itineris, ac veluti sensuum rector intimiorum perpetuò adhæreret. Fortunati ambo, si *Ægypti* litora nunquam tetigissent; siquidem ibi à *Didymo Alexandrino* Origines doctrina imbuti suam in Ecclesiastica fide constantiam in posterum desiderari passi sunt. Annos viginti septem *Ruffinum* cum *Melania* vixisse, refert *Palladius*. Cujus fœminæ facta magnifica, mona-
151 steria à solo erecta, sacros Virginum, & Monachorum choros institutos; rabiem denique *Valentini* Principis in *Catholicos* desævientem toties elusam, & aliquando etiam compressam inde Lector non incommodè petat. Sufficiat interim hæc pauca de *Ruffino* solo ab eodem auctore excipere, quibus ille veluti penicillo usus diligentiori egregiam viri indolem ad vivum expressit: *Erat etiam cum ea* (Melania) *Ruffinus quidam nomine Italus, civis ex Aquilejensi oppido, vir nobilium, & in proposito singulari satis fortium morum, qui ad Presbyteratum postea meruit pervenire. Quo nullus mansuetior, fortior, & placidior, tanquam omnia sciens, in sexu virili potuit reperiri.* Hic mores. Genadius, qui alterum post D. Hieronymum de Viris Illustribus Librum edidit, literaturam sic explicat: *Ruffinus Aquilejensis Ecclesiæ Presbyter, non minima pars Ecclesiæ doctorum, & in transferendo de Græco in Latinum elegans ingenium habuit: Denique maximam partem Græcorum bibliothecam Latinis exhibuit: Basilii s. Cæsariensis Cappadociæ Episcopi, Gregorii Nazianzeni eloquentissimi hominis, Clementis Romani Cognitionum Libros, Eusebii Cæsariensis Palestinæ Ecclesiasticam Historiam, Sexti Centurias, Evagrii Sententias, Pamphili martyris adversus Mathematicos. Horum omnia præmissis quæcunque prologis latinis leguntur, à Ruffino interpretata sunt; quæ autem sine prologo, ab alio translata, qui prologum facere noluit. Originis autem non omnia, quia & Hieronymus transtulit aliquanta, quæ suo prologo discernuntur. Proprio autem labore, imo gratia Dei, & dono exposuit idem Ruffinus symbolum; ut in ejus comparatione alios nihil exposuisse credatur. Disseruit & benedictionem Jacob super Patriarchas triplici, id est, historico, morali, & mystico sensu. Scripsit Epistolas ad timorem Dei hortatorias multas, inter quas planè nitent illæ, quas ad Probum dedit. Historiæ etiam Ecclesiasticæ, quam ab Eusebio scriptam, & ab ipso diximus interpretatam, addidit decimum, & undecimum Librum. Sed & obtrectatori opusculorum suorum respondit duobus voluminibus arguens, & convincens, se Dei intuitu, & Ecclesiæ utilitate, auxiliante Domino ingenium agitasse: illum verò æmulationis stimulo incitatum ad obloquium stylum vertisse.* Hæc *Genadius* de Commentariis Ruffini. Quibus addamus *Josephi Hebræi* opera omnia ab eodem *Ruffino* latinitate donata: quæ non sine *Ruffini* commendatione legit posteritas. Inter hæc *Juliano* apud *Persas* interfecto, breve post eum tenuit Imperium *Jovianus*. Quibus *Valentinianus*, & *Valens* suffecti *Unnorum*, *Gothorumque* rabiem primi sensere, & quàm longissimè sustinuere, donec per morbum absumpto *Valentiniano*, *Valens* ab his acie victus, vitam tandem, Imperiumque amiserit. 152
Filii *Gratianus*, & *Valentinianus* alter, in hoc Reipublicæ optimè consuluisse visi sunt, quòd *Theodosium* Hispanum Imperii consortem asciverint. Cujus viri virtute postea factum est, ut intra fines suos Barbaris repressis, aliquam prisci decoris speciem *Romana* majestas receperit. Cui illud à *Catholico* Principe additum; ut hæreses cunctæ ab Imperii finibus exularent, quò ab omni impietate repurgatis animis perpetuam in posterum mortales tranquillitatem assequerentur. Quod ut commodè sub manus caderet, ipse *Constantinopoli* Orientalium Episcoporum Synodum, alterum *Aquilejæ* Gratianus Occidentalium cogit. Res ubique ex sententia procedit. *Ariani*, *Sabelliani*, *Apollinaristæ*, & reliqui hujus farinæ homines pessimi in utraque Civitate damnati à diuturna illa in *Catholicam* Ecclesiam tyrannide tunc primùm, serióque deturbantur. *Aquilejensis* Synodus, ut numero inferior, sic virorum, qui in ea fuerunt, virtute, & auctoritate illustrior facilè *Constantinopolitanam* superavit. Nam præter *Valerianum* loci Patriarcham primas ejus conventus tenentem, illic aderat *Ambrosius* ille Magnus, de quo si quid dixero, minus erit. Huic proximus *Eusebius* Bononiensis Episcopus, præclaro *D. Ambrosii* elogio commendatus: & *Lomell.* Vercellis post longa ejus Civitatis dissidia, *Ambrosii* consilio creatus Episcopus. Fuit & *Anemmius* anno superiori *Sirmii* Episcopus factus ab eodem *Ambrosio*, validè nequicquam *Arianis* resistentibus, & *Justina* Augusta contradicente. Ad hos accessit *Sabinus* Episcopus *Placentinus* non sanctitate magis, quàm doctrina illustris: cui uni *Ambrosius* sua scripta credere solitus non prius illa in vulgus exire patiebatur, quàm acri viri judicio probata firmarentur. Nec *Philastrius* Brixiæ Antistes inter postremos reponendus, quem eorum temporum scriptores æternitati, clara verò ejus in *Arianos* certamina Cælo postea consacrarunt. Hunc se *Mediolani* apud *Ambrosium* convenisse gloriatur *Augustinus*. In his etiam recensetur *Heliodorus* Altini Episcopus, *Græcarum* literarum facultate, sed magis in *Christum* pietate commendatus: nec non ejus collegæ *Eventius* Ticinensis, & *Bassianus* Laudensis Episcopi, quos ut superiores ferè omnes in Ecclesiasticas tabulas relatos perpetuo *Christi* fideles honore prosequuntur. Cœtum claudat *Chromatius* tunc Presbyter; mox *Aquilejæ* Episcopus, & Sanctus futurus. Felix nimium ea ætas, quæ tot simul virorum decora enixa est. Tu verò, *Aquileja*, in primis beata, cui ea virtus tunc se spectandam, & contemplandam obtulit, ut jam hoc 153
uno munere læta proximos casus, & gladium propè jugulo admotum minimè perhorrescas. Ac sanè sicuti in lucernarum lychnis sæpè videmus accidere, qui consumpto humore dum extingui incipiunt, magis illustriores fiunt, & flamma latè coruscant ampliori, ita cum non lon-

S. Hieronym. Epist. 57. & Epist. 58.

S. Hieron. Epist. 41.

Ruffinus Aquilejensis vir eruditione insignis.

Pallad. in Lausiacis c. 38.

Anno Domini 364. 365.

Anno Domini 379.

Anno Domini 381.

Synodus Aquilejensis.

longè ab interitu abeſſet *Aquileja*, ultimo hoc veluti bonorum omnium cumulo ditata omnem ſuperiorum temporum ſplendorem ſuperaſſe, quàm veriſſimè poſſumus affirmare. Quæ in conſeſſu facta ſunt, jam diù edita, & vulgata innotuerunt, ut fruſtrà laborem inſumpſerim, ſi hoc inſuper onere volumen premam. Legant quicunque hac cura tenentur acta Concilii, & ſimul plures ſententias, quàm verba colligent. Summa fuit confirmatio *Nicenæ* fidei, & damnatio *Claudiani Palladii*, *Secundiani*, & *Attali*. Actio omnis ſeptem horarum ſpatio finitur: tota in dialogiſmum ab notariis excepta. Sunt qui credant, id quod habemus, partem tantùm eſſe Concilii, non Concilium integrum,

Anno Domini 382. quod facilè crediderim. Eo conventu dimiſſo, alius anno poſtero *Romæ* apud *Damaſum* Papam fieri cœptus, ad quem Orientales æquè, ac Occidentales ſollicitabantur, non tàm religionis componendæ cauſa, cui hucuſque ſatis proſpectum fuerat, quàm ut *Antiochenæ* Eccleſiæ ſchiſma tolleretur, quod tunc maximè vigebat. Præſto fuere ab Occidenti ferè omnes, & in his *Ambroſius*, *Hieronymus* tunc recens ob hanc cauſam ex *Aſia* adveniens: & *Valerianus* Aquilejenſis; ad quos Orientales, miſſis Legatis, excuſatorias literas dedere cum hac inſcriptione: *Dominis honoratiſſ. & cum primis Reverendis Fratribus, ac Collegis, Damaſo, Ambroſio, Brittoni, Valeriano, Acholio, Anemmio, Baſſiano, & cæteris in celebri Urbe Roma convocatis, &c.* Hic ſuum videre *Hieronymum*, & alloqui, & amplecti *Valeriano* licuit, & cum eo etiam quàm longiſſimè eſſe non tantùm, ſed ad Eccleſiæ univerſalis commodum multa etiam unà commentari, & in medium proferre. Siquidem conſtat, eo Concilio antiqvam Religionem confirmatam; novos errores ſtirpitus evulſos; *Antiochenæ* in primis diſſenſiones auditas, diſcuſſas, & lata pro *Paulino* ejus loci Antiſtite ſententia, quantum in ipſis fuit, etiam diremptas. Quæ omnia temporis injuria poſtea periere, adeò ut vix ejus Concilii memoria ſuperſit. Atque hujuſmodi fuere curæ, quibus *Valerianus* aſſiduè diſtentus Eccleſiam ſuam aggere munitiſſimo, quamdiù vixit, egregiè tutatus eſt. Sub his pax turbari cœpta; & *Gratianus* à *Claudio*

Anno Domini 383. *Maximo*, qui tunc exercitui in *Britannia* præerat, aperta vi primùm, mox dolis circumven-

154 tus vita, & Imperio apud *Lugdunum* ſpoliatur. *Valentinianus* frater per ea tempora annos natus XVII. *Mediolani* ſe continebat: ubi *Juſtinæ* matris ſuaſu, *Arii* partes defendendas ſuſceperat. Igitur ad eum nuncium territus cum ſe imparem agnoſceret, qui bello Tyrannum propulſaret, pacem per *Ambroſium* componit: qua uſus nihil interim ab incepto deſtitit facinore, ſed *Mediolani*, & *Aquilejæ*, quam ſæpius frequentabat, plures à *Catholica* fide averſi animi dedit ſignificationes. Ibi tandem cognoſcit *Maximum*, manu ſecum non aſpernenda adducta, *Cottias Alpes* ſuperaſſe; & quanta poterat celeritate *Aquilejam* ad ſe opprimendum properare. Quo improviſo deprehenſus turbine, quando nihil erat in promptu, quo imminens averteret exitium; an potius civium animis diffiſus, quos, *Arii* ſuperſtitione objecta, multò pridem à ſe abalienaverat, Urbe protinus, & *Italia* excedit; atque navi cum matre conſcenſa ad *Theodo-*

Maximus Aquilejæ recipitur. *ſium* pergit. *Maximus* ſtatim *Aquilejæ* recipitur; qua potitus univerſam continuò *Italiam*, atque *Africam* imperio adjecit ſuo. Tantum ponderis ejus Urbis favor habuiſſe viſus eſt. Deditionis cauſam nullam memorant ſcriptores; ſed callidum *Maximi* ingenium plures aperit. Nem-

A pè dolo, aſtu, ſimulatione *Aquilejenſes* circumventi Urbem dedere. Quibus artibus dum facinorum ſuorum *Theodoſium* auctorem facit, *Chriſtianam* pietatem obtendit, & ſe non *Valentinianum* Auguſtum, ſed *Arii* ſectatorem adverſari ubique ingerit, obſtrepit; imperium ſcelere partum in tantum potentiæ, & magnitudinis perduxit; ut jure de illo *Gildas* ſapiens hæc memoriæ prodiderit: *Ille callida arte potius, quàm virtute finitimas quoque provincias contra Romanum ſtatum regno ſuo adnectens; & unam alarum ad Hiſpaniam, alteram ad Italiam extendens; & thronum Imperii apud Treviros ſtatuens* Apud Sig. 9. de Occ. Imp.

B *tanta inſania in dominos debacchatus eſt, ut duos Imperatores legitimos unum Roma, alterum vita expelleret.* Quare nec ullus admirationi locus ſit; ſi fraude poſtea deprehenſa, eadem facilitate illum mox deſeruerint *Aquilejenſes*, qua pridem ſunt amplexati. Cæterum, quod præcipuè illos offendit, acerba pecuniarum extorſio fuit: cui dum avidus inhiat *Maximus*, fœdè populos dilacerari permiſit. *Stabat ipſe purpuratus ad lances* (ut Pacati verbis utar) *& momenta ponderum, nutuſque trutinarum pallens, atque inhians exigebat. Comportabantur interim ſpolia provinciarum, exuviæ exulum, bona peremptorum,* Latinus Pacatus in Panegyr.

C *hic aurum matronarum manibus extractum, illic raptæ pupillorum cervicibus bullæ, iſtic dominorum cruore perfuſum argentum appenditur. Numerari ubique pecuniæ, fiſci repleri, æra cumulari, vaſa concidi; cuivis ut intuenti non imperatorium domicilium, ſed latronis habitaculum videretur.* Inter 155 hæc bellum ſine intermiſſione paratur. Et jam *Theodoſius* rei indignitate accenſus copias per *Macedoniam* direxerat; accitis undique in auxilium *Gothis*, *Unnis*, & *Alanis*, peſſimo uſus exemplo *Valentiniani* ſenioris, qui, Barbaris ad ſtipendium pellectis, primus exteras nationes in *Romanorum* perniciem armavit, & inſtruxit. Anno Domini 388.

D Cujus facti pœnas ipſe continuò, ſucceſſores poſtmodum quàm diutiſſimè pertulere. *Maximus* de *Theodoſio* certior factus, confeſtim motis ab *Aquileja* caſtris, atque *Alpibus Juliis* ſuperatis in *Pannoniam* contendit. Jamque *Petavionem* expugnaverat, & ad *Savum* progreſſus *Sciſciam* redegerat in poteſtatem; quando *Theodoſium* adeſſe nunciatur. Neutro certamen detrectante, manus conſeruntur. Pugna ea non fuit, ſed fuga potius; nam vix *Theodoſius* ſe ſpectandum præbuit, quando Tyrannus ſive viribus impar, ſive ſcelerum conſcientia agitatus, extemplo terga vertit. Inſtant *Romani*, &,

E cæſis ad ſatietatem latronibus, nobili potiuntur victoria. Eadem felicitate cum *Marcellino* Tyranni fratre apud *Petavionem* eſt pugnatum. Quare *Maximus*, deſperatis rebus, conſilii, & auxilii inops trepidè *Aquilejam* repetit, illud læſi Numinis ultione exigente, ut eo imprudens ſe includeret loco, quo nec vitam poſſet defendere, nec mortem eludendo differre. Siquidem cum *Theodoſius* fugienti inſtaret, & non die, non nocte intermiſſo itinere propè *Aquilejam* caſtra poſuiſſet, illico à ſuis, atque adeò ab *Aquilejenſibus* omnibus circumventus publicè publicus latro Imperii inſignibus exuitur, &

F catenis vinctus victori offertur lacerandus. Ad primam interrogationem nefario excuſſa confeſſio: omnia *Theodoſii* prætextu admiſiſſe; cum aliter nec militem allicere, nec cives decipere potuiſſet. Et cum dejectis in terram oculis verba plena miſericordiæ adderet, veriti milites, ne ab Imperatore vitam impetraret, illum ab ejus conſpectu avulſum tertio ab Urbe lapide ultimo afficiunt ſupplicio. Ob egregiam in puniendo Maximo *Aquilejenſium* operam navatam

tam *Ausonius* ejus ævi insignis poëta, & olim *Gratiani* Augusti Præceptor, tunc Exconsul, nonum locum, communi mortalium consensu, inter omnes terrarum orbis Civitates, *Aquilejæ* datum memorat, his verbis:

Aus. Gall. Cathal. Urb.

Non erat iste locus, merito tamen aucta recenti
Nona inter claras, Aquileja, cieberis Urbes.
Istaque ad Illyricos objecta colonia montes
156 *Mœnibus, & portu celeberrima; sed magis illud*
Eminet, extremo quod te sub tempore legit,
Solverit exacto cui justa piacula bello
Maximus armigeri quondam sub nomine lixæ;
Felix, quæ tanti spectatrix læta triumphi
Punisti Ausonio Rutupinum marte latronem.

Post hæc *Theodosium* rebus Provinciæ intentum ferunt de luco *Valentinianorum* (hæreticorum hoc genus) incenso, & de *Judæorum* synagoga *Aquilejæ* eversa acres habuisse quæstiones. Et quia factum ad Antistitem loci pertinere apparebat, quo suadente cives utrumque admisissent, per ipsum ea, quæ fuerant absumpta, jubet instaurari. Quæ cum perferrentur ad *Ambrosium*, ipse amicissimi hominis, atque religiosissimi vicem miseratus, protinus *Aquilejam* advolat. Ibi Imperatori demonstrat, cuncta in *Catholicæ* fidei hostes à *Catholico* populo fuisse perpetrata; multitudinis, si quod fuerit, illud esse crimen. *Valerianum* longè à criminis etiam suspicione abesse. Quibus persuasus *Theodosius*, omnia ritè facta pronunciat, & magnis insuper muneribus *Aquilejense* Templum exornat. Hinc Urbe digressus dum in reliquam *Italiam* properat, *Utinum* invisit, exiguam adhuc Civitatem, & primo murorum ambitu inclusam, mox *Aquilejæ* excidio in ampliorem formam concessuram. *Theodosium* hoc anno usque ad mensem Septembris *Aquilejæ* fuisse, testatur rescriptum ibi datum his verbis: *Nullus sibi honorem audeat vindicare, quem Tyrannica concessit audacia, sed ad pristinum statum damnata præsumptio revocetur. Dat.* x. *Kal. Oct. Aquil. Theodos. II. & Cyneg. Coss.* Mediolanum verò autumno jam deficiente concessisse, declarant alia scripta *Mediolani* VI. Idus Octobris. *Theod. II.* & *Cyneg.* Coss. unde digressus postero anno mense Junii Urbem adiit. Quæ adjecisse patiatur Lector, quò magis sequentia fiant clariora.

Theodosius Imperator Aquileja digressus Utinum invisit.

Anno Domini 388. v. Kal. Decemb.

Valerianus post restitutam civibus quietem cælo redditur v. Kal. Decemb. quo die ejus memoria solemnis à fidelium cœtu toto terrarum orbe diffuso celebratur. Ad ejus effigiem hujusmodi Elogium adjecit *Franciscus Barbarus* Patriarcha:

S. VALERIANVS AQVILEJENSI CONCILIO PRÆFVIT.
CUI AMBROSIVS MEDIOLANENSIS,
EVSEBIVS BONONIENSIS,
ATQVE ALII SANCTISSIMI ITALIÆ EPISCOPI
INTERFVERVNT.
157 VBI ARIANI EPISCOPI
S. VALERIANI AVCTORITATE DAMNANTVR.

De *Valeriano* S. Hieronymus sæpius, sed præsertim *Epistola XLII. & XLIII.* & *in Chronico* Anno XI. *Valentiniani* Imperatoris nec non Ruffinus *Libro Primo Invectivæ*, & postremò Baronius, in Martyrologio his verbis: *Sedit Valerianus post Fortunatianum Arianum, Ecclesiamque illam non solum omni labe Ariana expurgatam reddidit, verum Ecclesiastica disciplina adeo informavit, ut, quemadmodum S. Hieronymus scribit, habita sit quasi chorus Sanctorum.* Ab hoc eodem etiam *Valeriano* institutum arbitror, ut ad omnes hæreticorum versutias tollendas *Aquilejæ* in symbolo Apostolico ad vocem *carnis* adderetur *hujus*; quod ita expressit Ruffinus: *Etenim cum omnes Ecclesiæ ita sacramentum symboli tradant, ut postquam peccatorum remissionem, addant carnis resurrectionem, Sancta Aquilejensis Ecclesia, Dei*

Ruff. Invect. I.

A *spiritu futuras adversus nos calamitates providente, ubi tradit carnis resurrectionem, addit unius pronominis syllabam, & pro eo, quod cæteri dicunt* carnis resurrectionem, *nos dicimus* hujus carnis resurrectionem, *quò s. frontem, ut mos est in fine symboli, signaculo contingentes, & ore carnis hujus, videlicet, quam contigimus, resurrectionem fatentes omnem venenatæ adversus nos linguæ calumniandi aditum obstruamus.*

Huic *Chromatius* non degener animo Pontifex successit, qui pietate, & doctrina clarus *Valeriani* desiderium facilè temperavit, namque cum ad administrandam Ecclesiam vires contulisset, & se multis, arduisque, ut ea tempo-
B ra ferebant, negotiis parem exhibuisset, brevi in sui admirationem non *Aquilejenses* tantùm, sed longinquas etiam nationes pertraxit. Hinc illa *B. Chrysostomi* ad eum scripta elogia; ubi, inter cætera: *Clarissima*, inquit, *ferventis tuæ, & sinceræ charitatis tuba ad nos usque sonum suum diffudit.* Extat etiam Divi *Ambrosii* ad eum luculenta Epistola. Et *S. Hieronymus* de *Chromatio* amplissimam pluribus in locis mentionem facit; quibus in primis viri sanctitatem, tùm eximiam eruditionem extollit. *Ruffinus* de hoc eodem plura. Ipse inter cætera ingenii sui monumen-
C ta nobilem reliquit commentarium, qui adhuc extat cum hac inscriptione: CHROMATII EPISCOPI ROMANI DE OCTO BEATITUDINIBUS ORATIONES DUÆ. Cur verò dicatur *Romanus* Episcopus, ex iis quæ superius dicebamus, satis patere arbitror. Namque cum *Aquileja* secundæ *Romæ* nomen obtinuisset, ut ibi dictum est, viguit sensim consuetudo, ut ejus Antistites postea *Romani* Episcopi vocarentur. Quod *Baronium* minimè fugit, ut jam minus admirari quis debeat, si 158
etiam Patriarchæ passim sunt appellati, quò *Aquilejensis* Ecclesiæ amplitudo illustriori titulo
D exprimeretur. Hic habuit fratrem *Jovinum*, ut ex Epistola *B. Hieronymi* elicitur; qua compellans Chromatium, Jovinum, atque Eusebium: *Non debet*, inquit, *carta dividere, quos amor mutuus copulavit; nec per singulos officia mei sunt partienda sermonis; cum sic invicem vos ametis, ut non minus tres charitas jungat, quàm duos natura sociavit.* Chromatius tunc temporis Presbyter *B. Valerianum* sectabatur: quo semper familiarissimè usus est; ut ex eadem epistola colligas, ubi sic: *Obsecro, ut etiam à Papa Valeriano ad eam* (sororem meam) *confortandam literas exigatis.* Jovinus verò Archidiaconi officio fun-
E gebatur, teste Ruffino dicente: *Ego, sicuti omnes norunt, antè annos fermè* XXX. *in Monasterio jam positus; per gratiam baptismi regeneratus signaculum fidei consequutus sum per SS. viros Chromatium, Jovinum, & Eusebium, opinatissimos, & probatissimos in Ecclesia Dei Episcopos, quorum alter tunc Presbyter, alter Archidiaconus, alter Diaconus, simulque pater mihi, & doctor symboli, ac fidei fuerit.* Cujus autem Ecclesiæ Episcopus fuerit *Jovinus*, non possum affirmare; veluti etiam de Episcopatu *Eusebii* nihil comperti habeo. Porrò quantum amori in *Chromatium*, & fratrem tribuerit *Hieronymus*, illa ejusdem e-
F pistolæ verba satis declarant: *Nunc cum vestris literis fabulor, illas amplector; illæ mecum loquuntur; illæ hic tantum latinè sciunt. Hic enim aut Barbarus semisermo dicendus est, aut tacendum. Quotiescunque carissimos mihi vultus notæ manus referunt impressa vestigia, toties aut ego hic non sum, aut vos hic estis. Credite amori vera dicenti; & cum hæc scriberem vos videbam.* Nec minoris, aut benevolentiæ, aut fidei argumentum fuerit, sororem juvenem illorum curæ subjice-

Chromatius Patriarcha Aquil. XV.

Joannes Chrys. Epist. 155.

S. Hieron.

Ruff. I. Invect.

Bar. in Martyr. 22. Jun. & 2. Decemb.

S. Hieronym. Epist. 48.

Ruff. Invect. I.

re,

re, & pietati commendare. Quod in eadem Epistola factum videmus: ex qua liceat adhuc pauca isthæc adjicere, ut *Chromatii* virtus tanti viri testimonio firmata clarius elucescat. Alloquitur autem domum, in qua ipse, & mater ejus sanctissima fœmina cum fratre, & sororibus vitam degebant: *Beata domus, in qua morantur Anna vidua, Virgines prophetissæ, geminus Samuel nutritus in templo. O tecta felicia, in quibus cernimus Machabæorum martyrum coronis cinctam martyrem matrem. Nam licet quotidie Christum confitemini, dum ejus præcepta servatis, tamen ad privatam gloriam publica hæc accessit vobis, & apta confessio, quòd per vos ab Urbe vestra Ariani quondam dogmatis virus occlusum est.* Quæ non hyperbolicè, à quo sanctum Virum abfuisse certum est; sed verè dicta quis intelligat, si totius Ecclesiæ favorem inspexerit, quo illa
159 *Chromatium* vita functum cælo consacrandum curavit. Cæterum non ex dictis *Ruffini* tantùm, quæ paulò ante referebamus, sed ex variis locis etiam *S. Hieronymi* satis colligitur, collegium illud sanctorum virorum *Aquilejense* fuisse Monachorum conventum. Quod etiam Baronius adnotavit his verbis: *Sed & quod ibi* (Aquilejæ) *erant Clerici, essent Monachi, hoc præconio ex iisdem tres potissimum laudantur, in Chronico* (Hieronymi) *Florianus, Bonosus, & Ruffinus insignes Monachi habentur; ex quibus Florianus tàm misericors in egenos fuit, ut vulgò pater pauperum nominatus esset.* Cujus rei non obscuram fecisse mentionem videtur *Popo* Patriarcha in eo diplomate, quo anno Domini 1031. Fratres Ecclesiæ *Aquilejensis* pluribus prædiis auget: ut tunc docebimus. Quando verò esse desierint Monachi, aut cur in Canonicorum personas abierint, adhuc certi aliquid non habemus. Tantùm animus præsagit

Monachi Aquilejenses. *Bar. T.* IV. *ann.* 372. *num.* 42.

A futurum, ut veritas hujusmodi à tenebris eruta in conspectum prodeat, antequam operi finem imponamus. *Chromatio*, post accepta Pontificatus insignia, laborum prima fuisse, *Mediolanum* ad Synodum properare, quam ibi *Theodosius* cogebat, ipsius *Chromatii* literæ demonstrant; quibus ipse unà cum *Heliodoro*, Altini Episcopo, *Hieronymum* ad scribendum martyrum acta sollicitat, atque etiam publico synodi nomine obtestatur; atque his *Hieronymus* respondit. Quæ sive verè fuerint scriptæ, sive non; sanè non in hunc annum, ut habetur apud *Baronium*, sed in sequentem sunt reponendæ. Nam, defuncto
B *Valeriano* sub exitu Novembris, vix fieri potuit, ut intra mensem, qui solus supererat, Decembrem, eligatur *Chromatius*, sacris de more cæremoniis initietur, &, quod magis est, illa brumæ inclementia *Mediolanum* pervenerit. Quæ omnia anno, qui sequutus est, quove *Theodosius* usque ad mensem Junii, ut dictum est, *Mediolani* fuit, commodius peragi potuerunt. Nam de literarum veritate, quanquam auctores habeam celeberrimi nominis, & in his *Cassiodorum*, qui de illis non dubitat; nihil erit tamen, cur à doctissimo nostri temporis lumine in iis saltem, quæ ad religionem pertinent, velim aut
C decertare, aut dissentire. Siquidem cum *Baronius* nullam *Mediolani* Synodum habitam à *Theodosio* demonstret; nec non ex utriusque epistolæ verbis imposturæ eas disertissimè arguat, satius fuerit tanti viri sententiæ potius acquiescere, quàm nova facti investigatione me ipsum, atque Lectorem inani defatigare impedimento. Tantum rei mentionem fecisse sufficiat, ne quid ad historici munus prætermissum videatur.

Bar. T. IV. *ann. D.* 389.

Cassiod. de Vin. Lect. C. 32.

Bar. in Præfat. Martyr. C. 6.

Libri Noni finis.

160

LIBER DECIMUS.

Anno Domini 389.



Heodosius inter hæc pulcherrimo in Urbem invectus triumpho, opima de victo tyranno spolia Deo Optimo Maximo consacrabat. Ibi frequentissimo habito Senatu, ut debita tandem in Deos Gentiles sententia animadverteretur, auctor fuit, & obtinuit. Ex quo factum est, ut non in *Italia* tantùm, sed toto terrarum Orbe verè majorum superstitionibus abolitis, communi omnium hominum consensu *Christus* unus amplecteretur, & coleretur. Inde compositis *Valentiniani* rebus, dum in *Orientem* revertitur, *Concordiæ* adversus desciscentes à fide rescriptum dedit hujusmodi:

Anno Domini 391.

Impp. Valen. Theodos. & Arcadius A. A. A. Flaviano PP. Hi qui sanctam fidem prodiderint, & sanctum Baptisma profanaverint, à consortio omnium segregati sint; à testimoniis alieni; testamenti (ut ante jam sancivimus) non habeant factionem; nulli in hæreditate succedant; à nemine scribantur hæredes, quos etiam præcepissemus procul abjici, & longius amandari, nisi pœnæ visum fuisset esse majoris versari inter homines, & hominum carere suffragiis, &c. Dat.
161 v. *Kal. Maji Concordiæ. Tatiano, & Symacho Coss.* Qua pœna non contentus, novam infamiæ

D addidit in hac ipsa Civitate, sic: *Si quis splendor collatus est in eos, vel genitus dignitatis, qui Fidei devii, & mente cæcati à sacrosancto religionis cultu, & reverentia descivissent; ac se sacrificiis mancipassent, perdant & de loco suo, statuque dejecti perpetua urantur infamia, ac ne in extrema quidem vulgi ignobilis parte numerentur, &c. Dat.* v. *Idus Maji Concordiæ.* Sed Aquilejam ingressus, quod Romæ ex S. C. firmaverat, novo edicto complexus hæc ad Ægyptios dedit: *Nulli sacrificandi tribuatur potestas; nemo templa circumeat, nemo delubra suscipiat: interclusos sibi nostræ legis obstaculo profa-*
E *nos aditus recognoscant. Adeo ut si qui, vel de Diis aliquid contra vetitum, sacrisque molietur, nullis se exuendum indulgentiis recognoscant. Dat.* xv. *Julii Aquilejæ, &c.*

Vix se *Constantinopolim* receperat *Theodosius*, cum de *Valentiniani* nece certior factus ad novam in *Italiam* expeditionem adornandam compellitur. Reliquerat is discedens *Arbogastem* summi ingenii, & audaciæ virum, qui *Valentiniani* invalidam juventam sustentaret. Sed Barbarus pessimè usus licentia, legitimo sublato domino, *Eugenium* suæ factionis hominem Augustum fecerat. Huic *Gallias* primum, ubi hæc gereban-
F tur, mox reliquas ultra montes nationes adjunxit: quibus non contentus, in *Italiam* præcipitans, universam præsidiis denudatam in potesta-

Anno Domini 392.

tem redegit. *Aquilejenses* in his sive dolo cir-
cumventi, sive impetu oppressi Tyrannum re-
cepere. Igitur *Theodosius*, milite *Romano* non
tantum, sed *Unno*, & *Gotho*, qui voluntarii castra
sequebantur, ex sententia comparato, ad eam
Anno Domini 394.
ulciscendam injuriam se instruebat. Ac sanè
non tam de terrarum imperio, quàm de Re-
ligione retinenda certamen futurum appare-
bat. Quandoquidem *Eugenius*, sublato erga
Christum obsequio, clausa à superioribus Impe-
ratoribus Idolorum templa iterum reserave-
rat; &, adhibitis Aruspicibus, & Magis, belli
eventum curiosè exquirebat. Quin etiam sa-
cris factis, inter cætera munimenta, quibus
Alpes Julias contra *Theodosium* firmaverat, *Jo-
vis* simulacra plura in rupibus disposuit; veluti
si ab iis milites succedentes fulminati loco ce-
dere, aut terga vertere debuissent. Ante si-
gna quoque militaria, loco crucis, quam in
Labaro Imperatorio *Constantinus* pridem fixe-
rat, *Herculem* jussit præferri, quo duce, victo-
riam securo sibi destinabat animò, ut jam nul-
lus posset dubitare, quis, *Eugenio* victore, re-
ligionis status esset futurus. *Theodosius* ex alia
parte se ipsum, & copias suas ad omnem *Chri-
stianæ* pietatis expressionem componit; nec an-
162 te castra moveri passus est, quàm, precibus, &
sacrificiis divino placato Numine, lætum ab eo
de futuro certamine responsum acceperit. De-
dit hoc *Joannes* Monachus *Ægyptius*, olim fu-
tura solitus vaticinari, & qui *Theodosii* de *Maxi-
mo* triumphum multò pridem prædixerat. Fe-
runt etiam, per quietem a *Theodosio* visos *Joan-
nem*, & *Philippum* Apostolos, à quibus ad pœ-
nam de nefario exigendam sollicitabatur. Igi-
tur, signo crucis ante exercitum præmisso, ad
Alpes Julias pergit ducere. Atque hic non a-
lio, quàm frequentato ab superioribus exerci-
tibus itinere fauces *Goritianas* petebat. Has le-
ctissimo imposito præsidio munierat *Eugenius*,
& ipse cum reliquis copiis *Aquilejæ* subsistiterat
Victoria Theodosii Imp. ad fauces Goritianas.
rei eventum expectaturus. Sed *Theodosius* cau-
sa, & virtute potior, ubi ad *Alpes* pervenit,
valido in præsidium impetu facto, universum
facilè disjecit, & in fugam vertit. In his *Fla-
vianus* Præfectus, qui Deorum auxilia secum
attulerat: sed, dùm Deos suos, & locum sibi
commissum obstinatè tuetur, ab ingruente mul-
titudine oppressus periit. Statuæ in tumulis
repertæ protinus fulguribus spoliantur. Auro
illa constabant: quæ dum à militibus præcur-
rentibus, per jocum, ut ejus diei lætitia per-
miserat, in *Theodosium* dirigerentur, & se illum
immortalibus confossuros telis affirmarent; lu-
do delectatus Princeps his omnibus terricula-
mentis eos donari jussit. *Eugenius*, quando pri-
ma consiliorum malè cesserant, universam belli
aleam tentaturus, in *Theodosium* copias movet.
Frigidus Amnis.
Ad Amnem *Frigidum* ventum erat, quem dum
properat trajicere, obvium hostem habet. Mil-
le passus XXX. hunc fluvium ab *Aquileja* dista-
re Antoninus *in Itinerario* est auctor; à quo
Longaticam mansionem primam numerat, mox
Herodian. Lib. VIII.
Æmonam, vel *Herodiani* testimonio, ad radices
Alpium positam, ut necessarium sit, *Frigidum*
intrà *Alpes* esse. Porrò inter has, & *Aquilejam*
nulla intercedunt flumina, præter *Vipavum*, &
Sontium: ut vero proximum sit, horum alterum
Frigidum esse: mendum verò in numero pas-
suum apud *Antoninum* irrepsisse: in quo pro
XXX. X. forsitan est legendum. Ac de *Sontio*
quidem, cum notioris fuerit nominis; sive id
Sontium, sive *Natisonem* ex antiquorum mo-
re dixeris, nec suspicari in mentem veniet
Frigidum esse. Aptius de *Vipavo*: qui ab a-
A gro *Montis-Falconi* in *Goritiensem*, moventibus
medius occurrit. Atque hanc tunc viam, non
ut expeditiorem tantum iniisse *Eugenium* licet
credere, sed ut frequentiorem etiam: cujus
Strabo mentionem fecit, & nos de hac re plu-
ra memoravimus. Sed quòd *Vipavus* fuerit
Frigidus antiquis, assertorem habeo *Wolphan-
gum Lazium* clarissimum rerum priscarum Scri- 163
Wolph. Laz. XII. Comm. Reipubl. Rom. sec. 5. C. 5. fol. 1191. & C. 7. f. 1196.
ptorem; qui aliquando hæc memoriæ prodi-
dit: *Equidem ab Aquileja Juggium, hoc est Æ-
monam euntibus, per Vipachum (quem ego flu-
vium Frigidum Antonini existimo) Longitsiumque
ipso nemore situm supra Labacum superius, pro-
B ficiscantur oportet.* Fluit sane non longè ab
Aquileja perennis aquæ fons nobilis, in quem
geminum murum desinere operis initio di-
ctum est. Hunc *Frigidum* dicunt accolæ;
quem tamen diversum fuisse ab eo credimus,
de quo modo loquebamur, vel ob hanc præ-
cipuè causam, quia ea pugna inter *Theodo-
sium*, & *Eugenium* in ipsis propemodum *Al-
pibus*, & circa scopulos pugnata est, ut mox
referemus. A quibus procul abest hic *Frigi-
dus*: contra *Vipavus* inter abrupta *Alpium* ef-
fusus, undequaque memorati amnis situm re-
tinet, & repræsentat. Igitur *Theodosius* re-
Pugna inter Theodosium, & Eugenium.
C centi victoria ad benè agendum animatus, ubi
hostem in conspectum habuit, tametsi locus
ad pugnam minus idoneus apparebat, manum
quamprimum statuit conserere. Nec occasio-
nem abnuit *Eugenius*, sed illicò per rupium
aspera milite præmisso, qui hostem pugnæ in-
tentum post terga invaderet, ipse cum reli-
quis copiis certamini succedit. Nec mora, in-
gens ab utraque parte fit concursus: clamor tol-
litur ad Cælum, & montium cava repercussa
sonitum reddunt. Primas hinc inde Barbari te-
nebant acies: quibus inter se commissis acre ex-
oritur prælium. Ac sane à principio *Theodosiani*
D pellebantur, & strages eorum non levis fiebat,
donec loco moti tandem in fugam vertuntur.
Scilicet illud Superis cordi fuerat, ne per Bar-
baros, eosque *Arianos*, aut Idolorum cultores
Christiana Respublica restituta haberet in poste-
rum, quod viribus humanis imputaret. *Theodo-
sius* suorum fugam conspicatus *Romanas* immisit
legiones, atque adeò totius exercitus robur ad
opem ferendam sollicitat: quando subito à mon-
tibus ostensus hostis nihil tale expectantem per-
turbat. Quare cum iniquissimo temporis mo-
mento undique premeretur, nec ad prælium di-
versis in locis sustinendum pares vires haberet,
E solus ante aciem in editam rupem percurrens,
utroque vidente, & audiente exercitu, in ter-
ram projectus *Christi* auxilium supplex exposcit.
Orantem Deus audivit, & novo, eoque multi-
plici miraculo fidem comprobat. Namque illi,
qui modò è latebris acie educta terribiles tergo-
ribus imminebant, protinus legatione missa, facto-
rum veniam petunt ab *Theodosio*, atque ope-
ram, si velit, pollicentur. Accipit ille condi-
tionem, atque, ut in eo tumultu fieri potuit,
citius solemni pacta juramento confirmat. Sic
imminenti ereptus periculo, & non aspernanda 164
insuper auctus multitudine in *Eugenium* fertur. Et
F jam *Bacuvius*, qui *Gothis* præerat, collecto animo,
prælium instauraverat: & milites *Romani* super-
venientes vires novas faciebant; quando ventus à
Septentrione exortus, qualem ea regio sæpissi-
mè sævum, & immitem solet edere, tanto im-
petu in ora *Eugenianorum* irruit, ut ordines
Claud. in Paneg.
eorum omnes momento temporis solverit. Te-
la verò, & quæcunque sive manu, sive tormen-
tis in *Theodosium* jecerant, violentiori ictu in au-
ctores retorquebantur; clypei, & gladii manibus
ra-

rapiebantur; vir viro illidebatur. Sed pulveris copia præcipuè in ora, oculosque dispersa prospectum omnem militi adimebat. Quare *Theodosius* præsenti Numine lætus ad suos inclamat: *Eja agite, commilitones; pro nobis de Cælo superi arma movent. Nunc debitæ scelerum pœnæ, nunc vindex facinorum instat supplicium. Vos, morti deditos ferro absumite, instate, cædite.* Talia dicentem milites insequuti ingentem eorum numerum trucidant, absumunt. Interim *Arbitio*, quidam summæ apud *Eugenium* auctoritatis, rerum præsentem statum contemplatus, ubi se imparem ad resistendum cognovit, unà cum cohortibus, quas ductabat, ad *Theodosium* profectus, ut in fidem se reciperet, postulavit. Annuente illo, sub hac conditione, ut *Eugenium* ad se adducerent, alacres retrò milites ad collem vertit, ubi sedens *Eugenius*, & adhuc de belli eventu ignarus victoriæ nuncios expectabat. Postquam lætos succedere animadvertit, an vivum *Theodosium* adducerent percunctatur. Tùm illi, manibus ad terga revinctis, multum quamvis reluctantem, & hominum, Deorumque auxilium nequicquam implorantem ad *Theodosium* trahunt. Quem ut conspexit Tyrannus, confestim oculis in terram defixis, nec alloqui, nec ultra videre sustinuit. At *Theodosius* super *Valentiniani* necem, pollutæ religionis scelus objiciens, homini caput jubet amputari. Quod hasta præfixum ubi sui agnovere, simul armis abjectis, deditionem faciunt. Paucos fuga elapsos *Aquileja* excepit. *Arbogastes* omnium malorum causa & origo, postquam res funditus collapsas agnovit, in proximos saltus confugiens, se ipsum gladio transfodit. Atque hæc omnia eleganter, non minus, quàm verè carminibus expressit *Claudianus* illustris Poëta, quibus in hunc modum *Honorium*, Theodosii filium, ejus anni Consulem alloquitur, cujus auspiciis ea parta victoria videbatur:

Alia Theodosii victoria.

Cl. Claud. de III. Consulat. Honorii v. 06. seqq.

——— ——— ——— *pugnastis uterque*
Tu fatis, genitorque manu, te propter & Alpes
165 *Invadi faciles: cauto nec profuit hosti*
Munitis hæsisse locis. Spes irrita valli
Concidit, & scopulis patuerunt claustra revulsis.
Te propter gelidis Aquilo de monte procellis
Obruit adversas acies, revolutaque tela
Vertit in auctorem, & turbine reppulit hostem.
O nimium dilecte Deo; cui fundit ab antris
Æolus armatas hyemes, cui militat æther,
Et conjurati veniunt ad classica venti.
Alpinæ rubuere nives, & Frigidus amnis
Mutatis fumavit aquis, turbaque cadentum
Staret, ni rapidus juvisset flumina sanguis.

Pugnatum est Consulibus *Arcadio III.* & *Honorio V.* Idus Septembris. Ejus pugnæ nuncii *Aquilejam* allati lætissimis animis à multitudine accipiuntur: paucis exceptis, qui factorum conscientia territi communem lætitiam uni exhorrebant. Adolescentes in his aliquot, genere, & virtute clarissimi; quorum parentes præfecturas apud *Eugenium*, & dignitates summas obtinuerant. Illos verò Tyrannus tanquam fidei obsides *Aquilejæ* antè pugnam incluserat. Igitur eo perempto: cùm nullum ad effugium sibi locum superesse animadverterent, in Ecclesiam *Christianorum*, alieni quamvis à fide, & antiquis adhuc opinionibus imbuti, confugere non dubitarunt. Ibi aras manibus tenentes suam Civibus, suam *Chromatio* Antistiti salutem commendare. Sed ille jussis apud se esse usque ad Principis adventum, de his omnibus quam primum per literas *Ambrosium* certiorem facit, & pro supplicibus ejus apud Imperatorem operam expostulat. Postridie ejus diei, quo ad

A *Vipavum* hostes sunt debellati, *Theodosius* in Urbem cum victore exercitu advenit. Honorificè ab *Chromatio* exceptus ad templum de more perducitur. Ibi oranti, & gratias Deo agenti adolescentes sordida veste, & pallore fœdati occurrunt. Percunctanti *Theodosio*, quinam essent, aut quid ornatus iste sibi vellet, eorum natu major, nobilitate, & Philosophiæ studiis inter cæteros eminens, in hæc verba respondisse fertur.

Theodosius Imp. Aquilejam cum victore exercitu se confert.

Infelicem vides, Imperator, *eorum progeniem, qui ab* Eugenio *honoribus aucti; dum homini plus æquo forsitan student, summis ætatem nostram æ-*
B *rumnis cumulavere. Illi quidem à te ferro absumpti debitas factorum pœnas dedere: nobis adhuc est ignotum, quibus fortuna cruciatibus corpora nostra reservet. Si parentum crimina contemplamur, pacati nihil, aut tuti animus præsagit.* 166 *Si in mansuetudinem tuam mentem dirigimus, superest adhuc aliquid, in quo lætiora speremus. Ac sanè non tàm præteritorum memoria recreamur, qua multa à te clementer, & perhumaniter facta accepimus, quàm præsentis pugnæ exitus nos videtur sublevare: in qua cum tantam divino beneficio victoriam fueris consequutus, illud futurum confidimus, ut cælestia & ipse aliquando imitatus Numina supplices, & mi-*
C *seros, adde etiam innoxios, velis erigere. Nos quidem de Diis immortalibus ita à majoribus nostris accepimus, beneficentiam, facilitatem, clementiam propria eorum esse nomina: ad iram verò, odia, vindictam invitissimos rapi, quæ semel suscepta facilè etiam omittunt, si precibus, & pœnitudine contra obsistas. Quorum exempla mortalium plerique sequuti in tantum potentiæ, atque existimationis apud cæteros homines pervenerunt, ut vivi latissimis terrarum spatiis Imperia prolataverint, & immortales post mortem honores sint adepti. Contra, quibus more ferarum sævo, atque inexpiabili odio per alienas miserias grassari cordi fuit, brevi à*
D *maximis dejecti commoditatibus ignobili, ac turpi exitu dies suos clausere. Nempè illa sunt firma Imperia, quæ benignitate, obsequio comparantur; ubi nihil pavore coactum, nihil violentia expressum videas; ubi charitate magis, atque humanitate, quam militum robore septas purpuras deprehendas. Hoc est verè Principem agere: hæc propria eorum laus, & decus. Nam cætera, quæ in ipsis splendida, & magnifica suspicimus, fortitudinem, divitias, victorias, aut fortunæ, aut tempori, necessitati etiam aliqua adjudicantur. Sed temperatè in summa licentia versari; clementia, mansuetudine in subditos uti; miseris ignoscere, nulla hæc vis for-*
E *tunæ, nullus Præfectus, aut socius sibi vendicat, solaque ad illos pertinent, à quibus exercentur. Quæ omnia cum in te,* Clementissime Princeps, *excellentiori quodam modo usque ad hanc diem effulserint, pro quibus præclarissimum Imperium, tot de victis hostibus spolia, trophæa à Diis immortalibus ès consequutus, nihil est, quod de iis in posterum velimus dubitare; aut de te illud credere, ut quicquam de futura tua gloria subtrahi patiaris, præsentis victoriæ titulo, crudeli aliqua in nos animadversione dehonestato. Nam si hostibus etiam potuisses parcere, cur nunc in clientelam, atque sinum tuum, tanquam ad Deorum aram, confugientibus*
F *iniquiorem impones conditionem? Nunc tui sumus. Si quid in nos, aut crudeliter, aut impiè feceris, in tua pignora scias te sæviturum. Quæ si perdere tamen est in animo, nihil inde aut emolumenti, aut* 167 *famæ consequeris: sed si beneficio afficias, vide, quali nos, popularesque nostros,* Romanam *Rempublicam, cujus pars sumus, terrarum orbem, qui de periculo nostro solicitus hæret, quantovè tibi devincis obsequio. Quid plura? hoc uno facto inimicorum tibi decrescit numerus, amicorum augetur;*

Oratio adolescentis cujusdam nobilis ad Theodosium Imperatorem.

H. Palladius. H 2 qui-

quibus fretus, adde etiam adjutus, præsenti rerum statu quàm diutissimè frueris, & potentiam hanc tuam nepotibus, pronepotibusque decedens felici successione transmittes. Scilicet non semper eodem fortuna cursu nos regit; nec vitam ab omni calamitate obnoxiam semper trahimus. Manent sua cuique fata; ad quæ nisi prius valido amicorum subsidio se comparaverint homines, sciant brevi ad occasum res eorum ruituras. Quod cum meliori modo effici non possit, quam benignitate, & officiis, quis non valdè mirabitur eum, qui præclara aliqua ad amicos demerendos sibi oblata occasione, in illos cædibus, & suppliciis feratur? Atque hic quidem meo judicio, non tàm sibi infestam, parumque tutam rerum suarum possessionem sibi comparat, quàm diram deinceps in suam salutem æternis seculis legem sibi præscribit, qua jure quodam debito in posterum ab Diis, hominibusque omnibus misericordia & ipse prohibeatur. Neque enim fieri posse consentaneum est, ut, qui in genus suum crudele, perpetuumque odium exercuerit, ab aliquo invicem clementiæ patrocinio exceptus ullam rerum suarum securitatem assequatur. Sed in ea tempora non incidimus, ut hæc pluribus exequi, aut ut clementissimo Cæsari ulterius clementiam persuadere sit necessarium. Ille ad omnem pietatem à pueritia assuetus, mox senex, Imperator, tot victoriis clarus, tot rerum experientiis imbutus nihil tale molietur, cujus postea torqueatur pœnitentia. Quid? an ille, qui bestiarum cruoribus aras Deorum aspergi vetuit, nunc hominum, atque insontium quidem sanguine easdem commaculari permittet? nempe si omnia ad defensionem deficerent, locus, in quem confugimus, misericordiæ satis, & pietatis quemlibet, nedum sanctissimum Imperatorem, deberet admonere. Hic illum pro victoria accepta gratias Deo suo agentem; hic vota solventem vidimus. An communi hac lætitia, sub ejus Numinis conspectum, in cujus tutelam se ipsum, res suas, Imperiumque collocavit, dira in nos sententia dicta, festum hunc diem, & sacra sua polluere sustinebit? non hoc Tauricæ Dianæ *Templum, aut inter* Scythas, *& Antropophagos instructæ epulæ.* Romanus *hic Imperator de* Romanis *causam audit; innoxios cognoscit, miseros videt: æta-*
168 *tem, genus ob oculos habet; & quod caput est,* Christi *sectator Religionem ab omni etiam crudelitatis suspicione vacuam profitetur. Quæ cum ita se habeant, cur dubitamus adhuc, sodales, ad genua procumbere, vitam deprecari, salutem, fortunas exorare? quæ si dederis,* Mitissime Imperator, *non nobis, sed tibi hæc omnia servata existimes; sed populo Romano, & Deo, in cujus templo sumus, donata. Usum tantum nobis concessum. Quare, ubi poposceris, nihil erit, cur hæc eadem iterum reddere, & pro salute tua etiam profundere vereamur.*

Sequuta extremam orationem communis puerorum gemitus, & mixta lacrymis suspiria, & voces libertatem deprecantes, quibus Imperatorem delinitum manus daturum apparebat. Fortè inter consertam militum, Ducumque turbam illic fuerat *Alaricus*, quem virum postea *Romana* calamitas illustrem reddidit. Hic voluntate *Theodosii* miles factus ingentem secum in eam expeditionem *Gothorum* duxerat multitudinem; quam propè omnem proxima pugna amissam recenti adhuc dolore prosequebatur. Quare ut erat barbari, & efferati in *Romanos* animi; vindictæ verò, & sanguinis melius, quàm famæ, aut decoris avidus, ubi adolescentis sermone flexum animum Principis intelligit, torvo, crudelique aspectu in medium progressus, his, incondito vocis sono, exitium miseris intentat.

A *Ego quidem,* Imperator, *homo sum, & licet barbarus, & alieni soli, humanitate tamen delector, nec ab ea me alienum unquam patiar existimari. Verum enim verò tantum abest, ut præsenti sermone ad misericordiam ingenium accommodem, ut inde potius mihi ultionis, & pœnæ confirmatio accedat. Nam si tantum isti egregii oratores, aut ingenio, aut eloquentia pollent, ut audientium animos, quoquò velint, possint ducere (ducunt autem si vestrorum singulos vultus immutatos, si ab oculis lacrymas cadentes, pectoribus gemitus excussos animadverto) si, inquam, illam ad dicendum vim hi sunt nacti, ut facilè omnia persuadeant, cur hæc prius in parentes*

Alarici oratio, qua Theodosio severitatem in adolescentes supplices suadere conatur.

B *suos, in Tyrannum tetra, nefariaque molientem non sunt experti? Tunc arte, atque oratoriis præceptis erat utendum, quando illos ad scelera ferri videbatis, tunc vestra ista philosophica, sive ornamenta, sive commenta in medium debueratis adducere: sententiis lacrymas, preces, suspiria admiscere: modò facti horribilitatem, modò eventus incertitudinem ante oculos ponere: sui non minus, quàm vestri periculi meminisse: quæ si fecissetis, profectò nullus aut tàm inhumanus, aut tàm à parentis officio alienus inter eos extitisset, qui cuncta isthæc natis pe-* 169
tentibus, atque obsecrantibus potuisset, aut voluisset denegare. Atque isto facto, nobis non minus, quàm
C *illis egregiè consultum foret. Tot verò Civium, tot amicorum capitibus, & sanguini, quo* Frigidus *externa die incaluit, summa cum vestra laude pepercissetis. Sed nempè isthæc vobis placebant; juvabat parentes in partem Imperii accitos, aut inter prima signa versantes conspicari. Hinc vobis, familiisque vestris æternam beatitudinem animo fingebatis: ibi exciderat Philosophia, & præcepta illa tetrica jacebant, quibus vos aut aurum spernere, aut ruituram gloriam nihili facere doctores vestri docuerunt. Tunc nunquam fieri posse credebatis, ut qui de alienis victoriis felicitatem aucupabamini, brevi extremæ fortunæ ludibrio fieretis. Quare cum vos tali*
D *loco nati, hac indole, hac sapientia præditi ingenium potius paternis sceleribus sustinuistis accommodare, quàm tantillo labore aut illis, aut patriæ cadenti suppetias ferre: quid dolendum, si modo in ingentes conjecti calamitates pessimi animi vestri, cum factorum dicere non velim, pœnas luitis, & sustinetis? an fortunæ imputandum, quod vosmet ipsi comparastis? cujus causam tacendo satis præbuistis? modò ne etiam loquendo, id est fucato isto vestro verborum lenocinio currentes sollicitaveritis, aut ardentibus eorum cupiditatibus faces acriores addideritis: nam de tàm sagaci ingenio omnia licet suspicari. Quæ tamen sive facta, sive non facta, à crimine*
E *quidem vos non liberant. Nam scimus, sive tacentibus, sive loquentibus vobis, cuncta hæc in gratiam vestram perpetrata. Quidquid in cervices nostras, in sacram Imperii Majestatem parentes vestri deliquere, vobis filiis deliquere. Ut honoribus, titulis, divitiis auctos relinquerent, fœdissima quæque facere, ac periculosissima subire animo decreverant suo. Vos* Arbogasten *ad scelus armastis,* Eugenio *Imperii insignia obtulistis,* Gallias, Britannias, *atque* Italiam *denique armis adjunxistis. Quid plura? quidquid heri apud* Frigidum *uterque exercitus, aut sanguinis, aut animarum fudit, vobis imputetur, quorum ergò hæc omnia perpessi sumus.*
F *Atque fortissimi quidem viri fato functi morte sua Imperium nobis peperere: vos verò tantorum malorum auctores, & vivitis, & vitæ commoda adhuc audetis sperare. Ecquid si in partem victoriæ admitti petitis? ac sanè ea eloquentia, qua vivendi usum nunc deprecamini, Consulatus post paulò, Præfecturas sine dubio obtinebitis. Eja agite: quod per vim patres vestri vix sperare ausi sunt, vos per misericordiam extorquete, rapite. Sic de victoria nostra triumphum ducite. Spolia victorum vobis habete, dicate.* 170

Hoc

Hoc est præclarè de patria mereri; hoc est Principis benignitatem factis præripere. Jaceant nobis interim tot virorum cadavera inulta; tot animæ extremis fraudatæ officiis, oblivioni, tenebris dedantur. Neminem vestrum, commilitones, eorum gemitus, neminem tangat affectus. Quibus si in conspectum rursus prodire esset permissum, quo vultu, quibus verbis intempestivam hanc misericordiam vobis creditis objecturos? qua dum inimicissimis capitibus consulimus, sempiterna illos contumelia dehonestamus. Nam quis nescit, hoc unum apud Inferos in primis expeti, ac solatio veluti etiam quodam umbras illas recreari, si inimicorum sanguine satientur; si cædes eorum cædibus compensentur. Hæc sunt præclara defunctorum libamina, hæ victimæ gratissimæ; quas si denegaveris miseris, frustra te querelis, & lacrymis eorum sepulchra scias onerare. Ac apud vestros Poëtas audio factum Achillis, & Æneæ laudibus celebrari, quod amicis interfectis hostium corporibus sacrificaverint. Nec injuria, cum humanitas ipsa doceat ab ipsis primas pœnas exigendas, à quibus injuria prodiit; & si viventes quanto possumus impetu in inimicos ferimur, cur & apud orcum eamdem fato functis non perseverare mentem dicendum est? nempè quantò longius à corporum vinculis sepositi æterna illa, divinaque vita fruimur, tantò Deorum immortalium facta magis nos æmulari oportet. Ac illi quidem de injuriis illatis sævissimas, atque acerbissimas etiam vindictas exigunt; nec hominum scelera impunita sinunt. Quod si non fecerint, jam omni metu liberi mortales nec altaribus eorum thura adolerent, nec victimis templa frequentarent, ut maximè sit consentaneum, illos, qui post hanc vitam æternum cum Diis ævum transigunt, ad horum exemplum injurias suas vindicta prosequi, nec nisi illata pœna velle, aut posse placari. Hæc rationi non tantum, sed cunctorum hominum votis adcò sunt accommodata, ut nemo sit, qui diversam de ulciscendis injuriis opinionem habeat. Nam quæ de Deorum misericordia ad rem suam ingeniosè excogitata retulit orator hic noster, satius fuerit, fortasse in scholis apud Philosophos relinquere examinanda, quàm in pessimum exemplum ad posteros traducere. Nam si sic facto opus esset, ut singulis erroribus indulgendo ignosceremus, quis non videt humana hinc, divinaque omnia protinus in pessum itura? & quos à scelere vix arcet imposita pœna, mox, data facinorum licentia, & impunitate per omne genus flagitii ruituros? Quæ cum vera sint, digna etiam profectò existimem, ut à
171 prudentissimo Imperatore accuratè, seduloque considerentur, ne, dum impietatis crimen nititur evadere, summam illam pietatem, quæ commilitonibus extinctis debet, violasse videatur. Ac pro illis quidem hæc dicta sufficiant. Nam quæ deinceps commemorabo, te primum, ac Imperii Majestatem, nos postremum omnes attingunt. Nempè vires, consilium, operamque nostram hucusque contulimus, ut firmissimum tibi, pignoribusque tuis rerum statum compararemus: ut nullos insidiatoribus, nullos perfidis hominibus aditus apud te relinquamus; ut denique Theodosio Principe, æterna terrarum orbis quiete, & tranquillitate frueretur. Quæ omnia, his vivere permissis, continuò tibi evanescunt, Imperator. Nobis verò tot ad hanc diem exhausti labores, vigiliæ, solicitudines periere, ut cum magnum quid præstitisse crediderimus, oleum tunc magis, & operam lusisse sciamus. Quid? detur jam tandem nudæ, simplicique veritati locus, & hæc vana nomina pietatis, misericordiæ retrò facescant parumper. Non eos alloquor, qui nunc primum regnandi artes didicere. Seni, Imperatori, callido consilium benevolus, & amicus affero non utile tantum, sed etiam necessarium; quod ipse, ni pudor obstaret, aut hæc ab hominibus excogitata
A pietas prohiberet, continuò forsitan arripuisset. Scilicet illud tibi in mentem persuadeas, atque animo tuo fixum, immobileque reponas velim, si hos incolumes demiseris; vel eosdem, ubi adoleverint, Imperium è manibus erepturos; vel plures alios tantæ mansuetudinis exemplo solicitatos in regnum, vitamque tuam invasuros. Vides me? nec victimarum fibras novi, nec Mathematicorum cælum curare soleo. Ex hominum tamen aspectu eorum mores facilè colligo. Dum hos, contemplor, omnia apud eos esse video, quæ ad audendum plurimum possunt: ætatem, nobilitatem, paternum exemplum. Adde etiam eloquentiam; qua cum te virum fortem a
B proposito moveri sentias, mirum si multitudinem insanientem postea in te concitabunt. Nec cum suppliciter misericordiam petentes inspicias; aut cum te clementissimum, pium appellent, credas verè ita de te sentire, ut, quacunque sibi oblata occasione, pietatem hanc tuam ingrati animi vitio nunquam possint, aut debeant rependere. An nescis, nihil æquè mortales erga benefactores suos irritare, atque etiam acuere, quàm beneficiorum excellentiam, & magnitudinem? Quantò plus dederis, tantò deteriora magis, & fœdiora ab his ipsis expectare oportet. Atque utinam dictis exempla deessent; aut illa ab alienis nationibus, vel ab an-
C tiquitate tantùm mihi essent desumenda. Sed re-
centes Valentiniani, & Gratiani interitus me lon- 172
gius vagari non permittunt; qui ab iis interempti periere, à quibus maximè coli, & amari debuerant. Sed quid Gratianos, aut Valentinianos moror? te ipsum, Imperator, circumspice. Maximum, Arbogasten, Eugenium considera. Quibus hominibus majus nullum ad te perdendum incitamentum fuit, quàm ipsa beneficiorum tuorum frequentia. Sed finge hos tibi adolescentes toto Cælo diversos, in benefactores gratos, æqui bonique amantes, benevolos: quid tandem? ipsa hæc nimiæ clementiæ fama, atque ista tàm insolens benignita-
D tis, & humanitatis tuæ expressio, ni caveris, in majora pericula in posterum agent præcipitem. Illud satis superque mihi persuasum est, clementiam hanc non ab omnibus æquè probari. Tibi curæ modo sit, ne contrariis illa fœdata titulis ultimam aliquando afferat perniciem. Memini olim, cum te ad Maximi casum ingementem exercitus audisset, non defuisse, qui tàm mite Principis ingenium secordia, & ignavia interpretarentur; & te eodem nomine, quo laudem quærebas, tui, nec immeritò forsitan, condemnabant. Quæ altius postea à pessimis hominibus accepta novum hoc cum Eugenio negotium exhibuerunt. Adeo nihil est, quod Principum majestati magis officiat, quàm si fa-
E cta eorum contemptu laborent; aut si ipsi à suis ludibrio haberi incipiant. Tua sunt hæc domestica exempla, ex quibus satis intelliges, quid in posterum tibi agendum sit. Ego, quod ad me attinet, satis observantiæ in te meæ, satis officio fecisse videar, si te ad existimationem tuam retinendam saltem, quando cætera nolis curare, enixius hucusque provocaverim.

Dum talia peroraret, *Alaricus*, nemo fuit in toto consessu, qui metu, & horrore defixus hominis impietatem non magis, quàm audaciam miraretur; qua *Christianissimo* Imperatori non alienam modo ab omni sive ratione, sive
F humanitate sententiam, sed *Christianæ* Fidei etiam repugnantem, & prorsus aversam persuadere potuisset. Adolescentes verò consternati, ac veluti improviso fulmine concussi penitus corruerunt, nec æger animus habebat, quid in posterum linguæ subjiceret. Tantum ipso timore miserabiles, & de Imperatoris vultu pendentes, rerum suarum exitum tacitè expectabant. Quando ille rei gravitate commotus, in pacatioris otii occasionem causam examinan-

dam seponit. Quæ res salutem attulit: nam interim *Ambrosii* literæ superveniunt, quibus Antistes pro interemptorum filiis *Theodosium* pluribus deprecatur. Mox ipse literas suas assequutus coram multa super his piè, & magnifi-
173 cè disseruit, ut jam, si quæ in animo Cæsaris irarum veluti sentes subsiderant, viri eloquentia cuncta abstergerentur. Ita adolescentes in libertatem restituti sacris *Christianorum* jussu Principis imbuuntur. Antequam *Aquileja* discederet Imperator, *Honorium* filium ad se vocandum curat. Huic eam Imperii partem, quam Occidentalem postea dixere, habendam commisit; *Arcadio* altero filio rebus Orientalibus præposito. Quibus ob ætatis imbecillitatem *Stiliconem* tutorem adjecit, ut utriusque Imperii res procuraret. Atque publicis sic rebus compositis, non multò post *Mediolani*, ultimus, quod verè dixerim, *Romanorum* Imperator *Theodosius* ad Superos evolavit. Ac sanè *Romanæ* Reipublicæ dignitas, quæ post *Philippos* sæpius in discrimen adducta, & usque ad hæc tempora utcunque sustentata perduraverat; tandem hoc sublato Principe, omnis protinus corruere, & in extremum vergere cœpit exitium. Malorum causæ multæ fuere. In his Barbarus jam multis abhinc annis *Romanorum* stipendiis assuetus, & disciplina imbutus. Ducum perfidia incredibilis. Sed Principum in primis ignavia, qui inerti otio dediti, arma, & exercituum robora ministris reliquerant, à quibus mox proditi se ipsos, & rem *Romanam* in inextricabiles calamitates conjecerunt. Ex quibus *Ruffinus* præcipuus, vir summæ usque ad eam diem apud *Theodosium* auctoritatis. Hic postquam in testamento Principis sibi prælatum *Stiliconem* intelligit, in tantum furoris, & vesaniæ exarsit, ut non nisi Imperii excidio satis iræ suæ, satis cupiditati factum iri existimarit. Igitur *Alaricum*, cujus modò mentionem fecimus, statim ad invadendos fines *Arcadii* sollicitat. Sed ille ingenti *Gothorum* septus exercitu, in ipsa viscera, nulla prohibente, penetrans, quidquid ad ortum Solis *Romano* paruerat, cladibus, & rapinis devastat. Inde in Occasum arma vergens, post extremas *Illyrico*, & *Norico* illatas ærumnas, in ipsam *Italiam*, per *Tridentinos* saltus, signa intulit. Inter hæc Pontifex Romanus *Anastasius* Origenis hæreses Apostolica auctoritate damnaverat, de quo *Catholicos* Episcopos certiores factos, ut damnationi subscriberent, hortabatur. Hoc cum multi fecissent, *Chromatius* etiam ex sibi subditorum Episcoporum sententia, quos ejus rei ergò *Aquilejæ* coëgerat, easdem *Origenis* hæreses damnat, & improbat. Factum memoriæ commendavit B. Hieronymus his verbis: *Ergo Beati Episcopi Anastasius, & Theophilus, & Venerius, & Chromatius, & omnis tàm Orientis, quàm Occidentis Synodus, qui pari sententia, quia pari spiritu illum* (Originem) *hæreticum denuntiant populis, fures judicandi sunt?*
174 Sed *Alaricus* Italiam ingressus horrido universam quassabat pavore. Donec ad *Pollentiam* primum, mox ad *Veronam* prælio à *Stilicone* superatus extra Provinciam ejicitur. Hujus facti licentia diutius tolerata imitatorem habuit *Radagaysum*, Scytharum Principem potentissimum. Hic ex *Gothis*, *Sarmatis*, *Germanisque* antiquis Reipublicæ hostibus millibus ducentis, (sunt qui quadringentos dicunt) secum adductis de *Italia* novum periculum facturus advolat. Primus fit virium impetus in *Alpes Julias*, quas valido tametsi præsidio munitas in potestatem redigit. Inde in latiores *Fori-Julii* campos ingressus diu, multumque secum, quid rerum ageretur, cogitabundus substitit. Cunctanti *Aquilejam* multi subjiciunt, Urbem magnificam, & pro libertate *Italiæ* olim sæpius decertare solitam. Qua si potiretur, reliquas nullo negotio Imperio accessuras. Sed ille, sive rei difficultate territus, sive quia id futurum sibi persuaserat, ut dum oppidum ipse circumsederet, à *Stilicone* invicem circumveniretur; non tantum ab *Aquileja*, sed ab omni munitione statuit se abstinere, donec exercitum *Romæ* admoveret. Igitur, dum hanc unam sibi animo destinat, prætergressus *Utinum*, *Concordiam*, *Altinum*, & *Patavium*, qua brevissima est via, in *Æmiliam* maturavit. Indè
B dum *Apenninum* superat, saltibus, & viarum difficultatibus implicitum *Stilico* adoritur. Ac protinus centum millibus ex his, qui cum eo erant, trucidatis, ipsum *Radagaysum* cum multitudine superstite in collem *Fesulanum* redegit, & circumsepsit. Ibi dum clam suis fugam conatur arripere, à militibus *Stiliconis* deprehensus interficitur. Reliquæ copiæ egestate ad deditionem compulsæ, cum passim à dominis pecudum in morem turmatim venderentur, morbo ex inedia contracto, omnes periere. Inter cæteros, qui pro *Romana* Republica egregiè insudarunt, *Alanorum*, & *Unnorum* manus fue-
C re mercede militari ascitæ. Has Duces *Sanus*, & *Udin* ductabant. Quæ profectò nomina locum reor opinioni fecisse de origine Civitatis *Utinensis*, quam aliqui *Udin* (nam sic patria voce dicitur *Utinum*) ab *Udin* Scytharum Rege ferunt appellatam. Et fortasse hi, qui fabulam hanc sunt commenti, loco *Unnorum Scytharum* scripsere. Sed quàm falsè, & iniquè hoc invexerint, quicunque tandem illi fuerint, ex iis, quæ *Secundo Volumine* de hoc ipso argumento dicebamus, satis patere arbitror. Sufficiat in præsens addere, opus non adeò exigui meriti, aut momenti esse Urbem à solo excitare, quod ejus ætatis historicos fugere debuisset: nec
D verisimile esse, ut, qui tàm accuratè accita ab *Romanis* auxilia recolunt, oppida ab auxiliorum 175
Ducibus intra fines *Romanos* condita mox prætermisissent. Sed nec res in Oriente lætiores interim aderant. Quidquid ab hoste vacabat otii, id totum *Arcadius* ad debellandum *Joannem Chrysostomum*, Constantinopolitanæ Ecclesiæ Patriarcham, conferebat. Pro quo retinendo cum *Catholici* Episcopi operam conferrent, cuncta non in Oriente tantum, sed in ipsa etiam *Italia* confusione sunt repleta. Adeò infelici ejus ætatis homines infortunio agebantur, ut pro animarum salute non minus, quàm pro corporum, atque fortunarum incolumitate, periculum assiduè iis esset subeundum. In hujus rei gratiam Episcopos *Italiæ* cogit *Romæ* Innocentius Pontifex. *Chromatius* cum cæteris adfuit. Ubi amplissimo habito consessu, pro *Joanne* singuli sententiam ferunt. Ab *Honorio* verò enixius petunt, ut *Arcadii* impetum interim velit cohibere, aut saltem de futuro Concilio *Thessalonicæ* habendo decretum ab illo eliciat, quo omnis hæc in *Joannem* orta tempestas, more à majoribus accepto, conquiesceret aliquando. Quibus persuasus *Honorius* Legatos ad fratrem de-
F stinat, & unà literas mittit in hanc rem scriptas ab *Innocentio* Summo Pontifice & à *Chromatio* Patriarcha *Aquilejensi*; quorum virorum auctoritate fretus illud factum iri credidit *Honorius*, ut frater, mutata voluntate, à persequendo *Chrysostomo* desisteret. Verba epistolæ Honorii sunt hæc: *Quænam verò sit occidentalium de Episcopo Joanne sententia, ex omnibus fermè epistolis constat, quas ad me frequenter dederunt, ex his duas idem continentes, quod reliquæ, subdidit, scilicet*

Anno Domini 395. Theodosius Imperii administrationem inter Honorium, & Arcadium filios dividit.

Anno Domini 400.

S. Hieronym. II. Apolog. in Ruff.

Anno Domini 402.

Anno Domini 405. Radagaysus Scytharum Rex per agrum Foro-Juliensem iter faciens Italiam invadit.

Verba epistolæ Honorii Imp.

licet Romani, & Aquilejenſis Epiſcopi. Porrò *Chromatius* acerrimum ubique *Joannis Chryſoſtomi* defenſorem ſe præbuiſſe demonſtrant præcipuè epiſtolæ ejuſdem B. Viri, quibus *Chromatio* gratias agit, pro ſedula, ac diuturna in cauſa ipſius navata opera. Inter hæc, ſecunda Barbarorum incurſione Occidentale quatitur Imperium, qua, ut B. Hieronymi verbis utar, *quidquid inter Alpes, & Pyrenæum eſt, quod Oceano, & Rheno includitur, Quadus, Vandalus, Sarmata, Alani, Gipedes, Heruli, Saxones, Burgundiones, Alimani, & Pannonii hoſtes devaſtarunt.* Ex his *Vandali* anno poſtero *Hiſpanias* ſunt potiti. *Britannia* quoque novos Tyrannos habuit *Marcum, Gratianum*, & tandem *Conſtantinum* ſola nominis ominatione in Principatum aſcitum. Tantis Reſpublica malis afflictata illud loco ſolatii habuiſſe viſa eſt, quod *Ruffinum* pridem, mox *Stiliconem*, quibus auctoribus hæc admiſſa credebantur, pœnas pendentes conſpexit. Sed eo remedio damna magis acceſſita. Siquidem
176 *Alaricus* metu *Stiliconis* liber, quo in officio continebatur, atque inde dirus, ac furens, non ſecus ac immiſſæ feræ ex carceribus præcipitare ſolent, protinus in *Italiam* proruit. Multa pridem cælitus emiſſa ſigna ſtragem demonſtravere. In his terram per novem dies edito mugitu Urbis excidium ingemiſcentem mortales exaudiverunt. Sed *Alaricus* bis *Romam* duorum annorum ſpatio acri cinctam obſidione, magis fame, quàm ferro domat, ut ea capta, nihil jam *Aquilejam* aut capi, aut exſcindi puduerit. Ad eam calamitatem peſtilens morbus acceſſit, quo *Italia* tota mirum in modum concuſſa eſt, teſte *Ruffino*, qui ad *Chromatium* in præfatione Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſcribens: *Perruptis*, inquit, *Italiæ clauſtris, ab Alarico Gothorum Duce morbum ſe peſtiferum effudiſſe, agros, armenta, viros longè lateque devaſtaſſe.* Mirum, quantum res *Italicas* caſus hujuſmodi immutaverint. Multi jam ſunt, qui de illa deſerendà conſilium capiunt: & jam, qui ulteriorem partem Provinciæ tenuerunt, de *Sardinia, Corſica*, & *Sicilia* cogitabant. Citeriores, & præcipuè *Venetiæ* populi inſulis proximis in æſtuario animum adjecerunt. Sic magis in dies, magiſque tumultu ingraveſcente, videres, munitis relictis Civitatibus, gregatim ad illas confluere nobiliſſimas, & ditiſſimas familias *Patavinas, Opiterginas, Altinates, Concordienſes*, & *Aquilejenſes*, quas omnes præſens rerum terror in unum conglobaverat, & futurorum metus ut cives conjunxerat. Sic *Venetis* undique affluentibus, inſulæ ab his habitari cœptæ *Venetiæ* in poſterum dicuntur, veteri interim nomine in continente paulatim antiquato. Ac ſanè non ſine divini Numinis providentia factum fuit, ſi quo potiſſimum tempore Urbs rerum Domina corruit, prima acceperint fundamenta *Venetiæ*; quæ futuris ſeculis *Romanæ* virtutis æmulæ antiquam *Italiæ* gloriam unæ debuerant inſtaurare. Porrò quantum novæ Urbis primordiis attulerint *Foro-Julienſes*, ex eo ſatis conjicitur, quod *Veneti* in ſuæ originis recordationem *Forum-Julium* ab eo tempore Patriam dixere. Quod nomen adhuc retinet Regio; & eo tanquam nobiliſſimo factorum ſuorum privilegio utitur. Hinc crebra Patriæ uſurpatio apud *Candidum*, & *Sabellicum*, ut reliquos prætermittam: quorum exemplo nos etiam in poſterum ab hoc nomine non abſtinebimus. Sic primum natæ perhibentur *Venetiæ*, quas ſequentium temporum calamitas & frequentiores, & celebres etiam fecit. Hoc ipſo anno *Ruffinus* Aquilejenſis ex diuturna illa *Aſiatica* peregrinatione in patriam rever-

[Margin notes: Joann. Chryſ. epiſt. 155. — Anno Domini 406. — Hieronym. epiſt. 11. — Anno Domini 407. — Anno Domini 409. — Anno Domini 410. — Ruff. in Præf. Hiſt. Eccleſ. — Urbis Venetiarum origo. — Provincia Fori-Julii cur ſit denominata Patria.]

A ſus animum adjecit Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ *Euſebii*: quam mox Latinam fecit, ſic jubente *Chromatio* Patriarcha; ut ſacrarum rerum lectio- 177
ne fideles confirmati, minus adverſæ fortunæ incommodis moverentur. Quod Ruffinus in Præfatione expreſſit in hæc verba: *Peritorum dicunt eſſe Medicorum, ubi imminere Urbibus, vel regionibus generales morbos viderunt, providere aliquod medicamenti, vel poculi genus, quo præmuniti homines ab imminenti defendantur exitio. Quod tu quoque, venerande Pater Chromati, medicinæ exequens genus, tempore, quo diruptis Italiæ clauſtris ab Alarico Duce Gothorum ſe peſtifer morbus*
B *infudit, & agros, armenta, viros longè, latèque vaſtavit, populis tibi à Deo commiſſis fatalis exitii aliquod remedium quærens, per quod ægræ mentes ab ingruentis mali contagione ſubtractæ, melioribus occupatæ ſtudiis teneantur; jungis mihi, &c.* Quibus verbis hanc ſecundam *Alarici* expeditionem profectò videtur innuere: non tàm quia clauſtrorum *Italiæ* meminit, quas eſſe *Alpes Julias*, quilibet in hiſtoriis vel mediocriter verſatus intelligit, quàm quia *Aquilejenſium* damna & hic, & infrà videtur recenſere: quibus ut occurrat, hanc veluti malorum oblivionem ſe dicit præparaſſe. Porrò nihil in prima paſſam ex-
C peditione *Aquilejam* dicebamus; quæ longè ab infortunio poſita, auribus melius, quàm oculis alienas miſerias hauſit. Quæ ſi vera ſunt, nihil eſt cur *Baronii* ſententiam recipiamus dicentis, *Ruffinum* hoc anno in *Sicilia* mortem obiiſſe, ſic: *Hoc eodem anno* (Domini 410.) *quo vidimus S. Hieronymum aggreſſum eſſe interpretationem Ezechielis Prophetæ, Ruffinus Aquilejenſis Presbyter in Sicilia degens ex hac vita deceſſit, profugus extra patriam ob cladem Aquilejenſibus illatam.* Nam quod attinet ad cladem *Aquilejenſem*, longè hæc poſtea acciderunt, ut *Aquileja* cladibus afficeretur. Modò *Baronius* non intelligat de
D animarum clade, quam ab *Ruffino Origeniſta* Aquilejenſibus inflictam dolet, quod etiam veriſimile non videtur: nam ſive nunc, ſive antè ad primum ingreſſum *Alarici*, tranſlationem Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, monitu *Chromatii*, fuerit aggreſſus; nempe poſt Concilium adverſus *Origeniſtas* hoc factum fuit; vel ſaltem in ipſa *Origeniſtarum* divexatione, quæ ſub eodem temporis momento conſequuta eſt; ut ſi cladem hujus generis aliquam, *Ruffino* auctore, Civibus illatam *Chromatius* perſenſiſſet, nunquam impio homini, & de patria malè merito opus illud commiſiſſet, quod animarum veluti antidotum
E ipſe exiſtimaverit. Unicum ſupereſt effugium, ſi præfationem illam non eſſe *Ruffini* ſtatuamus: quod etiam non invitus conceſſerim, ne contra doctiſſimum *Baronium* quid ineptè me dixiſſe, arguant lectores. Porrò *Gothis* ab *Italia* recedentibus (hos poſt *Alarici* mortem *Ataulphus* in
Gallias primum, mox in *Hiſpaniam* duxit, quam 178
uſque ad *Saracenorum* tempora tenuere) ingentes illi calamitatum fluctus ſubſediſſe parumper viſi ſunt, quibus per decem integros annos Provincia infeliciter admodum eſt perculſa. Nimirum turbulenta hæc tempora halcyonii, ut ita dixerim, dies excepere, breves ſanè, ac fluxi-
F biles; quos futuræ hyemis tempeſtates omnium ſæviſſimæ manebant. Inter eam Cæli tranquillitatem *Chromatius* Cælo redditur; anno, ut reor, vigeſimo quarto Patriarchatus, IV. Non. Decembris, quo die ſacris tabulis ſolemnem ejus memoriam adnotavit Eccleſia. Elogium Divo in Patriarchali *Utinenſi* Palatio affixum eſt hujuſmodi.

[Margin notes: Ruff. in præf. Hiſt. Eccl. — Baron. Annal. Tom. V. Ann. 410. — Anno Domini 413. IV. Non. Decembris.]

S. CHROMATIVS INTER AQVILEIENSES ANTISTITES CELEBERRIMVS,
A S. IOANNE CHRYSOSTOMO TVBA CLARISSIMA

SIN-

SINCERÆ CHARITATIS VOCATUR, ET A SS. DOCTORIBUS AMBROSIO, HIERONYMO, ATQUE ALIIS SANCTITATIS, ET DOCTRINÆ SINGULARI PRÆCONIO EXTOLLITUR.

Anno Domini 414. Augustinus Patriarcha Aquil. XVI.

Post *Chromatium* eligitur Patriarcha *Augustinus*, quo tempore alter *Augustinus*, Hipponensis Episcopus, eloquentiæ & doctrinæ fluminibus hæreticorum vesaniam in *Africa* obruebat. Illud ætate hujus Patriarchæ admirabile, quod sublatis, vel sedatis saltem hujus mortalis Imperii discordiis, de cælesti illo, & immortali Regno inter se Sacerdotes *Romæ* digladiarentur; dum rebus divinis *Eulalium* alii, alii *Bonifacium* conantur præficere. Ad id sedandum schisma conventum *Italicorum* Episcoporum collegit *Honorius* Ravennæ; in quibus *Augustinum* Patriarcham fuisse, & loci vicinitas, & *Aquilejensis* Sedis majestas facilè persuadent. Sed dum rei judicium in tempus commodius differtur, atque ad hoc *Galliarum*, & *Africæ* Episcopi advocantur, *Eulalius* novis implicitus criminibus meritò à summæ Sedis fastigio se ipsum præcipitem dedisse visus est: quare, omisso Concilio, confestim ab *Honorio* rejicitur, & *Bonifacii* Pontificatus confirmatur; unde forsitan ea de confirmandis Pontificibus consuetudo apud Imperatores irrepsit. Quo tempore *Augustino* Patriarcha defuncto, ejus locum obtinuit *Adelphus*. *Augustini* elogium est:

Anno Domini 419. — *Anno Domini 422.* Adelphus Patriarcha Aquil. XVII.

179 AUGUSTINUS URBE ROMA A GOTHIS DEVASTATA, CONSTERNATOS AQUILEIENSIUM ANIMOS IEIUNIIS, ET SUPPLICATIONIBUS SACRIS AD DIVINAM OPEM IMPLORANDAM EREXIT.

Anno Domini 423.

Interim *Honorius* Constantium, *Placidiæ* sororis suæ virum, Cæsarem dixerat. Sed eo paulo post mortuo, & *Placidia* cum *Valentiniano* filio, novis cum *Honorio* accedentibus simultatibus, *Constantinopolim* elapsa; ipse quoque extremum clausit diem, nulla ad successionem sobole relicta. Ex quo factum est, ut *Joannes*, qui apud *Honorium* primas tenebat, vacuum, ut videbatur, nactus Imperium, in regiam *Ravennæ* ausus invadere, nomen Augusti sibi vendicaverit: in facinus protractis *Aëtio*, & *Castino* impigris ducibus: quorum opera extemplo *Italiam* in obsequium flexit. Inde *Aëtio* ad *Unnorum* auxilia colligenda præmissa, tutum adversus Orientis minas sibi destinabat Imperium. Præerat tunc Orienti *Theodosius II. Arcadii* filius, magni *Theodosii* nepos: qui ad hæc, ut par erat, maximè commotus *Ardabutio* suarum copiarum duci negotium dat, ut *Placidiam*, quam Augustam, & *Valentinianum*, quem Cæsarem fecerat, in *Italiam* cum exercitu reducat: atque inde *Joanne* pulso, in Imperio collocet. Una *Aquileja* adhuc Tyrannum non receperat; cui dum plurimum fidit *Ardabutius*, ad eam quàm primum sibi properandum statuit. Igitur, dum *Solonis* in *Dalmatia* copiæ comparantur; ibi *Placidia*, & *Valentiniano* cum *Aspare* filio relictis, ipse solus *Aquilejam* solvit. Et quidem præclara hujusmodi aggredienti fortuna inopinato, ac vix credibili casu, negotium penè integrum confecit. Nam cum adverso vento navis urgeretur, & in irritum gubernatores arte contrà obstarent, impetu in *Ravennæ* portum defertur. Ibi agnitus, & ad *Joannem* perductus peramanter ab ipso complectitur, & tanquam pacis sequester libera custodia asservatur. Sic futurum existimans *Joannes*, ut per *Ardabutium* posset turbatam sibi *Theodosii* voluntatem facilius, & aptius conciliare. Sed *Ardabutius* alieni colloquii copiam nactus, ubi omnia apud Tyrannum soluta conspexit, & ipsum paci potius, quàm bello intentum parum rebus suis consulere; de his omnibus certiorem reddit *Placidiam*,

Anno Domini 424.

A & *Asparem* filium; qui interim classe ad *Aquilejam* vecti, ibique omni humanitatis genere à Civibus suscepti in terram copias omnes exposuerant. Acceptis igitur ab *Ardabutio* literis, 180
convenit inter eos, ut *Placidia*, & *Valentinianus* Aquilejæ cum legionibus se continerent, *Aspar* verò expeditissimo secum ducto equitatu quàm citissimè posset *Ravennam* pergeret. Cuncta in *Theodosii* victoriam diceres conspirasse. Ipsa *Ravennæ* palus exundantibus olim aquis Urbem munire assueta, tunc divino beneficio exsiccata, & quod nunquam ante contigerat, equiti facta pervia, *Asparem* brevi compendio ad
B portam incustoditam deducit; per quam ille Urbem ingressus levi prælio *Joannem* nihil tale expectantem superat; atque in vinculis conjectum mox *Aquilejam* ad *Placidiam* transmittit. Læta spectaculo Civitas obviam Tyranno procedit, & jumento impositum cum omni contumelia in circum trahit; ubi jussu *Placidiæ* manu mulctatus tandem obtruncatur, decimo octavo mense sui Imperii. Quæ cum fierent Aquilejæ, *Aëtius* horum omnium ignarus, *Unnorum* auxiliis secum adductis, *Alpes Julias* superaverat; & jam cuncta circum timore inopinato repleta ingemuerant: quando ab occurrenti *A-*
C *spare* impetus ille remoratur. Sunt qui prælio atroci cum Barbaris certatum ferunt; sed vero magis accedit, rem sine sanguine peractam. Siquidem de clade *Joannis* edoctus *Aëtius* facilè cum *Valentiniano* componit, à quo virtutis ergò domesticorum comes, & mox copiarum Dux declaratur. *Unni* verò muneribus, & pacto stipendio affecti, ne longius *Italiæ* aut oneri, aut timori essent, haud graviter ultrà montes dimittuntur. Sic singulari parta victoria *Valentinianus* unà cum matre *Aquilejæ* gratulabundus per plures dies consedit; ubi divini muneris memor pluribus datis pro Ecclesia edictis egregiam sui
D erga Deum grati animi significationem demonstravit. Horum quæ supersunt, sunt hæc: Primum ad *Georgium* Præsidem sic: *Privilegia præteritarum legum Ecclesiæ, sive Clericis delata serventur, &c. Dat. prid. Id. Julii Aquilejæ D. N. Theod. XI. & Valent. Cæs. Coss.* Alterum contra fidei hostes est: *Manichæos, Schismaticos, omnemque sectam Catholicis inimicam ab ipso aspectu Urbis Romæ exterminari præcipimus, &c. Dat. VI. Kal. Aug. Aquilejæ, &c.* Tertium ad Proconsulem Africæ: *Omnes hæreses, omnesque perfidias, omnia schismata, superstitionesque Gentilium, omnes Catholicæ leges inimicos insectamur.*
E *Errores, &c. Dat. prid. Non. Aug. Aquil. &c.* Quartum post duos dies adversus eosdem Manichæos, & hæreticos, sive Schismaticos, nisi his emendatio matura subveniat, &c. *Dat. VIII. Id. Aug. Aquil. &c.* Quintum tandem ad Proconsulem Africæ: *Privilegia Ecclesiarum omnium, quæ seculo nostro Tyrannus invaserat prona devotione revocamus, &c. Clericorum etiam, quos ad seculares Judices* 181
debere deduci infaustus præsumptor edixerat, Episcopali audientiæ reservamus, &c. Dat. VIII. Id. Oct. Aquil. &c. Felix profectò si eadem pietate reliqua Imperii agitasset. Et nequid præsenti secundarum rerum cursui deesset, ecce tibi nuncii, qui *Theo-*
F *dosii* verbis *Valentinianum* Augustum renunciant, & simul Imperatoria insignia deferunt. Atque ea quidem lux suprema propemodum *Aquilejensibus* affulsit; qua illi Occidentalis Imperii dignitatem modò convulsam iterum intra suæ Urbis tecta veluti caput exerentem conspicati, æternam inde sibi felicitatem vanissimis auspiciis pollicebantur. Haud multum post hæc *Adelphus* ultimum obiit diem, cui in Patriarchatu sufficitur *Januarius*, sive *Julianus*, nam utrumque

Anno Domini 425. — Valentinianus Imp. unà cum matre Aquilejæ consedit. — *Lib. 46. de Episc. & Cl. C. Theod.* — *Lib. 62. de hæret. C. Theod.* — *Lib. 63. Cod. Theod.* — *Lib. 4. de hæret. Cod. eod.* — *Lib. 47. C. eod.* — *Anno Domini 432.* Januarius Patriarcha Aquil. XVIII.





ATTILA,

HUNNORUM REX, FLAGELLUM DEI, AQUILEJÆ EVERSOR, UTINI INSTAURATOR.

Ex Julio Strozza.

que nomen reperio. Pium de *Adelpho* Elogium est:

ADELPHUS EXULTANTES UNNORUM IMPETUS,
MULTIS CHRISTIANÆ PIETATIS EXERCITATIONIBUS,
AB AQUILEIENSI ECCLESIA REPULIT.

Quod ad *Aëtii* in *Italiam* adventum rejici debere superiora demonstrant. Anno, qui *Januarii* initiationem est consequutus, Romæ *Xystus III.* Pontifex Maximus ab *Anitio Basso* de stupro sacræ virgini illato simulatus, Concilium, quo se purgaret, habuit LXVI. Episcoporum. Nempè huic de more *Januarius* interfuit: ubi *Bassi* fraus deprehensa, & pœna accusatori infixa est. Non longè post de communi salute *Aquilejæ* laborari cœptum. Siquidem fama increbuerat, *Attilam*, Unnorum Regem ab *Honoria*, Valentiniani sorore, ad *Italiam* in sui connubium incitari. Fœminæ huic impotenti, ac libidine fervidæ omnia, præter decus, & honestum, cordi fuere. Excidium parumper distulit, quod ipsa inter *Eugenii* procuratoris complexus deprehensa ab *Valentiniano* Constantinopolim demandatur. Habetur ad hunc *Januarium* epistola *Leonis* Summi Pontificis Consulibus *Calypio* & *Ardabutio*, qua majoris dignitatis spes omnis pœnitentibus hæreticis præciditur, in hæc verba: *Magno habeant beneficio, si adempta sibi spe promotionis, in quo inveniantur ordine stabilitate perpetua permaneant: si tamen iteratæ tinctionis (id est secundi Baptismi) non sunt maculati.* Quæ gesserit Aquilejæ *Januarius* universa interiere. Benè tamen illum tempore usum declarat ipsius Elogium quod est:

Anno Domini 433. — *Anno Domini 435.* — *Leo P. ep. 4. Anno Domini 447.*

IANUARIUS AD IMMINENTIA PECCATORUM FLAGELLA
EXPECTANDA AQUILEIENSEM POPULUM
VERBI DEI PRÆDICATIONE SANCTE COMPARAVIT.

A Obiit XVI. Pontificatus anno. *Secundus* post hunc ingenio, & vitæ moribus prisca illa severitate dignus, brevis Pontificatus virtutis exercendæ occasionem abripuit: tantum, quod de viri sanctitate credere fas est, assiduis habitis concionibus, ad imminentis fortunæ casus despiciendos quotidiè solicitabat *Aquilejenses*: quos jam pridem & lapsa exempla, & futuri discriminis timor de salute solicitos satis, superque faciebat. Vitam *Secundus*, altero Pontificatus anno, cum morte commutavit: non infelici admodum fato, quod Patriæ excidium antevertit. Ejus inscriptio est: 182

Secundus Patriarcha Aquil. XIX.

B SECUNDUS EXCITATIS RUMORIBUS DE UNNORUM
CRUDELI IRRUPTIONE,
PER SANCTORUM INTERCESSIONEM
DIVINÆ MISERICORDIÆ AUXILIUM
IMPLORARE CURAVIT.

Ab hoc *Nicetas* vir sanctissimus, quo Pontifice, extremam sunt passi calamitatem *Aquilejenses*. Sunt qui tradunt hunc *Nicetam* eumdem fuisse cum *Nicia*, ad quem *Hieronymus* epistolam dedit, quod temporum intervalla vix credibile faciunt. Siquidem à *Valeriano* Patriarcha, quo tempore ea epistola scripta videtur ad *Nicetam*, septuaginta anni, vel paulo minus numerantur; C quibus si addas viginti quatuor ejus ætatis, quam tunc *Niciam* egisse, ex ipsa Archidiaconatus dignitate colligimus; mox reliquos quinquè & viginti Pontificatus; nimirum ad centesimum, & vigesimum fermè annum pervenit hic Patriarcha: de quo illi viderint, mihi scrupulum sufficiat injecisse.

S. Nicetas Patriarcha Aquil. XX. Anno Domini 450.

Libri Decimi finis.

183

LIBER UNDECIMUS.



RUit *Romanum* Imperium, & ingens illa *Italiæ* gloria barbarico paulatim prosternitur fastu: & ne dubites fatali quodam divinæ mentis decreto ultimum tantæ potentiæ excidium imminere; ecce tibi hostis, nec expectatus, nec creditus; qui modò victus, ac propè deletus, non ob aliud illi vivere permissum est, quàm quia negligi cœperat. Adeò futurorum descriminum multa cæcis sæpe seposita tenebris, & contrariis etiam aliquando obducta conjecturis vel perspicacissimis hominum mentibus possunt illudere. Hæc autem quomodo acciderint, quantum ad rem nostram faciunt, referemus, si prius de gentium harum origine aliquid dixerimus, per quas *Romano* robore dissipato, novam rerum faciem terrarum orbis recepisse visus est. *Scandia* omnium peninsularum maxima ab Septentrione in *Germanicum* mare longo effunditur tractu. Loco tanta inest fœcunditas, ut vicinis terris continenter habitatores dederit. *Getæ* (*Gothos* nunc dicimus), primi memorantur, qui inde egressi cuncta ab palude *Mæotide* usque ad *Danubium* armis tenuere. Horum, qui ad Ortum magis proximi fuerunt *Ostro-Gothi* dicti sunt; Occidui *Visi-Gothi*. Omnibus intra ripam fluminis sedes, & Imperium florentissimum; donec *Unnis* à tergo

Scandia peninsula. — *Gothi, Ostro-Gothi; & Visi-Gothi, qui Populi sint.* — 184

D exundantibus, *Visi-Gothi* tunc primum ad *Romanas* Provincias animum adjicere compelluntur. Commune *Unnorum* genus cum *Gothis*. Nam memorant, *Gothorum* multitudine ex *Scandia* in *Germaniam* properante, Regem eorum *Filemirum* maleficarum fœminarum turba offensum, quibus castra abundabant, eas in unum collectas per sylvas, & avia paludum ultra *Mæotidem* dispersisse. Ex his *Unnos* natos. Fabula additur: mulieres ex errantium dæmonum congressu gravidas factas talia deinceps monstra edidisse. Eam veri ludificationem veram fecisse visa sunt horrida hominum corpuscula; & mores ab omni humanitate abhorrentes. Igitur E horum impetu *Ostro-Gothis* dissipatis; *Visi-Gothi* ad consanguineorum infortunium exciti, ac de rebus suis soliciti, trajicendi *Danubii* consilium ineunt. Trajicientes *Valens* Imperator suscepit: & fœdere cum his composito, in *Thraciam* proximam collocat. Sed non diu pactis stetere. Nam sive *Romanorum* nimia offensi asperitate, sive proprio ingenio ad arma concitati, repente ex hospitibus hostes effecti subitis Imperium cladibus deturpant. Tandem *Theodosii* lenitate iterum ad obsequium traducti, fidelem Principi, quamdiu inter homines fuit, operam præstitere. Eo defuncto, regem sibi faciunt *Alaricum*, qui *Italicis* assuetus expe- F ditionibus, nihil prius in votis habuit, quàm sibi pulcherrimam totius orbis Provinciam armis asserere. Atque ea prima *Italiæ* pernicies; qua ipsa Imperii caput, & gentium victrix *Roma* hostili sub manu victa concidit, & occubuit. At-

Unnorum genus.

Anno Domini 451.

que ab eo tempore res Imperii fractæ passim despici potuerunt. *Unni* interim exactis *Visi-Gothis* latè in *Germania* Regni fines prolataverant. Et jam *Attila* eorum Princeps, transmisso Rheno, *Gallias* inhiabat. Ad eam rabiem arcendam *Valentinianus*, quando propriæ defecerant vires, ad externas opes coactus confugere, *Visi-Gothos* tunc *Hispaniam* tenentes ad Imperii *Romani* defensionem solicitat. Paruere illi, & antiquarum injuriarum recordatione ad ultionem de *Unnis* exigendam commoti, promptissimis animis advolant. Ad campos *Catalaunicos* multitudo omnis convenit, Ducem *Theodoricum* sequuta. Illuc *Aëtius* Patricius *Romanæ* militiæ reliquias adduxerat. *Attila* etiam venerat, quingentis, quod vix credile, armatorum millibus stipatus. Quare prælio commisso, tantum ibi san-
185 guinis fusum memorant, quantum alibi nusquam. CLX. hominum millia cecidere, præter XV. millia *Gepidarum*, atque *Francorum*, qui nocte, quæ prælium præcessit, mutuis vulneribus se confecerunt. Victoriam apud se stetisse *Romani* ex eo interpretati sunt, quia *Attila*, sequentibus diebus, castrorum monumentis inclusus campum, & spolia sibi legenda permisit. Atque ea tunc Reipublicæ instaurandæ occasio sese obtulerat magnifica, si hominem ejus diei prælio attritum perdere sustinuisset *Aetius*. Verum is, dum socios *Gothos* timet, ne, deletis *Unnis*, intolerabiles in posterum evaderent; sive quia ad rem suam in primis faciebat, ut bellum quàm longissimè traheret; omnem imprudens victoriæ fructum è manibus elabi sinit, & ultimo *Romanum* Imperium excidio perculit. Scilicet Superis illud cordi fuerat, ut aliquem ea potentia finem caperet. Siquidem *Attila* ab ea clade exemptus, vel potius dimissus, brevi copias multò majores reparat, & sequentis anni initio minarum, & furiarum plenus rectà in *Italiam* pergit, tanto omnium terrore, & horrore, ut in sola fuga rerum suarum securitatem sitam existimarent Provinciales. Quare factum est, ut superiorum temporum exemplo uxores, liberos, & pretiosa quæque ad vicinas insulas, qui proximi periculo erant, asportanda curarent: mox ipsi, si quid iniquius evenerit, sua pignora consequuturi. Alii montium aspera, & saltus sibi deposcunt; & quo quisque loco sub ea temporis turbulentia sive casu, sive consilio substitit, eo deinceps tanquam patrio ut uteretur, fecere longæ, ac propè perpetuæ calamitatum series, quæ in *Italia* subsequutæ sunt. Sic præter spem omnium accidit, ut multis, ac præclaris cadentibus Urbibus, novæ interim è solo surgerent, quæ antiquarum desiderium etiam extinguere potuerunt. *Attilam*, præter *Unnos* suos, omnes ferè *Germaniæ* populi sequebantur: quos non Principis Imperium magis, quàm inveteratum in *Romanos* odium ad eam expeditionem solicitabat: *Quadi*, *Marcomanni*, *Heruli*, *Turcilingi*, *Thuringi*, *Saxones*, atque etiam *Ostro-Gothi* illi, quos pridem armis subegerat. Hic igitur formidabilis barbarie coëuntis exercitus primam *Fori-Julii* Provinciam init. Miserat illuc *Valentinianus* Imperator electam militum manum, quæ inter viarum anfractus, & montium aditus disposita exitium aliquantisper moraretur. Ipsam etiam *Aquilejam*, quam primum peti intelligebat, valido firmatam præsidio *C. Menapo* fortissimo viro commendaverat; dum ipse interim, justo comparato exercitu, securiorem tuendæ *Italiæ* rationem iniret. Omnis spes sita erat in *Aëtio*, qui tunc rei militaris

Anno Domini 452.

Attila Unnorum Rex Fori-Julii Provinciam occupat.

A scientia, & proxima victoria clarus vel sola no- 186
minis fama Barbaros posse arcere credebatur. Atque hic quidem nihil, quod in ea calamitate opportunum humana potuit excogitare industria, prætermisisse visus est. Crebri quotidie delectus fiebant, mœnia Urbium instaurabantur, auxilia advocabantur. Sed *Gothos* præcipuè antiquos *Unnorum* hostes legationibus assiduè solicitabat. Verum enim vero hæc erant longioris temporis; & *Attilæ* furor moras omnes tollebat: *Æmona* fuit ad radices *Alpium*, ut sæpè dictum est: hanc vacuam nactus *Unnus* impetu primam absorbet. Ever-
B sam alta pressit oblivio, ut nullus sit, qui locum, ubi fuerit, possit demonstrare. Unus *Wolphangus* in novo *Iggio* antiquæ *Æmonæ* rudera agnoscit: illud certum, post hæc tempora nulla de *Æmona* apud auctores factam mentionem. Ab hac *Goritiani* saltus petiti aliquamdiu negotium exhibuere; dum *Romani* locum tuentur. Cæterum postquam crebris defatigati præliis montem hosti cedere sunt coacti, protinus barbara inde effusa multitudo, & torrentis in modum præcipitans jucundissimam *Fori-Julii* partem depopulatur. Inde *Sontio* trajecto, postquam latè Regionem rapinis, & in-
C cendiis exhausit, ad unam *Aquilejam* omnes conversi, illuc arma, & vires contulere. Nulla aliàs obsidio tanta ad posteros rerum gestarum opinione transmissa est: ita facti memoria adhuc viget, & per ora hominum circumfertur. Verum usque adeò illa certis destituta monumentis pererrat, ut quid sub ea præcipuè actum sit, aut quibus viris, quibusvè viribus Civitas defensa se sustentaverit, quove temporis spatio ea perduraverit ærumna, nullus pro comperto possit affirmare. Nempe qui hæc literis tradat, nullus egregii nominis scriptor superest: sive quia ad nos eorum monumenta non pervenerint;
D sive potius, quia mortalibus in tanta rerum consternatione torpidis non tantùm, sed attonitis etiam ad sua explicanda mala nec styli satis, nec animorum fuere. Tantùm ferunt *Priscum*, quendam hominem *Græcum*, de his locupletem edidisse historiam, quæ magno rerum *Foro-Juliensium* damno jam pridem interiit. Hunc *Jornandes* vidit, sed inde pauca admodum excepit, ut desiderium potius incitaverit. Auctor *Annalium Bojorum* se in bibliotheca *D. Heimirani* in Librum, memorat, incidisse, qui heroico carmine res ab *Attila* gestas continebat. Sed hunc etiam malo
E Patriæ nostræ fato, nec reperire potuimus; nec, qui demonstret, adhuc invenimus. Quare auctorum testimonio destituti, quid insuper præstare debueramus, non habuimus;
nisi forsitan pauca è multis illis colligamus, 187
quæ in manuscriptis nostris asservantur. Atque pro antiquis illa in medium proferamus, quæ recentiorum suffragiis magis probabiliora existimantur, quò pulcherrima historiæ pars in integrum veluti restituta commodam cum sequentibus continuationem accipiat, quod faciam profectò, si prius illud præfationis loco dixerim, inter plura hujus obsidionis de-
F liramenta, quibus ætas nostra scatet, egregie *Foro-Juliensibus* non multò pridem illusisse quemdam ex recentioribus; edito libello de factis *Attilæ* ad *Aquilejam*; cujus meras nugas, si quid aliud, Regum illa nomina satis arguunt; quibus adjuvantibus rem *Aquilejensem* diutius sublevatam exponit. Nimirum Imperio *Romano* in *Italia* incolumi, atque in ipsa *Valentiniano* Principe commorante, non nisi per Præfectos, aut per Prætores Provincia administrabatur: qui


Æmona Civitas ab Unnis capta, & direpta.

Jornand. Lib. Rer. Getic. Avent. Annal. Bojor. Lib. II.



FLAVIUS AËTIUS,
ATTILÆ HUNNORUM REGIS TERROR.

Ex antiquo marmore, teste Julio Strozza.





AQUILEJA,
Ex Julio Strozza.

qui cum sine exercitu locis praeessent, nec sua tutari, nec aliena poterant, aut debuerant curare; ut omittam sexcenta alia in illa historia commentitia, quae sibi ipsis pugnant, & ab omni Chronologia sunt aliena; ut ridiculum sit diutius ea persequi. Volui tamen dixisse, quia non desunt apud nos clarissimi etiam viri, qui hujusmodi scripta in suam rem interpretantur; & dum sibi delicias faciunt, parum curant, quàm turpiter à veritate recedant. Sed nec indiscussum illud praetermittendum, quanto tempore obsidio perduraverit. *Jornandes*, qui unus reliquus est nobis ex antiquioribus, *Aquilejam* diu obsessam scribit. *Paulus* Diaconus post illum tribus annis, id totum diu explicavit, quem caeteri sequuti in eundem numerum se volentes impegere: quod unde evenerit; nec conjectura quidem assequi possum. Illud certò constat, *Marcellinum*, *Cassiodorum*, & *Jornandem* ipsum, qui omnes his proximi fuere temporibus, superiori anno pugnatum in *Gallia* referre: praesenti vero *Aquilejam* captam; ut facilè de mendo in verbis *Pauli* veniat suspicandum: quibus menses forsitan locò annorum, sunt reponendi. *M. Antonius Sabellicus* primus errorem animadvertit; aut saltem animadvertisse visus est: sed nullam de re adeo vulgata ausus ferre sententiam ad alios judicium transmisit. Unus *Sigonius* omnem fabulam detexuit, & apertissimam fallaciam disjecit tandem; cujus exemplo nos quoque tempus omne obsidionis intra tertium mensem, aut plus paulò ultrà conferre non dubitabimus; ad id eo in primis persuasi: quod rationi minimè consentaneum videtur, Urbem unam, quantumvis illam, & armatorum robore, & murorum firmitate tutam; adde etiam portu opportuno, & mari vicino adjutam;

Jorn. loc. cit. — *Paulus Diac.* — *Cassiod. in Chr.* — *M. Ant. Sab. III. Lib. de Vetust. Patria.* — *Car. Sig. XIII. de Occid. Imp.*

188 vim illam inexsuperabilem *Attilae* tanto tempore potuisse sustinere: cum paucis ante annis *Roma* ipsa Imperii caput à longè paucioribus *Gothis* brevi temporis spatio & capta fuerit, & direpta. Adde, quantum à *Romano* ingenio illud abhorreat, ut in tàm longo otio, nec terra, nec pelago praeclari aliquid aggressi fuerint Imperatores, quò hostem ab muris submoverent saltem: quem interim verisimile erat omnibus illis laborasse difficultatibus, quas diuturnae oppugnationes solent invehere; ciborum inopia, corporum languoribus, militum dissensionibus, querelis: ut nihil tentasse contra hujus conditionis homines summum fuerit non timoris modò, sed imprudentiae argumentum, à qua longè *Valentinianum* abfuisse clarissimae ab ipso prius susceptae expeditiones satis declarant. Ac de *Aëtio* quidem scriptores conveniunt, sub eodem temporis momento, quo *Aquilejam* quassabant *Unni*, illum cum exercitu *Romae* consedisse, quam exemplo Alarici *Attilam* petiturum existimaverat. Sed tres integros illic trivisse annos ducem sui temporis praestantissimum, nemo forsan audebit dicere; nullo inter haec sua virtute, vel pristina fortuna digno facinore edito, aut intentato saltem. Nam quid de *Gallis*, aut de auxiliaribus *Gothis* memorem? quos ad Imperii *Romani* defensionem non superiorum temporum memoria magis, quàm singulorum pericula vel invitos etiam adegissent. Tandem proximae Civitates, *Concordia*, *Altinum*, *Patavium*, per illud triennium munitiones novas, & praesidium recepissent aliquod: quo res eorum firmiores fieri; & ad futura discrimina instructiores reddi potuissent: quorum nihil accidit, ut mox dicemus. Adeo multa sunt, quae longiori huic *Attilae* morae oppidò videntur adversari: contra in celeritate cuncta clara, facilia. Nempè ita se res habuit: *Valentinianus* improviso non ob aliam causam deprehensus; quam quia longè se ab infortunio credit distare, nimiae illius securitatis poenas persolvit. Igitur *Attila* ea, qua diximus, barbarorum colluvie septus ad *Aquilejam* successit. *Menapus*, ut dictum, tuendam susceperat. Huic frater fuit *Oricus*, quorum in historia, & carminibus suis meminit *Sabellicus* in haec verba:

Sabell. in Utin Orig.

> *Continuò Carnos seque, & sua signa sequutos*
> *Impiger in geminas Menapus Dux dividit alas:*
> *Cornu Oricus dextrum frater regit; ille sinistrum;*
> *Bellorum, regnique simul moderator uterque.*

Atque cum eo quidem belli curas partitus, Urbem, ut in illa trepidatione fieri potuit enixius, instruxit: commeatus in primis, & armorum, machinarumque omnium diligens habita est ratio; quae ab omnibus *Fori-Julii* locis jubet in 189
unam *Aquilejam* comportari. Tunc colonos undique cogit, & qui arma ferre poterant, in militiam adscripti: his oppidani junguntur, non numero tantùm, sed viribus quoque ad omne facinus opportuni; quos non instantis *Attilae* metus melius, quàm majorum suorum gloria, & nomen in superioribus oppugnationibus partum contra Barbaros incitabant. Igitur cum huic multitudini *Menapus* eas militum cohortes sociaret, quas forte secum duxerat, subitò validam, atque in justi exercitus speciem minimè aspernendam aciem explicavit: ut jam non moenibus tantùm se continere, aut pro tectis pugnare contentus, quod pridem statuerat, sed ultrò adventantes ausus invadere, vanum esse sine virtute terrorem hostibus demonstravit. Siquidem, ubi succedentes inspexit, ex duabus portis irruptione facta, tanto impetu Barbaros aggreditur, ut multis caesis, reliquos, qui primi agminis fuerant, in effusissimam fugam retrò ad signa compelleret: strages ad vindictam commilitones incendit; quare recrudescit pugna, & hinc *Attilanis* ad suppetias suis ferendas, hinc *Aquilejensibus* ad victoriam retinendam ruentibus, acerrimum oritur praelium. *Unni* cadunt undique, & morientes terram hostilem petunt ore cruento, ut cum Poëta loquar. Quippe virtute, & armorum genere *Aquilejensibus* inferiores facilè ab ipsis vulnerabantur. In multas horas pugnatum est; donec superveniente multitudine, *Menapus* cedere coactus, integram suorum aciem intra moenia reduxit. *Attila* ubi castra communiit, die, quae sequuta est, paucis suorum comitantibus, ad situm Urbis contemplandum progreditur. Jam fermè ad fluvium processerat; quando subitò ab tergo *Menapus* exoritur. Fit tumultus circa Regem ingens, & trepidatio: ac parum abfuit, quin illam diem extremam belli fecissent *Aquilejenses*, clarissimum exinsperatò suarum miseriarum finem nacti. Sed aliter Superis visum. *Attila* ipse saucius elabitur, galeae ornamento amisso; reliqui ferro absumpti temeritatis supplicium eluêre: exinde Rex in dies cautiori studio sui curam gerere, multa per Duces facere, periculis se abstinere. Sed *Menapus* audacia auctus non noctem, non diem quietam sinebat *Unnis*; modò ex insidiis, modò apertis viribus hostem perturbare, pabulatores intercipere, palantes capere: noctu etiam aliquando ab Urbe digressus in ipsis hostium stationibus tumultum, & caedes etiam excitare; ut jam tantae virtutis satietas hostes caperet. Quae ubi animadvertit *Attila*, ne longius cunctando animum Oppidanis faceret, aut suis imminueret; ipsa quamprimùm moenia statuit adoriri. Praeter scalas nulla Barbaris ad capiendas 190

Pugna inter Aquilejenses, & Attilanos. — *Virg.* — *Aquileja ab Unnis aggressa.*

Urbes instrumenta fuere; sive quia ad hæc rudes sola in acie dimicandi consuetudo fecisset: sive potius, quia corporum firmitate, & virium robore victorias sibi soliti destinare, hæc omnia artium adjumenta de industria aspernarentur. Igitur sine ordine, sine delectu, ut quemque sors egerat ad muros feruntur; & *Aquilejenses* de superiori loco in hostes intenti sudibus, & jaculis, & lapidibus prælium occipiunt. Succedunt *Unni* & quanquam multi caderent: proximi ab incepto non desistunt: donec scalæ muris admotæ milites accepere: ibi miserorum militum casus, & infanda mortis genera passim grassari conspiceres, alii ingentibus oppressi B ponderibus illico concidebant, alii manibus saucii, aut ora, pectusque exusti à prælio discedebant. Siquidem non ferro tantùm, & lapidibus, sed igne, & ferventi aqua à mœnibus prohibentur hostes: *Menapus* hortator aderat, & castigator. Hic verbis non tantùm, sed manu promptus ad periculum accurrere; exemplo suo reliquos incendere; modo religionem, & patriam, modo pignora carissima in memoriam revocare; egregius præmiorum, simul & pœnarum ostentator; quibus illi alacres in omne discrimen ferebantur. Nec defuere virili animo mulieres; quæ se militibus ausæ immiscere, tela non tantum, & jacula pugnantibus ministrabant: sed manu nisæ subeuntes propellere, egregiam patriæ operam præstitère. *Attila* nihilò segnius fortunam suam adjuvat; nunc minis, & verberibus, nunc promissis multitudinem antè se agit: quare fiebat, ut cuncta dissonus compleret clamor, & gaudio, fremitu, imperiis confusus in aëra elideretur sonus. Interim gliscit prælium, & undique fortissimi in necem ruunt. Sed strages penès *Attilanos* multo major. Qui in aperto deprehensi, ac certæ veluti morti destinati facilè de medio tollebantur; ut jam fossæ cadaveribus oppletæ expeditum ad transitum iter sequentibus manipulis præberent: sensit miles damnum: & ad id spectaculum acies inhorruit universa. Quare tandem proprio unusquisque periculo attonitus pedem sistit, aut incipit referre. Nec *Attila* ultra tendit; sed receptui signo dato, fessos in castra reduxit. Hunc exitum ea habuit dimicatio. Nec reliquorum dierum felicior Barbaris successus: donec paulatim malorum experimento persuasi, & ipsi vicissim aggerem instruere, & vineas antè se agere incipiunt: quibus tutior ad mœnia fiebat accessus. Stabat turris ad angulum borealem, antiquioris structuræ opus, quæ viris, & armis instructa negotium
191 assiduè *Attilanis* exhibebat. Circa eam *Menapus* aggerem excitaverat novum, & lorica cinxerat militari: sic firmissimo ab ea parte propugnaculo Urbem muniens. Hunc locum sibi ante cuncta aggrediendum *Attila* destinat, vel quia captu facilem credidit; ad id ædificii novitate persuasus: sive quia, si in potestatem redegisset, non aliundè melius hostium plana despicere, atque Civitatem omnem missilibus poterat infestare. Quare illuc operibus, quæ excitaverat, admotis, fossam primum lapidibus, & terra multa injecta parat obstruere: inde inter vineas ingentem sagittariorum numerum collocatum admonet, ut directis perpetuò in hostem ictibus, munitionem ab omni defensore pergant nudare: dum ipse velites interim dolabris ad subruendum murum ab imo mittit. Impigrè facescunt illi mandata, ut jam continuos telorum imbres vix possent sustinere *Aquilejenses*; jamque nec murum transgredi, nec pro mœnibus jacula emittere, aut tela micare

A audent. Quod *Unnis* ad succedendum spatium fecit, qui simul ac *Aquilejensium* timorem agnovere, Barbaricum victoriæ omen canentes, actutum uno impetu fossam alacres ingrediuntur. Trepidantibus suis lecta stipatus juvenum multitudine *Menapus* intervenit. Eo adnitente pugna iterum restituitur, & muri custodia repetitur. Ipse ante alios nunc telis, nunc lapidibus instare; voce etiam ausus ignaviam hostibus objicere. Tunc undique in subjectos silicum pondera exonerantur: plumbum, ferrum candens dispergitur. Pix incensa jaculatur. Quibus cum mortalium multi extinguerentur: multò plures tamen succedere cogebat *Attila*; qui tergo inhærens, nullo pietatis, aut misericordiæ loco relicto, non verbo increpitans tantùm, sed ferro etiam coërcens, in certissimam mortem miseros adigebat. Sic fit, ut, velint, nolint, *Unni* ulteriori tandem fossæ ripa potiantur, atque ibi, dum per suorum cadavera inter sanguinem, & cædes ad murum reptant, ejus subruendi occasionem nanciscuntur. Nec opus admodum difficile fuit, ruentibus cæmentis vix satis calce recens induratis. Qua re brevi patentem agmini fenestram præbuere. Tunc *Menapus* ex muro præcipitans, nulla vitæ, nul- C la periculi habita ratione, solus aditum occupat, atque ibi stricto ferro in occupatos operi irruens brevi ingentem eorum stragem edit. Sequuntur *Aquilejenses*, tanto animorum ardore, ut fugientibus immisti ad ipsum propè *Attilam* pervenerint; atque ut erant plerique facibus instructi, eas in opera hostium injiciunt, quibus absumpta brevi periere. Quo temporis momento *Oricus* viciniori porta reserata cum omni equitatu suis auxilio advolat. Res 192
improvisa timorem incutit *Unnis*. Quotquot ante aciem turbo ille deprehendit, ad unum occisione deleti. Reliqui vel metu *Attilæ*, vel D periculo admoniti, atque in unum conglobati defensionem parant. Adveniunt interim ex castris equitum turmæ innumeræ: quas esse in armis jusserat *Attila*, dum ipse propugnaculum tentat. Quare ea virtutis ostentatione contenti *Aquilejenses* finem insequendi faciunt: & paulatim in Urbem se recipiunt; quando *Attila* facto accensus, multitudinem in cedentes concitat, atque ipse quidem sui oblitus ante aciem insiliens universos ordines in Oppidanos dirigebat. Jamque equitatus *Oricum* assequutus validam in eo impressionem fecerat. Trahebatur nihilominus certamen, & incredibili præliantium virtute sustentabatur. Adnitentibus *Aquilejensibus* partum decus tueri, & contra *Unnis* indignantibus, à paucis multò plures ludibrio haberi. Igitur multi cadunt. Armorum strepitu, clamoribus morientium gemitibus cælum miscetur. Ibi *Oricus*, dum adversum agmen solus sustinet, à pluribus observatus, & eodem tempore appetitus equo dejicitur; innumerisque confossus vulneribus trucidatur. Ibi fortuna vertit, & virtus illa ingens unà cum duce evanuisse visa est. Igitur deinceps non pugna ea, sed strages miserorum Civium fuit. Paucos tantùm equorum pernicitas à periculo subtraxit. Iniquiori adhuc conditione res apud *Menapum* agebatur, qui suis propè omnibus amissis, ac ipse saucius, dum per muri patentia propugnaculum repetit, hostes unà secum in munitionem traxit. Movit ea res milites, qui turrim tuebantur. Quare jaculis de superno loco, & omnibus machinamentis in eam procellam conversis, tantisper impetum detinuere; donec *Menapus* à suis receptus, vix post multum laboris in turrim pervenit. Nox interim pu-

pugnam dirimit. Sed *Unni* propugnaculo potiti, per tenebras pergunt fundamenta turris diruere. Porrò ea fuerat antiquissimi muri firmitas, ut nisi labore, & tempore diuturno id reddi effectum non posset. Nec *Aquilejenses* quantumvis hesterna pugna consternati periculum neglexere. Sed facibus actutum per mœnia accensis, acriter resistebant, extremam illam pro patria, natisque & uxoribus operam obituri. *Unnorum* dispar erat conditio: quos præter scuta, nihil aliud defensabat. Quare crebri undique ruebant, & cum mortuorum loca proximi occuparent, brevi factum est, ut ab ingruente cadaverum numero opere impedito, ea tandem finem haberet obstinatio; ergo coacti cedere, turrim multis in locis non deformatam
193 tantùm, sed perruptam etiam, fœdeque laceratam relinquunt, & unà cum turri propugnaculum deserunt: quod sine turri diutius retineri non posse intelligebant. Magni ea pugna constitit utrisque. Apud *Unnos* ingens desiderata multitudo. *Aquilejensibus*, præter munitionis direptæ damnum, & turrim penè convulsam, equitatus omnis periit; & unà Dux fortissimus, quod unum incommodum omnem *Unnorum* jacturam anteibat. Quare timor non mediocris Cives universos invaserat, ne malis cedere coacti diutius illam rabiem possent sustinere. *Menapus* præ cæteris angebatur, cui ad privatam familiæ calamitatem publicæ etiam salutis desperatio propemodum accedebat. Siquidem cum copiæ quotidie in Urbe minuerentur; nec promissa interim ab *Valentiniano* auxilia cerneret, nihil præterea habebat, quo posset animum sustentare. Inter hæc placuit, mittere ad *Attilam*, qui mortuos reposcerent. Ad id utrinque induciæ per tres dies paciscuntur. Quo tempore *Menapus* de Civium salute solicitus, omnes eos, quos vel ætas, vel corporum imbecillitas à belli muneribus pridem alienaverat: atque unà cum eis pueros, & mulieres navibus impositos per noctis silentium in proximam insulam *Gradi* traducendos curat. His dux additus *Niceta* Patriarcha, qui in eo tumultu, ut fieri potuit melius, sanctorum corpora, & pretiosam Ecclesiæ suppellectilem secum advexit. In propinquo ea est insula æstuario, ut *Primo Volumine* dictum est, quam eo consilio Civibus destinat *Menapus*, quia Barbaros ab omnium navium usu alienos, nunquam pelago hostem quæsituros sibi persuaserat. Quæ res una perditas *Aquilejensium* fortunas aliquo modo sublevavit. Inde *Menapus* ad Civitatis custodiam promptiori conversus animo murum antè turrim, & turrim ipsam, utcunque per hostem licuit, tentat reficere. Nec vilior cura de reliquis munitionibus; ubique milites disponere, arma collocare; ipse die, noctuque mœnia circumire; nihil tandem prætermittere, quod ad optimi Ducis officium pertineret. Nec *Attilam* levior interea solicitudo versabat. Jam tertius labori mensis accesserat; & nullibi certior oppidi capiundi spes affulserat. Sed tantum irriti supererant labores, & fortium virorum strages miserandæ oculis occurrebant. Ad hæc alacritatem illam, olim suorum militum vultibus præferri solitam magna ex parte refrixisse intelligebat, & tacita ubique suspiria, & contumaces militum voces exaudiebat, quibus præsentis expeditionis infortunium passim lamentabantur. Itaque paulatim consilium de deserenda obsidione animo re-
194 cipiebatur; & recessisset profectò, ni parva res admodum hærentem, & adhuc de rebus suis dubium in priorem sententiam retraxisset. Adeò multa sunt, quæ occultiori quodam, sive naturæ, sive

A divinioris numinis impulsu hominum mentes exagitant: ut non ratione magis, quàm impetu in diversa rapiamur aliquando: ex quo varii rerum humanarum casus, & inexpectati plerique; quibus contra ire nec prudentiæ, nec solertiæ locus relinquitur. Atque *Attila* quidem, desperata victoria, suam de movendis castris sententiam omnibus edixerat, quando ciconiam ab ea turri, quam antè armis tentatam dicebamus, pullos suos in agrum proximum deportantem conspexit. Movit ea res animum Regis, & cum illud contra morem volucris fieri animadverteret, quæ in sublimi tantùm nidos ponit; indè
B Civitatis excidium imminere, quàm verissimè sibi persuadet. Quare lætus ad milites conversus: *Videtisne*, inquit, *avem illam, quæ ruituræ Civitatis casum tacito naturæ sensu prævidens: sibi pullisque suis opportunum comparat domicilium? nempè futurum credite, ut intrà paucos dies illa in manus cadat, & verum augurium certissima victoria confirmabit. Modo viri estote; & hæc ultima laborum vestrorum additamenta alacriores sustinete, quibus tantæ virtutis fructum jucundissimum brevi capietis.* In hunc modum ferunt *Attilam* veluti de cælo admonitum obsidionem continuasse. Cæterum sequentia demonstravere ciconiam
C non casu, aut naturæ ductu, sed sensu periculi excitam labantis muri ruinam anticipasse. Siquidem turris à fundamentis tentata pridem cœperat rimas ducere: mox etiam ad machinarum pondera impar in latus inclinabat, donec non multos post dies tota simul corruens ingenti cum strepitu munitionem, & subjectam fossam opplevit. Nox tunc fuerat, & sopor altè mortales premebat: quare ad sonitum utrinque stupore perculsis, acris extemplo ad arma fit concursus. Atque is supremus *Attilanis* labor fuisset; si protinus Urbem propugnaculo nudatam intellexissent. Nam magna pars Civium
D somno gravata arma deposuerat, & in tam vastæ magnitudinis Urbe non æquè partes omnes discriminis sensus pertingebat. *Menapus* inter primos accurrit, & de propinquo vastitatem contemplatus illicò interiori muro eam Urbis partem de novo sepit, ex solis lapidibus, & luto: intrà quem ruinæ damnum cohiberet. Sed hæc in speciem defensionis fiebant potius, quam quia contra hostilem impetum eam posse durare structuram intelligeret. Cæterum *Attila* sub prima luce benè agendi occasione perspecta, nihil jam sibi cunctandum existimat, quominus cunctis iterum viribus fortunæ aleam ex- 195
E periatur. Indè oppugnatio atrox, & cruenta occipitur. Barbari inter rudera adnisi jam propius signa committunt; & quia casus viam fecerat, nullo se amplius negotio posse impediri interpretantur, quin Urbem actutum occupent. *Aquilejenses* contrà pro nudata mœnibus patria corpora opponunt, & ferro nituntur excidium avertere. Quare hinc desperatione Cives, illinc spe milites agitati majoribus, quàm hucusque fecissent, virium & animorum conatibus pugnam capessunt. Jam corpora corporibus junguntur, & tela telis hærent; &, cum nihil inter eos occurreret, ictus omnes, vel cum morte, vel non sine vulnere cadebant:
F ita multis ruentibus, cum rari *Menapianis*, innumeri *Unnis* succederent, tandem factum est, ut loco illi moveri cœpti paulatim usque ad Urbis tecta propellerentur. Ulterius sequi novo *Unni* prohibentur muro; quem non milite tantùm, sed tormentis etiam, ut in illa festinatione fieri potuit, instruxerat *Menapus*. *Attila* insperato contentus successu, suos in propugnaculum revocat, quod unà cum loco, ubi turris steterat, operibus parat cingere; ut ea tanquam arce contra Urbem in posterum

uteretur. Quæ cùm fieri cerneret *Menapus*, jam tùm verè de *Aquilejæ* salute actum secum existimans, ad Cives saltem servandos animum adjecit. Accesserat ad cætera infortunia, quod commeatus in Urbe inceperant deficere, & ab insulis difficulter subvehebantur, turbantibus cuncta *Attilanis*, qui, non die, non nocte intermissa, usque ad ultimam litoris oram percursabant. Ferebatur etiam, *Valentinianum* comparandæ classis consilium abjecisse, quam sub initia obsidionis *Ravennæ* cogere instituerat; ne mox, dispertitis copiis, minus valido virium robore ruenti in *Italiam* Barbaro occurreret. Quare non *Menapi* tantùm, sed Civium etiam omnium una fuit sententia, ut Urbem quàm primum deserant; corpora, & fortunas servent; reliqua extemplo traducta in *Gradum* multitudine: nempè sic tecta tantùm, & inanimes murorum structuras hostium furori objectas relinqui; Civium capita, quibus vera Civitas constat, in tuto collocari: supersint modò, qui Urbem impleant, sistendæ Urbi locum non defuturum. Sic *Athenienses* olim arcem, & mœnia *Persis* cessisse; corpora ad vindictam servasse. Nec gaudium, nec luctum perpetua in rebus humanis; tempestates, ut subitò oriuntur, sic facilè subsidere. Ita brevi futurum, ut post eam procellam lætior aliquis interfulgeat dies: interim malis domiti, necessitati discant parere, & non tanti perituram ædificiorum formam existiment, ut pro
196 illis retinendis se ipsos, & sua pignora in certam perniciem adducant. Hæc inter se jactantes *Aquilejenses* naves adornant. Quidquid in Urbe reliquum fecerat fortuna, superimponunt & per tenebras *Gradum* deportant, imprudente *Attila* non modo, sed nec suspicante quidem; qui tunc nihil minus, quàm hostium fugam credidisset. Additur ad fallendum dolus, sub eam noctem, quam Cives postremam in Urbe habuerant, statuas ligneas armatas in stationibus murorum disponunt; qua defensorum specie hostes decepti, ab omni facti suspicione quàm longè averterentur. Ubi diluxit, silentium primùm *Unni* admirari; mox ubi propius subeunt, simulacra immobilia etiam animadvertere. Interim aves circa ea convolantes hastis, capitibusque tutæ insidere. Infremuere Barbari, suo errore & hostium fallacia cognitis, & confestim ab ea parte, ubi recens murum fecerat *Menapus*, in vacuam Urbem impetu facto, cuncta ruinæ modo secum traxere; domus templa diripiuntur, incenduntur; & si qui fuerant, quos aut patriæ caritas, aut suorum oblivio intra tecta tenuerat (& ferunt non paucos fuisse) omnes ad unum trucidati periere; mulieribus vis illata.

Aquilejæ excidium.

Singularis casus duarum Matronarum Aquilejens.

In his duarum fœminarum casus indignus, qui silentio contegatur. *Digna* fuerunt, & *Honoria*, summo loco natæ matronæ, præstanti corporis forma æquè, ac pudicitia admirabiles. Hæ viris in propugnatione amissis, nullis dein rationibus adduci potuerunt, ut ab eorum sepulchris abscederent: ibi dies, noctesque sedentes unum malorum finem in morte posuerant; quam, ubi captum oppidum intelligunt, ea qua pollebant animi magnitudine, etiam præripiendam existimant. *Digna* in proximam sepulchro turrim conscensa inde se in subjectum fluvium, obvoluto capite, præcipitat. *Honoria* saxum, quod viri corpus tenuerat, complexa nunquam ab eo potuit divelli, donec gladio ab militibus trajecta, & ipsa non infelix omninò apud carissimum conjugem occubuit. Sic *Aquileja* omnium post *Romanam* Civitatem in Occidente amplissima cecidit; anno, postquam à *Romanis* condi cœpta est, DCXXXV. Scriptores quicunque hujus excidii men-

A tionem faciunt ignibus absumptam memorant, ac penitus deletam, adeo ut & vestigia quoque Urbis extingui Barbaris cordi fuerit: quod non ausim affirmare, cum multa sint, quæ contrariam sententiam probent. Nam post discessum *Attilæ* crebra adhuc de *Aquileja* mentio apud auctores; & Patriarchas ibi sedem tenuisse, in comperto est, usque ad *Longobardorum* tempora; à quibus ultimam Urbi accessisse calamitatem loco demonstrabimus. Interim lector *Justiniani*, 197
qui longè post hæc Imperium tenuit, *Edictum de Prætore Paphlagoniæ* diligenter expendens, viderit, si de Civitate jam excisa, ac penitus se-
B pulta hæc fuerant dicenda, quæ florentissimæ tantum, & fortunatæ convenire nemo non novit. Ejus verba sunt ejusmodi: *Paphlagonum gens & antiqua, neque ignobilis olim extitit, in tantum quidem, ut & magnas colonias deduxerit, & sedes in Venetiis Italorum fixerit; in quibus & Aquileja omnium sub Occidentem Urbium maxima, & quæ multoties cum ipsis etiam regiis certamen susceperit, condita fuit.*

Just. in Authent. Collat. 4. T. 8. *novell.* 29.

Sic clarissima potitus victoria *Attila* nullo propemodum ad quietem spatio militi relicto, in reliquam *Italiam* signa movet. Iter aggredientem *Utini* opus inchoatum aliquamdiu detinuit. Hoc sub initio expeditionis, non
C multo negotio, in potestatem adduxerat; atque illic dum *Aquilejam* obsidione urget, ægros milites, saucios, mulieres, atque cæteram turbam captivorum incluserat, quin Regiam etiam suppellectilem, & pretiosa quæque ibidem seposuerat; & in omnem belli eventum diligenter custodienda præceperat. Horreo etiam publico instruxerat, in quo voluit commeatus à *Germania* succedentes ad exercitus necessitates servari. Quare fiebat, ut quotidiè ingens in oppidum ex castris fieret concursus, & non ab lixis tantùm, aut mercatoribus, sed à militibus quoque, & à ducibus frequentaretur sæpius, ut
D primo murorum ambitu multitudo omnis ægrè admodum posset includi; & jam multi extra mœnia, secundum eam viam, quæ *Aquilejam* ducit, subitaria sibi ædificia exstruxerant ex lignis, & lapidibus; ut sors tulerat: in hoc tantùm soliciti, ut imbres arcerent. Quæ cum ad *Attilam* perferrentur, veritus ille, ne repentina aliqua ex Urbe facta eruptione, omnis illa multitudo ab hostibus interciperetur aliquando, & deleretur: primum loci situm nova, eaque ampliori proferendum munitione existimat. Ad id, aliquot dierum intermissa obsidione, præsens ipse primas operi ad-
E movet manus; & aratro mœnibus futuris locum designans non mediocri *Utinum* ab duabus partibus auget incremento. Siquidem ad meridiem, qua militarem in *Aquilejam* viam initio insederant *Unni*, ducto quàm latissimè circuitu id totum adjecit oppido, quod nunc novissimo *Turri* rivo alluitur: & portis interioribus quatuor continetur. Pari ratione, quanquam arctiori gyro, in obverso Septentrione novo *D. Christophori* vico septum parat. Ex quo factum est, ut Civitas velut trifariam divisa simul cum amplitudine majorem etiam contra hostiles impetus firmitatem acciperet; donec tempore,
F intermediis muris in privatorum ædes immigran- 198
tibus, aut in viarum usus labefactatis, hunc tandem, qui cernitur modo, interiorem ambitum retinuerit; & proinde ad se tutandum minus etiam steterit opportuna. Aream ab utroque latere in hunc modum designatam viarum spatiis, & ad ædificandum insulis distributis non ineptè divisit; quam mox perpetuo, eoque altissimo aggere septam portis instruxit firmissimis, & turres ad portarum custodiam adjecit: in

in Meridionali regione quatuor, *Juliam* arci proximam, *Aquilejensem* in eam Urbem conversam, *Gracchianam*, & *Postcollinam*: in Septentrionali duas, *Villalteam*, & *Glemonensem*. Omnes adhuc supersunt; præter *Glemonensem*, quam *Florianus Antoninus* patrûm memoria magnificas ibi exstructurus ædes ab Civitate sive mercede emptam, sive dono acceptam à fundamentis disjecit; cujus nihilominus vestigia in proxima via deprehenduntur. *Juliæ* appellationem propinquum *D. Antonii* templum immutavit: quod de *Villaltea* quoque evenit, quæ à Sancto *Christophoro* nomen novum accepit: reliquæ prima retinent vocabula non tantùm, sed illa eadem indidere vicis, qui extrà pomœrium paulatim succreverunt; ac portis etiam novissimis, quæ ab *Attilanis* hisce denominationem habent. Hoc eodem tempore *Postcollina* antiqua obstructa, de qua *Tertio Volumine* dicebamus, nomen, & locum cessit novæ huic *Postcollinæ* ab *Attila* ædificatæ. Atque hæc sanè, perdurante ad *Aquilejam* obsidione, fiebant *Utini*: mox ea soluta, ubi oppido appropinquavit *Attila*, cuncta brevi ultimam manum accepere. Siquidem tàm numerosæ multitudini, & in incertam expeditionem properanti locus aliquis à tergo erat necessarius; quò vel fessi de itinere se reciperent, vel si casus aliquis ingrueret, victi possent confugere. In ejus rei gratiam *Attila* aggeri novæ circumfuso munitioni murum jubet imponi, qui subitario tumultu instructus minimè parem cum antiquo aut crassitudinem, aut firmitatem est adeptus, utcunque tamen ad arcendas excursiones sufficere credebatur. Quibus non contentus *Juliam* arcem in ampliorem formam pergit erigere. Steterat hæc, ut olim memoratum est, modico colle, qui ab occasu Solis oppido imminens latè regionem tuebatur: ejus collis exiguitate offensus *Attila* nova ipsum accessione exornandum curat. Quare non sine ingenti labore, & patientia, terra ex subjecta planitie convecta, tumulum in eam, quam nunc habet, latitudinem exporrigit, ad id non mancipiis tantum, aut captivis, sed militibus etiam egregi-
199 am navantibus operam, qui glebam clypeis, & galeis importantes brevi collem auxere. Ejus rei monumenta non multis abhinc annis ipsi vidimus. Nam cum *Sanctus Venerius*, Patriæ Rector, novam in ea appendice moliretur cisternam, subito spatium illud manibus factum apparuit, & non saxorum tantum politorum, aut lateritiæ materiæ frusta prodiere plura: sed galea etiam antiquioris operis emersit, quæ labori intentos milites fugerat olim, nunc verò ad facti confirmationem in lucem progressa Civium oculos gratissimo spectaculo recreavit; ut nullus dubitationi locus supersit, quin totum id, quod Cisternam hanc *Veneriam*, hortos, atque vicinas domos complectitur, fuerit *Attilanæ* industriæ supplementum. Contrà quod immensas Rectoris Ædes, Templa duo, & habitationes propinquas sustinet, firmitatem omnem procul dubio à natura accepit, & nullo artificio, aut auctum, aut sustentatum dignoscitur. Quod, si quid aliud, pumex aridus, & nativi scopuli crustæ demonstrant, quæ ædificiis proximæ deprehenduntur: ut prætermittam parietum vastitatem, & marmorum illa ingentia pondera; quibus subjecta premitur humus; quæ nisi solido subnixa starent fundamento, pridem ruinam intentassent. Tunc triangularis illa turris, quæ multò ante ab *Julio Cæsare* instaurata, mox longa pace neglecta, & multis in locis devastata jacuerat, *Attilæ* opera restituitur; & ad primam altitudinem producta perpetuum deinceps militum præsidium recipit. Pinnæ cir-
A cum, & murorum ambitus refecti; quibus non veteris tantùm collis partem, sed additamentum omne simul complexus, in unam veluti castelli formam cacumen universum redegit. Nec campi inutilis usus, unde terram modò exhauserat. Fuerat is colli propinquus, inter Orientem & Arcton, continuis ille excavationibus pressus, & in hiatus dehiscens immensos. Igitur accepto prætereuntis *Turri* ramo, quo mœnia prima aspergi olim dicebamus, repente in stagnum intumuit, quod aspectu non tantùm, & piscium proventu, sed munimento etiam Urbem in posterum exornavit. Qui è stagno su-
B pererat humor, in novam Australem fossam influens oppidum ab ea parte circumibat: donec cum antiquo iterum rivo ad portam *Gracchianam* immissus unico alveo in proximas paludes exonerabatur. Adhuc sub porta *Antoniana* fornix deprehenditur ingens, sub quo ex juncto sibi lacu aquam in fossam decurrisse satis apparet. Sed re postmodum circà *Utinum* aucta, sinus hic universus exsiccatus in hortos Patriarchales primum; mox in publicarum nundinarum usum concessit; quem, si modò paulò at-
tentius inspexeris, artificio excavatum facilè de- 200
C prehendas; & nunc etiam ejus pars eminentior, quæ aquas coërcebat, ripa dicitur; & proximus vicus insula; nempè quia inter rivum *Turri*, & lacum ad instar insulæ steterat. Porrò hujusmodi fuere munimenta, atque etiam ornamenta, quibus *Attila Utinum* instruxit; eo sanè consilio, ut ibi cariori relicta gaza, atque inutili seposita turba, tutum in reditu haberet recessum. Quæ in præsentes necessitates excogitata ad futuros *Foro-Juliensium* casus sublevandos mirum in modum postea profecere. Nam sensim locus auctus, & ab insequentibus Principibus excultus reliquam Provinciam unus & consilio, & viribus semper sustentavit. Ab hac cir-
D ca *Utinum* navata opera præclarum sibi apud posteritatem nomen fecit *Attila*: ut illum Urbis auctorem dicere multi non dubitaverint. Cui opinioni ansam præbuisse primum crediderim *Othonem Frisingensem*, antiquum scriptorem; qui in Chronicis hæc memoriæ prodidit: *Tanta autem in obsidione hujus Urbis* (Aquilejæ) *& mora, & multitudo fuit; ut miræ magnitudinis montem Utinum dictum, quem ipse vidi, in modum aggeris ab exercitu comportatum incolæ usque hodie affirmant. Alii tamen à Julio Cæsare eundem montem factum tradunt.* Ac sapienter quidem *Otho*, & ex præscripto historiæ incerta pro certis non ausus affirmare, utrumque de *Utino* rumorem posteritati tradidit. Sed qui subsequuti sunt historici

Otho Frising. Chron. Lib. IV. C. 27.

E ferè omnes, prima arrepta sententia, alteram neglexere omninò; an quia non satis validis posse argumentis obfirmari crediderint; cum nihilominus utraque potuerat, & debuerat investigari, & defendi. Quod nos præstitimus omnium primi sane: si ea, quæ de *C. Julio Cæsare* dicebamus, cum iis, quæ de *Attila* enarravimus, diligenti adhibito studio, conferat Lector; quibus liquidè dignoscet, *Cæsarem* non minus, quàm *Attilam* Arcis *Utinensis* vere conditores extitisse. Neque hoc loci prætermit-
F tam, montem dici ab Othone *Utinum*; nulla de reliqua Civitate facta mentione, quia mons unus forsitan dicebatur *Utinum* ab *Unnis*: perdurante adhuc prima in subjecto oppido appellatione: nisi quis pro monte apud auctorem intelligat non arcem tantùm, sed aggerem etiam universum, quo cinxisse *Attilam* munitionem suam paulò ante referebamus. Nam ad instar montis & hic erigitur; & Civitatem undique complexus ejus prospectum omnem adimebat: tam-

tametsi successu temporis obtinuit usus, ut montem dicant *Utinenses* eum, qui arcem tenet; collem vero qui mœnibus *Attilanis* subjicitur, ob eam nempè causam, quia is arce humilior fuerat.
201 Inter eos, qui cuncta ad *Attilam* trahunt, fuit *Sabellicus* gravis rerum *Foro-Juliensium* scriptor, qui ab *Attila* oppidum conditum; & ideo *Unnium* dici debere, *Utinensibus* pridem persuaserat. A quo etiam illud insuper emanavit, *Utinum* vocem esse *Pannonicam*, quæ inter aggestionem tumuli sæpius à militibus repetita nomen fecerit Civitati: quod in his, quæ de *Utini* origine lusit, non ineleganter expressit his carminibus; quæ altius etiam repetita patiatur Lector me huic nostræ laboriosæ commentationi inserere, quo veluti recreatis ad harmoniam spiritibus, reliqua promptius aggrediamur.

M. Ant. Sabell. in Orig. Utini.

Haud procul ad gelidos se pandit vasta Triones
Planities (bis dena intersunt millia:) collis
In medio tunc fortè fuit non arduus; aut si
Nullus erat, condi facilis natura finebat
Possè manu. Mensus latos hic Attila campos,
Irriguos fontes, & pabula læta; parumper
Substitit. Inde loco sensim demulctus amœno
Cautus castra locat apricis sedibus; atque
Protinus in medio, quà fortè tetenderat, aut quà
Mox tenturus erat, tumulum sibi mandat ad auras
Attolli; unde arces, inimicaque mœnia cernat.
Accelerant mox mille manus, atque ipsa capessunt
Jussa ducis. Pars hæc rastros; pars illa Ligones
Corripit; ingenti fervent nova castra tumultu,
Undique sese operi accingit numerosa juventus.
Inque orbem munire solum se turba vicissim
Hortatur. Lætis resonat clamoribus æther,
Brachia mille simul, totidem quoque rastra micare
Aspiceres. Hic saxa quatit, gerit ille subactam,
Inglebasve recidit humum. Pars maxima cœptum
Munit opus. Quantò moles magis ardua crescit,
Tantò terra magis sensim decrescit ad ima.
Talis erat, si parva licet componere magnis,
Conatus, talisque fuit labor ille gigantum.
202 *Tentarent superas cum frustra scandere sedes:*
Pelion illa cohors Ossæ, atque Ossan Olympo
Addere nixa. Suo fremitu compleverat omnem
Æmathiam, & nostra pollutos cæde Philippos.
Tot subitò manibus moles operosa sub astra
Erigitur. Summa tum qui fabricantur in arce
Testati extremum peregrina voce laborem
Huc huc ferte viri clamant. Utinumque sonabat
Ille favor. Saltus Utinum resonare propinqui,
Dulce loco nomen sic omine mansit ab illo;
Urbs quoque clara tenet, prisci non immemor ortus
Autorisque sui, quod vox dat Acuntia nomen.

A Ac de nomine quidem quasi per somnium divinans nescio quid vero simile in medium *Sabellicus* attulit: tametsi ipse postea in historia ingenuè fateatur, nullibi veram hujus vocis interpretationem reperisse. *Non desunt* (inquit ibi) *multi, qui Utinum Pannonica lingua affer huc significare velint; alludentes ad ipsam arcis constructionem. Quod ego à plerisque ipsius linguæ peritis sciscitatus haudquaquam ita esse comperi.* Nempè non *Utinum*, sed *Dudin* affer huc significat: quod non à *Pannoniis* ille longè dissitis populis, sed a *Foro-Juliensibus* suis debuisset investigare; quibus hac voce, *Dudin*, & *affer huc*, & Ci-

Sabell. de Vetust. Aquil. Patria Lib. I.

B vitas ipsorum simul exprimitur. Quod à plebe saltem, & ab rusticis omnibus usurpatum deprehendas, (nam reliquis politioris notæ hominibus *Utinum* dicitur *Udin*,) ut nòn incongruè quis dixerit, vocem hujusmodi ex immani illa barbarie excisam cum multis aliis in Provinciam irrepsisse, quæ sermonibus frequentari cœpta huic novæ *Attilanæ* restitutioni opportunè nunc fidem adstruat. Cæterum, si de rebus remotissimis sententiam licet interponere; crediderim ego, oppidum ab *Attila* ipso, ut sunt hominum ingenia ad nomen proferendum propensa, *Unnium* tunc fortè dictum, & composita
C voce cum *Atina*, *Utinam* & *Utinum* appellatum. Et sic *Atinæ* nomen, ut supra diximus, penè antiquatum (etenim ab eo tempore, quo *Julius Cæsar* Forum ibi instituerat, *Atina*, prisco nomine omisso, ab omnibus passim *Forum-Julium* vocabatur) sub *Utini* appellatione jam redivivum apparuit. Non desiit tamen Urbs hæc, etiam post *Aquilejense* excidium, & *Forum-Julium* appellari; immo, ob ejusdem *Cæsaris* reverentiam, hoc vocabulum per aliquot 203
secula constanter retinuit, donec hoc etiam sensim antiquato, iterum (talis rerum humanarum est vicissitudo) *Utini* nomen (ut in sequentibus
E voluminibus, Deo dante, referemus) invaluit, quod usque ad nostra tempora feliciter perdurat. Talia quidem præstitit *Attila* Utini, cui unà cum mœnibus novis, colle, & monte nomen etiam novum invexit. Igitur æquis auribus patiantur, quicunque illi sint, qui aliter de origine Civitatis sentiunt, me historiæ veritatem sequutum *Attilam* non auctorem, sed instauratorem *Utini* agnovisse, rejectis primis oppidi fundamentis in longè antiquiora tempora, quæ ad irruptionem *Gallorum* secundo volumine probabili ducti argumento referebamus.

Libri Undecimi & Ultimi finis.



HEN-

1 # HENRICI PALLADII

De Olivis, Patritii Utinensis,

Medici & Philosophi Celeberrimi,

DE OPPUGNATIONE GRADISCANA

LIBRI QUINQUE.

3 # LIBER PRIMUS.



SÆpius avorum memoria conflixere *Veneti* de *Foro-Julio* cum *Germanis*, quo tempore *Maximiliani* Cæsaris copiæ *Alpes* transgressæ omnia ferro, flamma, & rapinis devastârunt. Variæ tunc nec ignobiles clades hinc inde datæ, & acceptæ. Oppida complura capta, crudeliter diruta, multa propugnata, & defensa. *Utinum* inter hæc summa cum Civium laude primum sustentatum, mox fati iniquitate ultrò etiam hostibus objectum, donec post multos bellorum labores, quidquid *Sontio* tenus porrigitur, una duntaxat *Gradiscana*, & *Goritiana* ditione excepta, *Venetorum* potentiæ iterum adjunctum est, qui cuncta ruinis, & discordiis fessa placido Imperio excipientes, antiquam Provinciæ dignitatem facilè restituere. Ibi agrorum cultus repetitus, & ædificiorum magnificentia revixit, brevique adolevit ea ætas, non minus divitiarum splendore, quàm hominum ingeniis illustris. Ob hanc verò causam in primis fortunata, quod longè ab omni armorum strepitu sub umbra mitissimi Principis jucundum diu luserit otium. Quod ut illi per-
4 petuum foret, providit Senatus, *Palma* à fundamentis exstructa, nobilissimo propugnaculo contra *Germanos*, & si qua vis *Turcarum* per *Alpes* irrueret. Novum illud offensionis initium *Austriacis*, qui contra antiqui fœderis tabulas in finitimo solo munitiones excitari querebantur. Sed verbis tunc, & legibus solum decertatum. Arma in illud tempus seposita, quo *Uscocchii*, gens latrociniis infesta, & turbando *Adriatico* opportuna, gravioribus in Rempublicam illatis injuriis, bellum acre in *Istria* concitarunt: quod varia fortuna ibi gestum, moxque in *Forum-Julium* ab eisdem protractum non sine magno Provinciæ detrimento circa unam *Gradiscam* diutius tandem deflagravit. In eo cum multa non rerum novitate magis, quàm dignitate conspicua admirationem fecerint, operæ pretium fore existimavi, si, quo quæque gesta sint ordine, perscribens pro virili & ego clarissimorum populorum memoriæ consulam, qui non odio, aut Imperii proferendi cupiditate, sed unicæ rerum suarum saluti intenti plura utrinque virtutis, & fortitudinis reliquêre posteris documenta. Quod

A faciam rem breviter à suis initiis & causis repetendo, quas *Uscocchios* præbuisse paulò ante dicebamus.

Hi *Liburni* maris accolæ *Seniam* tenent, Oppidum Cæsari addictum, quod ad fines Imperii *Turcarum* solo imminens, his non minus, quàm *Christianæ* Religionis hominibus infensum steterat. Siquidem habitatores, dum specie se ab hoste tuendi quotidie ad arma discurrunt, ea, nullo habito discrimine, æquè in socios, atque in exteros convertunt; non aliquo belli jure, aut præscripto; sed, ut fors tulerit, turmatim, aut per insidias vicina loca in-
B festantes; ex quibus continenter prædas, & latrocinia convectant. Hoc diù impunè cum illis procederet, brevi factum est, ut plures sibi adjungerent homines ejusdem notæ ligonem pertæsos, exules, obæratos, aut capitalia ausos plerosque, qui à Civitatibus suis pulsi in illud confugiebant asylum, Deo, hominibusque damnatum. Ita ex omni colluvione misti, atque in unum variis de causis conglobati in ingentem multitudinem excrevere; qui paulatim humile latrocinandi genus despicati, ad majora deinceps animum adjecere, ut jam non circa Oppidi mœnia tantum, aut patria litora legen-
C tes; sed in altum provecti navibus manus ausi injicere, quas mercibus, & argento spoliabant; & si contra vim pararent, in captos more belli sæviebant. Ad rem *Venetorum* pertinere id in primis visum, qui maris Domini, atque adeo *Adriatici* litoris vindices, maxima inde injuria, & damno afficiebantur: reclamantibus interim 5
vicinis nationibus; *Ottomano* ante cunctos fremente, qui non ab *Uscocchiis*, sed ab *Venetis*, quibus tuendi maris jura cesserant, accepta damna instanter repetebat: ni faciant, arma, & & bellum ostentabat. His vocibus, sed rei magis indignitate, illi commoti, sæpius per O-
D ratores suos apud Cæsarem de Piratis tollendis agunt. Ubi minus ex sententia procedit, armis illatis, vi, & Imperio coërcent; ultimo supplicio affectis, quotquot in eorum manus incidissent; Cæsare non permittente modò, sed comprobante etiam, cui mirum in modum facinora displicerent. Sed ministrorum artibus non rarò ab ea cura avertebatur; cui demum ubi intentius animum dedit, *Josephum Rabattam*, virum spectatæ fidei, & nobilitatis laude illustrem, cum lecta militum cohorte *Seniam* destinat; qui, cognitis Reipublicæ postulatis, & causa, noxiorum supplicio cæ-

Uscocchii Populi belli occasionem præstant.

cæteros à maleficio contineat. Sed is, dum acerbius quæstiones exercet, ab irata multitudine impetu facto obtruncatur. Hujus tàm nefarii sceleris nulla in reos facta animadversio, incredibile, quantum omni flagitiorum licentiæ patefecerit aditum. Exinde enim *Uscocchii* omni metu vacui, & haud secus, quàm diù claustris retentæ feræ, nullius imperium, nullius in se potestatem veriti ad intermissa latrocinia, rapinasque præcipites convolant. In *Venetos* verò præcipuè feruntur odio nocendi magis, quàm quia vires ad id haberent; siquidem (donec certamen intra illos solos stetit; res eorum semper inferior, & ubique de injuriis illatis pœnas dederunt. *Venetorum* igitur arma experti, posteaquam se impares ad eos sustinendos cognovere, ad vicina confugiunt auxilia. Spes prædæ *Germanos* accolas facilè in societatem traxit. Horum valido numero admisti summo virium, & animorum ardore undique *Venetos* adoriuntur; qui nihil tale de *Germanis* expectantes, dum negligentius sibi prospiciunt ab assueto hoste incommoda non dissimulanda subierunt. Summa cladium fuere, *Vegia* Insula devastata, *Hieronymo* loci Rectore in vincula conjecto: tùm *Pagus*, & *Arbæ* deprædatæ. *Istria* incendiis attrita. Naves plures, quàm unquàm antea captæ, direptæ. Nullis non ubique crudelitatis, & perfidiæ exemplis in *Venetos* editis; ut aliquando eorum triremi inter scopulorum angustias, & anfractus per insidias intercepta, post milites ad unum per miserabiles cruciatus confectos, *Christophorum Venerium* Trierarcham membratim discerpserint; & quod vel hostibus nefandum spectaculum esse debuit, viscera ejus adhuc spirantia, calido per o-
6 ra cruore diffluente, rabidis premere dentibus, & per ferinam ingluviem in alvum provolvere non sint veriti. Ad hæc Rectoris *Pagi* cædes accessit, quem *Uscocchii* in insidias tractum *Carlobagii* fœdè trucidant. His superaccensi *Veneti*, justa demum acie comparata, quod anteà vix fecerant, teterrimos omnium gentium hostes quocunque gentium persequendos, & nidulos eorum anquirendos omnes, & delendos censent. Animos maximè ad vindictam commoverat veteri hosti novus adjunctus hostis. Traductæ igitur in *Istriam* peditum cohortes aliquot *Corsorum*, & *Illyricus* equitatus. Hac manu latrones ubique conquisiti, & si cominus congredi dabatur, fusi, trucidatique: de finitimis verò, qui partes eorum juverant, supplicium abundè sumptum. In his *Novium* Oppidum *Nicolai*, & *Volfangi Tersacchiorum* post multum certaminis vi capitur: ibi tormenta tria, quæ *Veneria* triremis habuerat, inventa *Veneti* Justinopolim deportant, & locum parte muri, & turri una disjecta deformatum relinquunt. Sed Fratres *Tersachii* ob tantam Oppidi jacturam in furorem adacti, dum quotidie querelis Cæsarem defatigant, eò hominem pepulere, ut illos arma capere contra *Venetos* non magis juberet: quàm permitteret. Quare *Volfangus*, ex ordinariæ *Croatiæ* delectu peditibus M. D. & equitibus D. secum raptis, in *Istriam* ad fines tutandos proficiscitur. Huic *Daniel Francolus* jungitur, Dux militia clarus, & rerum gestarum splendore per ea tempora inclytus, quem ab *Carlestoto* quingenti voluntarii milites subsequebantur. Interim *Veneti* Istriam ab injuriis, & maleficio vindicabant, *Uscocchiis*, & *Germanis*, qui arma sumpserant, debellatis. Unus *Benvenutus Petatius* restabat, qui odio patrio adversus *Venetos* imbutus, *Tergestinos* Cives suos *Uscocchiis* mistos, in eorum instigabat da-
A mna. Erant huic ad salem colligendum, qua merce incolæ abundant, arcæ ingenti impensa elaboratæ; ad has corrumpendas quando hominem assequi non poterant, ducunt *Veneti* copias; acies universa octingentos milites explebat; qui dum incautius *Tergestina* litora excurrunt, *Tersacchium*, & *Francolum* tùm primum fortè Oppido adventantes obvios habuere. Utrisque improvisus inimicorum aspectus animos movit. *Germani* gaudio exultare, quod numero, & viribus longè superiores hosti penè imparato occurrissent: *Veneti* mœrore affici, quibus nihil tale metuentibus impar adeo pugna e-
B rat obeunda. Sed, ubi nullum nisi in dextris effugium superesse animadvertunt, extemplo abjectis in medium sarcinis, arma cuncti impigrè expediunt. Peditibus præerat *Fabius Gallus* veteranus Reipublicæ miles, qui extrema 7
oratione suos adhortatus, in ruentes *Germanos* primus infertur. Pugnatum amplius duabus horis, donec mediis hostium turmis fortiter dimicantem *Gallum* hastæ, & tormenta confecere: duce sublato, milites loco cedunt, & paulatim in fugam dilabuntur. Ea pugna cxx. ab peditatu sunt desiderati, equites omnes ferè integros reduxit Justinopolim *Benedictus Liegius* eorum Præfectus. Hac inflati victo-
C ria *Germani* jam majora viribus concipiunt. Sunt qui opulenta *Carnorum* oppida, & felices *Fori-Julii* campos demonstrent. Furentibus stimulos addunt Duces manu, & ingenio prompti: *Venetorum* verò nomini plus quam dici potest infensus uterque; cujus rei causæ in *Francolo* nullæ inerant, nisi quod *Tergesti* natus studium populare contra Rempublicam exercebat. *Tersacchium* verò majora movebant. Nam præter *Novium* proxima æstate direptum, ut dicebamus, & agros cultoribus exspoliatos, antiquæ etiam altius animo insederant injuriæ,
D quæ hominis mentem multò pridem exagitabant. In his *Christophori Frangipani* gentilis sui casus, quem olim ab *Venetis* captum, & tetro enectum carcere memorabat: & *Vegiæ* possessio amissa, *Nicolao* Insulæ domino expulso, quod supra cuncta dolorem faciebat. Quare, ubi lætioris pugnæ successu *Germanos* erectos vidit; jam tùm sibi acerbiorem ab Republica vindictam animo destinans, acri oratione universam aciem perstringit. Se ab extremis *Croatiæ* finibus hostem quæsivisse, assecutum ferro, virtute absumpsisse, ut suæ virtutis fructum victis *Venetis* relinqueret. Quid
E eo sanguine, & cædibus factum, si ultra signa non audeant inferre? frustra se tantum itineris emensos, tot montes superatos, si circa oram *Istriæ* sedentes tempus terant. Vastata ibi omnia, & cladibus affecta nil reliquum præterea habere, quod militum animos alliciat. Contra esse in proximo *Foro-Julio* arva amœnissima, & pagos omni rerum ubertate affluentes; quos nulla vis ferri, nulla manus inclementior hucusque attigerit. Hæc ab eadem fortuna, quæ pugnæ occasionem dederit, nunc victoriæ præmium proponi. Illa igitur tanquam debita tantorum laborum emolumenta petant, dum ho-
F stis segnis, infortunio secors, nihil tale suspicatur. Hæc non Cæsari, aut *Ferdinando*, non *Germaniæ* Principibus injucunda, quos satietas, aut pudor certè subire debuit tantarum cladium, quibus *Veneti* usque ad eam diem fortissimam gentem impunè exercuerint. Nimirum tempus advenisse, quo & illi vicissim damna rependant. Hoc præsentis fortunæ diem, hoc eorum virtutem exposcere; ut quos per sum- 8
mum discrimen vita spoliaverint, bonis mox insu-

super omnibus minimo cum periculo exuere non dubitarent. Quare armis sumptis se ducem belli, & itineris insequantur. In agros *Montisfalconis* illos inducere in animo esse; ibi regionis ejus cultores omnes attonitos, aut somno obrutos in manus traditurum; quibus pecorum in modum trucidatis, non tantum praesenti rerum copia animum, & sinum complere, sed novis his veluti hostiis accedentibus egregiè *Uscocchiorum* manibus licebit iterum parentare.

His concitati *Germani* proficiscendi signum ingenti clamore deposcunt, vix dies una corporum quieti interposita. Displicebant haec nihilominus prudentioribus viris, qui Principum voluntates ex aequo, & bono rependentes, *Tersacchium* haec, inscio, atque invito etiam fortassis *Ferdinando*, moliri querebantur. Siquidem antiquissima vicinitatis jura, & pacem usque ad id temporis mutuis officiis excultam maximo utriusque Provinciae damno paucorum libidine, & furore videbant violari. Nec defuere, ut fama tulit, qui facinus exosi *Montisfalconis* Praefectum per literas admonerent de temeritate *Tersacchii*: quare compleat ille viarum angustias, & paucis militibus *Germanorum* audaciam compescat: caetera curae fore Principibus. Ille acceptis literis, quid rerum gereret anxius, nuncios *Utinum*, *Palmam* mittere. Sed occupat omnium consilia *Tersacchius*, & proximis tenebris *Timavi* fonte superato, rectà per *Carsum* Provinciae claustra penetrat, à nullo prohibitus. Neque enim *Veneti* credidissent unquam, ut fusi toties, pulsique hostes ultrò eorum agros depraedatum venirent. Oppidum *Montisfalconis*, quod muro, & propugnaculis viam sepit, de industria vitatum: & *Verruca* Oppido imposita silentio praeterita. Opus hoc *Theodorici* Gothorum Regis, victo ad Sontium *Odaocre*, antè annos MC. excitatum. Igitur rabies omnis in pagos conversa, & villae patentes per tenebras conquisitae, ubi plus praedae, quam sanguinis haustum: & ne quid barbarae crudelitati deesset, domos direptas ignibus absumunt. Sed qui *Verrucam* custodiebant, incendium spectantes, id quod erat suspicati, omnis generis tormenta in terrorem exonerant. Reboat aër, & continuo sonitu longinquos territat. *Palmae* auditus fragor, & flammae ante oculos militum objectae veris majorem speciem praebebant malorum. Praeerat tunc temporis munitioni *Franciscus Erizus*, vir Senatoria non minus, quàm militari scientia abundè instructus:
9 quem clarum faciebant anteacti Magistratus *Utini*, & *Cremae*, & vita innocentissimè traducta. Is eo turbine excitus ad arcem enixius tutandam animum, & arma convertit. Posteaquam omnia circum tuta animadvertit, & ipse vicissim machinis displosis adventantis auxilii exprimebat simulationem: haec res non parum *Germanos* palantes coërcuit. Sed ubi primum coepit dilucere, major damni facies apparuit: pagani undique ad eum confluentes etiam illa, à quibus longè abfuerant, in medium referebant. Sic fiebat, ut dum alius ignaviam, alius formidinem excusant, alii alia, cuncta terroribus, & sanguine miscerent. Itaque *Erizus* non temerè praesidium ex arce deducendum existimavit; sed misso *Utinum* Nuncio, qui *Silvestrum Maurocenum* Provinciae Rectorem de hostili incursione commonefaceret, auxiliarem manum petit ab eo, qua praesenti periculo possit occurrere. Patribus dein cuncta aperit; quo in statu sint res *Fori-Julii*, videant. Hostem non temerè *Montisfalconis* solum ingressum: ni

Anno Domini 1615. die 25. Novemb. Tersacchius militum ductor Veneta confinia Provinciae invadit.

A citò belli nascentis principia antevertant, in exitium totius Provinciae brevi exarsurum. Haec primùm *Utini* vulgata mirum, quantum molestiae, & tumultus intra Urbis moenia exciverint. Iam de *Fabii Galli* caede rumor subobscurus pervenerat; & *Istriam* ab *Uscocchiis* depraedari passim jactabatur: ergo eos *Carsum* nunc transiliisse, constans apud omnes erat opinio. Rei indignitate Cives accensi, extemplò singuli ad Rectorem convolare, pro se quisque fortunas, corpora polliceri. Septemviri aderant, qui Magistratus in Civitate est amplissimus, cuncti studio in Principem effusi circa
B curiam fremere. Indignum nomine *Utinensi*; indignissimum *Veneti* Imperii dignitate, hostem foris sua depopulari; se verò intra tecta inclusos in modum muliebrem fortunam incusare: nequicquam naturam sibi dexteras, & corpora virilia dedisse, si ea pro salute Patriae periculis objicere dubitaverint: jubeat ille modò juventutem armari, & quid roboris, aut animi in ea Civitate supersit experiatur: jamjam latrones fusos, praedam recuperatam, & flammas illas Barbarorum cruore restinctas se ominari, atque etiam promittere. Hos subsecuti Provinciae Tribuni, singulari animorum contentione stu-
C dium suum in Rempublicam demonstrant.

Maurocenus tanta virtute laetus, *Danielem Antoninum*, Utinensem Patricium, inter caeteros deligit, qui primus turbatis succurrat rebus. Is super militare decus familiae rebus gestis, & propria virtute clarus popularium suorum oculos in se pridem converterat. Quare brevi unius 10 horae spatio CC. equitibus ex amicis, & clientibus ejusdem Urbis instructis, sub eadem nocte ad persequendos hostes proficiscitur, publicis prius acceptis literis ab Rectore, quibus summum homini imperium in ordinarios omnes Provinciae delectus permittit, ut eorum opera,
D siquidem occasio tulerit, in Reipublicae commoda liberè utatur. *Palmae* ab *Erizo* benignè, & gratulanter exceptus, *Illyricorum* alam accipit; inde intentiori cura iter accelerans sub ortum solis *Sontium* trajicit, sola celeritate sperans hostilem perfidiam posse praeveniri. Sed *Germani* inter haec, ubi ad libidinem infelicium paganorum damnis efferatas mentes explevere, iterum *Carsi* jugis transmissis, in tuto signa collocarunt. *Antoninus* illuc adveniens, quod unum reliquum erat, animum miseris restituit. Inquilinos verò, qui per agros dispersi mortis effugia quaesierant, oratione, & impe-
E rio in unum coactos ad sua deinceps enixius tutanda facili negotio confirmavit.

Interim *Venetiis* de clade *Tergestinâ*, mox de populatione nuncius acceptus universis ordinibus animos moverat. Paucis antè diebus mortalitatem exuerat *M. Antonius Memus*, Reipublicae Dux, & tunc Patres de eligendo successore sententiis certabant. Diffidentes novâ Reipublicae cura compressit, & subitò compositis animis, *Joannem Bembum* Principem renunciant IV. Non. Decemb. concedente *Sagredo*, & *Nanio*, qui pares *Bembo* de Civitatis apice contendebant. Porrò in ea Reipublicae tempora
F incidit *Bembus*, quae animi ipsius moderationem maximè exigebant. Homo siquidem navali militia inclytus; & longa rerum experientia doctus imminentis periculi sensus placidè adeò excepit, ut inter incerta pacis, & belli positus, dum neutrum spernit, mediis consiliis, quod difficillimum censetur, patriam ab omni infortunio immunem in placidissimam quietem reservarit; quòd sequentia demonstrabunt. Post solemnes initi magistratus caere-

monias refertur ad Senatum de *Uscocchiis*. Commoverant nunciata non magis vulgus, quàm Patres. Nulla ad abjectissimum hominum genus domandum adhibita animadversio: commodi quicquam non attulerat modò, sed ferociores, & non contemnendos Reipublicæ hostes comparaverat: arma illa vaga, & ad curam aliquam incutiendam olim instructa conticuisse; nunc majus imminere periculum; à *Germanis* injuriam illatam, bellum novum profectum; eòque ventum esse, ut non nisi eorum sanguine posset restingui: quare ultrò petant, quos paulò post in se ruituros crederent. Pluribus

Antonii Grimani rationes de bello non gerendo.

11 ardor ille non placebat; & *Antonius Grimanus* præ cæteris bellum tanquam Reipublicæ infaustum execrabatur. Huic cuncta aderant, quæ ad molliendos animos sunt opportuna: opes, eloquentia, honores; sed honesti in primis, & veri amator habebatur. Hic igitur ab Cæsare *Rudolpho* exorsus *Austriacûm* officia in Rempublicam enumerare; communem ab iis curam de piratis semper susceptam. Hinc plura in *Uscocchios* decreta; multa cum Republica communicata consilia. Hinc *Rabattæ* illa præclara expeditio; & *Pasqualici* ira in nefarios homines usque ad satietatem grassata. Nihil ab *Rudolpho*, nihil à *Ferdinando* prætermissum, quò suum erga Rempublicam animum demonstrarent. Quod si gens effera, & nullorum Imperiis coërcita utrisque post paulò ferociens insultaverit, *Germanos* bello implicaverit, *Forum-Julium* populationibus vexarit, ab horum facinorum culpa longè Principes illos abesse putandum, qui tot annorum spatio incommoda plura potius passi sint, quàm pacis, & amicitiæ fœdera usque in eam diem sanctè custodita ullo modo frangere, aut violare tentarint. Injustum igitur eos injuria lacessere, quibus beneficium debeas. Hæc non arma, non cædes mutuas, sed legatos, & mitiora consilia postulare; quæ non minus honesta sint futura, quàm Reipublicæ utilia: præsenti verò tempore maximè accommodata. Meminerint Patres præferoces gentes irritari, *Noricum*, *Boëmiam*, *Pannonias*, apud quas *Italici* nominis splendor, & Reipublicæ potentia furoris semper incitamenta fuere. Ipsam verò *Austriacam* domum late potentem, necessitudinibus, obsequiis, armisque audacissimo cuique conjunctam: *Hispanias* inhiantes, & ad injurias promptissimas: *Gallias* diffidentes, divisas: *Italiam* in primis bellis devictam & turpi servitio assuetam. Quid igitur si nobis cum *Germania* implicitis a tergo *Philippus* classicum insonet? Quid si continuò suæ ditionis copiis in unum junctis felicitatis nostræ cursum audeat perturbare? Ea hominum natura, ut alienis bonis plurimum indoleant. Potentia, & Reipublicæ Majestas facilè invidia laborat. Si quis antiqua tempora, & priores vicissitudines repetat, nihil comperiet magis Urbem hanc exercuisse, quàm lætiores rerum successus, & feliciorum copiam. Nunc illa eadem adsunt, & majora fortassis; intus, forisque pacata omnia; otium, divitiæ, Imperii amplitudo: quis non ægris oculis hæc introspiciat? Quis jam Fortunæ modum non exposcat? vel ipsa *Italia*, & quos à Barbarorum injuriis fortissimè vindicavimus, si imminentis periculi motus advenerint, passim mala nostra irridebunt. Ad hæc Reipu-

12 blicæ præsidia, & armatas cohortes, & delectus enumerat, quos in promptu habeant; imparata cuncta, & ad præsentes armorum tumultus incommoda, & vix ad firmandas arces opportuna. Sed nec novi exercitus conscribendi rationem apparere, non arma, non Imperatorem ad manus esse. Primores Senatus ætate invalida, & longa pace desides, Urbem otio languidam, Provinciales agrorum cultui, & quæstibus intentos, bella nec vidisse, nec audivisse. Postremò nec anni tempus ad arma idoneum, sub ipsa bruma, rigoribus, glacie, & tempestatibus plenum. Quà pedes intercurrat? quà eques tendat? sub quibus tentoriis, quibus castris se contineat? Illam igitur esse suam ipsius sententiam, ut pacem à majoribus acceptam, quantum per eos fieri licet, tueantur: tot Imperii decora, Urbis ornamenta, populorum studia ne levissima causa perturbent, aut deturbent. Legatos mittant, qui de *Tersacchii* injuriis conquerantur: si eos inauditos remiserit *Ferdinandus*, tunc per summum otium omnibus comparatis, belloque de more indicto justam non minus, quàm publicæ saluti, vel dignitati necessariam expeditionem suscipiant.

Hæc ingenti verborum, & sententiarum copia profundens *Grimanus*, gratiam conciliante materia, majorem partem Senatus in sententiam trahebat: quando à *Nicolao Contareno* acerba non minus, quàm Senatoria oratione castigantur. Fuere in *Contareno* civilia ornamenta omnia, & bonarum artium studia, quibus ingenium illustre adolescens admodum dedit: ex iis verò nihil æquè, quàm altissimos spiritus, & præclaros de Republica sensus hauserat. Ægre ferebat ille in libero Senatu humiliorem animum adesse, & dum bellum declinarent, iniquiora bello pati indignabatur. Quare ubi finem dicendi fecit *Grimanus* in hæc fermè verba respondit.

Nicolaus Contarenus de bello fiendo sentit.

Quæcunque consilia de Republica suscipiuntur, honesta in primis esse debere, nemo est, qui non intelligat: inde utilis sequitur dignotio, & facilitas ad exequendum; gloria postremò. Hæc omnia vos admonent, Patres Rogati, ut tantarum injuriarum memores, jam tandem publica patientia abrupta, omnia præter pacem, & Austriacûm *amicitiam cogitetis. Fuerant hæc olim speciosa nomina, dum illis sine ludibrio uti licuit, nunc insolentissimi homines omnia dehonestavere; quia pacem nos velle sciunt, bellum voluntarium inferunt; & latrones furto assueti, Imperio nostro impunè illudunt. Hoccine honestum pati? hoc Reipublicæ dignitas, hoc Imperii majestas expostulat? nam quid ego mala nostra dissimulem? aut excusatione intempestiva amplissimum Senatum deludam? Non ab* Uscocchiis *arma concrepuere, aut prædatorii lembi mercibus olim nostris, & navibus infensi pelagus tenent; sed* Ferdinandus *apertum hostem se fassus arma intulit, & cum Ferdinando* Matthias *Imperator bellum indixere: quod si nos per summum dedecus nunc detrectabimus; non multò post fiet, ut inutili non minus, quàm turpi consilio coacti suscipiamus. Hoc de* Senia *conventiones illæ irritæ; hoc in* Tergestinos *portus effugia; hoc cunctatio, & pigritia* Austriacûm *pridem admonebant: hæc omnia in apertum bellum, in certam perniciem Reipublicæ tendebant. Sed tunc erant mitiora, & spe lætioris pacis longinqua existimabamus: nunc illa procella incanduit, & imber inimicissimus detonuit.* Istriam *cladibus consumpsere; copias nostras ad* Tergestum *delevere;* Fori-Julii *limina irruperunt. Quibus viribus, aut quorum consiliis hæc agantur, quis est, qui non videat? quis* Ferdinandi *astus non agnoscat? Ille igitur res nostras bello petit; incendiis, cædibus ad arma lacessit: nos tamen adhuc sedentes hic de pace deliberamus? quæ hæc est socordia? quæ ignavia? An expectamus, ut liberos rapiat, domos incendat, Senatum evertat? Huc igitur majorum nostrorum virtus, & per tot labores partum Imperium recidit, ut supplici jam servitio* Austriacos

13

cos Dominos agnoscamus? illos pacis, & belli arbitros perferamus? illis nos, nostraque omnia spontè dedamus? quis hæc æquis auribus audiat? quis silentio transeat? Scilicet hoc unum deerat, ut Princeps populus nationibus subactis jura ferre solitus, ab inimicissimis hominibus leges peteret, aut acciperet. Eant modò, qui pacem volunt, inflatos Germanorum *vultus sustineant, superba Cæsaris fastidia subeant, & servili adulatione Rempublicam universam prostituant. Hoc est patriam servare; pacem colere. Ego quidem, Patres Rogati, pacem non improbo, quam inter summa bona, quæ fortunatæ Reipublicæ obveniunt, amplecti, & venerari soleo; ab illis tamen plurimum dissentio, qui, cæteris posthabitis, hanc unam quoquo modo retinendam existimant. Nam, si illa honesta, & utilis sit, omnium rerum ea est pulcherrima, & optima: sin turpia facere, & pati debemus, ut pace fruamur, omnia prius sustinenda censeo: bellum, strages, ferrum ignominiosæ tranquillitati præpono. Nempè illa sola est certa quies, quæ periculis quæritur; illa vera pax, quam inter classica conscribunt armatæ manus. Sic avorum nostrorum memoria, bello illo sociali Respublica afflicta, ab omnibus prodita, deserta, non prius rerum suarum securitatem recepit, quàm illam à conjuratis hosti-*
14 *bus per summam vim extorserit. In hunc modum pacis fundamenta bello præparantur, non legatis, non precario verborum ductu, quæ vana, & inania esse vos ipsi à* Rudolpho *toties decepti, à* Ferdinando *toties elusi, vel me tacente cognoscitis. Hic finis ignaviæ. Ultrà torpere non modo non honestum, sed ne tutum quidem existimo. Satis sopori, satis patientiæ datum. Nunc, si Reipublicæ decus, si Imperii splendor vos non movent; movere saltem debent vicina pericula; subditorum populorum cædes, agrorum direptio,* Montisfalconis *vastitas, in quo loco sitis, vos admonent: quorum omnium si nullam habere rationem in animum induxistis vestrum; ea tandem cura vos subeat, ne* Ottomani *patientia toties læsa, lacessita diutius se continere non possit, quo minus continuas* Uscocchiorum *injurias sanguine, & pignoribus nostris rependat. Verba & minas, nullus est, qui sine horrore exaudiat. Quid si ferrum jugulo admotum hauriamus? Hic verus & fatalis Reipublicæ hostis, & solus credo, quem tutius reformidare, quàm spernere debemus. Cum hoc Principe certè, si* Uscocchios *inultos dimiserimus, necessarium extemplo de vita, & Imperio discrimen erit subeundum. At miles non suppetit; Imperator non adest: virtus difficillima quæque superat, & fortuna audaciam juvat. Imperatores dabit hic Senatus, unde tot militiæ decora continenter fluxêre; nec nos ii sumus, qui post* Francolum, & Tersacchium *numeremur. Milites auro colligemus, & argenti illa immensa pondera præstabunt, quæ ærarium publicum onerant. Hi bellorum nervi. Reserate modo thesauros vestros, vel ab ultimo Oceano* Hispania *nobis milites aget. Quamquam nec inermes vos omninò conspicio; quos tot Cataphractorum alæ, tot per Urbes, per agros delectus muniunt. Ubique juventus florida, & longa pace fœcunda; opes, formido, majorum gloria, hostis superbia vel ignavissimos armabit.* Rhætorum *manus auxiliares sunt in propinquo, quas pridem omni officiorum genere nobis devinximus.* Gallia *certè amica; &, si quid recordatio beneficiorum valet, ad ferenda subsidia propensa. Nec Imperatoris, aut Archiducum nomina vos sollicitent.* Germania *illa, &* Pannoniæ *Austriacos malunt habere Principes, quàm sustinere. Sed nec* Philippus *nova molietur, quem* Galliæ *premunt,* Allobrox *implicitum tenet, & tenebit vel nostro quidem commodo, vel suo ipsius saltem periculo commotus. Nam de reliqua* Italia, *aut de Pontifice nunc non est disserendum. Anticipemus modò hostium consilia, & suis artibus fallacem hominem deludamus: bellum, quod primus suscepit, tanquam indictum perferat. Annus, & itinera non magis nobis, quàm hosti incommoda. Sed nihil tàm arduum, quod sollicitudo vigilantia, patientia non vincat. Modò moras abrumpite, impedimenta dimovete, cætera ex sententia succedent: videat hostis armatos, antequam arma vos sumpsisse intelligat. Ut prima belli cadent; reliqua consequentur: aderunt Cælites justissimæ iræ, nec nos utili, & glorioso tanti facinoris labore fraudatos sinent. Nos Reipublicæ præsidia, nos* Italici *Imperii vindices* Germania *fatebitur, & quos nec amicos habere dignata est, jam Principes sentiet, & victores propediem agnoscet.* 15

Post varias opinionum contentiones assensêre Patres *Contareno*; & bellum contra Archiducem *Ferdinandum* decretum est: qui hostis præcipuè ex eo factus videbatur: quod à suis finibus copiæ moventes damna in *Forum-Julium* recens intulerant. Creditur Provisoris nomen ad præsentes motus sufficere. Ea est gerendarum rerum imminuta quædam, & Imperatorio munere longè inferior auctoritas adversus leviores casus comparata. *Romanorum* legationibus non dissimilis fortasse: quare plures sunt, qui Provisores Legatos vocent; nec nos à nomine latino abstinendum putamus. Provisorem igitur, sive Legatum dixeris, declarant *Petrum Barbadicum*, quem unum Senatus favor extollebat. Huic adjungunt Principem in ea expeditione Consiliarium, & administrum *Pompejum Justinianum*, bellicarum rerum gnarum, quem *Philippi* expeditiones in *Belgas* antè nobilitaverant. Cataphractis ordinariis edicitur, ut antè Kal. Januarias *Utini* præsto sint. Antiqui delectus armantur; novi quotidiè fiunt. Quæ summo ardore administrata intra paucos dies absolvuntur, Sed *Justinianus* nihil *Venetiis* cunctatus, ubi Senatus decretum accepit, quam celerrimè *Utinum* advolat: illic pedites, illic equites undique confluentes excepturus. Ab *Utinensibus* verò, & reliquis Provincialibus in præsentis belli subsidium milites ex formula petiturus. Dabat hos olim universa Provincia expeditionum tempore Patriarchis *Aquilejensibus* rerum Dominis, ob singularia ab eis accepta beneficia; sed præcipuè ob vectigalia condonata, & prædia plura, castraque in feudum concessa: quibus privilegiis non Oppidani modò, & Civitates ampliores honorificè utuntur; sed sacra collegia aliquot, & familiæ privatæ complures singillatim exornantur; qui cuncti accepta decora haud gravi incommodo exsolvunt, præstitis ex pacto copiis ad fines tutandos, si bella ingruerint: & *Veneti* nihil ex his immutaverant. *Utinenses* igitur ad 16 primum tumultum duo de quinquaginta equites debitos instruunt. His *Daniel Antoninus* præficitur, qui præter hos jussu, & stipendiis centum alios ex nobilitate *Utinensi* armat, quibus cæteri Oppidani, & Ecclesiastici nonnulli suos deinceps adjunxêre ad centum, & amplius. Reliqui beneficiarii etiam non multò post suos dedêre Duce *Gualterio Spilimbergo*, quem paucis antè annis suis copiis summa cum laude præfuisse memorabant. *Cividalenses*, soli *Germanorum* incursionibus assiduè vexati, atque in ejus rei gratiam sumptibus propemodum exhausti propriis tunc rebus intenti, nihil armorum ex publico contulêre: quibus ob eam præcipuè causam pacti militis numerus omnis ab Republica est præteritus: quam illi indulgentiam generoso animo rependentes ex primaria juventute sua agmen frequentius, atque voluntarium co-

Bellum à Venetis contra Archiducem Ferdinandum est decretum.

coactum in castra ad omnes belli casus jubent proficisci; hos postea ad sui custodiam Legatus, & qui deinceps sequuti sunt, Militiæ Magistri esse voluerunt: nec nisi post multa veræ virtutis exempla expressa, paceque vulgata in patriam reversi sunt. Ad hæc aliunde equitum manus conquisitæ. Per *Galliam Cisalpinam* ferrati conscribuntur: leves ex *Foro-Julio* colliguntur, omnibus stipendia aucta, & arma è publico data, Sub his multa ex intima *Germania* ferebantur, quæ *Venetis* curam acuebant: *Ferdinandum* D. equites ab *Austria* excire; longè plures ut in *Carinthia* scriberentur, mandâsse; *Aiducum* septem millia stipendiis comparare, *Cossacos* pedites, *Valonum* equitatum propediem adfuturum. His accesserat *Tersacchii* stimulus, qui ad fines oberrans novæ irruptionis metum intendebat. Quare *Justiniano*, & reliquis Ducibus *Palmæ* circà *Erizum* collectis ea fuit sententia, ad quam insuper Senatus decreto adigebantur, ut quàm primùm loca opportuna in hostili præriperent agro, quò minimo subditorum dispendio facilius hostem ab omni impetu possent retardare. Igitur *Erizus* sæviente adhuc Decembri ad occupandum *Cormonum* mittit *Justinianum* cum *Antonino*, quibus præter pedites ex Provincia collectos, Cataphractorum turmas aliquot addit. Has *Gabriel Portus*, & *Hieronymus Pompejus* adduxerant. In his *Franciscus*, & *M. Antonius Manzani*, quos plures ex *Cividali* equites voluntarii insequebantur. Porrò Archiducales, qui Provinciam incolunt, quamquam hæc quotidiè summo studio parari acciperent, & *Venetorum* minas propius audirent, omnia tamen, ut inania, & ad incutiendum terrorem conficta
17 deludebant. Majestatem Cæsaris, dignitatem *Austriacûm* Principum protendere: hac una freti *Venetis* passim irridere: quæ firmiter animis infixa illos ab omni periculi sensu adeò alienaverat, ut nullum sanioris consilii remedium admiserint unquam; neque arma aliundè ad se tuendos comparaverint. Quin *Tersacchio*, qui cum copiis ex *Carso* moverat, & cuncta latè turbaturus propius accedebat, ultrò precatum mittunt Oratores, ut à suis finibus ocius abscedat. Se *Venetos* paci deditos, & consilio solitos sua pertractare nolle tanto armorum strepitu ad arma compellere: satis ab illo cladium, satis incendii in *Foro-Julio* excitatum: quod reliquum erit, se cum provincialibus suis sine terriculamentis istis transacturos; quos antehac etiam sæpius tumultuantes verbis mollioribus, & promissis in officio facilè continuerint. Eam Legationem iniquissimis animis *Tersacchium* accepisse ferunt, à quo jam universum *Forum-Julium* veluti debitum victoriæ additamentum militibus diripiendum destinabatur; & invitus ab inferendis signis se continuit, sæpius de fortuna sua, sæpius de illorum populorum ignavia conquestus, per quos præclaros illos conatus intercidi, & parti *Fori-Julii* decus è manibus sibi extorqueri acriter indignabatur.

D. 17. Dec. Veneti fines Archiducales ingrediuntur.

Igitur *Justinianus* hostiles fines ingressus cuncta incustodita offendit. *Cormonum* rectà petitur, antiquum Oppidum, & arce olim inclytum: quæ superioribus Cæsarianis tumultibus excisa veteris nominis memoriam solum retinebat. Ædificia sub arce, multa, & splendida Oppidanorum fortunas ostentabat. Hi *Fori-Julii* latus florentissimum incolentes simul cum divitiis ferox ingenium, & in Principem contumaciam hausere: quæ diù læta mox in exitium concesserunt. *Justinianus* ante lucem Oppidum subit, vias sepit, & strepitu armorum *Cormonenses* terrefactos per *M. Antonium Manzanum* ad deditionem solicitat; inermibus, & imparatis facilè spiritus elatiores diffluunt. Quare *Justinianus* cum copiis quàm primum receptus; & Oppidani in leges Reipublicæ jurant, additis acclamationibus, & quæcunque metus extorserat, aut simulatio docuerat. Quæ quò promptius ab iis fiebant, eò magis in deterius ab *Venetis* accipiebantur, quibus jampridem impotentes *Cormonensium* sensus erant perspecti: quare ultrò lacessere; probris insectari; illos esse, qui *Ferdinandum*, qui Cæsares perpetuò spreverint: Rectoribus, & Præfectis eorum per ludibrium ejectis. Cur non magis *Venetos* infestissima capita sustinerent? Cessisse illos tempori, & necessitati; sed implacabile in Rempublicam odium non exuisse: quod ubi usus poposcerit, in ejus perniciem evasurum simul omnes affirmabant. Ac sanè non pauci inter eos 18
fuere, qui novam hanc rerum faciem iniquissimis animis ferentes simulatæ fidei suspicionem in tantum comprobavere, ut eos non sine reliquorum pernicie posse sustineri, *Erizus* existimaverit. Igitur post paucos dies ex his ferocissimum quemque & partium principes *Patavium* ablegat, ubi usque ad extrema belli sub libera custodia detenti sunt. In hunc modum recepto *Cormono*, loca ferè omnia propter *Sontium* Venetis adjunguntur: inter quæ & *Aquileja* Urbs olim celeberrima, & *Romanorum* colonia, nunc agrorum spatia, & vastitas vastis cincta mœnibus; tùm *Porpetum* nobile castellum, & *Isernicum*. Sed colles, & prima *Alpium* in fide *Austriacûm* permansere magis *Venetorum* incuria, quàm quia vires ad defensionem sufficerent. Multi credunt, si eo tempore *Gradiscam*, & ultrà flumen copias admovisset *Justinianus*, cuncta potuisse occupari. Sed *Cormonensium* ingenia, *Tersacchi* adventus, armorum tumultus, qui ponè sequuti sunt, cunctationem illam comprobavere. Siquidem jam tandem *Goritienses*, & *Gradiscani* ob propinqui Oppidi deditionem excitati; illam quam de *Venetis* imbuerant opinionem, exitu, longè aliam vanissimam intelligentes, ad vires colligendas sese convertunt.

Cormonum Oppidum sub Venetorum Dominium.

Urbs Aquileja, & alia Castra sub Venetorum ditione.

Adhuc *Tersacchius* ad fines erat, & copias retinebat, quamquam numero imminutas, dum quotidie miles tædio expectandi alius aliò dilabitur: ad eum delectos viros mittunt, & quem hucusque spernendo recusârant, nunc precibus spontè defatigant. Ille non ante se passus exorari, quam suis alimenta *Goritienses* promisissent. Universa acie insequente, Oppidum subit: ibi à multitudine ingenti cum lætitia exceptus, militibus in privatas domos divisis liberaliter alitur; quibus ea rerum affluentia, & ciborum copia emollitis bellum, & arma per plures dies ab animo exciderunt. Verum *Justinianus* ad omnes casus se comparans, quò liberius sub ea expeditione planitie subjecta potiretur, vicino monti animum adjecerat. *Medeam* accolæ dicunt; constanti adhuc inter agrestes fama, *Medeam*, Aëtæ Regis filiam, post natos interfectos ea loca tenuisse; ubi magicarum artium præsidio tuta diutius vicinas gentes præstigiis, & veneficiis eluserit: cui fidem faciunt obscuræ in monte cavernæ, & voces per tenebras auditæ. Eminet in uno saxo conspicuus *Gradiscam* inter & *Palmam*; ex quo veluti sublimi quadam specula, hinc *Venetorum*, illinc *Austriacûm* agri, & aperta viarum oculis usurpantur. Hunc montem *Justinianus* non multò 19
post occupatum *Cormonum*, munitione firmat. Inde *Licinisium* ordines promovet; loco passim per agros colonis dispersis, subita facta impressio-

Montis Medeæ munitio.

Licinisium Castrum Veneti occupant.

ſione potitur; quæ res ad univerſam expeditionem pertinere maximè videbatur. Nam cum minus mille paſſus infra pontem *Sontii*, qui *Goritiam* ducit, eſſet is pagus, valido ibi impoſito præſidio, atque opere occluſo ponte omnem *Germanorum* impetum non cohibere tantùm potuiſſet *Juſtinianus*, ſed intra rupes illas, ripaſque fluminis eorum copias cunctas, veluti obice interpoſito incluſiſſet: quibus in poſterum nullus, niſi per flumen ad citeriorem partem acceſſus relinquebatur. Hujus loci opportunitatem veteres *Goritiæ* Comites intelligentes illum pridem arce exſtructa ſedulò aſſervabant, ex ea crebrioribus excurſionibus *Forum-Julium* ſoliti infeſtare; donec *Gregorio* Aquilejenſi Patriarcha adnitente, illa ab *Mainardo*, & *Alberto* Comitibus ſolo eſt æquata: hujuſmodi fuit *Licinisii* commoditas. Quare multi ſunt, qui *Juſtiniano* ſuggerunt, ut illuc copiis omnibus traductis, locum belli arcem faciat; unde & *Goritiæ*, & *Gradiſcæ* infeſtus, utrique munitioni terribilis immineret. Sed *Juſtinianus* exiguum ſuorum numerum cauſatus, ne vicino, & furenti adhuc *Terſacchio* coaleſcentes illas Reipublicæ vires intempeſtivè objiceret; poſtquam animo, & oculis cuncta circùm diligentius perquiſivit, militem iterum *Cormonum* reducit; aliquot ibi relictis, qui è ſuperiori colle inimicorum auſa, ſigno ad id accepto, præmonſtrent. Dum ab *Licinisio* is proficiſcitur, *Terſacchius*, ne nihil faciendo animum ſuis imminueret, aciem univerſam mœnibus eductam pro ripa *Sontii* collocat; ubi miſſilibus non magis, quàm contumeliis *Juſtinianum* adverſa parte fluminis obequitantem laceſſit; à quo impigrè exceptus haud levi periculo exercebatur. Pauci hoc armorum veluti prælúdio hinc inde cæſi, & vulnerati futuri belli omina utriſque dediſſe viſi ſunt; quibus ancipiti fortuna pugnantibus in neutram partem victoria protendebatur.

Anno Domini 1616.

Dum hæc in hoſtico peragit *Juſtinianus*, venerat in Provinciam *Barbadicus*, & *Utini* adhuc ſe continebat intentus colligendis, quæ ex *Gallia* Togata ſubindè adventabant, copiis. Ibi accipit ex vicinis *Alpibus*, quas *Venetorum* vis nulla adhuc attigerat, agreſtium hominum manum non aſpernandam in colles ſubjectos irruiſſe, atque inde decurſu circa *Cividale* facto, auſos cultoribus manus inferre. *Sclavi* hi fuerunt, qui inter montes à pueritia aſſueti, lacte, & glandibus famem tolerantes, frigida ſitim
20 extinguentes, fabuloſæ rudioris ſeculi antiquitati fidem faciunt. Aſpera hominum indoles, & ad facinus quodlibet accommodata. Quare *Cormonenſium* deditione accepta, veluti tunc belli ſigno dato, ad cædem non minus, quàm ad prædas undique concitantur: his non Dux certus, nec diſciplina militaris; ſed ſuus cuique furor Imperium præſcripſerat, ut non illam belli faciem, ſed latronum licentiam diceres, quos facilius erat debellare, quàm invenire. Latè ea lues non colles modò, ſed proximam planitiem pervagata eò audaciæ paulatim proceſſit, ut tranſmiſſo *Sontio*, & jugo *Carſi* ſuperato, in *Montisfalconis* agros ſeſe effuderit, ibique pagos plures à *Terſacchio* pridem direptos cædibus iterum, & latrociniis compleverit, quæ non diù læta illis permanſere, ab *Illyricis* equitibus, qui præſidii gratia ſub *Verruca* ſtativa habebant, paulò poſt fugati, prædaque omni exſpoliati. Hi igitur per ſummam licentiam omnia tunc perturbantes primas *Barbadici* curas in ſe tranſtulere; qui de *Montefalcone* ſuper cuncta ſolicitus, ne in poſterum *Sclavi* talia auderent, mandat *Juſtiniano*, ut *Carſi* fauces

A præſidio firmet. Ille locorum aditus, & opportunitates ſpeculatus *Sagram* militum robore munit. Ea erat *Raimundi Turriani* Villa ultrà *Sontium* ad radices *Carſi*, ædificiorum luxu peramœna, & hortorum deliciis ea tempeſtate conſpicua; per quam facilis erat acceſſus in Agrum *Montisfalconis*, à *Gradiſca* vero propius mille paſſus aberat. Undè fieri poſſe credidit *Juſtinianus*, ut ea occupata, non modo *Sclavorum* temeritati modum poneret; ſed *Gradiſcam* etiam crebrioribus per illam oram factis excurſionibus ſolicitaret; aut ubi uſus exegiſſet, diſpoſitis tormentis urgeret etiam aliquando.
B Quæ militari conſilio agitata cautum Ducem facilè fefellerunt; quod regionis ignarus obverſum interim Oppido montem prætermiſerit; quem ſi tunc, *Sagra* relicta, inſediſſet, non de *Sclavorum* tantùm injuriis, ſed de *Gradiſca* ipſa inſignem certè duxiſſet triumphum. Sed ea fuit vis fati, ut non ſine ingenti mortalium ſtrage uſque in tertium annum ea ſtaret oppugnatio. Non deſunt, qui conſtanter affirment, *Juſtinianum* arte uſum in loco deligendo, ne, ſi propius *Gradiſcam* militem admoviſſet, invitus poſtea ad arcem obſidendam traheretur, adverſo anni tempore, dubia Senatus ſententia, &
C neceſſariis ad rem gerendam nondum inſtructus. Nam & in hanc cauſam facti rationem juvat referre potius, quàm ſummorum Ducum prudentiæ quicquam imprudenter detrahere: quidquid autem illud fuerit, certum eſt, inde maximam capiundi Oppidi opportunitatem *Venetis* effluxiſſe, quod loco reddemus. Cæterum *Sclavi* ab 21
eo aditu intercluſi, non ideò animum ſubmittunt, aut à cædibus ceſſant; in colles iterum feruntur, ubi plura efferati animi documenta edidêre: eo ardore *Gramojanum* uſque percurrunt, qui locus paulo ſupra *Cormonum* eſt; & videbantur in contemptum copiarum, quæ ibi hyemabant,
D majora auſuri; quandò *Barbadicus* rei indignitate motus ad illos compeſcendos equitem excitat ſub Imperio *Franciſci Juſtiniani*, Pompeji filii. Hi *Sclavos* aſſequuti in fugam conjiciunt; longius ſequi dura circùm loca prohibuêre. Fuſi in munitiores cuſtodias ſe recipiunt, *Dobram*, *S. Martinum*, *Vipulzanum*, & *Caporetum*, qui erant præcipui receſſus, ubi latronum illæ manus ſe continebant. Porrò non tàm murorum ambitu, aut propugnantium numero, quàm ſolo ſitu, & locorum opportunitate inexpugnabiles exiſtimabantur. Igitur *Barbadicus* eos per otium parat exſcindere; antequam majoribus occupato negotium ab ter-
E go exhibeant; quem illa etiam ſpes ſubierat; ſi *S. Martini* aditum obſtruxiſſet, aut *Caporetum* præſidio firmaſſet, brevi futurum, ut *Auſtriacos* in neceſſariam rerum ferè omnium deſperationem adduceret. Nam, occluſis per eam tempeſtatem cæteris *Germaniæ* itineribus, ob immodicam nivium copiam; illæ propemodum ſolæ anguſtiæ rotabiles reſtabant, per quas novi quotidie commeatus *Gradiſcam*, & *Goritiam* inferebantur; & quicquid militis per eam hyemem *Germanis* acceſſit, inde irrepſere.

D. 14. Jan. Dobram Caſtrum Veneti occupant.

Prima virium experimenta in *Dobram* eduntur, illuc miſſo *Franciſco Juſtiniano* cum copiarum parte, & tormentis muralibus duobus;
F qui locum deſertum trepidatione, & fuga cuſtodum nacti, haud magno certamine cepere: plurima ibi *Colloretorum* ſuppellex inventa, & cellæ generoſo vino nobiles in militum prædam conceſſere. Dum ex hoc loco in *S. Martinum* ſigna diriguntur, repentè ea nocte fuſis imbribus, cum tormenta per ſtagnantes convalles non potuerint traduci, neceſſariò ab ejus oppugnatione deſitum eſt. *Dobram* verò, quia nulli uſui

sui erat, placuit solo æquare; cujus rei cura paucis militibus demandata, *Franciscus* cum reliquis copiis in hyberna concessit: sed illi, qui *Dobræ* relicti fuerant, de vino retinendo nimis soliciti ejus bonam partem plaustris impositam *Cormonum* agunt: additis ad custodiam peditibus nonnullis; quod ubi *Sclavi* per exploratores didicêre, currus ex insidiis adoriuntur, & milites viarum angustiis implicitos ad unum cædunt; in ipsa etiam mortuorum corpora immanissimis modis sævientes. Tum reliqui, qui
22 adhuc *Dobræ* se continebant, raptim munimenta disjiciunt. Suorum verò cadavera in proximam casulam conjecta, ibi cum tecto simul concremant, ne hostium immanitatis ostentui forent; & dehinc se ad *Justinianum* incolumes recipiunt. At Barbari ex fumo suspicati *Dobram* ardere universam, trucem vindictam animo concipientes, celeriter *Venetorum* vicos repetunt, quodque antehac non fecerant, facibus injectis plura ædificia incendio absumunt: adeò ex levi occasione maxima interdum incommoda consequuntur. His irritatus *Barbadicus*, jubet *Justiniano*, ut iterum copias educat. *Vipulzanum* eo impetu tentatum. *Turriani* & hic nobilis recessus, qui muro, & custodibus munitus *Sclavorum* excursus excipiebat. Locum defensabant incolæ, & incolis mixta *Uscocchiorum* cohors; qui *Justinianum* conspicati forti potius, quàm salutari consilio extra mœnia egressi *Corsos* ante signa incedentes ad pugnam provocant. Hi virtute, & militari disciplina superiores facili compendio incompositos intra munitionem adigunt. Subit *Justinianus* cum reliquo peditatu, & corona locum cingit. In multas horas certamen deductum; frustra adnitentibus *Venetis* murum superare; aut portas infringere sine machinis, quas secum non advexerant. Quod ubi cognovit *Justinianus*, receptui signo dato, suos *Cormonum* adduxit, & à munitionibus per illos dies se abstinuit. De *Caporeto* quoque infeliciter periculum factum est.

Veneti Caporetum tentant occupare.

Steterat is pagus ad ripas *Sontii* inter *Alpes*, admirabili ponte, *Germanorum* commercio latè clarus. Eò *Hector Savornianus* à *Barbadico* jussus proficiscitur, acceptis peditibus mille & machinis majoribus binis in terrorem potius, quàm necessitatem. Siquidem pro certo audierat, locum nulla hactenus custodia teneri, & facili negotio in potestatem posse redigi; dùm interim *Sclavi* sine imperio, sine signis per saltus oberrantes cædibus, & rapinis depascuntur. *Savornianus* cum iis, quas dicebamus, copiis prima itineris expedit; sed ubi intra *Alpes* se recepit, simul aditum summa diligentia ab hostibus custodiri intelligit, contracto illuc peditum numero ingenti, & *Vallonum* equitum ala. Quare illico miles novus circa Ducem trepidare, cui hostis inexpectatus non magis, quàm locorum iniquitas sub illa cæli inclementia terrorem faciebat. Circùm nivibus erant oppleta omnia, & rupes glacie adstrictæ vias obduxerant, ut non modò armati, sed nec expediti ad transitum calles invenirent; & timor incesserat, ne *Germanus* per juga demissus in copias itinere præpeditas impetum faceret. Quare omnibus
23 pavore occupatis, *Savornianus*, quòd neque per ignaviam rem deserendam, neque quidquam temerè conandum putaret, ut fit in ambiguis, negotium integrum ad Legatum refert. Is *Cividali* tunc substiterat rem ex propinquo manu adjuturus, qui quoniam prima consiliorum frustrà ceciderant, ne tot hominum lecta inter saxa, & frigora diutius periclitarentur, signa quàm primùm jubet redire; *Savorniano* interim geni-

A um, fatumque suum execrante, quòd non conceptam modò animo spem, sed virtutis quoque experimentum sibi invidisset. In hunc modum postridiè re infecta, ac ne tentata quidem, *Cividale* repetunt, & cura omnis de *Caporeto* in aliud tempus rejecta est. Sunt qui dicant ab incolis sui quæstus, & commodi causa *Savornianum* deceptum, qui falsa de custodia *Caporeti*, aut de *Vallonum* adventu renunciarint; ne scilicet occupatis angustiis, aut dirupto ponte (quod *Veneti* constituerant) omne cum *Germanis* commercium illis in posterum periret. Hujusmodi exitum habuit *Savorniani* expeditio. Quæ cum
B satis fortunatè caderent *Germanis*, mirum quantum existimatione creverint; quam illi quotidie adaugebant insita gentis ostentatione; crebris interim dissipatis rumoribus de *Leopoldo*, Ferdinandi Archiducis fratre, quem cum ingentibus copiis adventare dictitabant: auxiliorum numerum esse supra hominum captum, milites feroces, & bellorum usu invictos, cuncta ruinæ modo invasuros. *Utinum* Provinciæ Caput primum belli futurum documentum, *Palmam* in longius otium seponi. Addunt ad hæc non leve securi animi argumentum. Nam literas publico nomine conscriptas pagis, &
C Castellis omnibus mittunt, quæ jam *Veneti* occupaverant, additis insuper minis, ut quàm primum incolæ *Goritiam* se conferant: quarum exemplum unicum non pigebit subscribere, ipso titulorum splendore, aut numero certè admirabile. Unde si quid aliud, *Austriacûm* illa in *Uscocchios* propensio satis apparet, qua dum perditis hominibus plus justo favent, justissimam belli necessitatem *Venetis* imposuere.

Nos Carolus Frumentinus, Archiducalis Consiliarius, ac rei militaris Tribunus in Foro-Julio ex Imperio, & præscripto Illustrissimi, & Excellentissimi D. Adami Liberi Baronis Traumistorsii,
D *Gleichibergæ, Hogaviæ, Bugaviæ, & Forimpaviæ, Equitis S. C. Majestatis, à Consiliis bellicis, à Cubiculis, & Rei militaris Procuratoris legitimi, tam C. Majestatis, quàm Regis Hispaniarum, amborum Archiducum Maximiliani, & Maximiliani Ernesti à Cubiculis; à Secretis Serenissimi Ferdinandi, totius Croatiæ, maritimorumque limitum Ducis, summi verò cum Venetis belli gerendi Imperatoris: Edicimus, atque imperamus omnibus paganis sub manipulari Duce Tapoliani degentibus, ut* 24
universi vigesimum agentes annum, & septuaginta minores, iis exceptis, qui Gradiscæ præsidiarii milites sunt, intra biduum hic Goritiæ se sistant, nostra hinc mandata excepturi; pœna in contumaces
E *addita, & constituta; futurum, ut diripiantur, & trucidentur cum familiis, eorum bona proscripta Sejanis, & Uscocchiis vindicibus adjudicabuntur: nullo prorsus gratiæ, aut misericordiæ loco relicto. Itaque dent operam, ne quid Imperia nostra detrectent, & sibi à tanta clade prospiciant. In quorum fidem has nostra manu subscripsimus, & obsignavimus. Datæ Goritiæ* XVIII. *Kal. Februarii* MDCXVI.

Interim hæc *Venetis* nova quotidiè militis fiebat accessio: tormenta muralia ab Urbe advecta, & quæ bello usui forent, murorumque expugnationi accommodata *Mariani* parabantur.
F Locus is inter *Cormonum*, & *Gradiscam* medius exporrigitur, frequens ædificiis, & agrorum ubertate floridus. Hunc totius belli sedem, & apparatum delegit *Barbadicus*, quem vallo auctum fossa, & castellis cingit; eòque copiarum meliorem partem ex *Cormono* traducit, reliquis per vicina loca distributis. Inde *Veneti* continuis excursionibus, terrore, & rapinis cuncta infestare, nihil hosti tutum relinquere, vix incolis parcere. Tametsi *Barbadicus* de eorum for-

Barbadicus Marianum belli totius sedem deligit.

fortunis jam pridem caverat; & capitali supplicio afficiebat, si quos injuriam illis inferentes, aut furto turbantes deprehenderat, ad hoc edictis vulgatis, severo non minus, quàm utili consilio usus: sic efferos illarum gentium animos, & obstinata in *Venetos* odia aliquo modò posse demulceri: quæ primò servata virtutis speciem præbuere; mox militum licentia in- A valescente cuncta flagitiis misceri, ut brevi dierum spatio luxu, & comessationibus *Goritiensium*, & *Gradiscanorum* bona per multos labores conquisita infelici quodam fato perierint. Unde quamquam adversus hostes hæc fierent; miseratio tamen suboriebatur; quòd non in publicam vindictam, sed in paucorum avaritiam absumebantur.

Libri Primi finis.

---

25 # LIBER SECUNDUS.



HÆc dum à *Venetis* perpetrantur, *Ferdinandus* de suorum salute solicitus copias, quas maximas potest, subditis nationibus imperat, in summum utriusque militiæ Magistrum *Adamo Traumistorfio* designato, qui militem undique cogens magnis itineribus in *Italiam* properabat. Duo tunc erant Oppida, quibus res *Germana* steterat in *Foro-Julio* & de quibus *Veneti* periculum facturi videbantur; *Goritia*, & *Gradisca*. Illa quidem, si certi aliquid de rebus vetustate obrutis fas est affirmare, *Norcja* quondam, & *Norici Mediterranei* caput, apud quam *Cn. Carbonem*, collatis adversus *Cimbros* signis, re infecta discessisse auctor est *Strabo*. *Gradisca* verò novum *Venetorum* municipium ab eis centum quadraginta abhinc annis conditum, qua tempestate illorum labefactatis rebus in *Asia*, *Marbegus* sub auspiciis *Mahemeti Ottomani* usque ad *Tiliaventum* victores *Turcas* adegit: *Venetos* verò, qui cum ad ripas *Sontii* opperiebantur, cunctos penè occisione delevit: qui ne tali amplius infor-
26 tunio afficerentur, eodem loco, quo infeliciter pugnatum est, infausto omine *Gradiscam* muniere: siquidem non multò post, per summam ignaviam, ne dixerim, proditionem, ad *Germanos* pervenit; quibus sub id temporis, vel paulò ante *Goritia* etiam accesserat hæreditate *Austriacûm* partium facta, & armis posteà defensa contra *Venetos*; ad quos maximè illa pertinere videbatur, sive antiquo *Foro-Juliensium* Ducum, & Patriarcharum jure, quibus pars ea Provinciæ debitum imperii erat additamentum, sive naturæ legibus in id consentientibus, quæ monte, & mari Provinciam ideò inclusisse visa est, ut *Germanos* ab ejus possessione quàm longissimè arceret. Utraque ad *Sontium* amnem posita est. *Gradisca* in citeriori ripa aquarum vorticibus ab tribus fermè partibus conspersa. Ab hac III. millia passuum *Goritia* ultra flumen in Septentrionem versa, collem editiorem complectitur, cujus superiorem partem quadrati lapidis muro *Veneti*, paucorum annorum Domini adornavere; reliqua Urbis hosti, & incursionibus obnoxia, nisi quod ab Occidente amni, & turri apud pontem posita satis defensabatur. *Gradiscæ* moles operosior, ut suo loco dicemus. Has tunc per Præfectos regebant *Austriaci*. Goritiam *Joannes Sfortia Purliliensis* obtinebat; Gradiscam *Ricardus de Strasoldo*: quorum familiæ inter *Venetos* opibus, & feudorum splendore inclytæ habebantur. Sed illi præsenti dignitate, & novæ fortunæ

B commodis addicti facilè in *Austriacûm* partibus permanserant: quod *Venetorum* aliqui per ea tempora facere non dubitarunt, qui *Germanorum* moribus assueti, nulla aut natalium suorum, aut legitimi Principis habita ratione semel susceptum in *Ferdinandum* studium mordicùs in posterum retinuere. Ergo *Traumistorfius* de *Fori-Julii* possessione solicitus, ubi intelligit *Goritiam* Tersacchii præsidio teneri; ne alterum interim locum milite destitutum hostium furori objectum relinqueret, mandat *Francolo*, ut cum ea manu, qua in præsens possit, *Ricardo* se Præfecto adjungat, & ad cunctos belli C terrores munitionem firmet: ille, *Carlostetensium* non magno numero insequente, Oppidum custodiendum suscipit; quod dum novis operibus ornat, cc. ab *Spitolo* sclopetariis supervenientibus augetur. Miserat illos *Georgius de Ortemburgo*, qui primus post *Tersacchium*, non magis in Principem obsequio, quàm *Venetorum* odio, quale inter finitimos contumacissimum exoritur, *Ferdinandi* partes sub illa rerum trepidatione acriter juvabat. Fuerat in *Francolo*, ut memoratum est, nominis auctoritas ingens, & rei militaris peritia felix, qua per plures 27
annos Imperii fines contra *Turcarum* impetus D honorificè tutatus erat. Hùc accesserat *Venetorum* profligatio ad *Tergeste*, & populationes in agro *Montisfalconis*, illo auctore, aut certè impulsore: nunc verò custodiendæ *Gradiscæ* occasionem libens susceperat, non eo tantum consilio, ut arcem præsidio tueretur, quàm ut de viciniori loco commodius *Venetis* insultaret; in tantum audaciæ proximæ expeditiones satis ex sententia susceptæ hominem adigebant. Quare ut erat belli, & cædis avidus, *Venetorum* verò contemptor acerrimus, ubi primùm auxiliarem illam manum accepit, universam, facinus aliquod tentaturus, è mœnibus educit. Pediti- E bus, quibus intermisti equites L. paulò minus, addit ferociam *Francolus*, quo Duce omnia ausuri videbantur. Quæ ab intercurrentibus equitibus confestim *Antonino* nunciata ad præclaram de victis hostibus laudem præripiendam juvenem suoptè ingenio promptum acriter stimulant. Is tunc fortè *Palma* reversus, *Medeam* cum *Utinensibus* suis advenerat; qui locus non multùm à *Francoli* copiis aberat. Igitur maximè ad se pertinere arbitratus hostium audaciæ occurrere, antequam eorum in se impetum experiretur, ut erat in armis, ad suos conversus: *En*, ait, *quod Utino proficiscentes inter vota habuistis, ut cum hoste quàm primùm congredi liceret.* F *Hæc ea est, quæ hujuscemodi explendæ cupiditatis, atque adeò virtutis vestræ comprobandæ occasio vobis objicitur. Videte igitur, ne verbis ferocioribus opera dissentiant. Nam, quatenus ad me attinet, magis facta mea, quàm dicta vos sequi oportet.*

Daniel Francolus cum suis copiis Gradiscæ defensor electus.

Die 30. Jan. Pugna inter Francoli, & Antonini militiam.

Nec plura; in adversum hostem se proripit; misso interim, qui *Barbadicum* de futuro discrimine doceret. *Francolus*, ut sensit *Utinensium* adventum, suorum sistit agmen. Est situs minus CCC. passus ab Oppido distans; quo loci profundiores fossæ agros, & culta vinearum à prato disterminant: ea ille usus opportunitate pedites omnes intra fossas includit, & equitibus utrumque latus firmat. Ibi munimentis, & numero superior *Antoninum* opperitur; illud haud dubiè secum animo futurum ratus, ut hostes studio pugnandi incautos, & ad subitos bellorum casus insuetos prius in insidias adductos opprimeret, quàm hi periculi sensu commoti aliquam sibi, aut corporis fortitudine, aut ingenii solertia, salutis atque securitatis viam aperirent. Sed Dux *Utinensis*, tametsi imparem eam pugnam intelligeret, nihil tamen, aut locorum iniquitate, aut hostium multitudine perterritus ab incepto potuit retardari: satis ille sibi consilio, satis suis virtute prospexerat, ut eventus com-
28 probavit: quare magno concursu itur ad fossas; quò simulatque ad sclopeti jactum ventum est, tunc dispar vis animi, & pugnandi ratio apparuit. Nam *Germani* sive ex nimia securitate negligentiores facti, sive odio nocendi concitatiores redditi, tormenta universa sine ordine, & præter militaris artis disciplinam incautè exonerantes vim omnem illam glandium inanissimo impetu supra *Utinensium* cervices adegere. Contra hi nihil eo terriculamento commoti, aut vano strepitu turbati propè subeuntes destinatis ictibus objectos feriunt, & si fossæ non prohibuissent, nulli dubium, quin ea impressione omnes illas copias præsenti tormentorum subsidio nudatas, aut penitus delere, aut certè fundere potuissent; utcunque tamen possunt, stantes pro ripa nituntur hostem propellere, aut saltem ea indignitate accensum ad æquum certamen trahere: sed ille in tuto collocatus, hoc unum agebat, ut minimo suo cum damno obequitantem aciem defatigaret. Porrò iniquiori conditione *Utinenses* decertaturi videbantur, quibus omni munimento nudatis nullum ad evitandos ictus effugium supererat; dum interim *Germanos* fossæ, arbores, & vites passim consitæ satis tegerent. Quod ubi sensit *Antoninus*, illicò ad tutiora consilia conversus, militaris ingenii commentum aggreditur. Ordinum ductores propè aderant, his quid facto opus esset breviter demonstrat: Colligant illi extentam aciem, & celeriori cursu prælati, hosti terga ostendant; cætera sibi curæ fore. Igitur extemplò cuncti habenas inflectere, dispersi conglobari, equos in orbem circumducere, nunc se subducendi, nunc invadendi speciem præbere, donec sinuosis illis recursibus explicatis longè ab hostium ictu se esse intelligunt: ibi compositiori agmine subvectis, tanquam si nulla eos de *Francolo* cura morderet, vera declinandæ pugnæ imago expressa est. *Germanos* ad eam discurrentium faciem erectos anxietas primùm tenere, quò ludicrum illud armorum genus evadat; deinde ubi tandem hostes abeuntes conspiciunt, ira & indignatio etiam torquere, quòd multi paucos, veterani tyrones elabi sinerent. Quare cuncti magno cum clamore extra fossam prosiliunt, & ad carpendum agmen in medium campum procurrunt. Initio insequendi ab equitantibus facto, nec *Francolus* suis artibus petitus fraudem sensit, aut concitatam suorum aciem potuit cohibere. Res ad contemptum accesserat, ut nihil non contumeliæ recedenti *Antonino* exprobrarent. Verum enim verò ille postquam pedites in planitiem tractos

A cognovit, quod unum receptus illa imitatio poposcerat, nihil jam de victoria veritus frenis circumegit equos; quos cum sub ea temporis 29
brevitate, ut fieri potuit melius, in duas turmas instruxisset; alteram *Petro Tritonio*, Patricio *Utinensi*, Vicario suo (LXX. equites singula explebat) tradit, qua hostili peditatui occurrat; altera ipse equites invadit. Extemplo nova res in miraculum cedit, & improvisus *Utinensium* ardor subitum pavorem incutit *Germanis*; quare nec arma expedire, nec manus conferre; sed quod reliquum erat, priori spiritu suppresso, cuncta in formidinem vertunt. Pro-

Victoria Antonini contra Francolum.

B ximus eques *Antonino* fuit: hunc primo impetu pulsum, usque ad mœnia Oppidi circumfudit. Ibi *Francolus* ab insequentibus, & quis esset ignorantibus, percussus equo præcipitatur, ac cum eo *Horatius Panizolus*, Ferdinandi in Provincia Quæstor, extinguitur. *Ricardum* in tumultu abrepit equus: *Martius*, Ricardi frater, glande femur trajectus parùm ab periculo abfuit: pauci ignobiliores trucidati, reliqui intra portam dilabuntur; hærentibus tergo semper *Antoninianis*, sui, periculique oblitis, in quos æneæ machinæ de muris excussæ continuè ferociebant. Dùm in hunc mo-
C dum equestris acies ab *Antonino* dissipatur, *Tritonius* peditem aggressus nutantem adhuc, & de fortuna sua dubium, valido facto concursu loco deturbat. Illico prima agminis absumpta; qui subsequebantur fuga dilapsi: plures, & promptiores iterum superatis fossis inter arbores corpora abdunt; ubi animum ex desperatione colligentes, conversis in *Utinenses* missilibus defensionem parant: quæ res excidium parumper distulit potius, quàm avertit: siquidem ad *Tritonium* interim *Daniel Dobravicchius*, Illyricorum alæ Ductor, accesserat, qui tumultu excitus L. viros ad pugnam instructos rem
D gerentibus *Antoninianis* adducebat. Horum pars *Antonini* vestigia insequuti dispersos ex fuga equites, peditesque multos de medio tollunt, à quibus etiam *Francolum* solo hærentem, & adhuc spirantem adacto per caput acinace confectum fama refert. Reliqui cum *Tritonio* per æqua, per iniqua vadentes ad hostes irrepsere: quo temporis momento *Antoninus* ab insequendo equite conversus, eodem ardore fossis superatis, infelices illius aciei reliquias ferro circumvenerat. Tunc cædes passim inita, & brevi pereuntium numero sulci obruuntur; redditaque superior *Tergestinæ* clades, vel Ducis interitu, vel co-
E piarum strage visa est: CC. ex *Germanis*, & amplius cæsi dicuntur; in his Barones quidam genere, & divitiis clari; qui sua voluntate milites facti, *Spitolensium* signa fuerant insequuti: capti nulli propemodum; cunctis militari quodam veluti furore sub illa prima belli rudimen- 30
ta ad sanguinem, & vindictam concitatis. Tres aut quatuor ad summum ab *Venetis* cecidere. Saucii quidam; inter eos *Ludovicus Maninus*, Nobilis *Florentinus*, qui paucos post dies, ex vulnere orta convulsione, apud *Maninos* gentiles suos *Utini* moritur. Absumpta ferè omni *Germanorum* acie, & ubique victoria *Venetis*

Ludovicus Maninus Florentinus moritur.

F annuente, supervenit *Justinianus* à *Barbadico* cum lecta copiarum parte missus, qui ad eam virtutem admiratione plenus *Utinensium* facinus omni laudum genere cumulavit; quod reliqui Duces, & Legatus faciunt, *Erizus* præ cæteris, datis *Utinum* literis ad Rectorem, & Urbis Septemviros, quibus dum conceptum ex hac pugna gaudium Civibus impertitur, universam illius diei gloriam penès unum *Antoninum* sistit. Sed & Senatus, ubi rei bene ge-

stæ

ſtæ nuncium accepit, & *Francolum* truculentum hoſtem pœnas dediſſe, laudes, & grates *Antonino* decernit, quas publico nomine poſtea *Barbadicus Mariani* exequutus eſt.

Secundùm hoc prælium de movendis caſtris conſilium initur; quamquam intempeſta adhuc hyeme, & crudo tempore; ne ſcilicet militum animus, qui mirum in modum felicioris pugnæ ſucceſſu auctus erat, per longam cunctationem elangueſceret, aut nova interim hoſtibus auxilia jungerentur. In diverſa trahebantur ſententiæ; placebat *Antonino*, & *Foro-Julienſium* ductoribus, ut quàm primùm ſuperatis *Sontii* ripis, *Goritiam* circumſederent: oppidum nec forti muro, nec aggere circumſeptum facilè primo impetu in poteſtatem redactum iri: hoſtes de ſola *Gradiſca* ſolicitos illuc commeatus, illuc arma intuliſſe: *Goritiæ* contrà imparata omnia, civium animos diffidentes, vulgus potius rebus ſuis conſultum velle, quàm longinqua *Ferdinandi* ſubſidia expectare. Subitam oppugnationem, quantò minus prævisam, tantò validiorem: demùm eſſe Urbem illam Archiducalium ditioni, atque univerſæ *Germaniæ* propiorem: quæ acceptos commeatus *Gradiſcæ*, & inferioribus locis abundè ſuppeditat. Quare commodè futurum, ut ea capta, & *Gradiſca*, & reliquæ munitiones ex ciborum inopia ſedentibus, & inſpectantibus *Venetis* brevi deditionem parent. Sed contrà *Juſtinianus* veteri illo, & antiquæ militiæ præſcripto ſubnixus, nullum eſſe poſt ſe munitum præſidium relinquendum aſſerebat. *Goritiam* non eſſe unius horæ, aut diei negotium; quid ſi diutius noſtris in obſidione morantibus, *Gradiſcani* milites interim circumvicina loca incendiis, & rapinis abſumant? Sat ex *Ca-*
31 *poreto* hoſtilis ſævitiæ documenta hauſiſſe: vires ſibi, & numero, & uſu invalidas eſſe, quæ firmandis præſidiis, & capeſſendo bello ſi dividantur, ſe jam ſine exercitu *Sontium* trajecturum: adde fluminis alveum rapidum, & vix vado in illa aëris ſiccitate ſuperabilem; quod ſi tranſmiſſis copiis, pluvia poſtmodum intumuerit, quis non videt fame, & omnium rerum penuria nobis eſſe pereundum? Vicit hæc ſententia, vel quia melior, vel quia ab eo viro dicebatur. Porrò illud ſatis conſtat, ſuorum paucitate deterritum *Juſtinianum* præclariſſimum facinus omiſiſſe. Sed *Barbadicus* quoque illuc inclinabat, ne cum flumine ſimul, & cum hoſtibus belli experimenta capeſſeret; an quia inter arcana expeditionis illud à Senatu accepiſſet, ut minori quo fieri poſſet, hoſtium incommodo bellum traheret. Nam & hoc in vulgus manaverat, *Venetos* non vindictæ, aut Imperii cupiditate; ſed ſpe ſecurioris pacis bellum ſuſcepiſſe: hanc unam armis quæri, quàm nobiliſſimarum Arcium occupatione ſibi præcidi ſatis intelligebant; hinc *Germanis* pro Imperio; illinc *Hiſpanis* pro gloria irritatis; quæ probabiliora in dies belli facies faciebat, adeò lentè, & non ex more majorum cuncta adminiſtrabantur. Sed quæ conſequuta ſunt, documento fuere, bene *Venetos* patientia uſos.

Numerus Venetæ militiæ.

Porrò copiæ, quas tunc ſub ſignis habuit *Barbadicus*, hæ fuere. Peditum VI. millia, quorum tertia pars ferè ex ordinariis *Venetæ* ditionis delectibus collecta *Lælium Martinengum* Ducem inſequebantur. Cæteri mercenarii ab *Horatio Balioneo*, & *Ludovico Vimercato* ducti ſunt. Inter hos proceres plures *Tranſpadani*, & ex *Veneta* nobilitate clariſſimi ſtudio in militarem diſciplinam propenſi; reliqua multitudo incondita, & militiæ neſcia; paucis exceptis *Corſis*, qui inter initia hujus belli *Iſtriam* ab imminentibus
A *Uſcocchiorum* injuriis egregiè defenſaverant. Eques peditatu longè melior III. millia hominum explebat; inter hos Cataphracti DC. veterum in *Italia* bellorum reliquiæ; ſed qui ære ſplendido, & chlamydum ornatu inſignes nihil ferè præter ſpeciem, & terrorem præſtabant. His proximi Ferrati MD. quibus continuo ferri tegmine obrutis nullus alius in acie uſus, niſi ictus ſuſtinere; novum militiæ genus adverſus Moſchettorum rabiem his proximis *Belgarum* tumultibus inſtructum. Huic tanquam muro peditatus omnis innititur; ſed ſi fortè ex equo deſilire, aut in præceps ruere contingat, ſuo-
B met pondere oppreſſi levi negotio intercipiuntur. Hos verius, quàm ſuperiores dicas Cataphractos, nos Latinè Ferratos vocabimus, vel Thoracatos. Sed leves & armorum genere, & 32
equorum pernicitate hos omnes ſuperabant; DCC. fuerant ex *Foro-Julienſi* Provincia in unum collecti; Ducibus *Carolo Straſoldo*, *Daniele Antonino*, *Urbano Savorniano*, *Gualterio Spilimbergo*, *Franciſco*, & *M. Antonio Manzanis*, qui eximiis editis ſpectatæ fortitudinis, & fidei documentis (pace reliquorum dixerim) labentem exercitus dignitatem, vel inimicorum conſenſu ea tempeſtate ſuſtinuiſſe viſi ſunt. Ex *Il-*
C *lyrico* etiam aderant CCC. quibus *Camillus Triviſanus* præerat, durum hominum genus, à pueris militiæ aſſueti. Quorum laus præcipua hoſtes laceſſere, incautos adoriri, fugientes inſequi. Sed ubi contra nitentes offenderint, aut in armatas acies impegerint, jam tùm ſtatariæ pugnæ impares facilè repelluntur; quod ideò illis obvenit, quia ſclopeto, & gladio contenti corpora ſeminuda ad omnes ictus oſtentant. Hæ tunc fuerant Reipublicæ copiæ. Majores, vel meliores ex ſuis finibus hoc temporis momento non potuit, aut non libuit educere: ab exteris verò etiam prohibebatur. Diceres, *Italiæ*
D Principes in ejus perniciem conjuraſſe, ſive illud metu *Auſtriacûm* facerent, ſivè quia ſub primo illo armorum ſtrepitu propriis cuncti rebus intenti nollent regiones ſuas militaribus copiis nudare.

Cæterùm *Juſtinianus* ſimul ac conſilium ſuum de oppugnanda *Gradiſca* à majori militum parte probari animadvertit, ſed à *Barbadico* potiſſimum, qui eum ad hoc quotidiè ſolicitabat, nulla injecta mora, quæcunque ad eam rem neceſſaria videbantur, impenſius procurat. Vallum, vineas inſtruit; locum caſtris faciundis deſtinat, quà tormenta diſponat, quà aciem explicet, ſta-
E tiones locet, aggerem ducat, ubique ad omnia præſens nec laborum, nec periculorum gravitate deterritus. Venerat inter hæc *Adamus Traumiſtorfius*, Germanorum ſummus Imperator, nequaquam ſatis valido non modò ad laceſſendum hoſtem, ſed ne ad tuendos quidem populatione agros milite ſecum ducto. Sed eum ab *Croatia* aliquot vexilla inſequebantur, quæ cum ſuis, & *Terſacchii* copiis conjuncta aliquam exercitus ſpeciem faciebant: his non multò poſt *Uſcocchii* plures acceſſere, quos *Venetorum* manibus elapſos *Vivus Tergeſtinus* circa montes *Iſtriæ* in unum conglobaverat, & fidem ſu-

Status Auſtriaci exercitus.

F am Principi probaturus *Goritiam* adducebat. Eo apparatu ingentem illam expectationem explevit *Ferdinandus*, qua pridem omnium mentes ad ſe converterat; ſive quia eum numerum ad rerum ſuarum defenſionem ſatis fore apparebat, ſive quia majora præſtare non potuit, temporum anguſtiis deprehenſus; an potius ex anti- 33
qua ejus familiæ conſuetudine prohibitus? qua dum exhauriendo ſumptibus ærario profuſè nimis *Auſtriaci* Principes indulgent, nil ferè ſibi re-

reliquum faciunt: quare ubi usus venerit, expeditiones elanguescere necessarium est. His nova subinde jungebantur auxilia, quæ *Carinthia* & *Stiria*, vicinæ gentes, ex pacto mittebant; invalida bello manus; sed quæ in unum coacta, & alto fluminis alveo, vel mœnibus tuta ad arcendam injuriam suffectura credebatur. Ubi primùm *Traumistorfius* Provinciam est ingressus, *Gradiscam* lectissimo firmatam præsidio *Joanne Perino* Duce, *Ricardo de Strasoldo* recommittit, &, ut arcis tuendæ curas cum eo conjungeret, imponit. Meruerat jam pridem *Perinus* contra *Belgas* sub *Philippo*, Rege *Hispaniarum*, atque ibi ordines honorificentissimè duxerat. In hac verò expeditione fortitudinis, & prudentiæ exemplum dedit singulare; ob quæ ingentibus donis post solutam obsidionem à *Ferdinando* ornatus est.

Porrò Imperator cum numero *Venetos* superiores intelligeret, nihil fortunæ, aut militum temeritati committendum arbitratus, satis omnibus suis consultum iri existimavit, si, citra *Sontium* illis occupatis, *Goritiam* interim & *Gradiscam* ab eorum armis vendicaret. Principio igitur, ut omnem spem *Goritiæ* invadendæ *Barbadico* præcideret, confestim *Licinisium* aggressus, exiguam illam manum, quam ibi *Justinianus* reliquerat, partim trucidat, partim fugat; locum verò universum fossa cingit, & castello insuper munit, quod superiori parte collis ad *Podigoram* positum, nomen ab ea obtinuit: ibi satis valido imposito milite reliquas copias adhuc *Goritiæ* continebat. Fuerat supra *Licinisium* antiquus *Sontii* pons, ut antè dictum fuit, quem in ipsa fluminis crepidine ad mille propè passus via inflexa minus commodum reddebat. Quare itineris compendium facturus *Traumistorfius*, quà pagus fluvio terminatur, novo ponte utrasque ripas conjungit; per quem milites non modo, & equites, sed currus etiam, & machinas omnes commodè *Licinisium* trajiciebat; eoque per totam hyemem, & æstate sequenti maximo cum emolumento usus est.

Die 24. Februar.

Quæ cum *Barbadicus* intelligeret, subito copias *Mariano* eductas ad *Gradiscam* movet.

Veneti Gradiscam aggrediuntur.

Inter *Licinisium*, & *Gradiscam* propter aquas *Sontii* modicus collis exsurgit vitibus, & fructiferis arboribus vestitus, ad cujus radices *Farra* pagus est; in eo loco, quia sistendo militi aptus apparebat, pedestrem aciem omnem includit; excitatis ad veteres loci casas tumultuariis potius, quàm mili-
34 taribus tentoriis, quæ velis ex navibus pridem detractis, & in eos usus illuc comportatis, contra omnem Cæli inclementiam contegebat. Equitatum in vicina loca *Romanum*, & *Medeam* distributum; relicto modico interim præsidio *Mariani*, quod locum custodiret. Quibus ad hæc intentis, *Germanus* equites c. in vicinos colles à *Sclavis* sæpius ante incursionibus vexatos emittit, non spe prædæ magis, quàm ut *Barbadico* de muniendis castris solicito negotium faceret, si laborantibus suis auxilio accurrisset. Pagos XI. eo die absumptos ferunt, raptis ex Ecclesiis, quæ solæ adhuc intactæ supererant, argenteis vasis, & sacris ornamentis omnibus festis olim supplicationum diebus præferri solitis, quæ tunc in cædis, & belli signa commutata sunt, eò majori *Christianæ* religionis flagitio, quòd hæc à *Christianis* hominibus fieri apparebant. *Veneti* nihil his commoti obsidionem enixius parant. Sed *Justinianus* eo ipso die, quo ad *Gradiscam* signa stetere, equo mœnia ab ejus parte, qua possunt adiri, circumvectus, loci situm diligenter est contemplatus.

Gradiscæ situs, & fortificationes.

Gradisca mille passus ambit, forma tetrago-
A na, cujus latera orientalia *Sontio* alluuntur; Reliquis in agros vergentibus, moles universa non tantùm naturali situ, quàm artificio admirabilis. Siquidem à natura silicem pro fundamento accepit vix ferro penetrabilem: ars vero mœnia adjecit curioso structuræ genere ex ingentibus saxis elaborata; quorum anguli orbicularibus circum propugnaculis firmati aggere insuper ad omnes impetus muniebantur. Porta una militari frequentatur ab ea parte, quæ occidenti objicitur. Latior ibi planities *Odoacris* primi *Italiæ* Regis, & *Venetorum* pridem infortuniis nobilitata. Sed fluvio arcem impo-
B suerat *Maximilianus* Cæsar, quæ inter duo Oppidi propugnacula eminens quintum veluti angulum efficit. Sub ea aditus aperitur, per quem auxilia à *Sontio* succedunt: cujus fluminis opportunitas ex iis, quæ in sequentibus dicemus, satis apparebit. Oritur is ex proximis *Japidiæ Alpibus*, unde per sinuosos montium anfractus præcipiti, atque adeò liberiori cursu in campos subvectus, ubi supra Gradiscam *Vipavum*, infra verò *Natisonem* accepit, non longè ab *Aquileja* prorumpit. Hujus est apud *Strabonem* memoria non obscura, uti reor, à quo
C *Aquilejam* disterminari credidit, & per illum sursum ad Urbem usque *Norejam* stadia M. CC. navigari, quamquam in utroque egregiè hallucinetur Auctor: siquidem ab *Aquileja* sex mille passuum fermè intervallo Orientem versus amnis regionem secat: navigationem verò nullam pro-
pemodum admittit, propter violentiam nimi- 35
am, & rapacitatem, quàm fusis pluviis, & nivibus solutis torrentis in modum nanciscitur; quibus deficientibus, ea est fluminis natura, ut non rarò tenuis in sicco propè alveum aqua destituat: nec ratibus apta, nisi circa *Gradiscam* fortassis, & ad maris ostia decurrat. In ulteriori ripa ad Orientem vergit *Carsi* jugum, quod
D ab imo fluminis in ingentem paulatim riget altitudinem. Ad radicem montis *Drausina* pagus est solo *Sontii* alveo à *Gradisca* divisus. Lævam tenet *Vipavus* amniculus, & *Vipavo* imminens *Rubia*, ubi is in *Sontium* fluit, ultra quam *Goritiæ* colles, & Oppidi aspectus jucundissimus. Ab dextera *Sagra* occurrit, quam *Justinianum* milite instruxisse diximus, & post *Sagram* *Montisfalconis* ager *Adriatico* mari conterminus, qui à *Venetis* possidebatur. Ad vetera Oppidi ornamenta insignes addere occeperat munitiones *Francolus*. Siquidem præter aggeris innovandi curam, quam anxiè susceperat; ante portam cespite à proxima planitie eraso,
E triangulare aggressus erat propugnaculum; cujus basis fossæ jungebatur acie in *Venetos* conversa, opus ad hostes diutius illudendos commodissimum; quo capto integer nihilominus circa muros labor adhuc supererat.

Itaque à *Justiniano*, quæ pro futura oppugnatione noscenda erant, adnotatis continuò Legatus murum portæ conjunctum aggredi instituit; non certè quia facilius hunc expugnari, sed quia unum operibus posse cingi arbitrabatur. Siquidem stagnante circa Oppidum *Son-*
F *tio*, non ea pars tantum, quæ secundum cursum fluminis posita erat, sed Septentrionale latus penè universum aquis attingebatur: quæ limo, & palustribus cannis oppletæ novo veluti munimento locum firmaverant. Ab Meridie verò præter cætera oppugnationem arcebat arx propinqua, unde certis tormentorum ictibus mœnia defensa nullos hostium impetus deformidabant. Sed soli natura præcipuè impedimentum fecerat, quòd sensim ab ambitu fossæ decrescens, atque in imam veluti vallem depressum,

ſum, murum poſt ripam latentem nullibi pro-
ſpectabat; ut nulla alia, quàm ab occaſu, ubi
porta erat, Oppidi oppugnandi aut ſpes, aut
ratio relinqueretur. Id aggreſſus *Barbadicus* ex-
templò ad rem immenſi laboris munitores ex-
citat. Quandoquidem ab ipſo caſtrorum vallo
opus exorſus ad portam uſque *Gradiſcæ* (mil-
le paſſus ea diſtabat) profundiori excavata
foſſa juſtæ altitudinis aggerem perducere non
dubitavit; qui Caſtellis poſtea, & tormentis
inſtructus, ut mox dicemus, militi tutum ad
36 mœnia faceret acceſſum: dum ipſe interim de
ſuperiori loco viribus admotis, munitionem ar-
ctius perſtringeret. Quibus dum curam omnem
intendit, parte alia *Traumiſtorſius* oppugnationi
ſe comparans mœnia, aggerem, & propugna-
cula munit. Si quid in his per negligentiam,
aut temporis vetuſtatem corruptum, vel lapſum
foret impenſius reficit, complet miſſilibus, tor-
mentis exornat. Ibi munitio à *Francolo* cœpta
illico ad ſummum perducitur, & porta milita-
ris obſtruitur, multa ab tergo injecta terra; u-
nico tantùm aditu ad eruptiones relicto; quibus
nihilominus parcius ſemper uſi ſunt *Germani*;
vel quia ſe impares ad hoſtem acie tentandum
cognoſcerent; ſive quia tormentorum violentia
ab incepto poſſe illum avertere exiſtimarent.
Cui rei in primis operam dabant glandes fre-
quentiores in munitores intorquendo quotidie,
quæ timoris plurimum, periculi minimum at-
tulere, protegente illos arena, quam ante ſe
continuò agebant: per tenebras quoque ad opus
intenti omnem illum terrorem haud difficulter
eludebant. Sed nihil æquè magis *Germanum*
Imperatorem anxium habuit, quàm ne per flu-
vium in Oppidum via ſibi præcluderetur; inde
univerſam tuendæ *Gradiſcæ* aleam pendere non
obſcurè intelligens. Quare rebus ex ſententia
circa muros diſpoſitis, ſimul editiorem locum
capit ultra flumen, in eo montis tractu, qui
Rubiæ & *Gradiſcæ* interjectus arci non magis,
quàm fluvio opportunus imminebat. Eò gra-
vioribus adductis machinis locum ceſpite, &
vallo cingit; Imperatorium dixere milites: ex
quo non tantùm ſubjectus *Sontii* alveus, & ripæ
continuè defenſabantur; ſed *Venetus* quoque ex-
ercitus, qui in adverſa ripa *Farram* tenebat, non
leviori incommodo afficiebatur; adactis in eum
crebrioribus pilis; quæ perpetuò de militum
vita periculum faciebant, ut parum abfuerit,
quin *Barbadicum* aliquando, & proceres plures
unà de medio tollerent. Tunc parvis navigiis
undique contractis, & ratibus in uſum repens
adornatis, quæcunque ad vim ſuſtinendam vi-
debantur neceſſaria, per illam partem trajicie-
bant *Germani*, arma, commeatus, milites; fru-
ſtrà tentantibus *Venetis*, qui *Sagræ* relicti fue-
rant, ex tàm longo intervallo, aut caſtelli fa-
bricationem impedire, aut ratium appulſum a-
vertere.

Creſcebat interim agger, quem modò *Farræ*
inchoatum diximus, & non longè quam paſſus
xxx. à porta *Gradiſcæ* munitus in eam altitudi-
nem pervenerat, quæ milites ultrò, citròque
diſcurrentes ab omni ictu ſatis ſubtrahebat. U-
na ea laus *Juſtiniani*, qui nunquam ab opere
37 diſcedens vel ignaviſſimos quoſque ſuo exemplo
inflammabat. Tunc copias ad omne belli diſcri-
men placuit inſtruere: pedites in tres partes di-
viſi, quarum ſingulæ M. M. hominum conſta-
bant. Horum Tribunis imponitur, ut tertio
quoque die per vices munitoribus adſint; & ſuos
ad pugnam conſerendam paratos adducant: qui
horis XXIV. elapſis novo militi locum dantes,
duobus intermediis diebus quietem agebant.

A Hunc ordinem non ad munitiones tantùm ex-
citandas, ſed in oppugnatione etiam ſubeunda
diùtius ſervatum non rarò paucitas militum, &
munitionum frequentia interturbavit. Nec
ſuus equitibus interim labor deerat: hi poſt pe-
ditatum collocati contra omnes hoſtiles impe-
tus latè vias muniebant. Nondum ultima ma-
nus aggeri erat impoſita, quando *Barbadicus*
quatuor circa ipſum caſtella modicis intervallis
locat, quæ excelſioribus ſubvecta faſtigiis in-
gentis magnitudinis currulia poſtea accepere:
primum *Farræ* propinquum, & ideo flumini,
& ratibus infenſum: reliqua propius *Gradiſcam*;
B quorum ſecundum & tertium mœnia & an-
gulum oppidi Aquilonarem, poſtremum por-
tam, & latus in occidentem Solem ſpectans æ-
què pertentabant. Tùm *Veneti* Oppido pares,
vel fortaſsè etiam ſuperiores omnis generis tor-
mentis diſcuſſis acrem oppugnationem occepe-
re. Primis diebus muri defenſoribus nudati;
pinnæ, & ſi qua aderant excelſiora propugna-
cula diſſipata; machinis verò, quas per agge-
rem internum diſpoſuerant *Germani*, nec locus,
nec uſus relictus: quare illas *Pirinus* in Arcem
Maximiliani transferre coactus eſt, quæ editio-
ri apice conſpicua, ut dicebamus, una *Veneto-*
C *rum* munimenta eminebat. Lætiores circa ini-
tia ſucceſſus plurimæ difficultates excepere.
Flumen ante cuncta inani impetu tentatum eſt;
in quod tormentorum furor confertim excuſſus
nihil præter terrorem trajicientibus inflixit, qui
ideò non modo nocturnam navigationem non
intermittunt, quam ad prima terriculamenta in-
ſtituerant, ſed interdiù etiam nullo timore tranſ-
mittebant, ex longa jam conſuetudine fallaciſ-
ſimos ictus aſpernati. Nec feliciora aderant cir-
ca portam, & murum, quæ continuis glandi-
um procellis vexata, nihil aut parum de ſuo ro-
bore remittebant; ſive illud ex ignei pulveris
D ignavia fieret, ſive ex militum imperitia eveni-
ret: nam utrumque fertur. Porrò illud explo-
ratum eſt, cuncta, quæ ad machinamenta hu-
juſmodi pertinent, ſegniter admodum, & ne-
gligenter per omnem illam oppugnationem fuiſ-
ſe adminiſtrata; quippe nec ex diſciplina mili-
tari fabri tormentis conſtituebantur, qui niſi à
Præfecto juſſi ignem admoverent; nec ictus ad 38
deſtinata temporum intervalla diſpoſiti, vel ad
perpendiculum librati præſcribebantur: ſed ut
cuique libido erat, temerè manus ſinguli curru-
libus admovebant; qui murum rarò, vacuum
aëra ſæpiſſimè verberabant: tanto Reipublicæ
E diſpendio, ut ſeptingentas pilas aliquibus diebus
in eam rem inſumptas multi adnotaverint. Ex
quo ea inſuper damni fiebat acceſſio, quòd ex
nimio æſtu corruptis ad oſcula tormentis, ea in
poſterum nullis uſibus apta relinquebantur: cui
incommodo, quod in bellis frequentiſſimum
eſt, cum facili negotio obviam iri poſſit, mi-
ror, cur Principes hucuſque ad id animum non
adjecerint. Igitur *Veneti* ubi circa murum co-
natus illos parum arridere proſpiciunt, ad res
gerendas ſubinde negligentiores reddebantur: &
plures erant, qui ſive de induſtria, an ob de-
ſperationem? mœnibus prætermiſſis, vim illam
F omnem in objecta ædificia intorquerent; quo
facto mortales multi intra Oppidum cadebant,
& plura loci ornamenta fœdè vaſtabantur. Sed
nec *Germanus* interim otioſus eſſe: aſſiduus in
arce, ſub muris, denſiſſimus verò in triangulari
illa portæ munitione, quam ſupra memoraba-
mus. Utriſque metus & periculum: ſi quis ag-
gerem tranſgrederetur, aut corpore ſupereminj-
neret, machinis facilè opprimebatur. Sæpius
inter hæc *Traumiſtorſius* ex *Licinifio* per eam

planitiem, quæ inter aquas *Sontii*, & *Farram* extenditur, facto impetu *Venetos* infestabat, non aperto marte; sed per globos, & per insidias aliquando: tumultus plures ciere, pugnam nullam pugnare, cujus quoque valido, & repentino incursu non raro in aggere, & stationibus per tenebras trepidatum est. Quæ res in primis *Venetis* erant gravissimæ, quibus in hunc modum ab hostibus pertentatis, nulla insuper dies, nulla nox quieta dabatur. Nam diem in ducendo aggere, implendis cratibus, adigendis machinis totum insumebant: nocte ad operum custodiam toto eo tractu, qui *Farram* inter, & *Gradiscam* muniebatur, plures, & validiores addicti, cunctantem lucem adversariorum animis operiebantur. Quare in tàm exiguo numero cum fessis integri raro succederent, brevi fiebat, ut omnes vigiliis, & laboribus impares occeptæ oppugnationis fastidium caperet. Sed illud maximè cruciabat, quod ob oculos quotidiè ex Imperatoria munitione obsessis auxilia cernerent submitti, inutilem turbam extra mœnia asportari: rates, naves ultrò, citròque transcurrere; diceres animi gratia *Germanos* secundo flumine exspatiari: felici in hoc fortunæ beneficio usi; nam *Sontius* alioquin semper tumens, & torren-
39 tis in modum rapax, per totam illam hyemem placidè admodum illabens tutum per ea litora transitum vectoribus permisit, nulla per tres integros menses effusa pluvia, nisi paucis admodum horis, cum *Veneti Dobram* tenerent, quod pro miraculo observatum est.

Verùm nec elatus *Barbadici* animus sic frangebatur, quin potius, ut singulari erat præditus prudentia, omnia hæc quantumvis iniquiora hilari vultu aspernari, spem meliorem in dies ostentare; victoriam polliceri, nihil denique facere, quod animi constantiam declararet. Una fuit præsidii ad *Sagram* positi pœnitentia, quæ diutius non potuit dissimulari: nam nec ad præsentes usus eam copiarum divisionem facere apparebat, & in periculo erant milites, ne ripa, & fluminis alveo à reliquo exercitu relegatos prius *Austriaci* circumvenirent, quam ut ex castris subvenirentur. Igitur cedendum tempori Legatus existimans, jubet, ut, relicta *Sagra*, omnis illa multitudo *Farram* quàm primùm proficiscatur. Grata utcunque ea virium accessio *Veneto* fuit, qui numero auctus leviori incommodo laboriosam oppugnationem intendebat. Sed hostis inde metu vacuus, ac veluti ad benè agendum signo accepto, ab eo die omnem illam oram ultra *Sontium* liberè pervagari. Sub *Verrucam* ipsam *Montisfalconi* excurrere. Cuncta ruinis, incendiis, sacrilegiis de more miscere; quod ut diutius sibi fieri liceret, alterum propugnaculum in montis apice, Imperatorio imminens tumultuariè, & solis ferè lapidibus aggerat, ad id non militibus modò, sed mulierculis etiam diù, noctuque laborantibus, ut non injuria a conditoribus fœminarum munimentum cœptum fuerit appellari. Opus brevi absolutum tormentis exornatur; quæ *Veneti* cernebant quidem, sed prohibere non poterant flumine divisi; & in aggere producendo adhuc occupati. Hunc paulatim ab ultimo castello ad portam exporrectum triangulari hostium munitioni fere conjunxerant. Tunc propius res agi cœpta, tentantibus *Venetis* à munitione *Germanos* dejicere; infra sclopeti jactum ea stabat dimicatio, & *Veneti* inter opera dispositi continuo glandium jactu nihil hosti tutum relinquebant. *Germanus* contra vires intendere, jacula, lapides jacere: non labori, non diligentiæ parcere; urgentibus interim hinc inde ma-

Propugnaculum fœminarum.

A joribus tormentis; quæ perpetuo sonitu, fulgore, ictu etiam eos, qui procul manserant, infestabant. Inter cæteros belli terrores paraverant *Veneti* orbes ferreis laminis obtectos, intus verò plumbeas glandes, & chalybis frusta congesserant; addito sulphure, pice, & id genus aliis, quæ ubi semel ignem conceperant, maxi- 40
mo cum strepitu laminis disruptis, omnem illam vim inclusam in proxima effundebant. Hi tunc in medios hostes conjecti multos miserè lacerant, plures ignis, quàm ferrum absumit: fœda ubique mortis facies, & tristis morientium gemitus, donec *Pirinus* multo injecto cinere oc-
B clusas flammas posse suffocari primus demonstravit: domum integram ea lue absumptam ferunt, frustrà à Domino vinaria cella reserata, ut inde milites, quando aqua ad manus non erat, ignem extinguerent, qui de siti extinguenda magis soliciti depascentes flammas despexere. Sed nec ideò de ardore pugnæ quicquam remittitur, aut *Veneti* difficultatibus pressi concidunt, aut *Germani* malis victi cedunt, vel adversis mutantur. Enixius munitiones complent, plura ausuri si numero pollerent.

In hunc modum duæ principes nationes adversum se sub mœnibus *Gradiscæ* quotidiè ferè
C dimicabant: *Veneti* pro victoria, *Germani* pro salute; illis omnia contra sententiam; his obstinatio, odium, sed locus præcipuè opportunus.

Dum hæc exæquato pugnæ discrimine ab his geruntur, infelix *Antonini* casus primum reluctantis fortunæ experimentum *Venetis* præbuit. Siquidem homo, & animo, & corpore impiger, dùm ad omnem bellicæ laudis occasionem extra aggerem excurrit, & omisso equo, sub ipsis mœnibus hostem provocat, à majori pila non in eam spem ex arce librata per medium pectus dilaceratur. Testatum damnum publicis monumentis. *Utinenses* Civi suo publico fune-
D re elato statuam in Curia erexere. Sed Senatus, torque auri pondo fratribus donatis, equestre simulacrum extincto decrevit; rarus per ea tempora in Republica honos: hoc postea in majori Basilica *Joannes Basadonna* Provinciæ Rector *Utini* dicavit. Equitibus, quos ductabat, *Jacobus* frater præficitur. Ad necem *Danielis Antonini*, alteram *Antonini Mariani*, Utinensis etiam Patritii, eadem pila conjunxit. Is legum studiis defunctus literarum gloriam tùm primùm armis decorabat; florens opibus, & juventa, & studio in Ducem effusus, felix
E si Musarum otio contentus incerta Martis despexisset.

Mors Danielis Antonini.

Mors Antonini Mariani.

Igitur *Veneti*, qui ingenti animorum ardore eam expeditionem à principio susceperant, ubi illos, quos ne primum quidem impetum laturos crediderant, non modò non cedentes, sed audacissimè resistentes animadvertunt, paulatim viribus, & animo consternabantur. Contra *Gradiscani* felicium rerum successu audaciam consequuti, nihili jam *Venetos*, aut eorum munimenta faciebant, quos ex muro insuper ca- 41
villabantur quotidiè, & jocis, probrisque eorum nobilissimum quemque insectabantur, nihil non injuriarum in *Justinianum*, & *Barba-*
F *dicum* etiam collatrantes: sed hi ad unam oppugnationem intenti nihil intactum interea relinquebant, quò citius Oppido potirentur; *Justiniani* verò studium admirabile, & non sine famæ dispendio reticendum. Hunc sui ipsius interdum, & dignitatis etiam prorsus oblitum gregarii militis officia implentem non raro reliquus exercitus est contemplatus; eo impetu aggerem inter hostium tela, manusque auctum tandem fossæ committit. Ibi milites pro ripa dis-

dispositi perpetuo missilium turbine summa mœ-
nium verrebant, atque ex eo tempore machi-
narum furor in unum locum conversus muros
demum cœpit labefactare, jamque rimas duxe-
rant, & hiatus facere perrexerant, & lapides
ferri violentia corrupti in frusta dispergebantur;
quando post longam defatigationem moles pas-
suum fermè xx. præcipiti casu prope portam in
fossam occubuit. Eam ruinam terra, quæ post
murum steterat universam complanavit, ut non
difficilis omninò transitus in Oppidum transitu-
ris relinqueretur. Sed, cum id facere vellet
Barbadicus, ab triangulari munitione prohibe-
batur, quæ pro ripa fossæ ante portam collo-
cata non à fronte tantùm hostes propellere, sed
tergori etiam circumfusos poterat cohibere.
Quare si *Veneti* fossam ingressi per loci ruinam
mœnia instituissent penetrare, nulli dubium,
quòd in tàm brevi distantia cuncti missilibus
obruti temeritatis pœnas luissent. Igitur ut mi-
nori militum periculo perageret incepta Lega-
tus, vim omnem ad munitionem illam conver-
tit, quam nisi prius obtineret, sciebat arcis po-
tiundæ spem omnem irritam fore: primùm ma-
nu posse capi suis ostendit: accepere provinciam
nonnulli, & scalis admotis ad summum aggeris
fastigium evasere, forti potius, quàm felici e-
ventu: nam à suis, qui ponè sequebantur, de-
serti ultimum propè discrimen passi sunt. Pe-
nès *Horatium Balioneum* ejus diei servandarum
stationum cura fuerat, quem inter primos sub
munitione dimicantem vulnus in capite acce-
ptum ab ejus oppugnatione revocavit. Sic re-
jectis *Venetis*, mitius consilium init *Barbadicus.*
Placet rem totam cuniculo transigi: opus in-
choatur in ipsa triangularis munitionis fossa, non
longè ab angulo exteriori videntibus, & irri-
dentibus *Germanis*, quibus jam pridem loci dif-
ficultas erat prospecta: toto siquidem illo tractu
terra subjecta in perennem lapidem rigens, nec
ligonem, nec vomerem patitur. Quod Ducem
Venetum minimè deterruit; sed adhibito malleo
42 propugnaculi fundamenta ingenti patientia pe-
netrat. Sensit hostis periculum: quare de sua
salute solicitus subitam irruptionem parat. Sed
cuncta circùm ardua discrimen intendebant.
Nam *Venetos* in stationibus positos, atque adeò
ex vicino periculo cautiores redditos, nihil quod
ad loci, suique custodiam pertineret prætermis-
suros apparebat. Unde non sine aperto copia-
rum damno eas ab arce *Germanus* debuerat de-
ducere. Igitur ad illam eludendam virtutem
dieculæ aliquot insumptæ, quibus altum mœnia
silentium obduxit, & milites, qui muris præe-
rant, ferox ingenium ad lusus, & dicteria con-
verterant; jamque majora tormenta conticue-
rant: minora verò rarissimè discussa universi præ-
sidii negligentiam usque ad suspicionem culpa-
bilem demonstrabant. Mirum quantum his ar-
tibus res *Veneta* repens deferbuerit, vix impe-
rante, & urgente *Justiniano* assueta munera mi-
lites obire; illo absente, otio, & oblata quie-
te frui. Quibus in tàm vicino prospectu ab *Pi-
rino* animadversis, dubia adhuc circa terram
crescenti luce, fortissimos quosque ad hostium
munitiones tentandas emittit. Hi acinace ab
humeris demissa, & bicipiti securi manus in-
structi ab duabus partibus tanta celeritate no-
vissimum aggerem adoriuntur, ut prius in ulti-
mum vitæ discrimen *Veneti* se adductos cogno-
scerent, quàm *Germanorum* signa è mœnibus
movisse intelligerent. Tenebat eum locum
Righerius Parmensis cum militibus fermè CCC.
quorum plures somno demersi, reliqui dispersi,
& quà cuique libitum erat, sine armis, sine im-

Gradiscani aggerem Venetorum invadunt.

A perio conglobati, omne aliud præter id quod
acciderat, expectabant: quare facilè fuit *Ger-
manis* tanta rei benè gerendæ oblata occasione
feliciter uti. Porrò *Veneti* dum ad casum stu-
pent, nec, qua se defendant, rationem ullam
expediunt, ad unum ferè circumventi omnes
segnitiæ, & importunæ tranquillitatis pœnas
dedere. Cum his Centurio extinguitur, & sta-
tio universa capitur. Jamque *Germanus* strage
fervidus ad castellum proximum discurrebat,
tormentis, quæ ibi fuerant, manus admoturus.
Sed fortè *Justinianus* adveniens nefas prohibuit.
Aderant cum eo *Lucius Richerius* Portunaonen-
B sis, & *Antonius Fornacius* Utinensis, qui duo
viri Ducis latera tegebant continuè. Hi audi-
to tumultu, & propè sub pedibus cædem con-
spicati impigrè ad fauces castelli accurrunt, per
quas in munitionem captam brevior erat descen-
sus; ibi hastis, quæ ad manus venerant, in
Germanos directis, suos à fuga, hostes ab irru-
ptione nituntur propellere, quæ dum ab his
singulari animi, & corporis fortitudine gerun-
tur, casus per castra vulgari cœptus ad pericu- 43
lum arcendum universas copias solicitat, & *Ju-
stinianus* precibus, & Imperio in circumstantes
invectus sensim animos faciebat. Sed tormen-
C ta præcipuè salutem attulere, quibus illicò in
fugientium illam, & persequentium multitudi-
nem discussis terror omnis in *Germanos* averti-
tur: quare tandem cedere coacti non hostium
spoliis magis, quàm militari gloria conspicui,
paucis suorum amissis in arcem se recipiunt. I-
bi *Justinianum* ultimum propè vitæ discrimen
subiisse memorant, à transfuga *Illyrico* sub eo
rerum turbine ferro petitum, quem facinus pa-
rantem, atque in ictum jam assurgentem *An-
tonius* quidam, *Justiniano* familiaris, superve-
niens hasta confecit. Quare præsenti illo pe-
riculo, & suorum damno admonitus intentiori
D de cunctis cura providere; vigilias crebras po-
nere, & eas ipse cum Tribunis circumire; tor-
menta nullo nisi fortissimo, & fidelissimo com-
mittere. Sed cuniculo in primis intentus, opus
enixè properare, verbo, præsentia urgere. *Pi-
rinus* contra ingruentis periculi sensu commo-
tus, militari consilio angulum universum cuni-
culo pertentatum à reliqua munitione dividit,
pari ratione excavata interius fossa ingentis pro-
funditatis: quod ubi *Barbadico* innotuit, non
ultra procedendum existimans ignem operi ad-
movit, qui magno cum strepitu erumpens an-
guli bonam partem diruit. Subeunt *Veneti*,
E & per labentem humum surrepentes, quò mi-
nus munitione potirentur, à fossa sunt prohibi-
ti. Hanc cum luce sequenti aggrederetur *Bar-
badicus*, summisque propositis præmiis ad ulte-
riorem ripam superandam suos compelleret, haud
difficulter à *Germanis* repulsus est.

Die 25. Martii.

Cum igitur in hunc modum infelici quodam
Reipublicæ fato vires sub *Gradisca* in irritum
effunderent *Veneti*, in dies magis, magisque de
expugnatione Arcis desperabant, atque ut vul-
gus solet, ex eventu facta recolentes omnem
culpam in *Justinianum* rejiciebant: potuisse à
principio subsidia intercipere, occupato flumi-
F ne, & monte, utrumque neglexisse; nunc eò
ventum esse, ut aut omnibus sub muris *Gra-
discæ* occumbendum sit; aut turpi fuga obsidio
deserenda. Quatiebantur muri nihilominus; sed
novissimè per tres integros dies ictibus nunquam
intermissis domus magis, quàm mœnia tacta.
Interim fœdè ruebant ædificia, & si quid inte-
grum, aut fortunæ beneficio, aut hostium fu-
rore usque in illud tempus intentatum supere-
rat, tunc miserè peribat. Plures ex captivis
re-

retulere; si diem unum, aut alterum ardor il-
le perdurasset, *Pirinum* arcem traditurum, quæ
ad solatium potius militum dissipata, quàm ve-
44 ra fuisse ausim affirmare. Nam ea fuit tunc
Oppidi illius conditio, ut vix maximo, & in-
structissimo exercitu posse pugnando capi mili-
tarium artium gnari affirmarent, nisi prius sub-
sidia, quæ per flumen quotidie invehebantur,
interclusa fuissent. Impedimentis siquidem per
eam partem asportatis, liberi commeatus, &
recentes copiæ inde obsessis continuè accede-
bant: quæ & viribus, & audacia firmæ omnes
hostiles impetus facilè aspernabantur: & si qua
ductores libido incesserat extra mœnia erum-
pendi, quod semel, aut bis factum accepimus,
temporis momento novo milite arcem imple-
bant; qui periculo defunctus iterum *Goritiam*
remittebatur. Ita fiebat, ut quos numerus *Ve-
netis* impares reddiderat, loci commoditas sa-
tis, superque adæquaret. Quare stupor nullus
legentes tenebit, si Arx una hujusmodi belli
molem diutius sustinuerit: satis erit illud admi-
rari, quod cum miles integer semper *Germano*
ad manus esset, nullo memorabili edito facino-
re (si cædem *Righeti* excipias) pestem illam in
A auctores averterit, aut castellis in potestatem
adductis, aut tormentis corruptis, quod ne
tentare quidem ausus est.

Inter hæc adveniunt literæ à Senatu, quibus *Armorum cessatio*
in gratiam Pontificis armorum cessatio impera-
tur. Dederant hoc Patres Pontifici, quò pa-
cis conditiones inter ipsos & Archiducales fa-
cilius componeret: quæ in vulgus acceptæ va-
riæ militum animos affecere. Multi lætaban-
tur tanquam periculis exempti; plures, qui-
bus inerti otio, vel gloria, vel pecunia potior
erat, tristitia afficiebantur, oppugnationis fi-
nem, & certissimam victoriam ultimos illos co-
B natus interpretati. Sed *Barbadico* in primis gra-
tæ fuere, qui magnis undique circumventus
difficultatibus præsenti oppugnationis apparatu
arcem frustra tentari multò pridem experientia
didicerat; quare occasionem complexus, post-
quam *Marianum* machinas transmisit, ipse cum
omnibus copiis eodem concessit XXIX. die, post- *Die 29. Martii*
quam *Gradisca* oppugnari cœpta est. *Germanus*
tanta pernicie liber ab Arce discurrens *Veneto-
rum* opera solo adæquat, tectaque labentia per
otium reficit.

Libri Secundi finis.

45 # LIBER TERTIUS.



Ublata oppugnatione
bellum potius esse desi-
erat, quàm pax ulla sub-
sequuta sit: siquidem
hæc apud Principes *Ve-
neto* nomini infensos, nec
bonis artibus fortassis
pertractata, iniquior in
dies, & ad publicam u-
tilitatem minus commo-
da apparebat; donec ultrò, citròque iterum a-
nimis irritatis felix illa concordiæ expectatio è
manibus omnis elapsa prorsus evanuit. Bellum
verò plura arctaverant: ducum diffidentia, mi-
les numero imminutus; pluviæ, & tempestates
Exercitus morbo offensi. tùm primum ineunte vere erumpentes: sed mor-
borum vis quædam incredibilis præcipuè, qua
universus ferè exercitus dilapsus est, cunctos ab
armorum strepitu revocavit. Ortum habuit ea
lues à continuis laboribus, & vigiliis, quibus
per eam oppugnationem non die, non nocte
remissis milites gravius afflictati sunt; sed nihil
æquè eos, quàm generosioris vini copia perdi-
dit, quo se præter modum ingurgitantes, omne
viscerum, sed capitis præcipuè temperamentum
brevi pervertunt. Hinc novæ, & sævæ mor-
46 borum facies, & quæ intra diem septimum mor-
tem inferebant: sub initia vires collapsæ, &
dissipatæ, stomachi languor, vomitus, animi
defectiones, corporum jactatio, vigiliæ, sine
sensu doloris, aut febris; adeò ut aliquandò se
nullo prorsus morbo teneri existimarent; ad hunc
modum nativo extincto calore, labentibus sen-
sibus inopinatè decedebant: plures æstuare, de-
lirare: ad hoc corporis gravitas, & dolor acer-
bus, & sitis inexhausta accedebat, quibus ul-
tima rerum discrimina acerbiora reddebantur.
Sic nobilis, plebes ruere, & quos sexcenta an-
te pericula, & tot plumbeæ glandes non do-
muerant, brevi paucorum dierum ardore ab-
sumebantur. Tot suorum funeribus percussus
C *Barbadicus* curas omnes ad remedia perquirenda
convertit. Medici ex Urbe ingentibus propo-
sitis præmiis advocati. *Medea*, & *Palma* ægro-
rum jussa esse receptacula. Illic publica erecta
hospitia, & præsidiorum apparatus diligenter
instructi, nec alimentorum copia, aut ministro-
rum charitas defuere; quibus ultima mortis so-
latia miseris abundè præbuisse visus est: quæ ta-
metsi summo studio, atque impensa administra-
rentur, debacchantium tamen morborum im-
petus, & labentium numerus arctiora in dies
faciebant. Tunc publicas *Utinensium* ædes olim
extra muros in pestilentiæ necessitates exstructas
D militibus curandis Civitas concessit; delectis ad
id nobilibus & popularibus Civibus, qui loci
custodiæ præessent, & annonam curarent, quod
piè sanctèque institutum summa cum *Utinensium*
laude usque ad finem belli permansit. Sed ea
erat morbi rabies, quæ nullis remediis posset
mitigari: cadebant pariter fortissimi, & igna-
vi: non ministri, non Medici à communi stra-
ge immunes fuere: non Sacerdotes, quibus a-
nimarum purgamenta demandabantur; sed o-
mnes istos, vel quia laboribus impares, an lan-
guentium corporum habitu infectos? plenius
obsequium confecit. Nec *Germanis* interim læ-
E tiora aderant; pari strage ruebant; sed non
pari cura, aut officio fovebantur. Inopina cla-
des vel providos quosque fefellerat, nedum
auxiliares, & adventitias illas copias, quæ dua-
rum Arcium bona depastæ ab his omnibus com-
modis aberant quàm longissimè. Sed Oppida-
norum conditio adhuc iniquior, qui foris ab
hostibus, intus à suis per summam libidinem spo-
liati de tot modò divitiis, vix ultima vitæ subsidia
mordicùs retinebant. Igitur cuncta metu, con-
fusione plena inconditam multitudinem horro-
re complent. In stationibus miles, Oppidani
per tecta dispersi, indefleti, & ab omnibus de-
serti pereunt. Ubique luctus, & gemitus, &
morientium voces, quibus se ipsos, bellum præ-
sens,

47 sens, & cunctantem animam diris omnibus execrantur: plerique in fuga malorum subsidium arbitrati, ubi exhausto corporum vigore sensus labi cœperant, passim per viarum crepidines fusi prætereuntium manus ad mortis compendium exposcebant.

6. April.

Sed *Venetiis* nullo malignioris fortunæ incommodo devicti Patres bellum nihilominus innovandum decernunt. Quare missi ad exercitum *Franciscus Martinengus*, & *Ferrandus Rossius* inclyti per ea tempora Duces, qui res *Fori-Julii* diligenter cognoscerent. His Provinciam peragrantibus *Medeæ* visum est alterum propugnaculum excitare (*Barbadicum* dixere) & propè *Cividale*, quia factis ex *Caporeto* incursionibus singulis fermè diebus infestabantur, duo opponunt castella. Hæc edito collium fastigio munita hostilem omnem rabiem ab Oppido deinceps avertere. *Ventionensibus* quoque munitionem imperant, quam ipsi in vicino monte studio adversus Rempublicam singulari ex quadrato lapide, quod nullibi factum est, propriis sumptibus absolvere non dubitarunt. Inde in Urbem reversi inter cætera belli arcana curam ingerunt Patribus de disciplina militari corrigenda, quæ nullis coërcita magistris in summam, eamque Reipublicæ perniciosam licentiam excesserat. *Barbadicum* solum tot malis obrutum, nedum circumventum, non posse cuncta prospicere: nullum certum Ducem equitatui, nullum pediti superesse: cunctos se ipsos ad libidinem regere: diversas esse militares artes ab Imperatoriis. Tùm machinas in potestate fabrorum relictas, quibus viribus, quibus animis potuisse tractari? eam confusionem primò tollerent, mox de supplemento cogitarent. Quæ vera cognoscentes Patres continuò *Martinengum* equitatui præficiunt universo; *Illyricis* uni *Trivisano*, veteri ipsorum Duci, permissis; & Cataphractis (pauci ex morbo supererant) *Ludovicus Estensis* impositus; muralia tormenta *Rossio* demandata, antiquum illud industriæ suæ munus. Nec *Justinianum* sine Imperio diutius passi, hunc castrorum Magistrum supremum pronunciant. Quibus in hunc modum dispositis, de supplemento comparando enixius agitatum. Prima consiliorum fuere, ut *Illyrici* equites quotquot in *Istria* stipendia merebant in *Forum-Julium* deportarentur. Dum interim Ferratos novos conscribunt Civitates *Galliæ Cisalpinæ*, & leves instaurant *Foro-Julienses*. De Cataphractis instaurandis, quandoquidem omnes ferè morborum violentia corruerant, in aliud tempus negotium est rejectum. Nec minor cura de pedite. Delectus novi circa Oppida fieri; ex Urbe plures addu-
48 ci; miles verbo, spe, stipendio allici, & quia proximæ nationes detrectabant, placuit vel remotissimas tentare. Igitur *Belgæ*, & ultimi maris accolæ per idoneos homines ad stipendium excitati. *Rhæti* verò, qui pacto cum Republica fœdere erant obstricti, quamprimùm advocantur. Ex *Cretensi* quoque solo auxiliares manus conscriptæ. Quæ quanquam ingenti animorum studio conquisita, tamen quia in longinquo adhuc erant, præsentem exercitus conditionem parum sublevabant. Sed nihil opportunius excogitatum, quàm exulum revocatio; ea cura sex viris à Senatu committitur, qui singulorum causas accuratè dignoscentes, facinorosissimis quibusdam, & malè de Republica meritis posthabitis, reliquos ferè omnes receperunt. Reducti ea diligentia M. M. fermè, qui Patriæ & penatibus redditi, laboriosa militia longioris exilii damna, libentissimè commutarunt. Hinc

Reformatio Veneti exercitus.

A peditum, & equitum numerus brevi auctus; vivida bello manus, &, si sors ferat, nullo publicæ salutis incommodo casura. His quasi fomentis absumpti exercitus dolor demulceri cœptus est, & parùm aberat, ut ex tantis ærumnis respirarent aliquando *Veneti*, nisi Ducum discordia omnia iterum in pejus traxisset. Fuere hi *Martinengus*, & *Rossius*, de quibus paulò ante dictum est; quorum uterque cum à Senatu ad exercitum mitteretur, *Justiniani* imperium dedignati oblatum munus aspernabantur. *Rossius* apertè, & irarum plenus; *Martinengus* magis injuriam dissimulans; ex quo fiebat, ut miles
B necessario imperio destitutus minùs promptè expeditiones obiret. In hac rerum confusione *Illyricus* eques ex *Istria* advectus intervenit; gratus ejus adventus non copiarum numero tantùm, quam equitum virtute, quorum in *Istria* præclara gesta omnium laudibus commendabantur, & eximiam de illis spem conceperat universus exercitus; quam ne longius frustraretur, *Trivisanus*, eorum Dux, extra vallum illis deductis, ante oculos hostium sub *Podigora* cœpit discurrere: ibi prædæ abactæ, & plures cæsi; hinc animo aucti invios *Licinisii* saltus, & aspera montium penetrantes subita invasione *S. Flo-*
C *rianum* occupant. Hic locus ultra *Licinisium* positus Archiducalium præsidio tenebatur, ciborum, & rei frumentariæ gratia in primis, quam illuc veluti in remotiorem custodiam ex vicinis pagis incolæ importaverant. Sub *Illyricorum* adventum fugientibus *Germanis*, plus ibi prædæ, quàm sanguinis fuit; sed ea majori ex parte corrumpitur, & locus, quia non poterat retineri, relinquitur. Interim pedestres copiæ augebantur; nam supplementa plura venerant, & multi morborum viribus; quæ jam mitiores factæ erant, superatis, arma, & animum resu- 49
mebant. Quare *Barbadicus* ab eo infortunio
D respirans, ac veluti tunc primùm sui juris effectus ad intermissas belli necessitates cogitationem omnem adjecit. Diù insederat animo *Licinisium* ab hoste occupatum, & *Podigora* operibus cincta. Continui verò ab eo loco decursus etiam indignationem faciebant: ea igitur hominis fuit sententia, ut milite quàm primùm illuc misso, illa subverteret receptacula; quibus *Germanum* destitutum facili deinceps negotio ultra flumen credidit posse coërceri, dum ipse interim armorum terrore circùm lato omnia cis Sontium *Venetis* adjungeret. Cæterum dùm in dies consilia differt eximiam eam
E spem hostium diligentia vanissimam fecit; qui sive ab exploratoribus de periculo admoniti, sive suopte ingenio ad id excitati pridiè, quàm *Barbadicus* fuerat moturus, exercitum omnem *Licinisium* traducunt. Quo propugnaculo circumdato ad *Farram* deflectunt, ubi stativa habuerant *Veneti*, & vallo circumfuso collem universum amplexantur: ita brevioribus interpositis spatiis omni illa planitie potiti, non ut victi toties, & obsessi, sed victorum more ferocientes veram tandem *Barbadico* solicitudinem ingessere.

Veneti locum S. Floriani occupant. Die 24. Aprilis.

Juverat *Ferdinandi* partes per eos dies *Philip-*
F *pus*, Rex *Hispaniarum*, illuc misso *Balthasare Marrada* cum equitibus D. & peditibus totidem, non ut necessitudinis, & sanguinis pignora tueretur magis, quàm ut *Venetos* Foro-Juliensi bello implicitos ab *Allobrogum* rebus averteret; quibus per ea tempora *Philippus* intentus *Carolum Emanuelem*, illius gentis Ducem, ferro sæpius invaserat, & Oppidis spoliaverat pluribus; proximè verò *Asti* longa obsidione incassum oppugnata, pacem composuerat; incertum an quia

quia pacem vellet, sive quia innovandi belli occasionem opportuniorem expectaret; quarum una ea fuit, ut *Venetos* perpetuos *Italicæ* libertatis defensores gravi aliqua solicitudine interim intricaret. Hinc *Foro-Juliensis* belli cura oblata, qua factum iri existimavit *Hispanus*, ut lenta veluti tabe Republica absumpta, nullæ deinceps vires neque ad se, neque ad socios tuendos illis superessent. Hujusmodi erat, quæ tunc passim de *Philippo* vagabatur opinio. Porrò non aliis, quàm illius artibus bellum in *Forum-Julium* tractum, & ab eo postea sustentatum, & usque in tertium annum deductum, nullus est propemodum, qui ignoret.

Igitur *Barbadicus* ab ea spe dejectus, qua *Licinisium* sine armis posse capi existimaverat, atrox subinde consilium init, præsenti verò rerum conditioni accommodatum. Nam cum *Germa-*
50 *nus* numero in dies, & audacia cresceret, nullo alio nisi audacissimo aliquo facinore poterat coërceri: quod vel singularem faceret victoriam, vel saltem assiduis incursionibus modum adhiberet; an quia apparebat nomen *Venetum* contemptu laborare, si quamprimum præclarum aliquid non moliretur. *Justinianus* in sententiam adductus copias diligenter instruit. *Trivisano* demandatur, ut certamine occupatis hostibus improvisum terrorem ab tergo objiciat. Ipse cum reliquis copiis, qua in planitiem vergit *Licinisium* adoriri instituit. Præibat *Jacobus Antoninus* cum levi equitatu, subsequebantur pedites duplici acie distincti, quarum alteram *Balioneus*, alteram *Vimercatus* ductabant; extrema agminis ferratis claudentibus. Eo apparatu paulò post ortum Solem ante pagum stetit *Barbadicus*, qui si loci natura diligentiori studio ante explorata ad eam partem exercitum duxisset, ubi opera adhuc imperfecta facilem pediti transitum dabant; nec *Germani* quidem abnuunt, munimenta fuisse deserturos, aut certè magna cum sua clade propugnaturos. Quippe improviso illo terrore perculsi milites, qui stationes tunc servabant, dum fuga, & clamore sibi consulunt, penè nudatum defensoribus vallum hosti præbuerunt. Murus, qui ibi fortè erat, & fossa infortunium arcuere; à quibus *Veneti* procurrentes in tempore detenti sunt. Sed *Horatius Balioneus*, & pauci cum eo portam semiapertam nacti, quam fugientes custodes reliquerant, in vicinam chortem irrumpunt. Ibi situs, & locorum ignaris pulcherrima benè agendi occasio è manibus elabitur; siquidem dum aditum quærunt, quo interiorem partem pagi invadant, atque ideo chortem circumeundo tempus absumunt: *Germani* inter hæc animosiores facti; sed à *Traumistorfio* in primis concitati, qui ad tumultum venerat, viribus & numero superiores accurrunt; ibi *Balioneum* resistentem, & summa virtute ulterius conantem irrumpere extra septa propellunt. Eam rerum obscuritatem gregarii militis decus illustravit egregiè. Hic per cæcas loci tenebras *Germanos* insequutus in munitionem evaserat; quò postquam nec agnitus, nec observatus ab aliquo pervenit, *Traumistorfium* sublimem in equo decurrentem, & suos ad defensionem aggeris excitantem conspicit, ex eo ducem esse suspicatus, ferociter impetu facto, contum in obversum impulit: equus Imperatorem à morte subtraxit; nam ad ictum pavens, dum in pedes erigitur, non suum vulnus excepit, miles statim confossus, ideoque intercidit nomen; sed præclarum facinus permanet, & *Germani* laudibus celebrant. Interim *Trivisanus*
51 superiorem partem pagi invaserat, ibi munimenta duo semiperfecta inter montem, & *Licinisium* summo ardore oppugnata expugnaverat, cæsis, & fugatis *Austriacis*. Alia parte *Vimercatus*, & *Antoninus* inferiorem aggerem infestabant, ille peditibus, hic equitibus ad ipsam propè fossam perductis. Quare nullo irrito intercedente ictu brevi summa propugnaculorum defensoribus nudantur; qui ideo post muros abditi, aut operibus tuti, *Venetis* trepidè missilibus resistebant: omnia timoris plena erant, & confusionis, quando *Traumistorfius* vix sui potens, & à periculo respirans, ut potuit melius ordinibus explicatis, furentibus hostibus occurrit; sed nec rejecti, aut cæsi longius pelluntur, aut fossam deserunt: sub ipsa munitione diù, multumque pugnatum est, tanto animorum ardore, ut sui periculi sensus vix milites tangeret. Siquidem in aperto positi, nec vallo, nec aggere septi facilè moschetis oppetiebantur: rariores ex *Germanis* cadebant, quos locus, & machinæ defensabant. Flexo in vesperam die, receptui canit *Barbadicus*, & cum omnibus copiis extra tormenti jactum prægressus diù multum stetit in acie ad pugnam paratus, si *Germanus* prodiisset. Sed ubi nemo adversus venit, per ocium conversis ordinibus *Marianum* signa reduxit, satis contentus tanti facinoris gloria; sive eam victis confessionem expressisse, sive suorum virtutem hostibus ostentasse. Nec dubium, quin ea res Archiducalium animos fregerit plurimum, qui non per insidias, aut nocturnis irruptionibus, sed clara luce vi, & ferro quæsiti, quanquam numero *Venetis* longè superiores vix tamen intra munimenta sua pavidi se tenuere. Inter eos, qui ceciderunt, casus *Lucii Richerii* Portunaonensis fortunatus, qui Patres laudatores, & testes habuit: ab his aureo torque *Franciscus* ob fratris virtutem decoratus. Nec *Utinenses* honore fraudati; inter quos *Joseph Petoellus* in amissi brachii solatium equestris ordinis insignia, & annua stipendia obtinuit.

Veneti Licinisium invadunt. Die 2. Maji.

Mors Lucii Richerii.

Franciscus ejus frater à Senatu aureo torque decoratus. Joseph Petoellus equestris ordinis insignia, & annua stipendia à Senatu pariter obtinet.

Cæterum Senatum major cura jam subierat de bello *Foro-Juliensi*, novo insuper accedente sive inimico, sive propugnatore *Philippo*, Hispaniarum Rege. Delatus exercitus cis *Sontium*, & occupata *Farra* scrupulum injecerat, non temerè hanc hostibus audaciam accessisse interpretantibus. Nec defuere, qui *Germanias* in *Venetos* conjurasse referrent. *Ferdinandi* Legatos liberas Civitates circumire, omnes arma, viros, stipendia promisisse, quæ ex longinquo nunciata majorem periculi speciem faciebant. Visum est igitur Patribus tanti mali molem non spernere: & quia de milite satis providerant, jam tùm primùm extraordinario imperio Ducem deligendum censent. 52 Is fuit *Antonius Priolius*, vir in Republica clarissimus, cui expeditionis illius administratio, quod terrestri bello vix suorum alicui ante tribuerant, imperatoria auctoritate decernitur. Nihil *Justiniano*, nihil *Barbadico* imminuitur: unus tantùm additur legationis collega *Joannes Baptista Foscarenus*. Sed *Barbadicum* jam laboribus fessum, & militiæ vacationem flagitantem audivere Patres: quare in ejus locum *Franciscus Erizzus*, Palmæ Præfectus, subrogatus, misso ad ejus arcis custodiam *Antonio Grimano*. Novo Imperatori plus ex domestica calamitate solicitudinis, quàm ex hostibus periculi accessit. Nam dum hi recenti facinoris stupore attoniti nihil prætereà audent, morbus, qui de priori violentia aliquid remiserat, passim in novas copias, veluti pabulo furoris accepto, iterum sæviebat. Mortua creduntur in exercitu post *Gradiscam* tentatam usque ad initia mensis Augusti decem M. capita, & amplius. Statuit igitur *Priolius* non prius

D. 18. Maji.

prius bellum attingere, quàm à tanta lue militem solveret, cui rei summa solicitudine operam dabat, *Barbadici* vestigia insequutus: illud quoque visum est non minùs ad securitatem Provinciæ, quàm ad copiarum salutem pertinere, si divisi milites assiduis operibus corpora exercerent. *Cormonum* arcem habuit munitissimam, ut dicebamus. Ea *Alviani* virtute centum ante annos capta, & diruta suismet ruinis sepulta jacebat: vepres, & spinæ cuncta obduxerant; locum Arcis, non Arcem incolæ memorabant. Ibi igitur, quia editiori colle steterat, unde ad Orientem Archiducalium pagi, & Oppida munita *Goritiæ*, & *Gradiscæ* parvo aberant intervallo; ad Meridiem verò, & Occasum *Venetorum* arva regionem implebant: antiquum instaurandum castellum duxit *Priolius*. Militem ocio desidem ad hoc delegat: dum rudera, & primæ materiæ aggestio deducitur, Arcis muri penè integri apparent; inde militares stationes solo obrutæ, & fossæ nec non concameratæ cellæ in usum annonæ affabrè constructæ; quin, & puteus intra mœnia inventus: quæ omnia brevi expurgata, antiqui decoris cultum recepere. His novam fossam, & aggerem extrinsecus addit *Priolius*, & summa diligentia locum munitum à lecta peditum manu jubet custodiri. Ad hæc *Medeæ* inchoatam munitionem *Barbadicam* absolvit, & ad subitos hostium incursus milite, & machinis replet. Nec segnius studium de *Montisfalconis* populationibus hominem exercuit. Dividitur is ager à ditione *Gradiscana* perpetuo montis *Carsi* jugo, ut dicebamus, qui ultra ripam *Sontii* contra *Gradiscam* se extollens, ubi in dexteram partem medio *Sagræ*, & *Fojani* spatio ad fluvii ripas paulùm deflexerit, rectà inde orientem Solem petens perenni cursu in *Istriam* fertur, ab eoque latere *Italiæ* claustra egregio veluti opposito munimento tutatur. *Japidum* sedem fuisse antiqui memorant; & usque ad nostra tempora saxum habitationibus, & castellis frequens visitur. *Justinianus* à *Priolio* jussus montem diligenter considerat. Tenebat hostis eam partem jugi, quæ oppido adversa exsurgit, instructis ibi Imperatorio, & Fœminarum munimentis inter *Gradiscam*, & *Vipavum*; quare universum illud spatium, quod ab Imperatorio ad *Sagram* decurrit, nulla adhuc custodia tenebatur; & *Justiniano* licuit propinquiora *Gradiscæ* cacumina subito præsidio occupare, quo *Montisfalconis* agrum commodè tutari, & à superiori loco impetu facto Imperatorium simul infestare, & commeatum ab oppido potuisset avertere. *Foro-Julienses* Duces cuncta locorum gnari pridem monstraverant. Nec à consilio alienus occasionem ille aspernabatur; sed præsenti rerum necessitati inservire coactus securiorem locum opportuniori præferendum existimat. Siquidem in tam propinquo situ nec munitionem absolvi, nec absolutam sine ingenti militum numero posse retineri intelligebat. Quod in ea copiarum suarum funesta dissipatione nullus sanæ mentis Imperator commisisset. Igitur dextrum montis latus aggressus, quod fluvio conjungi paulò ante memorabamus, ibi præsidio ædiculam munit. Hanc ex edita admodum rupe *Fojanus*, & *Sagra* mediam prospectabant. Quo facto aliquem incursiones in agrum *Montisfalconis* finem habuere. Sed hostis inde expeditum *Veneto* ad *Gradiscam* aditum intelligens comparatum, atque ideò de reliquo retinendo *Carso* solicitus factus, montis jugum ab *Justiniano* prætermissum, nocte, quæ sequuta est, armis, & milite cingit. Postquam diluxit, & *Veneti* videre apicem insessum, tunc

Mens. Julio.

53

A loci commoditas maximè apparuit; & miles novo veluti pavore perculsus hostis ingenium, solertiam laudare, se ipsos, & Duces suos increpare, quod primi locum non præripuerint. Multi sunt, qui suadent, ut armis arreptis, glorioso aliquo facinoris ausu corrigant illam tarditatem; facilè *Germanos* à monte posse pelli, dum nullo adhuc munimento, nullo aggere tenentur; illos esse, qui paulò ante intra *Licinisium* vix se tutati sunt, nunc primos impetus, aut *Italicæ* virtutis robora minimè expectaturos. Porrò *Justinianus*, qui necessario consilio rem omiserat, sensim ardores illos extinguebat, virtutem laudare, sed ad majores usus impetus illos seponere. Firment *Germani* locum, quem propediem justis adductis copiis in potestatem adducturum promittebat. Quæ ad sedandum tumultum jactata magis militum animos irritavere. Quærentibus multis, cur per otium deserta, mox bello cogitet repetere? Igitur *Veneti*, ad ædiculam collocato præsidio, inde *Marianum* successu mœsti revertuntur. Auxit infortunium mors *Antonii Trivisani*, Camilli fratris, impigri juvenis, & ad militare decus nati, quem si fata diutius servassent, ingentem familiæ gloriam factis potuisset antecellere. Is tunc *Mariani* egregiam Reipublicæ operam navabat fraternarum curarum adjutor, & minister; quando inter turmas jurgium ex levissima causa exortum ad illud sedandum juvenem ex tabernaculo elicit, adventantem pila in incertum exonerata medium ferit, & miserandum in modum extinguit. Auctor multitudine latuit. Sed casus multitudinem commovit universam, quæ non sine lacrymis, & planctu infelicissimum funus est prosequuta.

B 54

Mors Antonii Trivisani.

C

Interim *Germani* amplo jugum circumdant vallo, quod ad formam stellæ compositum inde nomen habuit, jamque machinas, & justum præsidium acceperat, quando *Priolium* ad illud tentandum repens occasio compellit. Fortè per eos dies milites, qui ædiculam *Fojani* tenebant, nonnullos à *Stella* longius progressos intercepere, ex quibus ad Imperatorem unum, aut alterum adducunt. Hi munitionis ejus formam exponere, tignis illam, & cratibus potius, quàm solida constare, opus tumultuariè absolutum ultimam manum adhuc expectare: præsidium verò ab omni oppugnationis suspicione alienum nihil minùs, quàm arma cogitare; quare si illuc ducat copias, & paulùm adniti velint, feliciter rem cessuram ostendunt. Accipit conditionem *Priolius*, & communicato consilio cum reliquis Ducibus, ut rei periculum fiat, inter eos convenit. Ad hoc *Corsorum* cohortes *Justiniano*, & *Epirotarum*, quot satis esse videbantur, *Balioneo* traditæ. Eques peditum vestigia jussus legere. Ubi ad castellum pervenere, primam *Corsi* impressionem faciunt, quibus acriter exceptis, in multam horam certamen trahitur. Pro se quisque id, quod quisque potest, edit, ferro ferit; machinæ obstrepunt, boat cælum fremitu virûm, & sulphurei spiritus halitu nebula constat. Cadunt utrinque multi. Tunc scalæ momento temporis vallo admotæ, & audaciores hosti propinqui facti illum ab aggere nituntur propellere: obsistunt Præsidiarii, atque in ea altercatione *Corsorum* vexillifer, qui jam in munitionem pedem intulerat, caput glande transfixus in præceps deturbatur. Quæ res *Venetorum* animos infregit plurimum, atque ardorem propemodum extinxit. Donec Ducum hortationibus, & exemplo solicitati iterum oppugnationem instaurant. Sed *Germani* cum se undique *Venetorum* armis obsessos, atque penè obrutos animadverterent, fu-

Fortalitium Stellæ Veneti oppugnant.

D

E

F

55

mo discrimen suis significant. Quare cum ex vicino Imperatorio confestim moverent illi, & ab *Gradisca* electissima manus in auxilium properaret, ne ex hostium arbitrio belli aleam subire cogerentur *Veneti*, paucis suorum desideratis, uno agmine ad *Fojanum Sontio* transmisso *Farram* rediere. In hunc modum *Stella* deseritur, quæ deinceps *Gradiscanis* rebus afflictis verè salutare sydus effulsit: nam arcem è mediis *Venetorum* manibus extorsit, & gentis nomen in posteros auxit.

Res gestæ ad Pontebam.

Dum *Veneti* circa munitiones tempus terunt, fama repens aliò vertit bellum. Fuit *Venetorum* pagus inter *Alpium* extrema, qui *Ponteba* dicitur. Ibi ex Carnis *Villacum* versus via patet: quæ importandis, & adducendis mercibus æquè à *Germanis*, & *Venetis* ad eam usque diem frequentabatur; nihil ad loci habitatores pertinere arbitrantibus, si interim subjectum *Fori-Julii* latus universum bello arderet; quæ inter vicinas gentes agitata partibus studiis fovebantur; & solemni juramento *Veneti* mutuo, & *Germani* se astrinxerant, neutros alteris injuriam illaturos: quare solutiori custodia agebant, & mercium pretiosa (veluti prius in tranquillissima pace fuerant) per compita viarum dispersa incolarum fidei demandabantur: utrosque fefellit *Ferdinandus*, misso illuc *Gulielmo Smeitio* Anglo cum valido peditum numero. Is primo impetu *Ponteba* capta mercibus incustoditis suos ditat: nulla ibi distinctio, *Germanus*, *Venetusve*: cuncta in militum avaritiam cessere. Habitatores fuga dilapsi rumoribus, & querelis universum *Forum-Julium* solicitant. Sed *Smeitius* præda, & loco contentus, quò facilius occupata tueretur, utrumque aditum pagi munit, duabus ibi collocatis munitionibus; altera ad *D. Rocchi Clusiam* versus; altera in ulteriori parte, quæ *Malborghetum* respicit. Ferunt, hanc mali procellam multis ante diebus prævisam, & *Mauroceno* Rectori pridem nunciatam. Sed ille jam tum longa valetudine implicitus publica negotia ministris demandaverat, qui acceptis literis stulta dissimulatione imminentem cladem aspernati, dum remedia differunt, universam penè Provinciam hostibus prodidere: quippe per eos non stetisse certum est, quò minus cuncta *Glemonam* usque hostes potirentur; qua subacta,

Die 4. Augusti.

56 haud difficulter reliqua propemodum *Fori-Julii* jugum acceptura videbantur: adeò ubique incustodita omnia sine milite, sine machinis. Sed Superi tunc pia Provincialium vota audivere, qui hostium animos ad obvallandam *Pontebam* adegerunt, alienissimo tempore: omissis interim militaris disciplinæ documentis, & *Ferdinandi* præceptis posthabitis, qui *Clusiam* super cuncta occupandam publico diplomate demandaverat. Est ea Arx non longè à *Ponteba* abruptis montium angustiis imminens, quas levi machinamento occludit, & ex eo *Clusiæ* nomen tenet: ex quo loco modica militum manu omnis à *Germania* vis in *Carnos* irrumpens nullo labore poterat cohiberi. Sed tunc imbelli custode asservabatur, qui armis, & milite destitutus, nec primum *Germanorum* aspectum sustinuisset. Occupatio *Pontebæ* quantùm longè ab omnium suspicione aberat, tantò magis *Venetorum* animos perculit, & non levis suberat indignatio, hostem ad suarum rerum defensionem propemodum imparatum subitò in tantum audaciæ crevisse, ut ultrò etiam alienis inhiaret. Quod eos magis movebat, erat *Clusiæ* Arcis periculum; quare quàm primùm illuc *Foscarenum* Legatum mittunt lecta peditum acie, & *Antonini*, *Manzanique* equitatu firmatum.

A Legatus in ipso itinere *Franciscum Martinengum* Utini tunc fortè commorantem sibi adjungit. Ibi ad *Foscareni* copias pedites CD. accessere ex novissimo paganorum delectu, quem *Utini* fecerat per eos dies *Nicolaus Gualdus*, rei militaris in ea Urbe Præfectus. Is ingentem agrestium multitudinem armis instruxerat, & ad omnes armorum usus comparaverat; quorum deinde opera *Veneti* in hoc bello felicissimè usi sunt. Cæterum operæ pretium erat videre, quo concursu, & hominum favore eam expeditionem ageret *Foscarenus*. Non *Utini* tantùm, sed ex agris, & vicis ordines effusi milites accipiebant;

B victui necessaria efferebant; nec laudibus, nec votis parcentes. Illi inter plausus populorum euntes ubi primos *Alpium* saltus attigere, ab eorum locorum gentibus omni charitatis officio cumulantur: nam præter hospitia ex publico data, & commeatus liberaliter præbitos, ubique cives voluntate militiam amplexati reliquæ aciei se conjunxerunt. Quod à *Glemonensibus* primò factum, reliqui deinceps *Ventionenses*, & *Tulmetini* studio inter se certantes imitati sunt. Ita brevi ex his numero, & viribus valida manus efficitur. His præsidiis auctus *Foscarenus* ad *Clusiam* properabat: quò ubi

C pervenit, intelligit *Smeitium* circa novas munitiones moram nectere. Ibi *Martinengus* suadet, ut tanquam militum animos nudaturus, suos ad flumen Legatus adducat: hoc inter *Pontebam*, & *Clusiam* decurrit. *Corsi* fuere, qui capiendi pontis provinciam suscipiunt; hos penè *Foro-Julienses* insequebantur. Strata erant, & aspera viarum saxis undique obsepta: inter ea amnis torrenti similis præcipiti cursu volvitur: jungebantur ripæ majoribus tignis, quæ confestim disjiciunt *Germani*, & circa ulteriorem oram effusi eam moschetis defensuri accurrebant. Igitur *Corsi* inter saxa, & crepidines dispositi

Die 13. Augusti.

57 Fines Austriacos ultra Clusiam Veneti devastant.

D ingenti glandium fragore hostes ad pugnam provocant. Sed hi flumine, & naturali loci situ tuti, quo veluti aggere quodam tegebantur, placidè admodum primos illos furores excipiunt, plumbum tormentis, lapides manu intorquebantur, & paulatim crudescente pugna inter pilarum strepitus jurgia, & injuriæ miscentur: sic usque ad noctem hinc inde sedentes, atque in modum muliebrem altercantes certamen tractaturos apparebat, nî paucorum ardor eam ab *Venetis* ignominiam eluisset. Fuit hæc *Glemonensium* cohors, quam inter reliquam auxiliorum turbam *Horatius Pramperus* adduxerat.

E Hi propria virtute, sed Ducis in primis oratione accensi, atque etiam auctoritate impulsi, ubi pro ripa tempus terentes *Corsos* animadvertunt, facto impetu, & per semisupina sociorum corpora adnitentes, primi omnium ausi flumen trajicere in ulteriorem partem ferociter obrepunt. Ibi perturbatos, & novo facinoris stupore trepidantes invadunt. Tum *Corsi*, ne ab novo milite superarentur anxii, in apertum desiliunt, trabes disjectas jungunt, & ingenti clamore cum *Glemonensibus* procurrentes *Germanos* facilè loco propellunt: nec mora, reliquæ *Ventionensium*, & *Tulmetiensium* copiæ si-

F gna inferunt: & non ponte tantum, sed vado, & aquis hostis quæsitus. Legatus interim de suorum ardore certior factus *Marcum Antonium Manzanum* cum suæ gentis equitibus immittit, eo consilio, ut pediti ulterius progresso tutior esset recessus, neque enim ejus diei lætiorem fortunam sperare ausus erat. Sed jam hostis prima *Venetorum* impressione fusus in proximam munitionem se receperat. Eam ad Divi *Rocchi* exstructam memorabamus. Ibi postquam ex fu-

fuga animum collegit; novo, & frequentiori auctam milite aciem iterum in discrimen adduxit. Nec *Venetus* numero inferior pugnam declinat. Ubi res cominus agi cœpta est, tunc *Italicæ* virtutis splendor enituit, impar *Germanus* illicò concidere, aut terga vertere. Supervenit *Manzanus*, qui in labantes invectus omnem illam aciem ocius dicto dissipat: fit cædes, & fuga; munitio extemplò capitur, pereuntium

Munitio Divi Rocchi à Venetis capta.

58 clamore, tormentorum strepitu omnia circumsonant. Illi qui inferius Castellum ad *Malborghettum* tenebant; audito tumultu, & suorum agmen dissipatum conspicati; priusquam hostiles gladios jugulo admotos haurirent, ante cunctos fuga præcipitantur, & stationem *Venetis* diripiendam relinquunt. Instat acriter *Manzanus*, & eodem impetu utrumque præsidium dispergit: tanta pereuntium patientia, & vecordia, ut nullus adversis vulneribus conciderit, quodque mirum alicui videbitur minus XL. equitibus stragem illam accumulavit. Neque ambigitur, si cum *Manzano Antoniniani* accurrissent, nullum ex tanto numero elabi potuisse. Sed eam virtutem tanquam expertam in sui custodiam maluit retinere *Foscarenus*; unde *Manzano* decus auctum, & hosti pernicies imminuta. Non paucos in ea trepidatione solertia juvit, argenteis nummis de industria projectis, quò persequentium impetus veluti obice posito intercideret.

Sic clarissima parta victoria, occidente jam Sole *Manzanus* Pontebam repetit, ubi Legatum, & alias copias offendit: mistæ gratulantium voces, & dexteræ. Laudata Ducis, & militum virtus; nec *Corsi*, aut *Glemonenses* merita gloria fraudantur. Præda omnis recuperatur; ferri, & argenti vivi immensa pondera publico ærario reservantur. Viliora quilibet rapuit. *Ponteba* nono die, postquam ab Archiducalibus possessa est, *Venetis* iterum adjungitur Idibus Augusti. Inter prædam diploma *Ferdinandi* venit ad manus aureo signo, & Principis subscriptione clarum, cujus verba hæc propemodum fuere.

Ponteba Venetis adjungitur.

Serenissimus Archidux Ferdin. Austriæ, &c. Gulielmo Smeitio Ductori.

Diploma Ferdinandi Archiducis Austriæ.

Junctis consiliis cum Adamo Traumistorfio Croatiæ militum Duci, qua maxima poteris diligentia, Clusiam Arcem, quæ Pontebæ adjacet, occupandam curabis: cui deindè Pontebam ipsam adjunges. His ex sententia in potestatem adductis Traumistorfius copias è castris, & necessaria quæque submittet, quibus Glemonam aggrediaris. Hæc te summa taciturnitate exequuturum speramus, ut nostræ voluntati non modò, sed opinioni etiam, quam de te concepimus, satisfacias.

Grætii IX. *Kal. Junii* M DC XVI.

Die sequenti *Antoninus* cum equitatu in fines *Austriacum* missus *Malborghettum* habitatoribus

Die 14. Augusti.

59 vacuum occupat, inde *Trevisam* usque discurrit. Antiquum fuisse *Tauriscum* aliqui memorant. Aderat præsidium ad custodiam loci, quod majora aliquot tormenta in *Venetos* exonerat: sed ubi propius hi successere, subitò *Germani* sive præsenti hostium aspectu perculsi, sive hesternæ pugnæ memoria attoniti, tanto pavore consternantur, ut muris, & propugnaculis diffisi,

Malborghettum ab Antonino occupatum.

A raptim reseratis postibus intentiori fuga in vicinum montem se receperint: qui pridem mulieres, atque pavidam omnis ætatis turbam acceperat. *Antoninus* loci munitionem ingressus machinas, quas non potuit asportare, omnes corrupit. Habuit quidem *Trevisa* præter turres, & loricam aggere obseptam, majora tormenta currulia duo, minora verò, quæ moscheti vim excedunt, quamplurima: *Spingiardas* dicunt. Supererat præter hæc ciborum ingens copia, supellex pretiosa, & ædes omnium bonorum affluentia refertæ, quæ patentibus januis avidas militum manus alliciebant. Sed *Antoninus* frau-

Ab eodem & Trevisa.

B dem veritus, quia equites in præda occupatos facilè posse circumveniri existimaret, militari non minùs, quàm generoso consilio usus, ab omni direptione suos prohibuit, & nihil de tot divitiis præter tormenta bellica asportari passus est. Sed hostes fuga dilapsi cuncta terroribus implebant, adeò ut *Villacenses* deditionem pararent, ut postea compertum est.

Foscarenus inter hæc cum reliquis copiis *Antoninum* insecutus *Malborghetti* consederat: ibi de *Trevisa* edocetur, & in quo statu sint res Archiducalium accipit. Diù inter Duces certatum, an *Trevisa* retineretur; ea non procul

Quæstio, an Trevisa sit à Venetis retinenda.

C abest à *Villaco*, quam loci commoditas in primis frequentem facit, unde in *Italiam* expedita itinera duo porriguntur: alterum per mediam Pontebam *Carnos* montanos, alterum per ripas Natissæ *Caporetum* petit. Hoc sicuti priori Volumine dicebamus, & militares copias, & commeatum omnem *Gradiscæ*, & *Goritiæ* usque ad id tempus dederat: quare ad præsens bellum videbatur maximè pertinere, si *Veneti* valido illùc ducto præsidio omnem cibariorum spem ex ea parte hostibus præriperent; quibus ideò unica tantùm via relinquebatur inter montium anfractus, & perpetuos saltus *Lubianam* versus,

D quamque oneribus importandis minùs commodam scirent. Accedebat, quod novo circa *Trevisam* exorto incendio, necessarium erat, ut *Ferdinandus* magnam partem copiarum illuc admoveret, *Villacum*, & vicina loca defensurus; quod *Gradiscanis* rebus opportunum nemo non videbat. Sed contra disserebat *Martinengus*, *Trevisam* montibus, & præruptis torrentium alveis ab *Italia* divisam, his intumescentibus nec 60

commeatus, nec militis eò traducendi, aut traductos diutius retinendi facultatem dari. Illos sub inimico cælo, & ab hostibus undique septos posse ante deleri, quam fortunarum suarum sta-

E tum suis significarent. Itinera sine his impedita relinqui exciso saxo, & fluminis ripa corrupta. Præterea regionem illam universam ad *Bambergensis* Episcopi ditionem pertinere, qui licet *Ferdinandi* Imperio subditus, nulla tamen hostilis animi documenta in *Venetos* demonstraverit; cuique in primis irruptionem illam in *Pontebam* displicuisse fama ferebatur. Incommodo igitur Reipublicæ tempore *Germaniæ* Principes irritari, à quibus nullo damno afficiantur. Quo meliori argumento causam suam *Venetos* defensuros, quàm si sua repetisse contenti, ab omni prorsus se injuria abstineant?

F Placuit igitur omnem curam de *Trevisa* relinquere, & iterum inter confines *Pontebæ* copias reducere: negotio de excidendis viis commisso *Nicolao Gualdo*, cujus supra mentionem fecimus; & *Antonino* demandatur, ut iterum in propinqua excurrat, ne qua fraus hostilis in opere impeditos excipiat.

Dum *Veneti Pontebam* repetunt, incertum casune, an militum scelere, deserta domorum igne corripiuntur; trabes, & lignea materia, quo

Incendium Pontebæ.

quo mercimonio locus ille refertus eſt, flam-
mam altius recepere, quæ ab ipſo principio va-
lida, & vento diffuſa, brevi omnem eam par-
tem pagi abſumpſit, quæ flumine diviſa *Ponte-
bam* verſus extenditur. Ædificia plura ea lues
ſolo æquavit, nulli parſura niſi aquæ propè ma-
nantes, & vacuum Cælum occuriſſent.

Pedem referentibus *Venetis*, *Germanus* ani-
mo, & viribus firmior *Treviſam* repetit. Eò
Carolus Techius ex *Carinthia* advenerat, equi-
tum cohorte ſecum adducta. Itaque incolæ
circùm diſcurrere, excubias diſponere, aditus
viarum cuſtodire, quando *Antoninum* appropin-
quare nunciatur. Obequitabat hic vicina loca,
ſuos in demoliendis viis tutaturus; & explora-
tores ante miſſi omnia pacata referebant. Illum
ut vidit *Techius*, ratus, hominem facili negotio
à reliquo exercitu poſſe intercludi, peditibus
Sclopettariis, quoſcunque habuit, per compi-
ta viarum miſſis jubet, ab tergo ut *Venetos* ado-
riantur: ipſe extra portam equeſtri acie educta
conſerendæ pugnæ ſpeciem oſtentabat. Non
longè ab infortunio fuerat *Antoninus*, hinc ab
equitibus, illinc à pedeſtri globo circumven-
tus, quando ad periculum animoſior factus ar-
ma ſuis jubet expedire; in his ſpem omnem e-
vadendi repoſitam. Igitur fit clamor, & uno
61 impetu in *Techium* irrumpentem feruntur. Sed
is acie in ſe tendere animadverſa, incertum,
qua ſubita territus re, illicò medio montis cli-
vo, quà venerat, curſum inhibuit; ubi extra
teli jactum poſitus eam audaciam ſatius duxit
admirari, quàm experiri: quo cognito *Antoni-
nus*, ne, dum cum equite tempus terit, à pe-
ditatu interim interciperetur, coacto repens in
orbem agmine, eoque perpetuis, & latioribus
recurſionibus explicato, ante ad fauces viarum
pervenit, quàm ſe loco moviſſe ab *Techio* cre-
deretur. Ibi ſolo aſpectu Sclopettariis, qui
propè aderant, perculſis, cunctos retrò trepi-
dantes *Treviſam* adegit. In hunc modum ille
ſingulari conſilii, & fortitudinis exemplo ab
imminenti cæde ſuos eripuit, quos ad unum
potuiſſe deleri, nemo eſt, qui neſciat, ſi Duci
minus audaciæ, hoſti plus virtutis adfuiſſet.

Inter hæc *Nicolaus Gualdus* bonam partem
viæ præciderat, quæ ex Treviſa *Caporetum* du-
cit. Hæc ferè univerſa ad alveum *Natiſſæ* vi-
vo monte exciſa antiquæ magnificentiæ decus
referebat. Opus olim magnis impenſis, &
ſummo labore abſolutum, ſive à Barbaris in
Italiam irruentibus, ſive à *Romanis* rerum do-
minis, qui notabili inſuper addito munimento
ea Provinciæ clauſtra uſque ad noſtram tempe-
ſtatem firmavere. Fuit illud modicum Caſtel-
lum inter viarum anguſtias non longè à *Capo-
reto* ſitum, in quo, ut cætera prætermittam,
murorum ambitus, portæ, ſtationes militares
ferè omnes ex unico ſaxo ſpectantur, *Cluſiam
Imperatoriam* dixere *Germani*, quò à *Veneta* di-
ſtinguerent; ſed illa loci dignitate, & ædificii
ſtructura longè *Venetam* antecellit. Cæterum
Imperatoria, Treviſana via corrupta, & paulo
poſt *Caporeto* capto, ut referemus, nulli uſui
hoſtibus fuit. Siquidem ubi primum de recu-
peratione *Pontebæ* nuntius in *Venetorum* caſtra
perlatus eſt, decrevit *Priolius*, ut *Caporetum*
extemplò tentaretur. Illuc miſſus *Triviſanus*,
& *Joannes Martinengus*, Franciſci Nepos, cum
magna copiarum parte: hoſtes ad omnes belli
caſus paratos offendunt. *Sclavi* inquilini mu-
nitionem tenebant, & *Germani* illuc miſerant
equites CL. pedites M. paulo minus, qui loci na-
tura tuti *Venetorum* arma contemnebant. Sub
horum adventu mapalia, & paſtorales caſæ ex-
A tra vallum poſitæ occupantur. Inde fit impe-
tus in aggerem: impigrè accepti à præſidio, &
miſſilibus res agi cœpta, quando *Martinengus*
igneas pilas in objectos jaculatur. Harum u-
ſum, & formam Superiori Libro docuimus;
quæ latentem flammarum vim in apertum evo-
mentes, repentè omnia militaria opera, & proxi-
ma tecta incendio depopulantur. Multi ibi-
dem mortales abſumpti: quare loco cedentes 62
Germani facilè à *Venetis* propelluntur. Plena
hoſtium jam cuncta erant, nihilominus victi re-
ſiſtunt, & intra aggerem pugnam reſtituunt
maxima ſanè animorum ſive virtute, ſive obſti- Caporetum à Venetis captum.
B natione: donec LXX. eorum cæſis, reliquos in-
gruens multitudo extra portam dimovit. Tunc
ab equitibus excipiuntur, à quibus fuſi, pro-
fligatique per rupes illas, & montium anfractus
effuſiſſima fuga præcipitantur. Victores agge-
rem igne abſumptum reficiunt, & duo nova
Caſtella in vicino colle exſtruunt, ne qua per
pontem, aut *Cluſiam Imperatoriam* incommoda
accederent. Aberat is pons brevi intervallo à
Caporeto, quà *Sontius* per abrupta decurrens *Go-
ritiam* adlabitur, unico duntaxat fornice ex co-
cto latere ad pedes XXII. per quem ex *Treviſa*,
C atque adeò univerſa *Germania* frequens excurſus
in *Italiam*. Sed *Veneti* paucos ante annos eam
viam interdixerant de vectigalium ſuorum da-
mno ſoliciti; quæ inde non parùm imminui ſen-
tiebant, quia merces liberiori mari permiſſæ,
facilè vitata Urbe, in reliqua *Italiæ* emporia di-
labebantur; ſecus futurum rati, ſi eo aditu ob-
ſtructo cuncti negotiatores in unam *Pontebam*
cogerentur; quibus ſic per medias *Fori-Julii*
planities *Portum Gruarium* iter facientibus nulla
in poſterum effugia ſupereſſent. Qua diligen-
tia *Auſtriaci* offenſi parum abfuit, quin ab omni
ferramento Urbem prohiberent; ſiquidem novo
ab his inter ſaxa, & verticoſos aquarum recur-
D ſus itinere reſerato, faciliori deinceps, quan-
quam longiori acceſſu *Goritiam*, moxque in *Ter-
geſtinum* ſinum mercium pars melior adduceba-
tur; atque ab eo loco *Venetiarum* pelagus emen-
ſas *Ravenna* aſſiduè, & vicinæ Civitates excipie-
bant. Sive igitur veteri hac injuria permotus
Priolius, ſive præſenti rerum uſui inſerviens,
quò omnes hoſti intercluderet aditus, pontem
univerſum diruit, & viam ſubvertit ad *Impera-
toriam Cluſiam*, quæ ideò inter duos belli ter-
rores poſita nec *Auſtriacis* opportuna, nec *Ve-
netis* ſtetit incommoda.

Cæterum *Traumiſtorfius* hoſtium fortuna, & *Menſ. Sept.*
ſecundis eorum præliis commotus in dies majo-
rem periculi ſenſum hauſerat: vix militem pa-
E vidum, & laboribus, morbiſque conſumptum
intra munitiones continebat. Viſum eſt igitur
Caſtellis, quæ ante tentatam Gradiſcam *Podi-
goræ*, & noviſſimè ad *Farram* poſuerat, diligen-
tiùs communitis, fluvium copias trajicere, an-
tequam victrices cohortes illæ ex *Ponteba*, &
Caporeto cum reliquo *Venetorum* exercitu con-
jungerentur. Itaque caſtra movet ex *Liciniſio*,
ſed tanta animorum trepidatione, ut à manife-
ſta fuga vix ſuos retineret. Nec defuere, qui
affirmarent, ſi *Priolius* cedentes inſequutus fuiſ- 63
F ſet, memorabili victoria illius diei memoriam
potuiſſe inſignire: ſed *Traumiſtorfius* ad id ani-
mum adjiciens periculum anteverterat, diſſipa-
tis ante rumoribus, ſe cum univerſo exercitu ad
repetendum *Caporetum* properare, quod non
modo à perſequendo agmine *Priolium* retarda-
vit, ſed ſtimulum non mediocrem homini inje-
cit, ne quo detrimento ſui nihil tale opinantes,
& numero inferiores afficerentur: quare quàm
primùm cum univerſis copiis illuc *Erizum* Le-
ga-

gatum jubet pergere, paucis tantum ad tuenda castra secum retentis: ille ad prælium instructus, & de summa rerum confligere acie paratus iter carpit; nec ante *Traumistorfii* fallaciam deprehendit, quam à suis *Caporeti* exceptus, eos longe ab omni periculo esse, intelligit. *Traumistorfius* interim ligneum pontem (hunc contra *Licinisium* excitatum dicebamus) trajecerat; eoque post traductum exercitum dissoluto in adversa ripa incolumis consederat. Ibi loco inter fluvium, & mœnia *Goritiæ* ad figenda castra delecto, ea nullo prohibente enixè munienda curavit: ad hæc ripæ *Sontii* usque ad *Vipavum* vallo, & continua militum custodia adversus omnes *Venetorum* impetus firmantur. Mille passus ultra *Licinisium* pons fuerat antiqui operis, cujus in prima *Justiniani* expeditione mentionem fecimus: huic in citeriori ripa adjungebatur turris ex cocto lapide in mediocrem altitudinem assurgens. Celebre illud antiquorum Provinciæ Ducum monumentum. Eum pontem *Traumistorfius*, quia *Podigoræ*, & reliquis *Germanorum* munitionibus, sed *S. Martino* in primis opportunus apparebat, per quem commeatus continenter, & auxiliares manus in ea loca adducebantur, excitato circa turrim aggere, suorum præsidio tuendum committit. At *Priolius*, Austriacûm discessu cognito, extemplò *Licinisium* invadit, quò *Trivisanum*, quò *Erizum* post absoluta *Caporeti* opera, cum exercitu accersit; ibique deinceps veluti belli sedem figit.

Licinisium fit de juribus Venetorum.

Ita *Venetorum* armis *Caporeto*, & *Licinisio* occupatis, quatuor sola loca (si *Gradiscam* excipias) cis *Sontium* fuerant, quæ *Germanorum* auspiciis adhuc tenebantur. *Farra* sub oculis *Priolii*, *Podigora* cervicibus imposita, *Vipulzanum*, & inter montium juga *Sanctus Martinus*. Hæc ut opprimerent *Veneti*, priusquam *Gradiscæ* vim inferrent, præsens rerum conditio admonebat.

Podigora obsessa.

Sed *Podigora* præcipuè *Licinisio* imminens non sine ingenti eorum damno, ne dixerim dedecore debuit ulterius ferri, igitur ad eam primò exscindendam summo ardore copiæ educuntur.
64 Quò ubi miles pervenit, certatim unusquisque vallum adoriri, alius scalas muro admovere, alius saxa, jacula incutere: moschetariis propè fossam locus attributus, unde glandes cominus intorquerent. Ala equitum terga tuetur. *Venetos* fortuna, & parata toties victoria, *Germanos* desperatio, & ultima rerum necessitas agebat. Ubi impetus illi primi frustra cecidere, res ad obsidionem vertitur; interclusæ viæ, & stationes die, noctuque custoditæ omnem evadendi spem hostibus præciderant. *Balioneus* huic negotio præficitur.

Interea *Maurocenus* Patriæ Rector longa morbi violentia afflictatus in Urbem concesserat; in cujus locum *Andreas Paruta* ad paucos dies suffectus novam *Utinensium* manum non aspernandam in castra duxit. Fuerunt equites CC. pedites D. qui voluntarii, & propriis sumptibus instructi suum erga Rempublicam studium desiderari non sunt passi. Hos ad majora destinatos immodicæ pluviæ, & infelix Autumni tempestas, quæ subsecuta est, non multò post *Utinum* revocavit.

Sed *Germani*, qui *Podigoræ* includebantur, ubi per imbres continuos laxatam obsidionem intelligunt, noctu per neglecta dilapsi ad suos rediere, paucis eorum intercurrentis fluvii vorticibus demersis. Ferunt servatum præsidium ab ejus loci indigena, qui primus inter rariores custodias evadens, post se filum itineris ducem subsequentibus militibus disposuit, quale olim

A de *Theseo* factum legimus. *Balioneo* vix post multum diei hostium fuga innotuit.

Farræ Venetis deditio.

Podigoræ casum sequitur *Farræ* deditio, quæ non sine labore, & sanguine parta est. In hanc copias ducere pergit *Justinianus*, & currulibus admotis per decem continuos dies castellum premit. Contra eam pestem cum nec vires, nec animus hosti sufficeret, ultrò compositionis *Venetos* admonet. Cautum fœdere, ut præsidium armatum *Gradiscam* dimitteretur. Pedites DCC. dimissi, fœminæ LXX. quatuor ibi tormenta muralibus minora, & annona ad multos dies inventa.

Vipulzanum oppugnatum dat Venetis nomen.

B Ea molestia liber *Justinianus* sibi *Vipulzanum* deposcit. Hunc locum primo belli tumultu ab eodem *Justiniano* frustra tentatum memorabamus, sed tunc majoribus copiis rem aggressus, non nisi expugnata munitione abiturus accesserat. Aciem omnem bifariam divisam ubi sub vallo adduxit, ex duabus partibus oppugnationem instituit, constitutis utrinque majoribus tormentis, quibus continua glandium rabie obsessos defatigabat: quare brevi omnis murorum ambitus dehiscens, per stratum ruinæ locum haud difficilem *Veneto* transitum præparabat: 65
sed *Austriaci* omisso muro; in interiorem domum se recipiunt, ubi majori animorum, quàm
C virium conatu omnem illum oppugnationis apparatum diutiùs sustinuerunt. Salutem protraxere rimæ multæ & meatus cæci ad hos usus ante in parietibus dispositi, per quos omni sclopettorum genere discusso *Venetos* propius accedentes gravius vulnerabant: sic per plures horas illius, & sequentis diei certatum est; donec *Corsi* per patefactum ruina iter irrumpentes, desertam militibus arcem, quæ ante domum fuerat, obtinuere. Tunc *Germanus* in ultimum discrimen adductus de deditione verba fecit. Permissi abire milites inermes, & locus
D à *Justiniano* receptus est.

Unum *S. Martini* Castrum supererat, sed ejus oppugnatio curam faciebat *Priolio*: siquidem præcipiti montium accessu positum, quò per continuos viarum flexus vix pediti pervium patebat iter, nec machinis peti, aut corona posse cingi satis apparebat. Spes erat reliqua, si auxilia intercluderentur, quæ per pontem, de quo loquebamur, illùc adducebantur. Ad vias explorandas mittit *Illyricorum* alam *Detrico* parere assuetam. Hæc non longè ab oppidulo subvecta in hostilem equitum globum impegit. Sed *Illyrici* impigrè in objectos effusi facilè
E *Germanos* jam vinci solitos deturbant; plures abduxit fuga, quàm ferrum extinxit, pauci ab *Venetis* desiderati, inter quos *Detrici* Locumtenens, qui tunc manipulares suos ducebat. Ita *Veneti* multiplici victoriarum numero elati in dies meliora animo concipiebant, & ne quid præsenti felicitati deesse videretur; ecce tibi nuncius, qui *Matthæum*, Priolii filium, *Romæ* agentem à Summo Pontifice Cardinalem renunciatum exponit; quæ res & senem parentem, & universum exercitum non mediocri lætitia cumulavit. Sed hæc brevi, ut fluxa sunt humana, & variis casibus obnoxia, sequens fortuna in

Matthæus Priolius Cardinalis creatus.

F luctum immutasse visa est. Namque *Priolius* in dies magis de *S. Martino* solicitus, quò facilius *Germanos* à collibus dejectos inter ripas suas inclusos detineret, mandat *Justiniano*, ut pontem in potestatem redigat, aut saltem tormentis corrumpat. Ille locum inspecturus cum *Trivisano*, & *Ludovico Estensi* versus turrim ibat uno, aut altero pedite comitante, jamque eminenti colle steterant, unde pontem subjectum, & munitionem ante turrim positam oculis metiebantur;

Mens. Octob.

tur; dùm ſermone tempus fallunt, & ſingula
ſpeculantes ulterius pedem conferunt ab hoſtili
moſchetorum manu repentè excipiuntur; hæc
inter vepres, & flexus viarum deliteſcens non
66 prius incautos petiit, quàm ad certum ictum
Mors Justiniani.
deſtinatos animadvertit. Inter eos unus *Juſti-*
nianus glande trajectus proſternitur, quo vul-
nere non multò poſt mortem oppetiit: vir in-
gentis animi, & qui modicis fortunæ exordiis
patientia ſola, & ingenio in ſummam militaris
ſcientiæ opinionem pervenerat; gloriæ ſupra
quàm dici poteſt avidiſſimus, ex quo fiebat, ut
audacius, quàm dignitas ejus expoſceret, ſe
continuè periculis committeret. Multa antè
hæc tempora inter *Belgas* paſſus, ubi ſiniſtro
brachio amiſſo, præclaram fortitudinis & pru-
dentiæ laudem obtinuit. Sub *Gradiſca* verò
nulli gregario militi diſſimilis inter primos or-
dines, & ſtridentes pilas dies, noctesque ob-
verſans, ſuo exemplo rudes tyronum animos ab
omni periculi ſenſu avertebat, ubique mortis
contemptor, quam, dum minus credidit, in-
felici fato aſſequutus eſt. Publico funere *Vene-*
tiis cadaver traductum tumulatur: additus tu-
mulo honos, ſtatua equeſtris, & uxori, & fi-
Menſ. Novemb.
liis annua ſtipendia aſſignata. Sed *Priolius* ni-
hilo ſegnius pontem aggreſſus hunc extemplo
parat ſubvertere. Locus ſiſtendis tormentis e-
ligitur, ubi *Juſtinianus* eſt interfectus. Is flu-
vio imminens *Germanis* latè vim intentabat:
fruſtrà interim reclamante *M. Antonio Man-*
zano, qui proximum *Plumæ* jugum propè ſu-
pra capita demonſtrabat, atque illud per ſum-
mam ſecordiam hoſtibus relinqui querebatur.
Namque ex eo loco & *Venetos* vexare, & *S.*
Martino ſubvenire poterant *Auſtriaci*. Negle-
ctum conſilium *Manzani* rerum eventus, & ho-
ſtium diligentia comprobarunt. Ubi enim pri-
mùm *Venetos* ad ripam *Sontii* occupatos vident,
valida peditum cohorte traducta, monſtratum
cacumen præripiunt, & operibus cingunt. Hæc
cum *Venetis* inſpectantibus fierent, & facili ne-
gotio adhuc prohiberi poſſent, aſpernabantur
tamen, & fatali quadam obſtinatione munitio
Plumæ augeri permittebatur; quæ viris poſtea,
& tormentis inſtructa perennem uſque ad hanc
diem *Venetorum* fortunam non retardavit modò,
ſed fregit etiam aliquando feliciter.

Priolius inter hæc eo, quo dicebamus, tu-
mulo tormenta ſtiterat, & locum aggere cir-
cùm excitato muniebat; quem ubi ad juſtam
altitudinem perduxit, omnem illicò machina-
mentorum violentiam in pontem effudit. Hic
tabulatione & tignis conſtratus, pilis quadrati
lapidis quatuor innitebatur. Opus ad fluminis
impetum ſiſtendum ſolido ædificio elaboratum,
quod ingruentibus per tot ſecula aquarum vor-
ticibus objectum eam firmitudinem habuit, ut
67 ferocientes glandium procellas tunc etiam faci-
lè potuerit ſuſtinere. Siquidem integris octo
diebus ſine intermiſſione horribili tormentorum
A fragore moles concuſſa nec loco ceſſit, nec di-
rupta corruit: trabes tantùm motæ, & tabula-
tum disjectum, quo per noctem repoſito *Ger-*
mani in turri neceſſaria quæque ſubvectabant.
A principio non mediocri terrore *Auſtriacûm* a-
nimos perculerat hujuſmodi oppugnatio, &
jam de novò exſtruendo ponte conſilia cœperant
agitare. *Goritiani* verò de ſuis rebus ſoliciti ca-
riora pignora *Lubianam* deſtinabant: ſed ubi
conatus *Venetorum* irriti apparuere, & lætior
ſpes inter tonitrua, & fulmina exanimatis re-
fulſit, jam omni cura exuti ultrò ignaviam *Prio-*
lio objectabant. Sed is poſtquàm incepta mi-
B nùs procedere, ſuoſque inani labore diutiùs de-
fatigatos animadvertit, ne longius hoſti ludibrio
foret, aggerem jubet dirui, & tormenta *Lici-*
niſium aſportari. Id timoris argumentum inter-
pretatus *Traumiſtorfius*, plures immittit pedites,
qui circa machinas occupatos invadant. Senſit
Priolius audaciam, & illicò lectiſſimum ſuorum
globum objicit. Pervenerant *Germani* ſub ju-
Germanorum fuga ſub jugum Plumæ.
gum *Plumæ*; incertos quid rerum agerent, in-
vadunt *Veneti* tanto ardore, ut nec primam
impreſſionem ſuſtinuerint: fuit fuga, non pu-
gna, pauci cæſi, reliqui per avia montium, &
ſylvas elapſi ad ſuos irrepſere. Sed nec toties
C victi adhuc ſe munimentis continent *Auſtriaci*.
Sæpius ripas erumpunt, & quia aperto Marte
non poterant, per inſidias *Venetis* quotidiè pe-
ricula intentabant.

Plura exinde damna illata, quibus ut aliquan-
do modum imponeret *Priolius*, ad vadum flu-
Caſtellum Priolium.
minis, quod brevi locorum intervallo à *Farra*
diſtat, Caſtellum ampliſſimo vallo cinctum qua-
tuor propugnaculis erigendum curat, *Priolium*
ab Imperatore dictum; quo nihil ſub id tem-
poris excogitari potuit *Venetorum* rebus magis
opportunum. Quippe hoſtis ab ea planitie
prohibitus, rariores in poſterum incurſiones
D faciebat, & commeatus, qui illùc ante liberè
intercurrebant, lintribus deinceps, & navigiis
impoſiti majori difficultate *Gradiſcam* importa-
bantur.

Hic ultimus in Provincia *Priolio* labor fuit;
qui ætate gravis, & morbo tentatus, ubi ſuc-
ceſſorem à Senatu obtinuit, rerum geſtarum
fama, & propria virtute inclytus in non dubiam
ſpem Principatus *Venetias* eſt reverſus.

Inter hos tumultus novus Patriæ Rector *Jo-*
annes Baſadonna intervenit. Is *Utini* jucundiſ- 68
ſimis animis exceptus, brevi conceptam de ſe
ſpem ingenti rerum tractandarum prudentia ſu-
E peravit. Siquidem turbulentiſſimis temporibus
Provinciam adminiſtrans pacis, & belli jura ſin-
gulari quadam ingenii dexteritate ita conjunxit,
ut, in quo magis populis ſubditis conſuluerit,
vix poſſis judicare. Urbem æquè, ac caſtra
frequentavit, armatus non minus quàm togatus
Patriæ utilis; Provinciæ verò etiam neceſſa-
rius; quo præſente nec belli incommoda, nec
pacis licentiam *Foro-Julienſes* agnovere.

Libri Tertii finis.



69 # LIBER QUARTUS.



PRiolio *Antonius Landus* suffectus est: vir morum facilitate, & rerum tractandarum dexteritate nulli secundus, gravis eloquio, & oris majestate conspicuus; sed gratiorem faciebant clementia, & facilitas, & animus à cæde abhorrens, quæ inter armatas manus summa cum fide exculta militares illos spiritus, & fortium virorum pectora arctius homini devinxere. Tunc *Joannes Mediceus*, magni *Cosmi* filius, in castra vocari placuit. Is patrio, avitoque splendore clarus *Belgis* pridem, & *Germanis* illustrem virtutis suæ memoriam fecerat. *Veneti* mox gloriæ, & novi decoris avidum ad stipendia traxerant, & in Urbe retinuerant diutius: donec *Justiniano* sublato, & bello circa *Gradiscam* recrudescente, ejus viri operam necessariam duxere. Igitur Castrorum illi officio supremo demandato, ad exercitum ire jubent, qui secundum *Landum* cuncta deinceps administravit. Sed uterque novis occurrentibus negotiis *Venetiis* per multos dies detentus est.

70 Interim exercitus per Legatos regebatur *Franciscum Erizum*, & *Joannem Baptistam Foscarenum*, acres viros. His accesserat *Franciscus Martinengus*, post interfectum *Justinianum* ad id muneris à *Priolio* advocatus. Inter eos vero sic convenerat, ut nihil ante *Landi* adventum, nisi summa urgente necessitate, aggrederentur; scilicet loca omnia, quibus insederant, firmis tenebantur præsidiis, & nihil periculi à *Traumistorfio* apparebat, si ipsi ab inferenda injuria se continuissent. Sed eam nimiam securitatem, inopina hostium audacia non parùm postea disturbavit; quippe & hi per eos dies copias auxerant, accepto peditum, & equitum supplemento à *Ferdinando*; illud *Henricus Dual* Gallus, *Amperii* Comes, adduxerat. Impiger hic corpore, & animo ad militare decus elato, sed patrio vitio in primis fervidus *Traumistorfium* continuè solicitabat, ut copias tandem ex aggeribus deduceret, longam hominis patientiam haud leviter perstringens: sedendo, atque spectando usque ad illam diem animum hosti addidisse, suis animum, & vires fregisse; si solis munitionibus bello finis imponendus erit, sibi ad eas ripas prius senescendum fore; non aleam universæ pugnæ suadere, ad quam se imparem cernit; subitas irruptiones, nocturnos terrores proponere, quibus tranquillum *Venetorum* otium divexarent aliquando: & clades per cessationem acceptas inexpectatis cladibus ulciscerentur.

Die 19. Novemb. Austriaci Castra Veneta in villa Romani invadunt.

Ferocienti *Amperio* nocturni excursus permittuntur. Primus *Galli* impetus in *Romanum* pagum, quo ante *Lucinisium* insessum *Venetus* equitatus ferè omnis pernoctabat: quare locum vallo, & fossa in eum usum pridem cinxerat *Justinianus*. Mox equestri acie abducta, quia impar miles ad munitionis universæ custodiam relinquebatur, placuit ædes *Bugarini*, loci ejus domini, propugnaculis cingere, quæ postium firmitudine, & murorum ambitu conspicuæ medio vici attollebantur. Eas *Gabutius* Centurio tunc tenebat cum agresti juventute circa *U*-

A *tinum* collecta. Sed præter hos aderant Cataphracti, quotquot ex morbis æstatis prægressæ supererant; & Ferrati nonnulli hospitum mensis, & sub tecto vivere assueti: qui adhuc intra primum vallum omni propemodum nudatum milite se continebant. Hæc ex incolis cognoverat *Amperius*. Igitur expedito equitum agmine extra portas *Gradiscæ* noctis silentio educto, jussisque post se CCC. peditibus subsequi, rectà pagum pervenit; ibi paucis inventis custodibus, quos primo impetu obtruncat, cum omnibus copiis munitionem primam penetrat. Secunda erat vigilia, quod tempus mortales profundissi- 71
B mo somno premit, & equites in lectulis jacebant, quà periculi, quà disciplinæ militaris immemores. Quare inopino perculsi terrore ad primos hostium strepitus fugam capessunt; atque ideò pauciores trucidati; furor omnis in loci habitatores versus est: nullo discrimine aut sexus, aut ætatis; eam suis novatæ proditionis mercedem referentibus *Austriacis*. Quin etiam mapalibus ignis injicitur, quo latè pagus devastatur. Haud dubium, si milite *Amperius* locum cinxisset, cunctos potuisse intercipere. Sed dum turbatis ordinibus, equites pediti intermisti ad prædam disperguntur, elabendi occasio-
C nem *Venetis* præbuere, qui sine armis, & nudi propè omnes, ut quosque pavor egerat, *Marianum* se recipiunt; atque in hunc modum Cataphractorum nomen penitus deletum, qui nunquam in posterum refecti sunt. Pauci tantùm fuere, qui firmioribus muris tuti, ubi in ultimum vitæ discrimen se adductos intelligunt, defensionem parant, quod in salutem cessit, deducto in lucem certamine. Non eadem fortuna *Amperio* circa domum *Bugarini*. *Gabutius* ibi veteranus miles, qui ubi primus clamores hostium hausit, sine ulla trepidatione *Foro-Julienses* suos instructos in aggere collocat. Ipse
D inter primos decurrens *Germanos* subeuntes sustinet; neutris cedentibus, atrox oritur pugna. Ab *Austriacis* plures cadunt, inter quos celebrioris nominis *Polus* antesignanus. Interim dies illuxerat; quare *Amperius* veritus, ne periculo suorum admoniti accurrerent *Veneti*, collecta equorum & armorum ingenti præda, *Gradiscam* repetit. *Martinengus* tunc fortè aderat *Mariani*, quem senem quamvis, & podagra laborantem tumultus non longè ab *Amperii* copiis traxit: suorum verò paucitate diffisus ab omni certamine abstinuit. Sed *Trivisanus* juventa fervidus, & equitum robore fretus, quibus impe-
E rabat, illicò suos ad vindictam excitat; quos postquàm ad bene agendum inflammatos cognovit, eodem die in ulteriorem ripam traducit. Prima occurrit *Vallonum* statio, vallo & fossis cincta. Hanc defensores sub primum impetum deserentes, per aversam portam *Goritiam* feruntur. Pauci tantùm deprehensi, qui armis ad se tuendum explicatis, dum in hostem dirigunt, ab *Illyricis* misere confossi sunt. Sed rumor interea vicinum *Germanorum* exercitum, atque *Amperium* ipsum, & *Marradam* ad loci recuperationem solicitat. Jamque extra vallum signum eruperant: quando *Trivisanus* facinoreконтен-
F tus, qua venerat celeritate ad suos revertitur, atque ibi ad vadum disposito milite, accurrentes *Germanos* ultra fluvium cohibet.

Inter hæc *Joannes Mediceus* venerat in castra: 72
sub cujus adventu *Martinengus* hominis præsentia

Die 12. Decembris

tia offensus, cum quo antiquas exercuerat simultates, *Utinum* concessit; atque ibi fuit, donec discedendi facultate impetrata in patriam profectus est.

Sub id temporis etiam *Ludovicus Estensis* missionem obtinuit, Cataphractis omnibus deletis, ut dictum est, quibus præerat, quamquam non defuere, qui crederent *Estensem* cessisse, ne *Mediceo* subderetur, quæ falsa esse, ipse non multò post demonstravit ad exercitum cum Imperio reversus.

Hyems aderat, sed qualem superiori anno fuisse memoravimus, nullis ventorum, aut imbrium tempestatibus incommoda. Quare nulla interim miles quiete fruebatur, sed quotidie fermè hinc *Veneti*, Mediceo impellente, illinc *Germani*, Amperio solicitante, per eam planitiem, quæ vado contermina est, tumultuosa, & leviora magis prælia, quàm magna conserebant. Noctibus ad id *Sontio* à *Germanis* emenso, sub ipsa munitione *Priolia*, qui interdiù cædibus, & excursionibus omnia perturbabant.

Ann. Domini 1617.

Principio sequentis anni *Nicolaus Contarenus*, cujus viri ingenium, & virtutem abundè demonstravimus, in locum *Foscareni* Legatus ad exercitum mittitur. Hic jussu Senatus vices Imperatoris absentis cumulatè posteà persolvit: quo tempore *Ferdinandus* Archidux conventibus per *Noricum* agendis intentus, pecuniam, & supplementa in præsentes usus exposcebat. Ipse verò *Lubianam* adventans bellum de propinquo loco administraturus videbatur: quod non præstitit aliis curis districtus. Prima *Contareno* ingenii exercendi occasio fuit Ferratorum turma

Die 14. Januarii.

à *Germanis* sub his diebus oppressa. Hæc *Hieronymo Todino*, Cremensi Duce, *Crauliis* in hybernis se continebat, qui pagus *Gradiscanæ* ditioni subjectus longè ab Oppido passus III. M. aberat, & ideò leviori, aut nulla custodia asservabatur, quæ loci habitatores *Traumistorfio*, ut pleraque alia subinde referebant. Is, *Marrada* cum lecta militum manu ad illas copias delendum misso, incautos per tenebras facilè perdidit. Equites capti viginti, Subpræfectus, quia sumptis armis se defensabat, glandibus absumptus. *Todinus* cum reliquis beneficio noctis

Factum notabile cujusdam captivi.

exempti per agros disperguntur. Clara fuit ea expeditio unius captivi miraculo, quod quò rarius per nostra tempora, eò magis illustre. Fuit is ignotæ sortis homo, equitum servitiis assuetus, qui ex morbo in pueritia suborto mutus evaserat. Hic inter reliquam prædam *Gra-*
73 *discam* tractus diutius per ludibrium de *Venetorum* rebus percunctatur. Ubi nullum dari responsum vidit *Amperius*, sive illud oris contumaciam interpretatus, an quia sic reliquos captivos ad redemptionem festinandam crederet posse solicitari, jubet homini caput præcidi. Lictor aderat, & stricto ferro imminebat; quandò ille tanti periculi sensu exanimis subitò in vocem prorumpens: *Maria fer opem*, dixit; & hoc primùm effatus nunquam in posterum linguæ vitio laboravit. Ea novitate attoniti concaptivi, rem, ut erat, edocent: facta fides verbis, & miser dimittitur: qui postea ad Proceres *Venetos* perductus ea, quæ gesta sunt, enarravit. Quod sive ex occultiori naturæ impetu evenerit, quale de *Crœsi* filio accepimus, sive divini Numinis jussu factum fuerit, quod potius credendum, omnium certè animos stupore, & religione perfudit.

Cæterum animo angebatur *Contarenus*, quòd hosti audaciæ tantum accessisset, ut sub ipsis *Venetorum* oculis, atque inter septa armis undique munimenta lectissimam cohortem adoriri, ac penè delere potuisset. Stimulum addebat, quòd horum facinorum culpam omnem ad *Austriacos* inquilinos pertinere animadverteret: quare severo non minùs, quàm necessario consilio usus, omnem illam agrestium hominum multitudinem ante bellum *Germano* parere assuetam cum liberis, & uxoribus ultra fluenta *Tiliaventi* jubet asportari: nempè ea sola via eorum audaciæ, atque inexplebili in *Venetos* odio posse occurri. Frustra usque ad id temporis facilitate ac clementia exceptos, quos hostes immites quotidiè, & actionum suarum exploratores cognoscerent. Illi ergo longè ab omni patrii soli charitate inter fidelissimas *Venetorum* clientelas ablegati, discant jam tandem perfidiæ modum imponere, & quos proditionibus exercere non desierint, precibus deinceps, & lacrymis defatigent. Ductores omnes eadem fremere. Et vera dicebat *Contarenus:* nam ea fuit illorum hominum in *Venetum* nomen contumacia, sive dixeris erga *Austriacos* Principes fides, & obsequium, ut nunquam ullis minis, aut irritamentis à *Germanorum* commercio potuerint coërceri. *Gradiscam* verò & continuè frequentabant, & commeatibus illuc importatis usque ad extrema belli sustentarunt. Ex quo fiebat, ut quotidiè *Germani* de hostium consiliis edocti facilius ad omnes casus se compararent. Lubet hoc loci facinus audax mirandum interponere; quod sub initiis hujus belli admissum, quales indigenûm animi erga Rempublicam forent, satis declaravit.

Cum primùm *Veneti* copias *Mariani* collige- 74
rent, *Corsi*, qui prius in *Istria* stipendia meruerant, ad id bellum destinati in sinum *Montisfalconis* appulerant, inde ad exercitum tendentibus locorum, & itinerum prorsus ignaris, rusticus *Austriaco* solo natus ducem se præbet, quem fortè in via deprehenderant; hic ubi homines provinciæ insuetos animadvertit, præclarè secum actum iri existimans, si illas primas belli victimas patriæ immolaret, de industria *Mariano* præterito, rectà *Gradiscam* pergit, illic miseros facilè inclusurus. Nec longè aberant à nece, quandò sub ipsis propè *Gradiscæ* mœnibus à *Venetis* intercurrentibus agniti non sine ingenti utrorumque admiratione ad suos reducuntur. Talibus igitur irritatus injuriis *Contarenus* facilè in eorum perniciem accendebatur; quem in sententia persistentem *Foro-Juliensium* primores circumsistunt. Singuli orare, obtestari, de sua re agi. Illos suorum agrorum esse colonos, quibus abductis prorsus de fortunis suis actum esset. Sat ex præsenti bello calamitatis, & infortunii hausisse. Illud esse unius, aut alterius crimen, sed multitudinem quid meruisse? quibus delinitus *Contarenus* ægrè tandem passus est se exorari. Illud subinde jactans, indomitas illas belluas non noxæ eximere, quia Rempublicam prodidissent, sed noxæ damnatas fideli *Foro-Juliensium* obsequio donare; atque hujuscemodi fuere tunc inter duos exercitus certamina latrociniis potius, quàm pugnæ similia: quæ aliquandò imitatus *Thadeus Colesicchius*, Croatorum peditum Ductor, *Sontium* ausus superare

Die 26. Januarii.

Sdrausinam oppositum *Gradiscæ* pagum subito impetu captum dirimit, & pedites, qui illic aderant custodiæ gratia omnes vivos capit; quin & spectatæ nobilitatis fœmina *Goritiensis* ibi deprehensa, quæ ad *Contarenum* adducta statim dimittitur. Auxit *Germanorum* damna *Nicolaus Gualdus*, qui iterum *Caporetum* missus ad reliquias viæ tollendas, si quæ ad ripas fluminis adhuc supererant, *Tulminum* usque penetravit, obvia cuncta hostiliter diripiens, evastans.

Interim *Mediceus* ubi unam *Priolii* munitionem

nem ad hostes ultra flumen coërcendos non sufficere animadvertit, novam aliam paulò supra instruxerat, quam à forma *Testudinem* dixere. Inter hanc & *Prioliam* vadus erat *Sontii*. Sed eo posito impedimento ira magis accensa, quàm animus imminutus *Germano*. Nam veluti ex desperatione atrocior factus, majori quàm ante unquam conatu eruptionem parat. Lux erat dubia ante Solis exortum, & aër nubilosus prospectum omnem ademerat, quandò in citeriori

Munitio Testudo dicta.

Die 30. Januarii.

75 ripa equites Ferrati quadringenti consedere, Ducibus *Traumistorfio*, & *Marrada*. Pedites totidem equorum dorso subvecti, quos non longè à munitionibus paulò ante memoratis inter vepres, & salicta, quibus locus abundat, in insidiis collocant. Sed re feliciter ab equitibus confecta, nulli propè usui fuere. Eques infestis signis *Licinisium* ire pergit. Hos ubi adventare cognovit *Mediceus*, indignum ratus, insultante *Germano*, suos continere, ut potuit melius, aciem explicat. *Illyricorum* ala præmissa. Ferrati CC. sequi jussi, quos *Camillus Trivisanus* tunc ductavit. Extrema agminis reliquæ *Illyricorum* turmæ claudebant. Missis interim ex *Corsico*, & *Italo* peditatu CCC. qui vineta loco proxima ad omnes casus insiderent. Sed *Germani* nihil inde perterriti cuneo facto in erumpentes audacter feruntur. Eminus tormenta discussa prælium provocant, acrius instare *Germani*, quos armorum pondera tutabantur. Contra *Illyricorum* corpora glandibus aperta. Quare, ubi illas in se crepitare animadvertunt, illicò equis in orbem actis, primos illos impetus de more nituntur eludere, quod dum incautè nimis exequuntur; in *Trivisanum* impingunt, qui cum Ferratis subsequebatur. Inde cunctis ordinibus turbatis, usque ad ultimum agmen est trepidatum. Certamen nihilominus non intermittitur, multis hinc inde cadentibus. *Traumistorfius*, & *Marrada* vulnerantur, & *Foliæ* vexillifer cum signo capitur. Attamen loco movebantur *Veneti*, & *Illyrici* potissimùm tanto impetui impares signa in castra referebant: tunc pedes inter vineas dispositus cominus in apertum ausus descendere, in non dubiê victores *Germanos* sclopettos exonerat. Excepta ea pestis ab hostibus inclinatis capitibus, donec universa in aëre deferbuit. Hinc armis, & loco superiores universam illam multitudinem avertunt; pluribus saluti fuit *Licinisii* munitio: unde machinis excussis tergo inhærentes depelluntur. Ea glandium procella *Joannes Folia*, Vallonum ductor, interficitur. Sed *Germani*, uno signo capto, & pluribus abductis captivis, à nullo insequuti ad suos rediere. Ex *Venetis* supra L. sunt desiderati. In his, qui vivi in potestatem hostium pervenere, fuit *Raphaël*, Justiniani filius, puer propemodum, & eo die pugnæ spectator cum pædagogo suo extra castra prægressus. Sed non multò post recipitur, *Vilerio* Jesuita in ejus locum restituto, qui per eos dies *Veronæ* captus sub custodia tenebatur. Moverat Ductores *Venetos* inexpectati illius certaminis eventus, qui imparatos & nihil tale suspicantes penè oppresserat. Sed *Contarenus* potissimùm, & *Mediceus* discruciabantur, quod

Prælium inter Venetos, & Austriacos.

Joannes Folia Vallonum ductor interficitur.

76 victo toties, fusoque hosti tantum sive virium, sive audaciæ superesset; ad id remedia quæsita. Domus erat media planitie non longè à mœnibus *Gradiscæ*: hanc ad majorem altitudinem excitatam in speculæ formam adornant: vallo etiam, & fossa ad munimentum additis. Illic certi homines destinati, qui de hostium excursionibus determinatis ad campanam ictibus suos admonerent: quò, omnibus necessariis prius ad pu-

Die 2. Februarii.

A gnam comparatis, & ordinibus ex sententia instructis, minimo copiarum incommodo irruentes deinceps exciperent. Ea diligentia quies data militibus interdiù; sed nocte nihilominus trajiciebant *Germani*, & quà copiæ *Venetorum* neglectim hybernantes intelligerent, raptim impetu facto adoriebantur. Pagus *Chioprii* ad hunc modum tentatur. Sed *Manzaniis*, qui locum tenebant, egregiè se defendentibus, audaciæ pœna in auctores versa est.

Die 3. Februarii.

Inter hæc *Contarenus*, consilio à *Priolio*, & *Justiniano* pridem agitato, animum adjicit, ut de *S. Martino* periculum faciat subita & inopina

Locum S. Martini Veneti parant invadere.

B oppugnatione: delecti ad id de toto exercitu quicquid roboris erat, pedites M. paulò minus. Equites additi *Antoniniani*, & quos *M. Antonius Manzanus*, *Carolus Strasoldus*, & *Gualterius Spilimbergius* ductabant, quingenti ferè omnes. His copiis ad secundam vigiliam *Vipulzano* egressus *Mediceus* ante lucem sub loci muro pervenit. Quod supererat noctis, in explicandis ordinibus insumptum. *Antoninus*, *Manzanus*, & *Strasoldus* jussi ad earum viarum aditus subsistere, quæ *Goritiam* ducunt. Pedes fossæ admotus. *Spilimbergio* extrema agminis demandata. Secum duxerat *Mediceus* tormenta duo (à

Die 5. Februarii.

C forma Mortaria passim vocant) quorum usus est in portis reserandis singularis. Nam ubi nitrati pulveris copia eorum cava repleverint, ore in portam obverso clavis, & machinamentis tabulæ compingunt; funiculo subinde ad ignem paulatim hauriendum accommodato: quare ubi serpentes flammas machina exceperit, continuò ingenti cum sonitu erumpens latè compagines omnes, & claustrorum pondera demolitur. Atque his fretus *Mediceus* expugnationem tentaturus accesserat; sed scalas quoque plures militibus distribuerat, ut quo tempore mortaria postibus affixa strepitu, & ruina loci præsidium

Tormenta bellica Mortaria dicta.

D solicitarent, illi scalis admotis summa mœnium evaderent. Quæ in eum modum disposita, ut melius à peritissimo duce disponi non potuerint, fortuna ut pleraque cætera frustrata est. Fuit casa non longè ab eo loco, ubi pedites restiterant, in agrestes usus exstructa, & tunc fortè rusticus in ea somno demersus jacebat, qui non multò post *Venetorum* adventum 77
expergefactus, visa multitudine, per medios hostes nescius, quò evaderet, in fugam se conjecit. Proximi, quid rerum esset, incerti protinus accurrunt. Manu, verbo sistunt; quæ non sine aliquo armorum, & corporum motu

E fieri potuerunt. Ex tàm levi causa, quod in bello sæpè contingit, omnis benè agendi occasio periit. Nam *Sclavi*, qui locum custodiebant, rumore exciti, lumen ex propugnaculis proferunt, omnia certè præter id, quod erat, suspicati. Sed *Veneti* inde se deprehensos existimantes, continuò circa primos ordines tumultum ciere, qui ab iis, qui ponè sequebantur auctus, cuncta pavore, & formidine replet: donec omnes concitatiori fuga dissipati sunt. Auxere terrorem equi ad mortaria importanda præmissi, qui, trepidantibus magistris, ex eorum manibus elapsi, dum præcipiti decursu ex

F altiori loco per viros, per arma concitati feruntur, latè ingentem multitudinem prosternunt. *Mediceus* dum suos retinet, & inanem esse metum ostendit, à fugientium impetu humi obvolutus vix resurgendi spatium habuit. Soli equites, qui viarum angustias insederant, audito tumultu, suis auxilio accurrunt. Ibi *Mediceum* cum paucis offendunt. Inde pedes revocari cœptus; qui ubi primùm diluxit, errore simul cum tenebris discusso, tandem ad locum re-

revertitur. Sed *Sclavi* jam periculo commoti frequentes in muris aderant. Portam in primis firmant, & caudatis, quæ vocant, tormentis horrenti cum sonitu exclusis de præsenti discrimine suos admonent. *Venetus* contra, pavore deposito oppugnationem instaurat; & jam *Colosicchius*, qui semper *Mediceo* adhæserat, scalam muro admovebat, dignum suæ virtutis facinus tentaturus. Tùm Barbari pinnis, & propugnaculis tuti omnem illam vim irridere, saxa, & glandes in subjectos intorquere. Sensit periculum *Mediceus*, & iniquiori illa conditione suos pugnare non est passus: quare receptui canere jusso, inde copias quàmprimùm *Cossanum* abducit. Fuerat is pagus *S. Martino* proximus; commodum substiterat, quandò *Amperium* suis auxilio accurrisse intelligit, secum abducta equitum ala, & Aiduchis quadringentis. Jamque pedites *Corsi*, & *Petrus Tritonius* cum *Antonianorum* parte, cui tunc ille præerat, extra pagum provecti, primos illorum impetus impigrè excipiebant. Occasionem amplexus *Mediceus M. Antonium Manzanum* cum *Cividalensibus* mittit, qui prælium sustentet, & *Nicolaus Gualdus* cum hastatis ad fauces pagi jussus properare. Erant arcta viarum, & Aiduchi ab equitatu longè progressi in locum iniquissimum
78 pervenerant. Unde nec à suis subveniri poterant, nec pedem sine periculo licebat referre. Quare in ambiguo deprehensos superveniens *Manzanus* loco facilè movet. c. qui primi agminis fuerant, interclusi; atque ad unum omnes cæsi, & signum militare captum. Cæteri per montium abrupta dispersi, ingenti accepta clade evaserunt. Quominus omnes interciderent locorum asperitas fecit, quæ *Strasoldum* cum equite ad terga præmissum propius accedere nunquam passa est. *Amperius* ubi pedites absumptos, fugatosque vidit, actutum cum equitatu se subduxit.

Quibus satis ex sententia gestis, alia subinde spes *Mediceum* excepit. Citatior *Amperii* adventus hostium de *S. Martino* solicitudinem ostenderat, & non levi conjectura posse fieri apparebat, ut aggere circa flumen à solito præsidio denudato, copias omnes ad id locorum traducerent *Germani*; ubi tunc summa rerum esset. Nec providum Ducem fefellit opinio. Nam *Traumistorfius* ratus, *Mediceum*, quandò prima consiliorum malè verterant, loci expugnationem viribus omnibus tentaturum, properè post *Amperium* alias auxiliares copias transmittebat, non aggere tantum, sed circa pontem etiam, quicquid erat virium, detracto. Igitur *Mediceus* prima vigilia dato signo jubet suis, ut sarcinas colligant, & *Cassani* ad fallendum hostem ignibus relictis, ad *Sontium* copias ducit; flumen, ubi prima lux opportunum transitum ostendisset, transiturus. Dum pro ripis auroram opperitur, in ulteriori aggere signa cani exaudita; tùm sonitus armorum, & tormenta discussa curam acuunt; quæ ab hostibus ad terrorem excogitata ex longo intervallo multitudinis speciem faciebant. Et *Mediceus* antiquus Dux, & *Germanorum* artibus assuetus dolum non sensit; sed verè ripas præsidio valido custodiri suspicatus, converso agmine signa *Marianum* jubet inferri.

Nova electio Ductorum exercitus Veneti.

Sub his *Lando* Imperatore ad exercitum veniente, novus illicò Ductorum ordo illuxit. Namque *Balioneus*, qui vulnere ad *Farram* accepto per plures menses militia abstinuerat, tunc demùm recuperata valetudine, cunctis pedestribus copiis à Senatu præpositus est, quem locum nemo antehac obtinuerat. Ad vices

A *Rossii* supplendas missus *Joannes Martinengus*, qui tormentorum curam deinceps suscepit. Equites Ferrati *Cæsari Pepoleo*; leves *Ferdinando Scoto* demandantur; firmis manentibus Illyricis *Trivisano*. *Utini* quoque locum Gualdi *Franciscus Antoninus*, ejusdem Civitatis Patritius, obtinuit, qui singulari rei militaris prudentia, & fide in Principem clarus præfecturam illam, 79
quamdiù bello Provincia exarsit, in Civitate administravit. Quibus sic à Senatu constitutis, illud adjicit *Landus*, ut donec tranquillior cæli status aperitur, & necessaria interim ad bellum comparantur, aliqua quies equiti daretur, quem
B assiduus labor, & expeditiones usque ad eam diem nunquam intermissæ universum penè confecerant. Hujus rei cura *Francisco Strasoldo* committitur (Commissarium inde dicunt *Veneti*) qui ad id *Castilionium*, pagum inter *Venetos* amplissimum, militari disciplina munitum in hybernorum usum universo equitatui egregiè instruxit.

Franciscus Antoninus Utini Præfectus creatus.

Franciscus Strasoldus Veneti equitatus Commissarius.

Dum turmæ reficiuntur, *Mediceus* de irruptionibus ex *Gradisca* solicitus aliud insuper munimentum ad *Brumam* pagum firmat, quod *Landum* nominavit, & præter hoc *Sontio* adhuc proximiora duo: hæc à præsidio illic imposito
C *Græcorum*, & *Gallorum* castella dicta sunt.

Sed nulla diligentia intercludi ab Oppido hostis poterat, nec, quin erumperet, ubi vellet, prohiberi. Crebriores ergo pugnæ quotidiè oriebantur; sed per insidias, ut plurimum vago milite, & furtim manum serente. In hunc modum hyems traducta; quam ubi primùm vernum tempus excepit, antiqua extemplò consilia de cingenda *Gradisca* novum Imperatorem, & Duces reliquos exercuere. Sed rem difficultatibus plenam non satis expediebant. Quippe superiori oppugnatione edocti, conatus omnes in irritum evasuros cernebant, si rationem non
D invenirent, qua auxilia per flumen continuè decurrentia averterent. Hæc verò nusquam apparebat, tuente *Germano* ripas, & munitionibus viis occlusis: illas nisi in potestatem redegissent, nunquam belli finem futurum.

Veneti signa ultra Sontium movent, sed re infecta revertuntur.

In eam ergo sententiam veniunt, ut signis ultra *Sontium* motis, dextera & virtute oppositos aggeres sibi aperiant. Eo periculo ripas quidem *Sontii* oppugnaturos; sed in una ripa facilè duarum arcium mœnia capturos. His *Gradiscam*, & *Goritiam* stare, quibus amissis, illas ultrò ruituras. Referebant speculatores, ex aggere in flumen aditum patere, quem *Germani*
E aquandi gratia fecissent. Ea prima spes rei gerendæ *Mediceo* oblata, qui ad hoc intentus, ubi equitatum omnem, & copias reliquas in unum coëgit, trajiciendi rationem hujusmodi fertur instituisse. *Spataphoræ* ex omni equitatu, quod roboris esset, ala una expleta. Huic memoratas aggeris fauces se penetraturum jactanti prima signa committuntur. Equitibus singulis pedes dorso additus, bipalio, & ligone instructus ad loca complananda. Vestigia *Spataphoræ* insequebantur *Ferdinandus Scotus* cum utroque equitatu. Sed *Trivisanus* cum *Illyricis* agmen claudebat. Interim ad hostem eludendum, quò diversis in locis distentus, ubi plu-
F rimum periculi foret, infirmioribus viribus obsisteret, mittitur *Paulus Ornanus*, Corsorum Ductor, ad pontem tentandum; munitio *Stellæ Cosmo de Monte* demandatur; Castellum *Plumæ Bonmatheus*, Italicæ cohortis præfectus, oppugnandum deposcit; *Colisicchius* cum *Nicolao Gualdo Floreanum* pervadunt, quem locum *Germani* instauratum milite servabant. *Mediceus* quoque sub *Prioliam* munitionem vineis ad flu-

Die 1. Aprilis.

80

enta *Sontii* instructis, VI. muralia locaverat tormenta, quæ ad perpendiculum librata aggerem ulteriorem impensius infestabant.

His in unum modum dispositis, dirigit *Landus* in hostem, jamque machinarum tonitrua ingenti fragore aëra elidebant, & multitudinis clamor, & armorum sonitus admistus *Germanum* suspensum detinebant, quando à *Spataphora* vadus tentari cœptus est. Descensus utriusque ripæ in alveum ad multos passus patebat. Quare ubi *Spataphoras* trajecisset, commodè in eo spatio, quod flumen excavarat, signa potuisset explicare, & *Germanos* pro ripa pugnantes missilibus arcere; dum interim pedites viam equitibus ad summa vadere nitentibus aperiunt. Sed fortuna sub ipsis principiis hominem, & facinus destituit; nam pedes proximo attonitus periculo ad vadum substitit, nec se asportari passus est; quo levi momento omnia perturbantur. Siquidem *Spataphoras* his destitutus, ubi nullum in ulteriori ripa aditum deprehendit, nihil minus cogitavit, quàm per ripam in munitionem impetum dirigere, aut resistentibus vim inferre. *Germanis* ex alia parte tanto armorum motu confusis, quam partem aggeris tuerentur, vix apparebat. Ex quo factum est, ut dum ad omnia intenti nullibi vires integras opponunt, incautos penè oppressisset *Spataphoras*, si rectà ad proximam stationem signa intulisset: siquidem raro milite, & ad pugnam imparato custodiebatur, qui ubi illam belli molem in se conversam animadvertit, nec primo tormentorum sonitu expectato, ripam deseruit vacuam. Saluti fuit *Germanorum* equitum ala, quæ fortè superveniens fugientes ad vallum redire compellit: ibi de superiori loco pugnantes acre prælium cum *Spataphora* instituunt. Trajecerant inter hæc reliquæ equitum turmæ, quas *Scotus* ducebat, & litore effusæ *Spataphoræ* subsidio accurrebant; sed ille tanto periculo impar;
81 postquam aggerem defensoribus plenum, & nullum sibi, nisi per septa armis undique loca, iter relictum animadvertit, extemplò inflexo equo ad *Mediceum* se recepit. Cedentem gravis equitatus subsequitur, soli *Foro-Julienses* diutius pro ripis, modò pugnantes, modò intortis voluminibus hostium ictus eludentes bonam diei partem traxere certamini parati, si cominùs hostis congredi auderet, à quo ubi longè illum abesse cognoscunt, uno, aut altero ex suis desideratis, & ipsi ad exercitum deflectunt. *Trivisanus* quoque paulò supra *Priolium* opportunum transitum nactus, postquam omnia cautè custodiri animadvertit, nullo confecto negotio, suos abduxit. Nec alibi lætior sors, sive illa *Germanorum* fuerit virtus, seu *Venetorum* ad audendum socordia; adeò cuncta ejus expeditionis infeliciter cecidere. *Colosicchius* unus expugnato *S. Floreano*, & præda ingenti capta illius diei molestiam sublevavit.

Batavorum copiæ ad exercitum Venetum destinatæ.

Hac dejectus spe *Landus* nihil momenti sibi aggrediendum existimat, antequàm *Batavorum* copiæ, quæ ex ultima *Frisia* adventare nunciabantur, in Provinciam pervenissent. Nam sub id temporis nationes illæ à Legatis *Venetis* sollicitatæ Reipublicæ in subsidia bellorum legionem integram promiserant. Quam *Joanne Ernesto de Nassau* Duce, navibus impositam per tot dissita terrarum spatia *Italiam* petere rumor perferebat. Porrò non longè ab Ostiis *Rheni* ea classis profecta secundum *Gallici* litoris oram cursum instituerat, qua præterita, dum *Pyrenæum* superat, & Oceano Occidentali emenso, extrema *Lusitaniæ* promontoria lambit, ibi inopinato armorum turbine excepta, ab regiis

A *Hispanorum* triremibus impetitur. Has eduxerat *Philippus*, & circa fretum *Herculeum* ad *Batavorum* manum intercipiendam disposuerat: ne scilicet nova hac accessione *Venetus* auctus de *Austriacorum* potentia convellenda in posterum cogitaret. Sed *Batavi* ubi se in discrimen adductos intelligunt, repentè armis explicatis, & tormentis discussis non inanem eam esse gloriam ostendunt, quam in nauticis rebus hucusque sibi comparaverint. Fugantur *Hispani*, & naves eorum suppressæ aliquot periere. Sic periculo exempti inimicum litus abradentes in *Italiam* perveniunt, & jam superioris maris portus
B omnes legerant, & tempestates evaserant; quandò *Adriaticum* sinum ingressi adventus sui nuncium in Urbem præmittunt.

Landus igitur ad propinquum auxilium intentus continebat in officio *Mediceum* præclari aliquid quotidiè properantem, antequàm *Batavi* reliquo exercitui conjungerentur. Nam si hæ copiæ opperirentur, & secunda rerum for- 82
tuna accidisset, haud dubiè *Ernesti* omnem gloriam fore prævidebat. Sed dum sæpius ad aures Imperatoris obripit, & hostem impunè insultantem objicit, agrum depopulatum, militem interceptum, pellit tandem hominem, ut
C de *Pluma* saltem periculum faceret. Eam provinciam sibi depoposcerat *Mediceus*, in quo honoris plurimum, periculi minimum intelligebat: ad universam verò expeditionem necessaria in primis habebatur. Sed eventus, qui infelix subsecutus est, fortunam *Mediceo* iratam, & veluti de industria ejus conatibus adversantem demonstravit. Ad eam oppugnationem ducti pedites M. & amplius, quibus per stationes divisis tumulum cingit, quo Castellum steterat, eo animo, ut à suis *Germani* interclusi non multò post sine sanguine in manus venirent. Ejus rei gratia pagum quoque proximum, qui inter mu-
D nitionem, & pontem medius fuerat, equitatu firmat: leves CC. fuere sub *Leonoro Gualdo*, quibus addita manus non invalida peditum. Interea imbribus continuis effusis, *Veneti* sub diu expositi vix loca tenebant. Cui occasioni hostis intentus illinc ex ponte, hinc ex *Pluma* decurrens continuè stationes turbaturus advolare. Non diem, non noctem ab armorum strepitu immunem concedere. Quo tempore *Traumistorfius* duobus majoribus tormentis ad eam ripæ partem, quæ ponti conjungitur, dispositis, non levi incommodo pagum afficiebat, ex quo loco etiam equitatum decurrentem sæpius
E lacerabat. Urgebatur nihilominus oppugnatio, & jam præsidium munitioni inclusum ex inopia alimenti manus dabat; quandò *Traumistorfius Amperium* cum valido pedite immittit ultima tentaturum. CCC. fuere, quibus tunc res *Germana* stetit, qui non consilio *Amperii*, quàm fiducia magis ausi in pagum irruere, omnia brevi tumultu, & terrore complent. Repens invasio nec consilio, nec cunctationi tempus dedit. Quare *Veneti*, qui loco tuti facilè in objectos poterant missilia intorquere, & sine ullo incommodo appropinquantes propulsare, subito metu perculsi in apertam fugam, se conjiciunt;
F jam non sub nocte, ut aliàs evenerat, aut insidiis deprehensi, sed interdiù & aperto Marte petiti. Peditibus immisti equites per portam adversam in montem feruntur, quos fugientes ubi videre illi, qui sub tumulo munitionem circumsedebant, de suis rebus actum suspicati, protinus & ipsi, desertis stationibus, quà cuique proximum erat, dilapsi sunt. Ita *Germanorum* virtute ex hostium manibus *Pluma* erepta militem, & commeatum abundè accepit.

Veneti Plumæ munitionem tentant expugnare.

Die 8. Aprilis.

Die 3. Maji.

83 Post ea fortitudinis decora *Amperius* ad suas artes conversus equitum alam ad formam *Illyricorum* adornat. Ipse *Trivisano* similis armis, & equo progressus per medias *Venetorum* stationes oram illam universam penetrat, cuncta diligenter speculatur, intimorum hostium sensuum haud dubius interpres; otiosè *Gradiscam* revertenti peditum *Venetorum* manus objicitur, qui *Illyricum* equitatum rati ultrò etiam venientibus occurrunt: quare facilè circumventi omnes ad unum cæduntur. Indè ferocia, & animus homini suoptè ingenio ferocienti mirum in modum crevit. Hinc quotidie *Venetis* instare: quietos lacessere; sed illi proximis expeditionibus intentiores ad cavendum facti, nihil temerè deinceps aggrediuntur.

Batavi in Forum-Julium perveniunt.

Sub extremo Maji *Ernestus* in *Istriam* appulerat; unde copias parvis impositas navigiis ad litora *Montisfalconis* pergit exponere. Legio III. M. hominum explebat; qui statura proceri, colore candido, promissa cæsarie; sed armorum in primis, & militarium ornamentorum splendore conspicui, ingentem de se virtutis, & fortitudinis opinionem faciebant. In duas acies eos diviserat *Ernestus*; quarum alteram ipse, alteram *Petrus Raymundus Roquilaureus* Gallus ducebant. Ubi igitur *Landus* de eorum adventu certior factus est, duobus millibus peditum, & quingentis equitibus secum adductis, sub Oppidum *Montisfalconis* obviam procedit. Ibi consiliis communicatis de summa belli deliberant. Capita fuere, ut per vicina *Carsi* juga ingressi oppositum *Gradiscæ* montem occuparent. Eas verò munitiones, quas ibi *Germani* sub principio belli exstruxerant, expugnarent omnes; sic commodum futurum, ut ultra, citraque flumen *Gradisca* obsessa, vel ab inferendo auxilio cessent *Austriaci*, vel totius fortunæ aleam subeant, de qua nihil *Venetis* erat dubitandum, & copiarum numero auctis, & loco opportuniori constitutis.

Die 2. Junii.

Signis ergo moveri jussis, rectà per *Carsum* ad eum montis apicem perveniunt; ex quo *Sontium* arva rapidè secantem, & *Gradiscam* ultra flumen positam oculis deprehendunt. Propè sub pedibus *Imperatorium* Castellum fuerat; A læva munitio *Stellæ*; in dexterum latus *Fœminarum* munimentum.

Munitio Fœminarum Venetæ ditionis.

Hoc primus bellorum labor *Ernesto*; nam subitò militibus admotis corona locum cingit, & tormento nec sanè justæ magnitudinis collocato, aggerem, & portam convellit. Sub primis ictibus præsidium deditionem facit. Pedites XL. in fidem recepti, munitio, quia usui non erat, diruta. Hinc ad *Imperatorium* fit concursus, quod validiori præ-
84 sidio, & firmioribus propugnaculis munitum diutius *Batavorum* impetus sustinuit.

Batavi Fortem Imperatorium cingunt, & capiunt.

In proximo ad radices montis erat *Rubia*, ut à nobis dictum est, arce, quamquam antiquæ structuræ, & *Elignorum* ædificiis, qui villam obtinebant, non aspernanda. *Vipavus* ad Septentrionem, *Sontius* ad Occasum adlabuntur, reliqua murus firmat, qui ad utriusque fluminis ripas per montem deductus sinuosis anfractibus recurrens consitum nemus propè arcem ingenti spatio amplectabatur. Locus olim ad ruris delicias, sed cicurum in primis, & agrestium ferarum pabulis accommodatus. Quo si *Veneti* potirentur, jam nullo repugnante *Vipavum* trajicere, & sub mœnibus *Goritiæ* signa poterant collocare; quod *Balioneum* minimè latuit; qui *Italico* peditatui præfectus, ut dicebamus, bonam suorum partem, dum *Batavi* Imperatorium cingunt, ad murum paulò ante memoratum perduxit; ibi locum diligenter, & præsi-
A dium, quod locum tuebatur, speculatus, petit à *Mediceo*, ut unum, aut alterum *Batavorum* manipulum ad se mittat, quibus se *Rubiam* expugnaturum pollicetur: quippè sub primo adventu *Venetorum*, trepidantibus undique *Germanis*, locus adhuc parva manu custodiebatur, quæ dum à *Balioneo* repetitis nunciis frustra demonstrantur, *Germani* de discrimine anxii alam equitum lectissimam muro admovent, & pedites addunt præsidio, quo locus confirmatus nullis artibus postea potuit superari. *Balioneus* nec re quidem tentata, in superiorem partem montis regressus, ibi locum militi delegit ad ædem
B *Michaëlis*, & tormentis muralibus adornat, quibus *Rubiæ* stationibus diutius in posterum negotium exhibuit.

Copiis in hunc modum in monte occupatis, *Contarenus* Farræ constiterat, ubi præter pedites satis multos, equites D. habuit sub imperio *Strasoldi* Commissarii. Huic se conjunxerat *Joannes Basadonna*, Provinciæ Rector, qui ad eam expeditionem accitus, ingens voluntariorum Nobilium *Utinensium*, atque adeò totius Provinciæ agmen trahebat. Igitur ubi montem à suis insessum vidit *Contarenus*, & *Fœminarum* propugnaculum excisum, omnes eas co-
C pias ultra *Sontium* mittit, quò *Traumistorfius*, novo eo oblato negotio, Imperatorium *Batavis* expugnandum permitteret. *Basadonna* cum *Foro-Juliensibus* suis flumen ingressus primus ulteriorem ripam tenuit, inani interim impetu tentantibus *Germanis*, ex Oppido machinis discussis, transitum prohibere. Inde decursu, quà per planitiem, quà per montem evecti cuncta divexabant: sed muro *Rubiæ* maximè infesti, à quo hostem erupturum crediderant. *Er-* 85
nestus interim murales machinas *Imperatorio* admoverat, & ingenti impetu munitionem quatiebat. Quare defensores ab omni auxiliorum *Die 5. Junii.*
D spe destituti post secundum diem, quo oppugnari cœpti sunt (ducenti quinquaginta erant) *Venetis* fortunas suas, & corpora permittunt. *Ernestus*, qui deditos acceperat, *Goritiam* dimittendos censet; contra *Mediceus* Gradiscam destinabat, ut nova hac hominum accessione commeatus, qui exigui in arce erant, citius absumerentur. Illum data fides & promissa: hunc Reipublicæ utilitas, & belli disciplina movebant. Altercantes dediti composuere, qui accepto stipendio in partes *Venetorum* ultrò concesserunt. Ex hoc parvo initio magna rerum momenta consequuta sunt; nam Duces inde offensi haud levia deinceps inter se odia exercue-
E re; & *Batavorum* non pauci à Germanis corrupti, quos lingua, & mores sociaverant, ad *Austriacos* transire in posterum non dubitârunt.

Capto *Imperatorio*, ad *Stellam* multitudinis animi inclinabant; sed res inter proceres agitata variis sententiis distrahebatur. *Mediceus* ejus oppugnationis periculum se facturum disertè negabat; sine quo *Stellam* non modò, sed *Gradiscam* etiam *Venetis* accessuras jactabat. Sat ferro, sat labori datum, arte, & ingenio, quod erit reliquum transigendum; se pro comperto habere (quæ *Traumistorfii* fuerit in re tàm necessaria singularis segnities)
F utriusque loci præsidio ad non multos dies alimenta superesse. Ea quotidie arctiora posse reddi, si *Antonino* cum valido milite post terga *Stellæ* collocato, transitum hosti ex ea parte prohibeant omnem; unde nulla in posterum impressione ad munitionem irrepat; nisi velit copias universas belli discrimini objicere. Sic brevi futurum, ut utraque munitio commeatu, & auxiliorum spe destituta sub *Venetorum* manibus concidat. Hæc certa: contra in

op-

oppugnatione omnia incerta; periculorum, laborum plena. *Stellam* propugnaculis propè justis, & pleno terræ ambitu cinctam, quem nullus tormentorum furor, nulla militum manus subvertat. Præsidium lectissimum, tercentorum numerum explere. Nudum præterea circa tumulum esse, & asperi soli, nec cespiti faciundo, nec ducendæ fossæ, aliivè ulli aptum operi, quò militi, aut machinis tutus pateat locus ad oppugnationem instituendam. Quæ si cum superiori rerum facilitate conferantur, satis omnes intellecturos, non armis magis, & oppugnatione, quàm patientia, & obsidione munitiones illas posse expugnari. Ad hæc nominatim ab Imperatore *Ernestum* interrogatum hujusmodi orationem habuisse ferunt.

Oratio Joann. Ernesti de Nassau.

86 *Si, ex quo* Gradiscæ *oppugnationem cœpistis, hanc sententiam sequuti, longa illam obsidione pervincere in animo fuisset, nulli dubium, quod voti compotes usque ad hanc diem facti, ad majora præsentem nostram verteremus consultationem. Sed quia tot mensium elapsa occasione, illud nunc ultimò aggredimur, quod à principio faciendum erat, non video, qua militaris artis peritia, sive etiam armorum vestrorum opinione, expeditiori posthabita, lentam modò viam, & vix post multum temporis finem habituram ineatis; in qua sexcenta possunt occurrere, quæ inceptæ rationis pœnitentiam faciant: adeò multa sunt, quæ dies aperit, quæve fortuna temporum momentis accommodata in occulto seponit. Hostium audacia, temeritas, præsidii desperatio; ex* Germania *copiæ auxiliares; adde etiam nostrorum impatientiam, segnitiem, securitatem, ab his inexpectata malorum semina; quibus victoria multo parta sudore non rarò ex manibus extorquetur. His omnibus obviam iri crediderim, si præsentem rerum statum contemplati ad eum animum, & vires adjiciamus; & quandò reliqua benè cesserint, id quod superest fortiter peragamus; nam si aliæ munitiones, nec primum armatorum aspectum pertulere, unde vobis tot nunc difficultates circa unam* Stellam *emergunt? quid eam veluti novum è cælo elapsum sydus admiramini, aut reformidatis? dum miles calet, victoria fervidus exultat, quò velis facilè impellas. At agger deficit. Nempe corpora, & dexteras objiciemus, forti viro tutissima munimenta. His latebras hostium, & insuperabiles illos recessus tentabimus; qui quantumvis densissimo opere cincti, obstinati animi impetum minimè sustentabunt. Cujus rei vobis argumento sint* Imperatorium, *&* Fœminarum *statio levioribus ictibus, & facili negotio disjecta. Illud idem de* Stella *licet ominari, & si quid præclari inter vos permit-* A *titur dicere, etiam spondere ausim, qua capta nullus est, qui non videat vires continuò, & animum Oppidum desertura. Scilicet est arx salutis, & spei attritæ* Germanorum *fortunæ. Illa quamdiu hi potientur,* Gradisca *conatus omnes invicta despiciet, illinc milites, illinc commeatus quotidie acceptura. Contra occupata* Stella, *illam suæ conditionis, & nostræ virtutis admonebimus; nam ad hunc modum inclusæ, & nihil circa se fidum respicienti, expectatio non tantum externæ opis minuetur, sed ultima intus desperatio necessariò crescet. Quæ, si Diis placet, iniquiora in dies faciemus, inclusis illic tercentis illis, qui nunc* Stellam *tuentur.* B *Quo facto non vires additas ad defensionem, sed commeatui partam vastitatem intelligant* Gradiscani. 87 *Hoc compendio* Antoninum *ab omni labore exsolvo, quem si cum equitatu inter aspera montis, pediti vix pervia, nunc abdideris Imperator, næ tu præclarè sine ullo Reipublicæ commodo hominem, & copias perdis; quas à reliquo exercitu divisas verisimilè est intra paucos dies, vel à locorum duritia absumi, vel ab hostili fraude posse dissipari.*

Talia perorantem *Landus* summoperè est admiratus, & non vulgari laudum cumulo tantam virtutem prosequitur. Cæterum fervido juvenis ingenio tutiora consilia tunc præferre non C dubitavit. Nam si copiæ illæ ad *Stellam* aliquo afficiantur infortunio, non ita facilè posse restitui, satis intelligebat. Et præter hæc multa erant, quæ secretioribus agitata sermonibus hominem ab ea expeditione retardabant. Hæc cum in vulgus non manaverint, satius omittenda duximus, quàm inutili curiositate abditas Principum mentes investigare.

Igitur extemplò Imperator CCC. equitibus, & L. peditibus *Antonino* traditis, jubet ut *Dobardò* post *Stellam* positum occupet. Unde hostem, si qua per vallem subjectam in *Stellam* cum modica manu niteretur, commodè prohi- D beret. Reliquæ copiæ per loca *Rubiæ* viciniora distributæ. *Balioneo* ad ædem *Michaëlis* cum ea manu, quam *Landus* adduxit, stativa cessere. *Corsorum* cohortes temporariis navigiis per flumen trajectæ prope *Rubiam* tectis ibi fortè oblatis collocantur. *Batavi* extra *Imperatorium* uni sub diu positi tecta militaria sibi more patrio exstruxerunt. Erant trium pedum altitudine, denis longitudine, lata tribus: pleraque ex cratibus facta, alia arundine tecta, stramento, storiaque intecta; quibus omnis cæli inclementia arcebatur. Citra *Sontium* erat *Contarenus*, qui undique contractis militibus multitu- E dinem omnem *Farræ* coëgerat.

Libri Quarti finis.

88

LIBER QUINTUS.



Veneti nemus Rubiæ expugnandum proponunt.

IN hunc modum dispositis copiis, *Landus*, veluti si jam de *Gradisca* debellatum foret, F per summum otium aggressus murum, quo nemus *Rubiæ* cingi dictum est, illum ante cuncta *Medicèo* expugnandum proponit; nescius qualem laborum, & difficultatum plenam provinciam aggrederetur. Prima adversæ fortunæ omina fuere tempestates, & pluviæ ingentes, quibus per mensem, & amplius milites afflictati vix arma retinebant; quæ res non admiratione tantùm, sed superstitione etiam animos multitudinis imbuit, à qua illud pro certo habebatur, veneficarum fœminarum scelere (quibus regio abundat) cælum quotidiè turbari, quò minùs ipsi voto potirentur. Ad hæc accessit hostis solertia, qui inopportuna illa *Venetorum* cunctatione animadversa, in dies meliora sperare ausus, copias omnes, veteri castrorum loco relicto propter *Vipavum* ad mœnia *Rubiæ* stiterat, ibi de viciniori loco murum, & nemus defensurus. 89

Tor-

Tormenta quoque majora locis opportunis disposuerat; quorum duo ad ripam *Sontii* transitum arcebant; bina etiam ab ea planitie, quæ ultra *Vipavum* est, stativa *Balionei* solicitabant; nec non intra murum par alterum in *Corsos* obversa eorum capita assiduè pertentabant. Sed *Landus* nihil his commotus in incepto persistit. Jamque ex *Imperatorio*; jam ex *Michaële* tormentorum fulmina adacta nemori, & muro infesta volitabant; & arbores evulsæ, & rami collisi majorem stragem, quàm ferrum candens faciebant, quando *Batavi* moræ impatientes viciniorem locum deposcunt. Tecta fuere ante *Corsorum* stationes hosti ferè subjecta; ea *Batavi* invadunt; unde curruli admoto murum pergunt acriter perstringere; qui undique & sine intermissione tactus, ex ea parte universus ingenti cum fragore tandem præcipitat. Capta ea ruina *Rubia* videbatur, quandò *Germana* acies, quam murus hucusque texerat, ad pugnam conferendam instructa inter arbores apparuit; nullibi pavoris, nullibi trepidationis signa; in fronte locati pedites; cornibus, & tergori effusus eques. Inde ad manus ventum, non alio modo, quàm si patenti campo ordines hinc inde explicassent; par utrisque ardor; *Germano*, quia de summa rerum agebatur, desperatio; *Batavo*, quia vicisse crediderat, indignatio animos acuebant. Pugna fuit atrox, qualis inter consertas acies fieri solet. Corpora corporibus, signa signis collata: nec ullus pedem referebat, ne locum vacuum hostis occuparet: quare eò plures vulnerabantur. Multi cadunt nullo irrito intercedente ictu. Interim *Balioneus* de loco superiori machinis stragem ingentem occeperat. Sub oculis erat armorum strepitus, & hostium equites latè silvam implebant. Igitur veluti in aperto deprehensi fœdè lacerantur. Plures arborum frusta, quàm pilæ sustulere; sed nihil inde certamen remittitur: pedites loco, & virtute pares in multam horam pugnam ducunt; quæ cum diù fuisset anceps, *Germanus*, quia non pellebatur, animo subinde crescere; *Batavus*, quia non vicerat, animo, & viribus concidere; & jam paulatim movebatur; quandò hostis repentè clamore sublato in cedentes invectus ruinis implicitos propellit, & trepidantes longè deturbat. Multo sanguine ea dimicatio stetit. Sed *Germanorum* equitum clade in primis clara. *Batavi* etiam plures ex suis amisere, & fortissimos quosque; multi vulnerati. Inter cæteros *Roquelaureus* dum audacius per ruinam obrepit, adversum femur glande percussus cecidit, quod vulnus longa dili-
90 gentia posteà curatum est. Infelix illius diei eventus dissidia inter *Mediceum*, & *Ernestum* jam pridem exorta mirum in modum auxit. Hinc indignato *Mediceo*, quòd *Batavi* eo inconsulto murum subiissent; inde querente *Ernesto*, suos acriter dimicantes fuisse desertos, & propè, quantum in *Mediceo* fuit, per proditionem hostibus deditos; quos in ardore pugnæ debuerat sublevare, aliquo saltem armorum strepitu circumlato, quo hostis territus, aut certè divisus minori animo, & infirmioribus viribus pugnantibus *Batavis* obstitisset.

His inter se altercantibus, affectos animos sublevavit *Traumistorfii* casus, qui ponè sequutus est. Is superiori certamine commotus, in quo universam belli aleam parvo rerum momento stetisse satis viderat, ne iterum per patentes ruinas invectus hostis tale aliquid auderet, aggerem in parte interna molitur, qui per vacua spatia deductus transitum omnem oppugnantibus intercluderet. Dum operi munitores
A intenti Ducis imperium exequuntur, *Balioneus* ex superiori loco, quid rerum illic ageretur, gnarus, extemplò conversis machinis cuncta terrore, & fuga complet. *Traumistorfius* suis accurrens dum vanum timorem arguit, & præsentia pavidos confirmat, unus inter cæteros sive à pila, sive ab arborum fragmine laceratus infelici fato functus est. Ejus interitus iniquissimis animis à *Germanis* est acceptus; qui undique ab hostibus pressi ex eo uno capite tanquam ex certa salutis arce omnium fortunas pendere quàm verissimè existimabant. Porrò sive illud à natura hauserit *Traumistorfius*, sive præsenti rerum necessi-
B tati ingenium potuerit accommodare, illud certum est ingenti ejus viri patientia potius, quàm armorum solertia *Venetorum* impetus usque ad eam diem fuisse sustentatos, quibus per annum, & amplius circa eas ripas callidè frustratis, collapsam *Germanorum* auctoritatem sola ejus opera revixisse, nemo est, qui non intelligat: ut non injuria cautioris Ducis potius, quàm promptioris laudem vel inimicorum consensu obtinuerit.

Mors Traumistorfii summi Ducis Austriaci.

Imperatore amisso, *Marradas*, & *Amperius* in posterum curas belli suscepere. Quæ concordibus consiliis haud infeliciter pertractatæ
C præclaram utriusque virtuti gloriam peperere. Prima consiliorum fuere *Gradiscam* commeatu instruere, quam jam sciebant non leviter inopia laborare. Nondum primus ab infesso monte mensis; & jam alimentis omnibus consumptis, ad repugnantia naturæ manus admovebant. Adeò etiam prudentissimum Ducem inopina *Venetorum* trajectio fefellerat. Quippe longè ab omnium hominum, ne dicam *Germanorum* opi- 91
nione semper fuit, *Venetos* toties à flumine rejectos, quosque diutiùs apud ea litora sedentes illuserant, nunc subitò mutatis consiliis ex *Montefalcone* in *Carsum* præcipitaturos; cujus rei
D nullum ab indigenis, nullum ab exploratoribus indicium prius habuissent. Quod factum fuit, sive quia inter paucos arcana illius expeditionis steterant, sive quia advenientis *Ernesti* occasioni animum tunc primum *Veneti* accommodaverint. Nec desunt, qui referant, omnes illos circa pontem, circa aggerem conatus, tùm *Plumæ*, & *S. Martini* oppugnationes ea gratia à *Venetorum* Ducibus ostentata, quò *Germanus* ad custodiendum *Carsum* incautior, & instruendæ *Gradiscæ* obsidioni necessariis segnior redderetur. Quod eventus probavit.

Ut igitur nova diligentia priorem ignaviam
E corrigerent Duces *Austriaci*, super cuncta ad commeatus Oppido inferendos animum vertunt. Placet rem per fluvium tentare, vel quia eam viam magis compendiosam crederent, vel quia hoc minimo copiarum detrimento fiebat, sed naves per secordiam corruptæ perierant. Ergo conjunctis arboribus rates informes raptim fecere, de nullo alio soliciti, nisi ut aquæ innare, & pondera sustinere possent. Harum quatuor farina, & recocti panis copia oneratas secundo fluminis cursu permittunt, addito custode, & Rectore *Marino*, impigro viro, qui Oppidi præfectus designatus ad sui Provinciam sic
F profectus est. Is nocte à ponte solvens, fortunæ potius beneficio, quàm navigandi ingenio usus, cum duobus lintribus ad portam, quæ sub arce est, incolumis appulit. Reliquæ duæ aquarum vorticibus in alteram ripam actæ apud *Fojanum*, terræ illidunt; quæ, ubi illuxit, à præsidio ejus loci deprehensæ brevi diripiuntur. *Marinus* in arce exceptus spe potius, quàm ciborum apparatu militum famem explevit. Paucis ab his diebus hujus generis naviculas duas in simi-

ſimilem uſum paratas, inſtructaſque commeatu A
Veneti intercipiunt. Hoc ſcrupulum injecit *Lando*, ne plures ſubinde obſeſſis tranſmitterentur, quæ ſuorum diligentiam ſubterfugerent. Viſum eſt igitur ad præſens funibus flumen intercludere; quo rates vinculo exceptæ in manus inciderent. Mox tignis ad fluminis altitudinem comparatis, ea inter utramque ripam, quà vadum proximè apparuerat, duplici ordine collocata machinationibus defixit, & feſtucis adegit; non quidem directè ad perpendiculum, ſed prona, & inter ſe contraria: quorum ordo ſuperior fluminis naturam inſequebatur, inferior obverſis capitibus aquarum impe- B
92 tum excipiebat. His non multò poſt trabes ſuperimmiſſæ, ut dicemus, pontem effecere. Hac contignatione fluvius hoſti prohibitus. Ad ejus cuſtodiam navigiis duobus *Epirotarum* manum præfecit *Landus*; ut gens navalibus pugnis aſſueta, ubi uſus expoſceret, virtutem oſtentaret.

Sed nec ea cura *Rubiæ* obſidio intermiſſa jacuerat: murus quotidie oppugnatur, non à *Balioneo* tantùm, & à *Corſis*, & à *Batavis*; ſed à *Mediceo* in primis, qui tormenta olim ſub prima trajectione ad fluminis alveum collocata, tunc non multo labore in partem muro proximiorem detorſerat; unde & muro, & C
hoſti terribilis inſtabat: à quo non minori ferocia invicem exercebatur; ſed præcipuè fluminis opera infeſtabantur, in quæ ab eo angulo, quem *Sontius*, & *Vipavus* faciunt, continenter pilas præcipitabant *Germani:* idque per totam eam obſidionem nunquam omiſerunt ſtudio magis nocendi, quàm quia incommodum afferrent aliquod ſingulare.

Veneti Vipavum aggrediuntur.

Quæ cum hinc inde pari ardore adminiſtrarentur, *Landus* majoribus intentus *Vipavum* aggreditur. Dividit is *Carſum* à *Goritienſi* ditione profundiori alveo magis, quam latiori; & vado ad *Mernam* incuſtodito, commodè poſſe ſuperari, ſpeculatores renunciabant. Fuerat hic D
pagus ultra amniculum; huic proxima in citeriori ripa vallis amne & monte incluſa; cui *Antoninus* à meridie, *Balioneus* ab Occaſu imminebant. *Stella* inter hos propè *Balioneum.* Quare ſi hoſtis ab *Merna* ad munitionem movebat, per vallem iter ingreſſo ſtationes *Antonini*, à læva primæ occurrebant: inde ad *Stellam* adventanti *Balioneus* ad dexteram aderat; ut nullibi, niſi per *Venetorum* arma aditus illi relictus videretur; quem adhuc, ut univerſum præcluderet, tentabat *Landus*; *Vipavo* ad fauces vallis, ubi vadum fuerat, in poteſtatem addu- E
cto, locoque operibus, & milite munito. Accitis igitur ab *Farra* equitibus octingentis, eos cum peditum parte, quos ad ædem *Michaëlis* habebat, intempeſta nocte ad vadum occupandum mittit; ſed is fluvio fortè ex imbribus aucto, ſui proſpectum omnem ademerat; quod ubi ſenſere *Veneti* vado omiſſo, confeſtim ad pontem, qui *Mernæ* proximus erat, citato agmine feruntur, locum cuſtodibus vacuum facile poſſe opprimi ſuſpicati; ſed aderat paucorum militum præſidium, qui in citeriori ripa ſtationes ſervabant. Dudum illuxerat, & equites campo invecti ſonitum faciebant. Eo cu- F
ſtodes exciti adventantem procellam fuga per pontem arrepta in alteram partem evaſere. I-
93 bi tabulatione omni de induſtria corrupta, flumine & ripa tuti adverſus venientes miſſilibus certant. *Alexander de Monte* primam Thoracatorum turmam ducebat. Huic impigrè uſque ad pontem decurrenti equus ſclopetis confoditur. Sed nihilò ſegnius pedes pugnam inſtituit, & ſolus propè in ipſa pontis crepidine hoſtibus reſiſtebat. Interim *Germanorum* equitatus ſuis auxilio accurrit, & *Veneti* de *Alexandro* ſoliciti propius accedunt: quare acre pro utraque ripa certamen initur, quo plures utrinque cecidere. Sub his *Landus*, quo longius hoſtem à ſenſu periculi averſum detineret, pluribus ſimul locis arma intulerat. Præcipuè murus *Rubiæ* crebriori tormentorum rabie perculſus non modò ab æde *Michaëlis*; ſed ab inferiori parte etiam convellebatur. Nec non *Triviſanus* cum *Illyricis* ad ripas *Sontii* circumvectus ſpeciem trajiciendi in aggerem hoſtilem faciebat. Sed *Marradas*, & *Amperius* jam periculis aſſueti, diſpertitis inter ſe muneribus, ubi circa ea loca plus timoris, quàm periculi adeſſe cognoverunt, omnes vires in unam *Mernam* traducunt. Ibi tumulum fortè nacti, editiorem ejus partem tormento murali onerant; quo *Venetorum* copiæ repetitis ictibus fœdè afflictatæ ſunt. Eo ſucceſſu animo eriguntur *Germani*, & flumen auſi trajicere, equites in ſiniſtrum *Venetorum* cornu dirigunt. Tuebatur eum locum *Petrus Tritonius*, cum equitum *Utinenſium* ala; hic ad periculum acri in hoſtem converſus impetu, primis interfectis, cæteros pedem cogit referre. Sub ancipiti ea dimicatione *Balioneus* ripam præſidio muniendam cenſet, jam tùm animo ab eo aditu atrociora præſagiens. Aliter viſum *Mediceo*, qui de militum ſalute ſatis ſuperque ſolicitus ſine ſanguine bellum tranſigendum exiſtimabat: nec *Landus* in clementiam effuſus ab illa miſericordia abhorrebat. Quare omiſſa loci munitione, pugnæ receptui canit; quod cum ab equitibus celeriter nimis, & incompoſitè factum eſſet, parum abfuit, quin pedites omnes hoſti trucidandos relinquerent: una virtus *Antonini* imminentem illam peſtem avertit, qui ſuis aciem inſequi juſſis, ipſe in extremo agmine ſubſiſtens non amplius, quàm x. equitibus ruentem ex ripa *Germanum* equitatum feliciter compreſſit, & intra fluvium omnem adegit.

Hæc tunc ad *Mernam* geſta ſunt. Ad eum rerum eventum *Germanus* alacris jam certam victoriam animo concipiebat. Addunt ferociam lætiora de *Ferdinando* nunciata. Hic per
eos dies, accepto in *Bohemos* Imperio à *Matthia* Cæſare, patruele, eorum Rex *Pragæ* declaratur. Quæ res hominem innumeris deinceps periculis immiſcuit; objicientibus *Bohemis*, creationem vitio factam; cui proceres de 94
more conſenſum non præbuiſſent univerſi; quamve irritam poſtea fecerit *Ferdinandus*, exercitu in Provinciam introducto, antequam *Matthias* fatis conceſſiſſet. Quo facto, & Provinciæ leges violari, & publicam lædi libertatem frementes, illum *Bohemi* ſumptis armis regno ſpoliare non dubitarunt: quare civilibus quàm longiſſimè bellis agitatus ac penè obrutus non niſi per ſummum diſcrimen ſolio reſtituitur. Sed hæc longè poſtea acciderunt.

Ferdinandus Archidux Auſtriæ Rex Bohemiæ factus.

Landus inter hæc, conviviis & feſtis intententis hoſtibus, trabes ad eum uſum advectas tignorum ordinibus affixit, quos ad vadum fluminis collocaſſe ſupra dicebamus, eaſque ſubliciis validis firmatas cratibus, & longuriis conſternebat; ſic pontem abſolvens ſummo totius exercitus commodo, ſed eorum in primis, qui *Farræ* conſiderant; unde in poſterum quantumvis ſæpius hinc ab hoſtium caſtris, inde ab arce *Gradiſcana* infeſtati, neque diem, neque noctem trajicere intermittunt.

Cæterum *Auſtriaci* Duces jam magis magiſque de *Gradiſca* anxii, ubi omnes tranſitus occluſos, nec terra, aquavè Oppidum poſſe pe-

netrari cognoverunt, nullum insidiis, nullum technis locum relictum; ad vim demum conversi, in ea, tanquam unico desperatis rebus remedio, spes omnes posuere. Igitur undique coactis auxiliis, quo majori conatu possunt, copias supplent; diligentius instruunt; enixius admonent. *Jam non de S. Martino, aut de Pluma fore certamen; tumultus illos, non bella fuisse. Nunc aut victoriam, aut excidium Oppidi imminere. Nihil deinceps aggerem, aut munitiones proficere. Dextera, & corporibus viam faciendam. Virtute difficultates tollendas. In hac una salutem, gloriam collocatas. Se quidem audax facinus parare, quòd numero impares, lacessiti, inclusi, ultrò arma velint inferre; sed si præsentis temporis inspexerint conditionem,* inquiunt, *nihil hoc uno consilio magis necessarium: quodvè si à vobis impigrè exsequetur, ut cætera consuevistis, celerius, aut tutius etiam arcem illam ab imminenti periculo vindicet, & fortunas vestras in posterum confirmet. Sedendo, & consultando illud certum est, quòd* Gradisca *exscindetur. Aliquid faciendo moram injiciemus. Interim vel Deus aliquis, vel virtus vestra illam ab inimicorum manibus extorquebit. Modò viros vos exhibite; cætera peragent fata; nos quidem à vobis nihil supra vires exposcimus. Non novum aliquod, atque inauditum requirimus. Qua audacia hostem à mœ-*
95 *nibus pridem repulistis, ejus munitiones oppugnastis sæpius; ea nunc enitendum adversus milites nihil tale suspicantes, ocio languidos; Duces verò non imparatos tantùm, aut sententiis dissidentes omnino; sed quod ad rem facit, in primis ab omni militari disciplina alienos. Cujus rei documenta plura cum habueritis in superiori obsidione, illud nunc non prætermittendum, quod insessò monte, & undique cincta* Gradisca, *quando vel levi saltem oppugnationis experimento mœnia Oppidi tentare debuerant, aut certè* Stellam *demoliri, quæ sola ad levandam obsidionem opportuna superest, uni muro* Rubiæ *intenti omnem vim tormentorum, & copiarum in arbores, & folia inani non minus, quàm ridendo impetu absumunt. Hoccinè bellum gerere? hoc obsidionis inceptæ ratio exposcebat? Quid illis auxiliarii* Batavi? *aut in quos usus armatorum tot millia undique conquisita? quæ satius fuerat certo periculo exponere, quàm indulgendo omnis rei gerendæ occasionem corrumpere. Cum his Ducibus vobis res erit gerenda, qui nec victores sustinere, nec victoria uti sciunt. Quique nunc exstructo ponte, nulla ratione possunt adduci, ut de* Gradisca *quicquam amplius velint dubitare. Sed si cælum intercludant etiam, viam ferro, & virtute aperiemus. Videant modò signa nostra, & tormentorum sonitus auribus hauriant; credite, omissa pugna, consultationibus solùm, & verbis rem peragent. Sed quid? fingamus etiam paratos: cum parte copiarum vobis erit periculum subeundum, quæ à majoribus castris divisa, vix ad munitiones tuendas, nedum ad vim inferendam est instructa. Ad hanc vos quarta vigilia, trajecto* Sontio, *ducemus, quid virium, quid animi in vobis supersit probaturi. Si prima feliciter cadent, ut auguramur, atque etiam promittimus, nihil erit, quod de retinenda* Gradisca *dubitetis. Per eas acies, quas semel ferro vicerimus, commeatus, & arma in posterum tutò licebit importare. Et quod nunc inermis hostis nunquam potuit credere, armatus facilè etiam permittet. Curate interim diligenter corpora, ut eodem animo in torpentes irrumpatis, quo vestra hucusque tutati estis.*

Duces Austriaci ad tentandos Venetos suos hortantur.

Talibus *Amperius*, & *Marradas* suos hortati ad tentandos *Venetos* educunt, & jam vado ad *Priolium* superato, munitionem proximam à nullo observati prætererant; quandò propè Farram *Corsorum* excubias obvias habuere. Hi extemplò sublato clamore Legatos, qui tunc aderant, de periculo admonent. Quisque ad arma concurrere; sed nihil amplius, quàm tumultum rati equitum turmas aliquot extra vallum emit-
tunt; dum interim reliqui milites arma capiunt. 96
Lux erat adhuc dubia, & nebula densior campos undique intexerat; quamobrem *Veneti*, qui fuerant egressi, prius in hostem incidêre, quàm aliquis periculum intelligeret. Duplex *Germano* acies, quarum singula quadringentos gravis armaturæ equites explebat. Pedites expediti mille sequebantur ad prælium capessendum ordinati. Hac manu in paucos, nec benè paratos dirigens *Amperius* levi negotio trepidationem intulit, sed qui primi agminis fuere: quandò illùc ventum erat, ut non sine dedecore liceret pedem referre, ut fortiter saltem vitam ponerent, enituntur. Igitur stricto ferro ultrò etiam hostem incursant. Ibi *Germanis* immisti non sine eorum pernicie supremo functi sunt labore. Par propè utrinque occumbentium numerus: quamquam non pari incommodo cecidere. Nam ab *Germanis* gregarii tantùm, & viles militum animæ; ab *Venetis* Duces egregii ibi sunt desiderati, *Leonardus Gualdus* Thoracatorum, & *Petrus Avogadrus* Levium alæ Præfecti: & cum his *M. Antonius Manzanus*, qui fortè collapso equo, dum, ne vivus in hostium manus veniret, acriter obsistit, glandium procella absumptus periit. Atque hoc uno damno omnes spes suas superasse *Germanus* visus est, cui *Manzani* virtus per tot clades illustrata jam terribilis nimium esse cœperat. Omnes publico funere prosequuti: sed *Manzani* sepulchrum equestri statua exornandum jussit Senatus; alterum illud post *Antonini* decus, fidei, & fortitudinis *Foro-Juliensibus* monumentum. Copiæ *Venetorum*, quæ antesignanos suos sequebantur, ubi propius ad arcendam vim se impares, cognovere, medio cursu subsistunt, & campum liberum *Amperio* relinquunt; qui hoc primo conatu contentus, ne, dum tempus terit, majori ab castris effusa multitudine circumveniretur, suos ad vadum reducit, quod non simili fortuna factum est; nam interim de *Amperii* audacia per *Venetorum* præsidia rumor increbuerat: & munitio *Priolia* vado proxima tormenta ad prohibendam trajectionem instruxerat universa. *Trivisanus* verò, qui *Licinisium* tenebat, impigrè ad auxilium ferendum advolaverat; quare inter flumen, & munitionem intercepti *Germani* ultimum propè subiere infortunium, una celeritas res meliores fecit; qua usi per media tormentorum fulgura, quæ ab *Priolia* sine intermissione excutiebantur, ad flumen perveniunt; multis suorum amissis; ordinibus verò ita turbatis, ut non minus aquis, quàm solo sit trepidatum; nam dum alius alium nititur antecellere, & pedites equitibus misti undarum impetum negligunt, multò plures vor-
tices perdidere, quàm ferrum absumpserit. 97
Amperius nihilo secius ac si omnia ex voto cessissent, postquam suos in castra reduxit, facinus omni laudum genere pergit extollere, militum virtutem, fortitudinem commendare, victoriam illam, non pugnam dicere; qua sibi usque ad muros *Gradiscæ* iter aperuerint, quavè non *Venetorum* corpora tantum; sed etiam animos subegissent. Nectent modò moras circa munitiones suas. *Gradiscam* aggere cingant, operibus intercludant: si solido ferrò ea constabunt munimenta, vestra virtus facilè irrumpet.

Acies inter Venetos, & Austriacos.

Mors Leonardi Gualdi, Petri Avogadri, & M. Antonii Manzani.

Exinde paratis, quæ ad commeatus importandos erant necessaria, equites quietem jubet agere, peditem verò per noctis silentium edu-

eductum (medium Julius tenebat) in hostem denuò educit, non minoris spei facinus tentaturus. Stativis *Balionei* ad ædem *Michaëlis*, *Landus* & *Mediceus* tunc se continebant. Majora illic tormenta extra vallum steterant, quibus *Rubia* oppugnabatur, & *Rhætorum* manus circumfusa jacebat; quidam somno etiam strati. Hos invadit *Amperius* tanta celeritate, ut nullum ad arma expedienda spatium habuerint. Igitur custodibus partim trucidatis, partim fugatis, tormenta aggressus, eorum duo clavis osculo infixis penitus corrumpit: tertium in clivum montis dejectum *Rubiam* trahebant milites, quandò in castris ad arma est conclamatum. *Balioneus*, & *Mediceus* rapidi advolant, pugna ut in re subita anceps, & atrox initur, donec *Venetorum* equitum turma, quæ fortè aderat, jussa in *Amperium* impingere, impetu omnem aciem disjecit. Horum XL. à suis interclusos *Veneti* capiunt; reliqui monte dejecti intra murum *Rubiæ* compelluntur. *Mediceus* eo discrimine primis ordinibus immistus, & ubi plurimus labor erat, se offerens dignum suæ virtutis facinus exhibuit; nam hostium interfecit aliquot, & signum militare sua manu captum, & ab vexillifero revulsum memorant. Nihil minus eo prælio frangitur *Amperii* animus; sed quia tormenta corruperat, victoriam pro se interpretatus ad majora confestim vires, & ingenium convertit.

Die 13. Julii. Novum certamen inter Arma Veneta, & Austriaca.

Stat sententia *Gradiscam* commeatu levare, quod si absolutum non reddat, nihil se usque ad eam diem fecisse intelligit. *Veneti* contra hostium audacia excitati diligentiore studio res suas circumspectabant: illas artes, illos impetus non temerè circumferri: nisi prospiciant, aliquò in perniciem casura. Igitur *Landus* dubiis bellorum eventibus intentus continuò à stationibus *Farræ*, qua pridie accesserat *Amperius*, usque ad
98 speculæ munitionem viam intercludit: ingentis latitudinis fossa, & aggere inchoato: additis militibus, qui nocte, & interdiù opera custodirent. Quibus in *Germanorum* castra perlatis, omnia sibi vel cum periculo tentanda existimat *Amperius*, antequam aggerem hostis absolvat. Igitur homo impiger, nocte iterum eandem viam, quam prius fecerat, ingressus commeatum *Gradiscanis* importaturus accurrit. Ad nuncium equitatus omnis ex *Farra* effunditur: sed dum turmæ in ordinem rediguntur, & acies ad pugnam instruitur, ille superato aggere; quem haud levi negotio custodibus amotis, lixarum opera celeriter complanaverat; inter *Farram*, & *Landi* munimentum *Gradiscam* pervenit, à nullo vel subsequutus, vel lacessitus: majori, nescio, an *Germanorum* admiratione, sive *Venetorum* patientia dixerim, quos vel proxima ejusdem loci pugna horrore perfuderat, vel certè de industria Ducum imperia in hostium reditum paratos detinebant. Sed *Austriaci* ubi Oppidum milite, & commeatu supplevere; vanam illam, si qua fuit, expectationem facientes, flumen propter *Gradiscam* trajecti uno agmine ad *Stellam* pervadunt, ibique necessariis ad obsidionem relictis, per vallem, quam dicebamus inter *Carsum*, & *Vipavum* fuisse, in castra rediere. Sed *Mediceus* rei malè gestæ culpam omnem in *Ernestum* intorquens, qui octingentos *Batavos* ad aggeris incepti custodiam jussus mittere, solos CL. dederat, omnem ignaviæ suspicionem à se disertissimis verbis eluebat. Nec *Ernesto* deerant, quibus invidia æmulum oneraret. In ea altercatione vix manibus temperatum; adeò ejus expeditionis infelix evaserat conditio, ut quò minus ab hoste periculi adesset, illud à suis *Veneti* expectarent. Nec Legatorum admonitis, aut Imperatoris castigatione videbantur cedere; hinc *Mediceo* auctoritatem sibi in *Batavos* vindicante: illinc *Ernesto* imperium detrectante; ut nil mirum jam esse debeat; si hac occasione hostis feliciter usus invicta illa armorum robora non sine ludibrio etiam despexerit, quod magis patebit ex his, quæ dicturi sumus.

Mediceus dum hæc fiunt, de *Rubia* intentissima cura solicitus, ab æde *Michaëlis* per clivum montis usque ad radices ejusdem aggerem deduxerat: quo muri meliorem partem claudebat, & castella addiderat duo non tantùm sub oculis, sed etiam sub manibus fermè *Germanorum*: sed *Amperius* indignè ferens ab iis circumvallari, quos paulò ante penè palantes egerat; nocte impetu facto ad ea diripienda pedites Aiducos mittit. Hi tanto animorum ardore in utramque munitionem irruunt, ut nullo periculo ab incepto potuerint revocari. Per æqua, per iniqua pro se quisque inniti; & licet glandes undique immitterentur, armaque, & corpora *Veneti* objicerent, perrumpunt nihilominus malè accepti, & vulnerati, & quos sanguis, & vires deseruerant, ut saltem intra hostium munimenta caderent, summoperè contendebant. Ea obstinatio castella expugnat tandem, quod multo sanguine, & summo utrinque periculo factum est. Eò *Germanus* superior, quòd milites valetudinarios plures sub tabernaculis deprehensos fœdo, crudelique spectaculo ad unum gladiis absumpsit. 99

Sed res *Gradiscanæ* nihil inde meliores fiebant. Omnia erant in arcto, & commeatus importati paucos post dies defecerant. Nec *Marinus* tumultuantes milites imperio poterat coërcere. Quæ ubi *Amperius* didicit, novo penu comparato suos educit. Equites DC. & pedites D. sub signa fuere. His quo magis hostem falleret, iter à tergo ingressus, ex *Mernæ* ponte omnibus traductis, per vallem ad *Stellam* pergit. *Antoninus* primus hosti objiciebatur. Hic intra montis saxa, & difficiles, inviasque rupes à *Mediceo* positus, brevi, quod unum prædixerat *Ernestus*, equorum cruribus corruptis, vix ad sessores ferendos de modo trecentis, quinquaginta idoneos retinebat; cum ea tamen manu vias custodiebat, & suæ diligentiæ fructum desiderari non patiebatur. Igitur de adventu *Amperii* certior factus cum eo equitatu, qui superat, à statione procurrit. Lixis, & calonibus aliquot primo impetu captis, (cum sarcinis *Amperii* agmen insequebantur) ab his hostium numerum, & consilium didicit. Nam referebant bonam partem ad *Raspam* pagum restitisse: cæteros uno agmine *Stellam* petere. Quare citatiori cursu prægressos assequutus circumfuso equitatu impigrè extrema agminis convellebat: eo consilio, ut ab æde *Michaëlis* tumultus auditus *Balioneum* cum copiis ad subsidium ferendum exciret. In multam horam certamen deducitur, hinc *Antonino* cominus congredi non audente, inde *Amperio*, ne ab itinere evocaretur, intento. Sed nemine ex *Venetorum* castris se movente, *Germani*, paucis amissis, in *Stellam* commeatum secundò inferunt in multos dies suffecturum; inde *Mernam* regrediuntur. Quos *Antoninus* non est insequutus non tam, quia vires ad ultimos carpendos non sufficerent, quàm ne in insidias *Raspæ* collocatas imprudens incideret. *Stella* munita, levi negotio *Gradiscam* instruxit.

Die 30. Julii.

Hoc modò iterum obsidionis incommoda levavit *Amperius*; quæ quanto ab omni *Venetorum* expectatione longius aberant, tanto majori sti-

stimulo singulos divexabant. Vulgus, ut so-
100 let, in Duces invidiam facti rejicere. Illi inter se verbis, & opinionibus digladiari, & dum alius alium carpit, nec suam, nec Reipublicæ dignitatem tutantur. Sed *Mediceo* præ cæteris gravissima fuere: qui inde sua studia frustrari universa, & de *Gradisca* expugnanda spem illam ingentem corrumpi non obscurè conjiciebat. Quare quotidie cæteris ambitionem, contumaciam objicere; sua imperia aspernata, publicam causam desertam, conqueri. Et nisi *Landi* obstaret Majestas, vix finem tumultus habuisset. Sed ille non auctoritate magis, quàm dexteritate usus incredibili, cunctis modum non tantum, sed silentium in præsens posuit. Quo facto ferrum quoque toga posse demulceri, suo exemplo reliquis imperatoribus egregiè demonstrasse visus est. Quod dum ille gnaviter præstat, visum est Patribus hominem ætate invalidum; & assiduis penè confectum negotiis sublevare.

Inde de novo sufficiendo Imperatore mentio illata. Ad id muneris iterum *Barbadicus* deposcitur, cujus viri prudentiam inter bellorum initia expertam, adversa plura, quæ subsequuta sunt, illustriorem, præsens verò rerum status etiam necessariam faciebant. Is igitur VI. Idus Augusti eo imperio, quo superiores bellicis rebus in Provincia præponitur; sed novis subinde accedentidus curis, sub extremo tantum Septembri illam est ingressus.

Die 8. Augusti.

Interim in unum murum *Rubiæ* curæ omnes *Venetorum* coguntur, ac veluti si eo capto, *Gradisca*, & *Goritia* ultrò essent accessuræ, nihil sibi prætermittendum existimant, quo minus potiantur. Quare ubi ocium ab *Amperio* habuere, qui sublevata in præsens *Gradisca*, paululum quiescebat, novo munimento rem intermissam aggrediuntur: id non longè ab eo loco, quem *Corsi* insederant, propè à flumine pergunt excitare. Sed *Germanus* felicioribus assuetus, ultrò ad illud delendum erigitur. Præsidiarii milites *Rubiæ* fuere, qui nec *Amperii*, nec *Marradæ* jussis expectatis, primis tenebris statione relicta, impigrè aggerem aggrediuntur. Fama tenet, eos inter epulas facinus per jocum primò agitasse: mox datis dexteris Jurejurando etiam confirmasse, se, nisi expugnatis munitionibus, pedem non relaturos. Quare verbis, & vino fervidi irruunt, *Corsorum* receptacula, & novum Castellum tentaturi, cui nondum ultimam manum imposuerant *Veneti:* nihilominus à *Transpadanis* hominibus diligentissimè custodiebatur. Ubique ingens, & non pro viribus aut oppugnantium, aut impetum sustinentium fit certamen. *Venetus* non pro veteri fama tantum, & imperio, sed pro salute, & capite dimicare. *Germanus*, si non
101 vicisset, nolle cladi sua temeritate contractæ superesse. Igitur obstinatissimis animis res geritur, & pauci a multis circumventi acriter se tuentur. *Corsi*, quos murus, & agger primum munitus satis defensabant, facilius hostem repulere; sed *Transpadani* semiperfecto operi inclusi, ubi in multam noctem pugnam deduxere, numero obruti vitam, & vires prius quàm locum deseruere. Omnes pugnantes eadem clades oppressit, sed non inulti cadunt, qui magna hostium parte prius absumpta super eorum cumulata armaque, & corpora suo pariter, & hostium sanguine perfusi gloriosè occubuerunt. Solus *Albanius*, eorum Centurio, saucius & semianimis in potestatem venit. *Bernardinus Suppinius*, alter Centurio, brachio truncatus evasit. Ad fortissimorum virorum infortunium il-

Die XI. Augusti.

Alia prælia ad Fortem Rubiæ.

A lud insuper accessit, quod eam virtutem clarissima luce dignam tenebræ, & silentium contexêre.

His illatis, acceptisque injuriis, ab armis per decem, & amplius dies, veluti ex composito ab utraque parte cessatum est. Quo tempore *Mediceus* Utinum se contulerat quieti dies aliquot ibi daturus, qua vires sustinere, & opportunè etiam recreare posset. Huic occasioni intentus *Amperius*, quia rursus arcem inopia incesserat, ad opem ferendam se comparat. Igitur necessario instructus frumento per vallem ad *Stellam* movet. Illi pedites M. D. equites
B DCC. fuerant. Paucis ante diebus *Antonino* à *Carso* evocato, tenebat ejus locum *Illyricorum* ala, additis peditibus CCC. qui ubi *Amperium* appropinquantem sensere, illicò obviam egressi levi prælio implicatum immorantur. *Balioneus* ubi ab æde *Michaëlis* tumultum oculis hausit, id quod erat suspicatus, contra *Germanos* militem expedit. Pedites D. tunc habuit in armis; quibus *Bernardus Scievaleschius* Bohemus, & *Franciscus Ornanus* Corsus præerant. His copiis ad nobilitandam clade sua vallem adversus *Amperium* proficiscitur; exemplum futuris ducibus, ne ita pedestri militiæ credant, ut ab
C omni equitatus robore nudati pugnas capessant; nevè, quod magis refert, hostem ita contemnant; ut ejus virium ignari incertam belli fortunam incautè provocent. *Amperius* ubi *Balioneum* cominus signa inferentem despexit, in cornua omnem equitatum deducit, mediam aciem pedite implet. Ibi summo ardore ab utrisque prælium cœptum, & quanquam *Veneti* numero vincerentur, virtute tamen Ducis, & militum audacia numeri damnum facilè rependebant. Donec inter pedites certamen stetit, æquo marte pugnatum est. Sed ubi eques in latera jussus incurrere terrorem intulit, con-
D tinuo *Veneti* loco moventur. Ibi *Balioneo* suos adhortanti, & ubi plurimum erat periculi, se 102
objicienti latus trajicitur. Labentem *Germani* oculis notavere; quare sublato clamore, & jam haud dubiam victoriam interpretati, resistentes impigrè gladiis, & missilibus absumunt. *Virginium Ursinum* Romanum Duci sanguine, & studio conjunctum idem impetus oppressit. *Ornanus* solus prælium adhuc sustentabat, qui ubi aciem omnem inclinatam cognovit, jubet Centurioni, qui fortè aderat, ut dum ipse irruentes sustinet, fuga cum reliquis copiis arrepta, ex-
E tremum afflictis rebus subsidium quærat. Sed ille generosi animi ausu viliora mandata aspernatus: *Quin hoc agamus*, inquit, *ut inulti saltem, aut pecudum more ne trucidemur. Hoc unum reliquum fortuna fecit, ut honestè moriamur.* Inde in hostes impetum facit, *Ornanus* subsequitur, & pauci, quos Ducum exempla excitaverant. Ibi iterum restituitur pugna, quæ majori animorum ardore, quàm viribus aliquamdiù deducitur. Sed undique ab equitibus circumventi tandem glandibus transfiguntur. Tùm fuga in omnes partes fieri cœpta. Plures locorum iniquitas juvit, quæ equiti ad excurrendum minus commoda levem peditem, & timore ve-
F locem inter saxa, rupesque evadentem facilè excepit, & abdidit. CCC. fama est hac clade absumptos; pauci capiuntur; inter quos *Scievaleschius* Bohemus commercio linguæ agnitus, & conservatus. Eandem fortunam habuere Centuriones duo *Fantasia*, & *Marianus*. Legati sub prima *Balionei* irruptione ad ædem *Michaëlis* convenerant; quibus visum est, ut cum copiis, quas maximè posset colligere, illicò *Ludovicus Estensis* Farra avocaretur. Hic acie jam
in

Die 20. Augusti.

Virginii Ursini mors.

in fugam lapsa, & dissipata, superveniens, equites D. &. M. ferè pedites raptim armatos trahebat; ea manu ferox juvenis illius diei ignominiam luendam censet. Sed Legati, quibus rerum experientia sensum induerat maturiorem, non temerè inconditam illam multitudinem victricibus hostium copiis volunt objicere. Satis ejus infortunii exemplum demonstrasse, quod nihil per iram, aut per libidinem contra illum hostem sit aggrediendum, qui desperatione melius, quàm audacia regitur. Nunc illud superesse, ne victoriæ illius fructum *Amperius* capiat: *Quod fiet*, dicebat Erizus, *si contractis undique copiis, quas per tot circum præsidia dissipavimus, & numero aucti, & viribus firmati eludentem hostem aliquandò assequamur. Interim omissis terriculamentis istis adversus* Rubiam, *omnes nervos in unam* Gradiscam *conferamus. Hanc si vallo, si fossa, si milite cinxerimus, quodnam ex hac clade commodi* Amperio *relinquetur? eo vidente, & frustrà incursante, cadet tandem; modò, ut de* Bel-
103 lorophonte *ferunt, alatis equis instructus in subsidium non advolet.* Hæc memoranti cæteri assensere. Quare & *Estensis* detentus, & ad firmiora consilia omnibus conversis, de *Gradisca* obsidenda intentius inde cogitari cœptum est. *Amperius*, suis a cæde revocatis, *Stellam* pervenit; ibique tertiò commeatu tradito, alacris, & triumphantis in modum, *Mernam* copias reducit. Ex *Stella*, ut pridem factum fuerat, necessaria in *Gradiscam* ociosè importabantur; ex quo munitionis illius opportunitatem satis quis intelliget, quam si *Veneti* potuissent occupare, nullum nisi per arma semper, & per hostium corpora in Oppidum iter *Germanis* superfuisset, quod adhuc sequentia demonstrabunt.

Ea *Mediceo* Utino revertenti nunciata hominem, ut par erat, summopere affecere. Sed præter cætera curam faciebant consilia de deserenda *Rubia* agitata, quam si omittant *Veneti*, certam inde veluti victoriæ desperationem hostes interpretaturos: quare illud ab Imperatore nititur obtinere, ut saltem castella, quæ circa murum fecerat, incustodita non relinqueret: nam sic & res intermissa non videbitur, & *Amperius* ad vim inferendam tardior fiet. Quæ cum *Landus* probaret, non ea tantùm, quæ circa *Rubiam* fecerant *Veneti*, sed quæcunque in *Carso* habuerant munimenta ad præsens milite instruit, reliquam multitudinem omnem *Farram* abduxit. Ibi totius belli gerendi, atque adeò arcis expugnandæ ratione inter Duces inita, sententiarum capita fuere: *Ut auxilia à Stella in Oppidum decurrentia operibus prohiberentur: ea verò planities, per quam à principio Amperius irruperat, novis fossis, & munimentis universa custodiretur.* Quæ accuratiori diligentia incepta brevi perficiuntur; ad id & Ducibus, & militibus impigrè se exhibentibus, unde laborum suorum finem adesse non ambiguè quisque intelligebat.

Porrò ea una fuit via, qua *Gradisca* caderet, modo pax inter armorum strepitus veluti de improviso interfulgens parti Oppidi decus ex *Venetorum* manibus improba non extorsisset. Igitur in citeriori parte pontis inter obnata ripis salicta, & saxa, quæ volvit amnis, fossa continua ducitur usque ad *Farram*, ex quo loco aggerem in speculam tendentem (hunc *Amperium* complanasse memorabamus) iterum restitutum *Landus* absolvit. Reliqua circum altioribus fossis corrumpit, & palis intersepta ferreis aculeis replet, quò non sine ejus pernicie hostium equitatus accederet: aut saltem loca superantem diutius implicitum morarentur.

His intento operibus *Lando*, quibus *Gradiscæ* omnia in dies iniquiora fiebant; *Germani* ex 104
Merna, quod tutò facere poterant, aciem moventes *Stellam* quartò ad libitum instruunt. Inde, nullo prohibente, frumentum in aliquot dies *Gradiscam* infertur. Sed res summi laboris, & periculorum plena apparebat, si *Carsum* obtinentibus *Venetis*, per media hostium arma in arcem diutius *Germani* adniterentur. Pons, & munimenta ultra fluvium defensa, & milites hinc inde trajicientes suspicionem faciebant: quare de universo occupando præsidio, quod ibi reliquerat *Landus*, rationem ineunt: ejus rei unam patere viam, si ponte sublato, illud à reliquo exercitu interclusum aggrederentur. Ad id, quia vires non sufficiebant, placet rem ingenio tractari. Navem igitur compingunt justæ magnitudinis: hanc vivacis pulveris copia abundè instructam, mortariis & id genus machinationibus replent; ingentibus ferri, & silicum ponderibus additis; quibus, ubi navis ad ignem conceptum disrumperetur, tignorum ordines, & pontis tabulationem omnem posse dissipari, crediderant. Quo sublato, reliquos, qui ultra fluvium *Venetorum* opera custodiebant, nullo negotio in potestatem futuros confidebant. Naviculam in hunc modum adornatam secundo flumini permittunt. Recta in pontem ferebatur, & periculum haud leve *Venetis* imminebat; namque horum plures ad riparum custodiam destinati curiosè machinam contemplaturi propius accesserant. Sed *Mediceus* accurrens ubi ratem sine remige, sine rectore fluitantem deprehendit, ob id dolum suspicatus, jubet illicò undis submergi; quod factum est, antequam incendium erumperet.

Exinde operibus suis intenti *Veneti*, posteaquam circa *Gradiscam* agrum muniere impensius, curas omnes ad ulteriorem ripam convertunt. *Sdrauscina* pagus erat ad oram, quæ proxima *Gradiscæ* objicitur. Ibi vallo novo in semicirculi formam deducto, & castellis tribus per intervalla factis, universum illud spatium conantur includere, quod contra Oppidum aperitur: ex quo illud consequi necessarium erat, ut ipsis flumini, & vado imminentibus, nullus in posterum trajiciendi locus hosti relinqueretur. Hæc si absolvere permittet *Amperius*, sciat de suis rebus actum esse. Igitur dum operi tùm *Die 23. Sept.*
primum manus admoverent *Veneti*, supremum ille suis daturus auxilium cum universis copiis adest. Ad *Stellam* de more accesserat. Ibi misso præcone *Gradiscanis* edicit, ut ab *Stella* quàm primum frumentum petant. Videres militum & mulierum turbam Oppido effusam raptim, lintribus, & vado flumine trajecto, per eam partem, quæ adhuc vallum non acceperat, in- 105
ter abrupta montis in munitionem irrepere; inde frumento gravem ad flumen recurrere; omnia clamore, & probris permiscere. Opus in multas horas deducitur. *Amperius* interim ad crepidines viarum cum milite restiterat, quò tutiorem suis faceret transitum. Sed *Mediceus* ea indignitate accensus equitum, & peditum justa acie adducta in ulteriorem ripam invehitur. Ubi levi contracto certamine ludibrio tandem modum imposuit.

Postridie ejus diei *Barbadicus* in Castra per- *Die 27. Sept.*
venit, & cum eo *Laurentius Justinianus*, Legatus pridem in locum *Erizi* suffectus. Sub ejus adventum vertit fortuna, & omnia in melius *Venetis* sunt mutata. *Germanus* tunc aliquando verum hostem fassus in ultimam rerum desperationem se adductum intelligit: quare cum nullum amplius rebus suis effugium superesset, ad

ad extrema auxilia conversus pepulit tandem *Philippi* Præfectos, ut belli facem à tergo *Venetis* ostenderent. Fuit hæc eruptio subita in agrum *Cremæ* à *Petro Toleto* sub iisdem diebus facta, qui jussu Philippi *Insubres* tunc regebat. Is igitur à *Marrada* de iniqua Archiducalium conditione certior factus, ad *Hispanum* imperium maximè pertinere arbitratus, si labentem *Ferdinandi* dignitatem aliquo modo sublevaret, copias omnes, quæ post bellum tunc primum cum *Allobroge* confectum in armis habebat, in proximam *Venetorum* ditionem educit, & impetu *Farram* exiguum illud, & incustoditum rusticorum receptaculum cædibus, & incendio corrumpit. Quæ *Venetiis* nunciata non parum multitudinem perculere.

Sed *Barbadicus* nihil ex eo territus ad futuram obsidionem omnes intendebat nervos. Porrò munitionibus diligenter consideratis, eam sibi rationem cingendæ arcis retinendam existimat, quam proximè *Landus* instituerat. Sed vallum unicè probare, qui ultra fluvium inchoatus oppositam *Gradiscæ* ripam mirificè muniebat. Inde operi die, noctèque insistens brevi omnia perfecit, quibus etiam alia non minoris momenti adjunxit. Inter vallum, de quo dictum est, & *Sagram*, qua latè fluminis ripæ patent, præsidium electorum militum esse voluit, qui oram defenderent. *Barbadicum* dixit Imperator.

Barbadicum propugnaculum.

Sed in parte quoque citeriori rem novis munimentis gerit. In his *Scotum* fuit, ante portas Oppidi, haud procul ab eo loco, ubi tertium castellum ad oppugnandum murum adornaverat *Justinianus*. Huic duo proxima, quæ meridionali muro opponebantur, *Justinianum*, & *Ludoviceum*. His non tantum auxilia obsessis intercipiebat; sed murum eminens, machinas in
106 Oppidum facilè poterat convertere; quod brevi facturus fuerat. Illud sæpius usurpans, vel sibi, vel *Gradiscæ* cadendum fore; nullum inter hæc medium. Porrò quatenus in illo fuit, nullam diligentiam prætermisit, quo minus voti compos existeret. Et *Amperius* in omnes formas alioquin se convertere solitus, ut de *Protheo* fabulantur Poëtæ, quid insuper tentaret, non habebat. Adeò singularis Ducis vigilantia etiam promptissimum *Galli* ingenium mirabiliter eluserat.

Sub hæc literæ à Senatu acceptæ; quibus *Cervignanum*, & *Porpetum* solo æquari jubebatur. Est *Cervignanum* ad ripam *Alsæ*, ubi navigia *Venetorum* sub eo bello continenter appulsa commeatus omnes, & copiarum supplementa exponebant; quæ plaustris *Palmam* invecta, ab eo loco exercitus quotidie excipiebat. Huic proximat *Porpetum*, quod *Frangipani* tenebant; lorica, & turribus in antiquum usum bellorum munitum: quæ Archiducalium ditioni subjecta; sive quia itineri officiebant; an quia *Palmæ* minus opportunè steterant? tunc placuit demoliri. *Porpetum*, & pars *Cervignani* disjicitur; quod supererat, brevi intercedente pace, firmum remansit. Quippe jam tandem eo incendio motæ sociæ nationes de mutua Reipublicæ & *Austriacûm* reconciliatione agere pridem inceperant; & Oratores summorum Principum *Lutetiæ* primum, mox *Madriti* convenerant. Tandem iterum apud *Gallorum* Regem transegere, ut mox dicemus.

Porpetum, & pars Cervignani disjicitur.

Quo tempore in ultimam rerum necessitatem adducti *Gradiscani*; sibi simul & cum fame omnium malorum pessimo, & cum hoste erat decertandum. Sed tamen & victi resistunt, & ab omnibus deserti se non deserunt. Siquidem

A eadem virtute, qua per duos fermè annos bellum passi sunt, tunc illa extrema obsidionis additamenta perferebant: quin impetu facto, dum *Ludoviceum* urgent *Veneti*, ab eis singulari fortitudinis exemplo captum est. Ibi militare signum ab *Venetis* amissum, & milites plures trucidati; nec prius *Germani* à statione depulsi sunt, quam *Manfredus Portus*, & *Roquelaureus* (hic, *Ernesto* paulò ante *Utini* apud *Antoninos* alvi fluxu sublato, *Batavis* solus imperabat) cum multitudine accurrentes terrorem attulerint. Hoc ultimum *Germanis*, & *Venetis* virtutis experimentum, ac veluti totius fabulæ plausus;
B qua continuis laboribus à VII. Kal. Decembris superioris anni usque in eam diem, quæ fuit Kal. Novembris miserè sunt afflictati.

Mors Joann. Ernesti de Nassau.

Nam interim pacis conditiones in utraque castra sunt allatæ, & *Marradas* cum *Barbadico* ad ripas *Sontii* colloquutus obtinuit, ut obsessis, 107
donec hinc inde pacta absolverent obstricti, necessaria præberentur ad vitam sustinendam. Atque ex eo die ab omni armorum strepitu cessatum est. Duces tamen retenti, & copiæ in hybernis habitæ, & *Venetus* castella, quæ fecerat, non omisit; nec præsidia ab Oppidis deduxit *Germanus*. Sed ut prius in bello fece-
C rant, utrinque parta diligenti cura custodiebant. Quo ancipiti rerum eventu, usque ad sequentem Augustum exercitus distenti sunt.

Tunc de rebus ad *Seniam* compositis certiores facti *Veneti*, loco cedunt: & cuncta, quæ ante bellum *Germani* obtinuerant, his permisere. Porrò fœderis summa hæc fuit.

Pacis conditiones.

Ferdinandus Rex, & Venetorum Respublica, innovato inter eos fœdere, quod ante hæc extiterat, vicinitatis & amicitiæ jura in posterum edunto.

Injuriæ omnes tam publicè, quàm privatim illatæ ex animis abstergunto.

Bello capti abire permittunto.

D *Senia belli causa præsidiis Ferdinandi deinceps asservato.*

Uscocchii prædatores, piratæ, exules illic convenire assueti in alienum solum deportantor.

Liburnicæ, Acatia, & id genus navigia omnia piraticæ opportuna ignibus absumuntor.

Nulla post hæc intra loci mœnia perditis hominibus receptacula sunto.

Quæ ubi perfecerint Austriaci, occupata per bellum pace prioribus dominis restituunto.

Hæc ut fiant intra duos menses, curanto.

Ad id igitur bini ex utraque gente delecti viri (Commissarios dixere.) Ab Rege *Carolus*
E *Arachius*, & *Jacobus Elingher* Seniam mittuntur. Sed Respublica *Antonium Priolium*, & *Hieronymum Justinianum* Vegiam destinat. Quibus per nuncios in tam brevi distantia re propius discuti cœpta, *Elingher* improviso morbo correptus fato concessit; cujus locum postea implevit solus *Arachius*. Sed *Priolium*, *Bembo* quoque sub id temporis è vivis sublato, Principem à Senatu dictum Legati supervenientes *Venetias* reduxere. Ejus vices *Nicolao Contareno* datæ, atque hæc negotium distulere aliquamdiù.

Commissarii ad exequenda conventa.

Sed denuò in unum coëuntibus Commissariis,
F res tandem ex utriusque Principis sententia peracta est. Juvit eum eventum *Thomas Candidus*, J. C. Utinensis, *Joannis* Historici progenies. Hic literis Senatus *Utino* avocatus, ingenti, qua 108
vigebat rerum prudentia, Reipublicæ dignitatem satis tunc sustentasse visus est. Ab eo tempore *Ferdinandus*, misso tercentorum peditum præsidio *Seniam* tenuit, & habitatores ab omni facinore avocavit.

Atque hic *Gradiscanæ* obsidionis exitus, qualem

lem à principio multi animo conceperant, quibus pridem prospectum erat, *Venetos* longa pace, & divitiis florentes ad arma invitissimos rapi; eosve non ut incautos opprimerent (quod facilè fieri poterat) sed hoc consilio hostiles fines irrupisse, ut insolito armorum strepitu, & primis bellorum irritamentis excitus *Ferdinandus* justissimam eorum querelam de *Uscocchiis* diligentius introspectaret; ærumnas verò, & per tot annorum spatia subditis suis illata damna honesta aliqua satisfactione rependenda curaret. Quod cum facere differret ille, ad ea etiam, à quibus longè aberant, animum posteà adjecisse: ut jam non cunctanter, uti occeperant, aut spectabundi, quò rerum moles verteret; sed studiis propemodum inimicis bellum administrantes, plura exulceratæ mentis documenta *Austriacis* relinquere sint coacti. Quibus tunc modus est impositus, quando ad optimam *Ferdinandi* in *Venetos* voluntatem facta non dissimilia accessere. Sic cuncta, quæ prius necquicquam pace quæsierant, bello tandem assequuti, ad priorem iterum tranquillitatem non inviti conversi sunt.

Libri Quinti, & ultimi finis.

INDEX
NOMINUM, RERUM ET VERBORUM.

A.



B.

Ba-

C.

Con-

S. Her-

I.

Jovi-

Mar-

T.

Ter-

V.

H. Palladius. R Uti-

F I N I S.





BASILII ZANCAROLI,
Cydonii,
Francisci Filii, e Colonia Cretensi, Regnique Insulæ Cretæ Feudatariis, atque in Insigni F. JUL. Civitatis Basilica Collegiata Canonici,

ANTIQUITATUM CIVITATIS FORI JULII

LIBRI QUATUOR.

Editio Nova, Veteri inquinatissimâ multum præstans.

Accedunt nunc primum Præfatio, Notulæ & Indices necessarii.





LUGDUNI BATAVORUM,
Sumptibus PETRI VANDER Aa,
Bibliopolæ, Civitatis atque Academiæ Typographi.

PRÆFATIO.
NOVÆ HUJUS EDITIONIS LECTORI S. D. EDITOR.

B*Asilius Zancarolus*, Civitatis *Fori Julii*, in ejusdem *Basilica Collegiata Canonicus*, oriundus autem ex Insula *Creta*, à celebri quondam ejus Urbe *Cydone* se ipsum *Cydonium* nuncupavit. Hic illustrandæ Urbis, in qua honoratum occupabat locum, ductus studio, Res ejusdem Memorabiles in Compendium quasi contraxit. Quam suam telam hoc modo disposuit. Primo Libro (in quatuor enim Opusculum suum distinxit) conquisitis undique Virorum Doctorum testimoniis, iisque secundum ordinem Geographicum dispositis, probat *Forum Julii* (à Magno illo *Julio* & nomen & incrementa adeptum) non alium esse locum, quam qui incolis suis *Friuli*, *Civitas* item *Austriæ*, & *Ciudad de Friuli* aliis etiam dicitur. Testimonia illa sequuntur Diplomata, Donationes & Privilegia [1]. Marmora dein Vetera, magnam partem *Grutero*, aliisque Collectoribus incognita.

Varia Urbis fata miserasque *Gothorum* temporibus ruinas Secundo Libro persequitur. Ibi *Attilæ* immensus agnoscitur furor, & exitiosa pariter *Italiæ* rabies *Totilæ*. Feliciorem statum *Longobardorum* in *Italia* Regnum

[1]. Marmora Vetera & Inscriptiones, maximam partem in hoc Opusculo tantum publicatæ, cerni possunt *hujus Edit. pag.* 36. 37. 38. 42. 43. 44. Verum præter illa, quæ in Notulis nostris videri possunt, sciat *Eruditus Lector*, Inscriptionem primam, quæ occurrit *pag.* 37. abesse à *Grutero*, nec sese ullam *ibidem* nobis obtulisse ex iis, quæ *pag.* 42. 43. 44. exhibentur, præter primam *pag.* 43. quam, quasi *Patavii* exstet, ex *Apiano*, paullo aliter in principio legit idem; ita videlicet:

D. M.
C. ARRIVS C. F.
MONVMENTVM.

Proferuntur *pag.* 36. varia Imperatorum nomina, quæ inconsideratior quispiam facile Marmori insculpta existimaret; non autem dubitamus, quin Numismatum, ibidem inventorum, sint Inscriptiones. Quæ autem sequitur Græca Inscriptio ad *Helenam* pertinens, subjici debuisse arbitramur Picturæ isti seu Anaglypho, quod modo Auctor descripserat, quodque *Paridis* exhibet Judicium.

B. Z. Cydonius.

gnum *Foro Julio* attulit, quum ibi una cum *Gisulpho*, post *Alboinum* Regem Gentis ejus præstantissimo, Nobilissimæ *Longobardorum* Gentes, proprio vocabulo *Faræ* dictæ, consederunt; unde postmodum propter varios hostium insultus, in paludes & Insulas *Hadriaticas* sese recipientes, Illustrissimæ Reipublicæ *Venetæ* maxima dederunt incrementa. Verum heu! post *Gisulphi* fata, *Avarum* incursionibus & *Cacani* crudelitate misere fœdata, libidinosæ *Romildæ*, uxoris quondam *Gisulphi*, tristes & sibi illique exitiosas celebravit Nuptias. Hæc tertio Libro exponuntur.

Quartus Liber, atque ultimus, Duces *Fori Julii*, à *Gisulpho* ad *Henricum* II. *Bavariæ* Ducem, *Italiæ* Regem, enumerat XXII. atque accurate eosdem, variasque sub iisdem Urbis fortunas exponit. Antistites pariter sacrorum ejus Civitatis, seu Patriarchæ, enumerantur, ut & multa de Regibus *Italiæ* immiscentur, & quomodo tandem ad *Carolum Magnum* Regem *Francorum*, una cum *Italiæ* seu *Longobardorum* Imperio, dejecto fortunis suis Rege *Desiderio*, accesserit *Forum Julii*; quam Civitatem præter cæteros eximie nobilitavit insignis suo tempore Historicus *Paulus Diaconus*, cujus & varia hic agnoscuntur fata.

Hujus Opusculi vetus Editio *Venetiis*, Anno MDC LXVIV. in *Typographia Valentini Mortalis* in 4°. excusa, infinitis mendis non inquinata, sed fœdata prorsus erat, (quod & ipse Typographus veteris Editionis in Præfatione sua, hic simul exhibita, fatetur) distinctiones ita negligenter positæ, ut nihil temerius fieri potuerit, nullo literarum discrimine ita turbata, ut non sine multo fastidio in ordinem omnia redigi potuerint. Quod tamen ita jam factum arbitramur, ut tuto & cum voluptate ad ejusdem lectionem progredi possis.

EPI-



EPISTOLÆ DEDICATORIÆ.

ILLUSTRISSIMO ATQUE EXCELLENTISSIMO
ANGELO CORRARIO,
Equiti, ac D. Marci Proc.

STesicratem *ingenii magis vanitate, quam sculpturæ præstantia celebrem, jactare solitum perhibent, eam sibi artem esse, ut, ex* Atho *Monte, Magni simulacrum* Alexandri, *quod altera manu Regium plane flumen, altera Urbem regeret populis frequentem, posset elaborare. Sed hæc vel insanæ commenta arrogantiæ, vel projectæ prorsus in Principem adulationis. Nos quidem sincerius, ac verius totam* Forojuliensem *Urbem (nempe veteris monumenta, novæque obsequium) Tibi PROCURATOR INCLYTE, Angeli sui manibus custodiendam religiose dicamus. Sed dispari ab* Stesicrate *ratione; ille enim ponere studuit, ut* Macedonis *ornaret manum: Nos ut per dexteram hanc tuam, magnorum operum molitricem, ac nostræ securitatis arrham, Urbi decus: & Tutamen accedat. An non accedet ab eo, cujus amplissimæ apud* Galliæ & Britanniæ *Reges, ipsumque sacrorum Principem, susceptæ Legationes famam pariunt nunquam interituram, atque in uberrimas laudes* Angeli Corrarii *regia flumina* Sequanam, Tamisim, *ac triumphalem* Tyberim, *cogunt effluere? Nec ista pacificæ mentis consilia, ac linguæ decora manum tuam reliquerunt ingloriam; Nam bellica arte promptissimus sæpe militares copias rexisti, ac divinæ mentis* Palladem *armatam ostentasti. Quæ præclarissimæ virtutis gesta domi, ac militiæ, in Senatu, ac apud exteros Principes Procuratoriam tibi purpuram, operum tuorum gloria magis, quam nativo murice vernantem colorarunt; ac Sereniss. Reip. gubernaculis Magni Sapientis toties repetito munere imposuerunt. Jam vero Civitatem hanc, non uno nomine jam tuam, Tibi ipsi jure vindicabas. Eam tu perpetuo beneficiorum, adeoque gratissima catena devinctam amoris captivam fecisti: contra hostium conatus vallo, ac tuis cum præconiis in ævum duraturo robore munivisti, fornicibus ac cameratis arcubus, qui Tibi de civium animis dulcissimam victoriam adepto veluti triumphales arcus erigunt, exornasti; aquam non minus, quam favores tuos, in nostram opem uberius cogere extructa machina voluisti; sed decidente opere æternum stabit in posteris Tuæ Magnificentiæ, ac Tutelæ trophæum. In hanc igitur Urbem, quam muneribus tuis, ac patrocinio vel foves, vel illustras, patere,* Procurator Amplissime, *magnitudinem tuam contrahi sine jactura, Angelorum plane exemplo, qui immensas Cælorum moles implent, & curant, atque in spatii punctum absque amplitudinis suæ damno facil-*

cillime contrahuntur. Neque ingratus nostræ Urbis aspectus Tibi videri poterit, cum veterem memoriam repetendo, possis agnoscere alterum Angelum Corrarium, *Sacrorum Præsidem, fervente funestissimi schismatis æstu, undequaque frementibus hostium procellis tutum, in ea portum invenisse. Id certe nobis solatio, atque ornamento erit,* Angeli Corrarii *nomen augustum* Forojuliensi *Civitati olim summa cum potestate præfuisse, nunc eidem typis hisce nova luce gaudenti ad immortale laudis argumentum inscribi.*

Ill^mæ atque Excell^mæ Domin^nis Tuæ

Humillimi, atque Addictissimi Servi

Civit. Fori Julii Provisores, ac Syndici.

ILLUSTRISSIMÆ CIVITATIS
F O R I J U L I I
U N I V E R S I T A T I

Author æternam F. & Famam.



ATRIAM vestram, antiquissimæ Nobilitatis, & Nominis, oblatam Vobis ingenti animi voluptate, ab extero, hilari vultu percurrite, *Heroes, Herique Amplissimi*: Viderunt elapsa jam sæcula, vidit Domina Provinciarum, & gentium *Roma*, cujus *Forum Julii* Colonia extitit, & quidem insignis, monumenta à scriptoribus alibi natis, educatisque conscripta, atque ut ratio postulabat, summopere commendavit. Quis enim aut avide non legerit, aut exquisitissimis in Cœlum laudibus non extulerit *Dionysium*, qui *Romanas* Antiquitates scribere orsus, easdem sublimi, & purgato stylo XI. libris complexus, perennitati tradidit posterorum? Amoris proculdubio evidens argumentum habuit illius ætatis prudentissimus Imperator, cum ad hæc enarranda, unius loci, quem incolebat, benevolentia calamum plenum gratiæ, plenum eruditionis attraxit. Ita ne vero solus ego in præsentia concivis optimi imitationem abhorream! patiar ne studia mea ab aliorum officiosis laboribus anteiri? equidem nec æquum judico, nec honestum, ornamenta tam egregiæ, piæ, & fortis Civitatis indonata deserere lumine litterarum, in qua, Sacerdotio functus, Annos integros duxi, nullius certe, vel odio, vel querela. Doluisset igitur Animus, si Res beneficentissimi populi oblivione pene deperditas, & veluti tetra caligne circumfusas nequaquam, ubi otium *Apollo* concessisset, calamo, in omnium mentes, & oculos eduxissem; titillabat Indolem Nobilitas tam præclara, stimulabantque non semel præcordia magnifica Antiquitatis Insignia, quo facilius labori dexteram admoverem: quis enim FORUM hoc JULII (licet sic appellare Authorum LXXX. consensu) omnigena Elogiorum Coronide non ornaverit, cum Divini Numinis nunquam interruptis beneficiis suffultum, custoditum, moderatumque apertissime deprehenderit? atque fateri hoc quidem, vel pertinax ipsa invidorum Turba compellitur. Detumescat male sana protervia detractorum; quoties infensissimis Barbarorum procursibus, & irruptionibus devastatum, nudatum mœnibus, suorum Civium sanguine volutatum, cineribus obrutum, ossibus consepultum, fluentium Viscerum fœda laceratione discerptum, supremæ nihilo tamen minus clementiæ, summæque Bonitatis fructum, iis exoptatum tantummodo Civitatibus, quas custodit Dominus, gloriose decerpsit; splendori quippe pristino restitutum, copiis, & opibus auctum, jam dici palam potuit, & haberi

PONTIFICVM ROMANORVM HOSPITIVM.	PATRIARCHARVM THRONVS.
CÆSARVM DOMICILIVM.	ANTISTITVM SEDES.
REGVM SOLIVM.	HEROVM SEMINARIVM.
DVCVM SOLVM.	CARNORVM METROPOLIS.
PRINCIPVM SALVS.	HÆRES AQVILEIÆ DIGNITATIS, ET GLORIÆ.

Interim, insita generosis *Forojuliensium* Animis Benignitate præsens hoc opus excipere, ne gravemini: proculdubio si non ingenium, studium saltem erga vestram Patriam Hominis alibi geniti, & commendabitis, & fovebitis: exemplum *Anglorum* Regis Munificentissimi, imitatione dignum, Granditas vestri Animi renovabit in Me; ille siquidem, dum *Polydorum Virgilium* Urbinatem, *Anglicarum* tamen rerum scriptorem, mira benevolentia complexatus, docuit ita agendum esse cum cæteris, qui aliena suscepissent gesta perscribere. Valete, vosque Deus Opt. Max. sospitet, ac fortunet. Die XXI. Martii M. DC. LIII.

INCEPTUM HABES OPUS
AMICE LECTOR,
PRÆSIDE, PRO CHRISTIANISSIMA, AC INVICTISSIMA VENETORUM REPUBLICA.
BARTHOLOMEO DONATO;
CIVITATIS II. VIRIS.
JO. LVDOVICO DE MANIACO,
ET
HIERONYMO GALLO;
QUOD DEMUM FELICES EST AD AVES
TRANSMISSUM.
AUGUSTINO DE PORTIS,
ET
JACOBO HERMANO CLARICINO,
EJUSDEM CIVITATIS II. VIRIS.

LECTORI
Typographus Veteris Editionis.

PLeraque in hoc opus subrepserunt errata; (1) quædam Typorum usitato vitio, quædam Autographi. Cum enim posthumum opus sit & (quod majus est) imperita amanuensis manu descriptum, nonnullos habuit sensus incompositos nonnullos obscuros; ne vero ab Auctoris mente veluti divinando longius iremus, placuit stare scriptis, atque in ejus-em veluti verba jurare. Tu Lector benevole, ingenium, & humanitatem exercebis, si arcanos 10sdam sensus expiscaberis, errores vel Librarii, vel Typographi excusabis. Vale.

(1) *Errata*) Illa omnia fideliter sustulimus; at ubi in Autographo quid mendi subesse suspicabamur, id in Notabis indigitavimus, sicut & infinitas malasdistinctiones sustulimus, typorumque varietate Opus ipsum decore variegatum fecimus.

NOI REFORMATORI
Dello Studio di Padoua.

HAvendo veduto per Fede del Padre Inquisitore, nel Libro, intitolato Antiquitatum Civitatis Fori Julii, *n esservi cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e rimente, per atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi: Concedemo Licenza à* Valentino Mortali *di poterlo Stampare, oſſervando gl' Ordini, &c.*

Dat. à 9. Maggio 1668.

Aluise Contarini Cav. Proc. Reform.
Angelo Corraro Proc. Reform.
Nicolò Sagredo Cav. Proc. Reform.

Angelo Nicolosi Segr.

FINIS.



BASI-


S. DONATUS MARTYR,
Fori Julii Protector.



BASILII ZANCAROLI CYDONII
ANTIQUITATES CIVITATIS
FORI JULII.
LIBER PRIMUS.


A eſt mortalium rerum conditio, ut ſui ſemper inconſtans, & impos, ſummâ ſanè licentiâ in obliqua decurrat; defluunt quippe omnia, atque deflectunt rapida ſuccedentium ſæculorum vertigine, & multa quærimus in Natura ſolliciti, quæ vix edita occaſus violenter abſorbuit. Cecidit hoc quidem, ex ſententia, Ingeniorum Philoſophantium Principi, aſſerenti videlicet, ex corruptione unius, alterius generationem abſolvi, immutatus Aër, quot facies, quot colores, aut quot indumenta non capit? rotatur in turbines, dealbatur in nives, concreſcit in grandines, liqueſcit in pluvias, circumveſtitur in Iride, mugit in Tonitru, igneſcit in fulgure. Demiramur non ſemel hujuſmodi ſuperiorum corporum, unà cum ſubſequis funeribus admixta natalia; neque in aperto veritatis Theatro experientia rerum magiſtra caligat: ſed Urbium æquè, ac
2 Regnorum erumpens quandoque diverſitas, novos linguarum ſonos, inviſos mores invexit, ritus vivendi dedit inſolitos, tulit prodigia, Tecta condit inibi, ubi ſquallor olim, & ſegetum ſolitudo; & quis unquam propoſita ante oculos, vel vaſta magnitudine Regionum, vel immenſitate marium, à curſu, quem *Ægyptii* in *Babylonem* inceperant, quem in *Ægyptum Græci*, in *Africam Tyrii*, in *Hiſpaniam Mauri*, in *Aſiam Macedones*, in *Perſidem Arabes*, in *Chaldæam Medi*, *Phocenſes* in *Galliam*, in *Italiam Gothi*, *Alani*, *Heruli*, *Vandali*, *Longobardi*, *Pannonii*, retardavit? Undè nil poſteà mirum, ſi tanta alienarum Gentium eluvione obruto orbe Terrarum, & Turbarum inconditarum mole penitus fatigato, brevi Bellorum, & diſcordiarum faces exarſerint, effuſi unius humani ſanguinis rivulis extinguendæ; Quodque *Aſſyriis Ninus* uſque ad ſolitudinem Arenarum patefecit Imperium, ad *Medos* tranſierit infami *Sardanapali* ſucceſſoris ignavia, à *Medis* adverſa ex parte ad *Perſas*, à *Perſis* demum ad *Græcos* Viribus imperterritis *Alexandri*, ad quas rurſus radicitus evellendas immaniſſimis animis *Romani* Imperii felicitas dimicavit.

Ex allatis efflorescentium in diës individuorum eventibus juvat in præſentia noſtri Inſtituti ſeriem aggredi, & quæ, aut quot Nomina *Auſtriæ* Civitas Illuſtriſſima ſuorum conditorum ſuffragiis ſortita jam fuerit, quot injurias Nationum perpeſſa, quot, quaſque gubernationes, & mutationes inierit, percenſere; quæ quidem ita velim eſ-
A ſe narrata, ut non culpis, ſeù criminibus Incolarum; non Principum dominandi libidini, non efferatæ Naturæ procerum, non perduellium veſanis conſiliis, quin potentiſſimæ potiſſimùm impendentium Viciſſitudinum impotentiæ referantur, quam nec à ſubempyreis ipſis orbibus elementorum abraſimus.

CARNORUM itaque Regio (quam Vulgus hodie *la Patria del Friuli* nominat) poſtrema Regionum ponitur in *Italia* à *Candido*: Arcet Nos ab ejus Authoritate ſectanda inſignium itidem ſcriptorum opinio, *Leandri* in primis, atque *Boteri*, penultimam decernentium; Quidquid tamen 3
illi de loco, & ſitu noverint diſputare, non ita
B de cæteris poſtremam ſe ita manifeſtè demonſtrat, dum Ubertate paſcuorum, Agrorum feracitate, piſcoſis, amæniſque fluminibus, Balneis ad morbos, & languores tollendos, per quam idoneis, generoſa equorum ſobole, innocuis ſylvarum acceſſibus, ex quibus ingens Quercuum officina ad Navium Triremiumque ſtructuram evehitur, venuſta Montium celſitudine, Agreſtium, & quadrupedum numero, perſpicuorum fontium perennitate, Aëris Temperie ſaluberrima, Vini valentis ſanè, atque ſuavis, & excellentia, & copia, nobiliſſimis moribus, egregio Urbium, oppidorum, pagorumve ſtatu, inter præcipuas non ſolius
C *Italiæ*, verùm *Europæ* partes, viſa mihi quidem digniſſima collocari. Hinc enim *Hadriatici* Maris fluctibus abluta, hinc in longam planiciem camporum abſtracta ſaltibus, indè, & collibus paulatim erecta, *Alpibus* poſtmodum diademata, quidnam aliud ſuos edocet ſpectatores, quàm quod Aquarum juxtà, tellurisque emollita blanditiis, in ſe utriusque Regnum, utriusque Dominium libenter admitteret, quippe quæ utrique gratiſſima? Habet igitur cum *Sabellico* à Meridie eam partem *Hadriaci* ſinus, quæ eſt inter *Timavi*, & *Liquentiæ* Oſtia; ad Ortum *Iſtriam*, & *Japidiam*, utraque ad *Illyrium* attinet, nunc partem illam *Iſtriæ*, quæ eſt juxta eruptionem *Timavi*, *Cherſum* vocant, reliquum, quod *Japidiæ* eſt, magiſque ad ortum ſolſtitialem vergit; à Septentrione *Alpibus* terminatur, quæ olim ad *Noricum* attinebant,
D nunc confuſis omnibus *Germaniæ* tribuuntur; ab occaſu partim *Bellunenſi*, partim *Tarviſino* Agro uſque ad *Liquentiæ* oſtium cingitur. *Carnus Herculis* filius (ut *Fauſtino Moiſſeſſo* placuit) nomen Provinciæ fecit, cum ad Genitoris fortiſſimi imitanda facinora inflammatus in Italiam penetraſſet ex *Græcia*; nec ſpei diſſona obtigere loca, Viribus

bus hìc, Virisque sibi planè simillimis salutatis: Relatum ab aliis, *Carnutes* in *Gallia* inter *Celtas* Populos, *Andegavensibus*, *Turonibus*que finitimos, ac *Oceano* proximos, in *Italiam* profectos, *Carniæ*, quam scilicet ad habitationem elegerant, dedisse cognomen; Videtur idem, qui supra, *Faustinus* assentire, cum *Carnos* in multis à *Gallis* non differre curiosus observat: *Di che anco la lingua, & i costumi ne danno gran segno, perche la lingua quantunque Italiana, hà infinite voci Francesi, e li accenti in particolare, & i nativi costumi sono parimente assai generosi, subitanei, mobili, ardenti, & tal volta furiosi, mà leali, e nemici mortalissimi di doppiezze, e di tradimenti:* *Carniam* scripsere alii ob id dictam, quòd summis ibi honoribus colebatur *Cardea*, sive *Cardinea*, corrupta tempore voce *Carnia* Cardinum Dea. Inde *Venetia* nuncupatur (licet nomen istud latiùs, longiùsque diffunditur) certè non ignota res exteris, cum in Flore Sanctorum, ut inquiunt, ex *Hispano* in *Italicum* Idioma per *Timotheum Tiberiaci* ad *Cabalos* cucullatum translato, sic reperi. *Fù Papa Pio primo del l'antica Città d' Aquileia della Provincia di Venetia.* *Veneti Paphlagoniæ* in *Asia* fuere Populi, qui ubi, ob raptam ab *Alexandro Paride Helenam*, deletum á *Græcis Ilium* ad cineres usque miserrimè conflagravit, *Antenore Trojano* Duce, cursum ad *Italos* tenuere; quod verò Patria usque modo, quasi primoribus amissis titulis, dicatur, causa triplex accessit, vel quia *Aquilejensium* Patriarcharum (asserto jam in *Christi* Regnum humano genere, purgatoque Dæmonum Victimis) sedes effecta, demptis postremis membris Nominis prudi mancoque Vocabulo, Patriarchatus *Gradum* fecit in Patriam, vel quia *Attila*, aliisque *Barbaris* vita aliquando functis, in Patria iterùm Tecta advolant alacres, quos fera Dynastarum impietas suis sedibus exturbatos in longinquas Regiones impulerat; siquidem communi consilio Patriæ repetere Domicilia dum statuunt, & invicem hortantur, frequens in ore Patriæ nomen illis adhæserat: Tertiam ex *Martiis* monumentis accepimus, quòd nempè Natalium suorum non immemor Urbs Augustissima *Venetorum*, quæ ex *Aquilejensis* Civitatis excidio, & aliorum passim locorum incendiis
5 præclaras in se familias Civium collegerat, Patriam agnovit meritò *Carniam*.

VERUM titulo omnium splendidissimo Patriam *C. Julius Cæsar*, *Romanæ* ut Reipub. ultimus, sic primus Imperatoriæ Majestatis opifex, decoravit, cum Forum suum esse voluerit, & copiarum Victricium stationem, quam nunc incolimus, & de qua loquimur, Civitatem, ex qua in Universam postmodum Eparchiam, tanti Nominis honor, & gloria redundavit, ut *F. Julii*, & dici jam cœperit, etiamque putari. Sed ecce in invidas aures incidimus, jàm stimulis malè sentientium animorum pungimur, ingenium jàm furor exasperat, & levitate verborum ab rei honestate sejuncta exquatere fundamenta non metuit, quæ nec temporum injuria labefactari, nec potentium Adversariorum, aut vacillare malitia, aut debilitari conatibus, comminuique potuerunt; arripiant tamen calamos Ardeliones, ut paginas, unà cum sua ipsorum fama, atramento denigrent. Interim ad Veri commendationem, & Argumenti suscepti præsidium, quos in Historiæ studiis sapientes animadverto, esseque eruditos, accurrant: ponam hic itaque eorum dicta, quibus hæc Civitas esse FORUM JULII demonstratur.

EX ITALIA.

EX tam nobili consensu Virorum detur dicendi facultas in primis *Joanni Candido* (nam, & candore extructam esse Veritatem par est) Patricio gravissimo *Utinensi*, doctrina pariter, & probitate spectabili; Hic in *Lib. I. Aquilejensium Comment: fine*, verba hæc ponit, pauca, sed maximi ponderis, ac momenti. *Julium Castrum*, nunc Civitas *Austria*, à *Julio Cæsare* cognominata. Porrò omni ex parte perfectum, & numeris omnibus absolutum testem invenio; an invadere poterunt pertinaces mendaciorum Artifices, qui a prima Patriæ nascentis origine scribere res gestas orsus, quod Patriæ debebat egregiè, cumulatèque persolvit?

MAJORA porrigit *Paulus Diaconus* Lib. II. 6
cap. IX. sic asserens: Hujus *Venetiæ* nam *Venetiæ* Nomen *Carniæ* Provinciæ inditum) *Aquileja* Civitas exstitit caput, pro qua nunc FORUM JULIUM ità dictum, quod JULIUS CÆSAR negotiationis forum ibi statuerit; Habetur & breviter eodem Lib. Cap. XVIII. nominat eamdem FORUM JULII. in Lib. IV. Cap. VIII. FOROJULIUM oppidum, urbem FORUM JULII. quò ex Auctore omni fide, omni existimatione dignissimo, non modò veritas solidatur, quàm & præstantia celeberrimæ Civitatis apparet; cum *Aquileja* flammis, ferroque vastata ejus in vicem ascendit, verticem supra illius Ditionem extulit, & aliarum velut Urbium Domina Civitas per Antonomasiam nuncupatur.

Meminit hujusce itidem *Raphaël Volaterranus* IV. Geographiæ, exprompsitque ex *Plinio* in III. Naturalis Hist. FORUM JULII antiqua Civitas cujus Incolas FORO-JULIENSES vocat.

ADEST ex amplissimo etiam *Venetorum* Optimatum Collegio *Georgius Gradonicus*, ob Doctrinam, atque prudentiam omnium ordinum amorem, & vota promeritus, qui scriptis *Joanni Baptistæ Justiniano* litteris, nostram habuit opinionem in pretio. *Quanto respiramento credete, che porti poi il volger gli occhi intorno, e vedersi avanti gli occhi per spacio d'un mezo miglio la Città di Cividale, il cui sito giacendo alla foce d'una spatiosa Valle, & sopra un Fiume famoso appresso Scrittori, è così bello, che non dispiacque à Cesare; perche si legge, ch'egli tornando d' Alemagna vi vernò alcune sue legioni, & pose nome alla Città* FORUM JULII.

SYLVESTER *Girellus Urbinas*, Vir honestus, & eloquentiâ insignis, in *Leonardi Lauretani* LXXIV. *Venetiarum* Principis Vita, pulchrè quàm dici potest, Provinciam, & Civitatem eodem licèt sub Nomine assignavit: Cæsar cum videret *Gallum*, quod volebat, quodque fœdere sibi dari petierat, jam fuisse consecutum, idem ipse tentare constituit; misit itàque *Francfurtii* Ducem cum exercitu in *Forum Julii* (adverte optimè Grammatice, Provinciam) ut quæcumque oppida in ea Regione posset, caperet, *Goritiam* primum, & *Tergestum*, *Histriæ* Civitates, se contulit, 7
quæ nullis præsidiis munitæ statim deditionem fecerunt. Inde FORUM JULII profectus (consule ubi propositione utaris) & Civitatem aggressus *Cæsaris* litteris est revocatus; probat autem, & ostendit de Civitate hac nostra fuisse loquutum *Girellum*, *Nicolaus Dolionus* in *Theatro Principum*, & *Hist. Orbis*, parte VIII. *In questo tempo fù dal Duca di Bransuiz posto assedio ad Udine, ma trovandosi la diffesa vie più di quello, che s'havea imaginato, si ridusse à Cividal di Friuli posta appresso il Fiume Natisone, & ivi accampossi.* Non tamen ignoro, *Ludovicum Dominicum* in ea, quam Idiotis Vernacula lingua dedit, conversione *Girelli*, distinxisse *Forum Julii* à Civitate, dùm dixit, *& passato nel Friuli, & assaltato Cividale.* Equidem si Magistratus, qui tunc Civitatem hanc nostram regebant, inspicias, invenies citrà controversiam, *Fori Julii* apud BEMBUM ægrotasse *Franciscum Capellum*, inveniesque *Forojulienses* de sua Civitate

sollicitos

sollicitos à Senatu postulasse, vellet, ut sua stipe A
CC. Equites aleret.

JO. NICOLAUS DOLIONUS in *Europæ Amphitheatro* in *Descript. Italiæ* ad Patriæ *Fori Julii* Typographiam. *Più oltre andando vedesi CIVIDAL di FRIULI, prima detto* FORUM JULII *rouinata dal Rè Theodorico de gli Ostrogotti, e dapoi da Cacano Rè de Bavari, fu poi ristorata, & nominata Città d'AUSTRIA. Passa per lei il Fiume Natisone, sopra lui v'è un superbo Ponte di pietra.*

ACHILLES esset mihi sexcentis in locis *Carolus Sigonius* Humaniorum litterarum in plurimis *Italiæ* Athenæis professor eximius. Unus B
tamen in Lib. I. de Regno *Italiæ* duras cervices emolliat; in quo hæc jacent. *Alboinus* primo adventu *Aquilejam* recepit, reliquis circumjectis oppidis ad deditionem adductis; demum FORUM JULIUM ipsius Provinciæ caput accessit, oppidum à JULIO CÆSARE constitutum cum citeriorem *Galliam* Pro Consule administrans, ibi Juris dicendi causa Forum haberet, atque hoc idem Lib. II. de *Jure Italiæ* affirmavit.

8 PHILIPPUS *Ferrarius* Ordinis Servorum *B. Mariæ* Virginis Theologus, & Civis *Alexandrinus* in SS. Matyrologio, quod edidit, cum publicè in *Ticinensi* Academia Mathematicam edo- C
ceret. SS. *Donati*, & Sociorum, nec non. *D. Paulini Aquilejensis* Antistitis mentionem faciens, in notationibus addit. FORUM JULII, Civitas, de qua *Paulus* Lib. II. quæ nunc *CIVIDAL d'AUSTRIA, seu CIVIDAL del FRIULI* nuncupatur; neque dubitationi locus; Forum namque *Julii* VIII. passuum millibus distare facit *Utino*, ibique servari, colique prædicti S. *Paulini* corpus affirmat; quod citrà dubium apud Nos divinitùs obtigit; eoque magis id elucet ex eodem *Ferrario* in Typographia *Martyrologii Romani*, ubi hæc habet. *Maxima* Virgo apud FO- D
RUM JULIUM; quæ est Urbs *Carnorum* in Vico *Callidiano*. Hæc ille, quibus dictis hæc addit ad *Fori Julii* cognitionem: FORUM JULIUM, quod & Colonia Julia, *Cividal del Friuli.*

CÆSAR *Baronius* Cardinalis ille totius penè eruditionis Antesignanus, præterquam plura, suo tempore in medium adducenda, in suo etiam Martyrologio Civitatem hanc FORUM JULII nominat, cum namque S. *Maximæ* Virginis Die XVI. Maji Festum annunciat, eam apud FORUM JULII multis claram virtutibus, in pace quievisse testatur; & consideranda quidem sunt verba Cardinalis amplissimi, non enim in *Foro Julii*, nè de Provincia tota intelligeretur, sed apud E
Forum Julii, quod est propè, omnes quippe optimè novimus, non in vago, aùt in ignoto aliquo Provinciæ *Foro-Juliensis* angulo, sed apud *Galidanas Aquas* (Pagus hodie Vulgò *Gagliano* dicitur) Virginem Sanctissimam in Christi gremio obdormivisse, multisque miraculis claruisse; *Ne si metta in dubio*, addidit Nicolettus, *questo Foro Giulio esser Cividale, perche fin hoggidì nella sua Chiesa di San Martino col Nome di Santa Massima si vede il suo sepolcro quadrangolare con due Angeli in fronte, sopra de' quali si pensa, che Pemmone forse il Duca, & un certo Giovanni, come ritrovasi nell' Inscrittione, che la circonda, di lingua, & caratteri Longo-* F
bardi, overo Sclavi, fondorno l'Altar Maggiore, acciòche sopra l'ossa, over Reliquie d'una Vergine illustre per Santità, & per miracoli à Christo s'offrisce
9. *il Sacrificio.*

Observat hoc idem Magister *Bellinus Patavinus* Ordinis Heremitanorum S. *Augustini* in Martyrologio, quod secundum morem R. E. edidit M. D. XLVIII. sic enim ibi: in pago FOROJULIENSI. S. *Maximæ* Virginis, quæ multis clara virtutibus in pace quievit.

M. ANTONIUS COCCIUS *Sabellicus*, tanta, & propè ferrea ingenii Vi ad perdiscendas litteras præditus, ut planè imberbis, scribente *Jovio*, apud *Tiburtes* ludum litterarium aperiret: variis in locis, ac præcipuè in Lib. III. de Vetustate Patriæ: Liberet nunc suspicari FORUM JULIUM *Cividatum* esse, quod *Ptolomæus* post *Aquilejam*, & *Concordiam* inter Mediterraneas *Carnorum* Urbes numerat; nisi nunc quoque extarent antiquissimi Oppidi Vestigia in Montanis *Carnis*, quem locum proximi Incolæ *Julium* vocant, quamquàm *Plinius Carnium Julium* appellat & non *Forum Julium*; illud in montibus situm, ut fieri possit, *Julium* diversum oppidum fuisse à *Foro Julio*, quod illud in *Alpibus*; hoc verò ad radices montium sederit. En quàm pulchra *Julii Castri* à nostro *Foro Julii* differentia; quam attigit etiam in IV. *Urban.* Comment. *Volaterranus*, & aliud *Julium Carnium* supra ad montem pertinens, cujus Colonos *Julienses Carnorum* appellat, & IV. idem *Sabellicus*, *Cividatum*, quod *Forum Julii* esse diximus.

BERNARDUS *Justinianus* Eques, ac D. *Marci* Procurator, genere, & sapientia nominatissimus, in VII. de *origine Venet.* (vertente sic *Ludovico Dominico*) *mà Cacano* (*perciòche gli Avari così chiamono i loro Rè*) *havendo preso, ò per forza, ò per volontà tutti i Castelli intorno à Cormone, Osoppo, Nimis, Gemona, andò à FORO GIULIO, nella qual terra havea inteso, che si era fuggita la Moglie di Gisulfo con tutto il Thesoro.*

SCRIPTOR rerum gestarum ab *Aquilejensibus* Patriarchis: Itaque de medio Patriarcha *Sereno* sublato successit *Callistus*, Vir egregius, & Ecclesiæ *Tarvisinæ* Archidiaconus, qui sub *Luitprando*, *Longobardorum* Rege, Regimen Ecclesiæ 10.
Aquilejensis suscepit. Hoc verò tempore in Castro FOROJULIANO, quod nunc *Civitas Austriæ* appellatur, *Pemmo* Dux præerat; atque alibi de *Cacano Avarum* Rege scribens: *Civitatem Austriæ*, quæ tunc FORUM JULII appellabatur, destruxerunt.

LUDOVICUS *Vergerius*, ut est apud *Munsterum* Lib. III. *Cosmograph.* Cap. CCCCXIII. cum per litteras *Istriæ* Patriæ tabulam inter alias *Italiæ* reponendam efflagitasset ab ipso *Munsterus*, eam delineatam misit, eo modo, quo apud Cosmographum celeberrimum perlustratur; in parte itaque dextera Tabulæ sic Urbes jacent.

Aquileja.
Udine.
Goritia. inde superiùs.
Natisone, fl.
FORUM JULIUM.

FLAVIUS *Blondus* in IX. primæ *Decadis*. Erat Rex *Bavarus* dictus ex gentis consuetudinè *Cacanus*, qui audiens *Romildam Gisulphi* Ducis Uxorem cum filiis *Roboaldo* & *Grimaldo*, cumquè Uxoribus, & Gaza primariorum Gentis *Longobardæ*, qui in prælio ceciderant, sese intra mœnia oppidi FORI JULII communiisse, illud duxit firmitèr è proposito, quam certiore spe, vel obsidione, vel viribus potiundi; quod nostra Civitas sit *illud* apud hunc, & quos invenire potes, Authorem, ostendit *Hieronymus Bardus*. *Gisulfo ritornò in stato, mà da Cacane fu assediato in Cividal del Friuli.*

JOANNES *Michael Pius*, *Bononiensis*, Ordinis *Prædicatorum* Theologus Lib. II. *della nobile, & generosa progenie del Padre S. Domenico in Italia* Cap. XLII. *Narrate le fondationi, &c. Due sono le Città di questo nome Cividal; una ne' Carni posta trà i Monti vicino alla Piave, e si chiama Cividal di Belluno, l'altra nel Ducato del Friuli, ò Friuli, posta nelle foci d'Italia in luogo forte sul Fiume Natisone, che gli passa per mezo, e si chiama hor Cividal del Friuli, hor Cividal d'Austria*, FORUM

11 JULII *in Latino; fù detta, & addimandate Cividal d'Austria, &c.*

MUTIUS *Sforza* in prooemio vitæ B. *Benvenutæ Boyanæ: è si grande ne gli animi humani il desiderio della Nobiltà, la qual da gloria antica procede, che à quanto più antico, & glorioso principio la loro origine riportano, tanto più illustri, e chiari essi si tengono. Quindi veggiamo i Trojani vantarsi, che il loro Ilio sia stato edificato da Nettuno, & Apollo, & gli Atheniesi gloriarsi, che della loro Athene sia stata Pallade fondatrice, la quale etiandio il suo Nome le impose; onde con gran ragiono possono andar altieri i Cividalesi della loro Antichità, & del loro fondatore, il quale, com'è commune opinione, fù* GIULIO CESARE, *che oltre à mille altre sue glorie fù primiero fatto, e chiamato Divo n'Romani; Da lui tutti i Successori Imperatori presero il Nome di Cesare, & se alcuno volesse il contrario dire, per non trovarsi di ciò autorità certa di Scrittore antica, verrà à dare maggior gloria d'Antichità à Cividale per esser stata inanti à Cesare: Basta, che Paolo Diacono, che da questa Città hebbe origine, e scrisse le cose de' Longobardi nel primo Lib. scriva, che Cividal fosse detta* FORUM JULII, *prciòche Giulio Cesare le instituì, & ordinò Mercato d'Traffichi. Hor sia, come si voglia, tutti gli Scrittori, che sono stati appresso, Foro Giulio l'hanno chiamata, e da esso Giulio Cesare, che da se così nominarla vollè, ella prese, & hà rittenuto il Nome. Et Tolomeo scrittore più antico nelle sue Tavole frà i luoghi Mediterranei la pone appunto appresso il Natisone, in quel modo, che ancora hoggidì è situata.*

HONUPHRIUS *Panvinus* in *Gregorio* XIII. Pont: *Gregorius* autèm audita ejus in Concilio *Pisano* depositionis sententia, & Pont: *Alexandri* assumptione, sicut & *Benedictus* XIV. nihili fecit sententiam Concilii, asserens se verum esse Papam, & neminem se excepto, habere potestatem indicendi Concilium Generale; Papatus Insignia nihilominus detinuit usque ad Concilium *Constantiense*; timens tamen, & metuens, nè contra se procederetur juxta *Pisani* Conc: sententiam, lo-
12 cis minutissimis, & securis apud Regem *Ladislaum*, modò apud *Forum Julii*, modò apud *Malatestas Arimini Domicellos*. Quòd verò de Civitate hac nostra, non de *Foro Julii* Provincia fuerit elocutus Historicus ille magnus, & clarus, audias Nicoletum. *Ne con una pertinace contesa si faccia, per così dire, invisibile una Città sopra un'alto Monte posta, con affermare, che questo intelletto rarissimo pose Foro Giulio, per Friuli; si perche egli medesimo nell'Indice minutissimo di quel suo libro de' Papi, e Cardinali col giusto numero rimandando il Lettore all'allegata Autorità, interpreta se stesso, così scrivendo,* Urbs FORI JULII *carte* 272. *Si perche come Prencipe degl'Antiquarii si reputava vergognoso, & indegno della professione, quando ne' suoi scritti una Città antica non fosse stata col Nome antico ricordata.* Petis sapientiorum suffragia.

JOANNES *Baptista Platina* summi judicii, summæque virtutis. *Alex.* V. Natione *Cretensis* (*Rhethymne* natus ex *Philarga*, seù *Philareta* familia, obscura olim, ac tenui, nunc amplissimis cognationibus, & opibus, si per *Turcicam* nuper rabiem licuisset, illustri) *Petrus* anteà vocatus Ord. *Minor.* Frater (quibus etiam in *Cretæ* Metropoli Cœnobium, Templumque magnificentissimè à fundamentis erexit, redditibusque ad XXX. ferè annuorum aureorum M. locupletavit) Archiepiscopus *Mediolanensis*; Vir doctrinæ, & sanctitate Vitæ præclarus, omnium Cardinalium consensu, qui tunc in Conc. *Pisano* erant, Pontifex creatur: Hanc ob rem *Gregorius* in AUSTRIAM CIVITATEM profectus, quasi profugus, de Concilio generali mentionem fecit.

CANDIDUS in VII. Huic interjecto, *Anto-*
A *nio Gætano* Patriarcha, & Cardinale, podagra laborans sedi præfuit Annos VII. Menses II. successit *Antonius Gruariensis* (erat hic etiam purpuratorum unus, de gente *Pancerina*) dùm apud Ecclesiasticos æstuaret schisma, *Angelo Corrario Veneto* S. *Angeli* Cardinale, deinde *Gregorio* XII. appellato, & *Benedicto* XIII. de Pontificatu disceptantibus, quibus in Concilio *Pisano* abrogatis, 13
Alexander V. creatus est. Quamobrem *Gregorius* in Civitatem *Austriam* profectus est. Verum eo in loco nequaquam se tutum, ob tumultus eorum bellicos cum *Utinensibus*, cum arbitraretur, dùm *Latianum* versus proficiscitur, ut Navi *Arimi-*
B *num* tenderet, ab *Utinensibus* insequentibus, captis Episcopis non nullis, supellectilique direpta, vix evadens *Ariminum* pervenit, ubi à *Carolo Malatesta* splendidè habitus est. Vides quàm clarè FORUM JULII cum *Austriæ* Civitate, & hæc rursus cum illo convertitur. *Honuphrius* FORUM nominat JULII, nominat hoc idem *Candidus Austriam Civitatem:* nullibi ergò Terrarum *Forum Julii* præter *Austriam Civitatem*, nullibi *Civitas Austriæ* præter *Forum Julii.*

BELLONUS, cæteræ scripturæ Papæ *Gregorii* tempore, quo erat schisma cum *Benedicto* XIII. qui vocabatur *Petrus* de *Luna*, & ipse *Gregorius*
C vocabatur antea *Angelus Corrarius*, qui, ut ibi in fine scribitur, venit de *Prata* comitatus per Nobb: DD. *Gulielminum* Comitem *Pratæ*, *Vinceslaum*, & *Thomasinum* de *Spilimbergo*, *Jacobum* de *Valvasono*, & cæteros collegatos de *ultra Tolmentum* cum toto exportio Comitatus *Civitatis Austriæ* 1409. Die Pentecostes 29 Maji.

JOANNES *Bonifacius* Doctor Hist: *Tarvisinæ* Lib. I. *Cesare amò tanto questa Provincia, che, come testifica Cicerone contra Vatinio, venendovi spesso, vi fabricò un Castello, che dal suo Nome chiamò GIULIO, & il Territorio suo FORO, onde nacque il nome* FORUM JULII, *che noi Frioli di-*
D *ciamo, il qual Castello fatto poi Città Nobile, fù detta Città d'Austria, & hora Cividal del Friuli.* Audi jam *Sabellicum* in III. *Avares* interim *Noricum* ingressi, omnia ferro, & flamma populantur, atque FORUM JULIUM ipsum, Ducalem SEDEM, obsidione cingunt. Verùm etsi etiam optimè perpendat SYLVIUM in IX. lib. *Blondi* Historiarum compendio, prout *Lucius Fannus* in Vulgares transtulit Voces; prò Nobis ipsum stetisse reperiet. *Cacano Rè di questi Avari intendo, come Romilda Moglie di Gisulfo si era andate à fortificare, dentro la Città del* FRIULI, *insieme con Rodoaldo, & Grimoaldo suoi figlioli, &* 14
E *con gran Tesoro n'andò ad assediarla.*

Petis, iterùm, an ista *Città del FRIULI* cum nostro FORO JULIO referatur? nec deerunt, qui pro me respondeant, & quidem, ut dixi jam antea, Viri doctissimi, & in nullo scientiæ genere non perfecti. *Sigonius* enim in *Regno Italiæ:* Hac clade acceptata *Romilda* uxor, & Filii Ducis, atque eòrum, qui in pugna ceciderant, in OPPIDUM se FORI JULII receperunt. Reliqua vicina Castra reliqui tenuere, in hisque nè prædæ *Hunnis* essent, idoneis se præsidiis munivere; *Hunni* indè cum cætera latè incendio pervastassent, postremo ad FORUM JULIUM accessere,
F atque illud corona circumdederunt.

MARIUS *Mantua Benavidius*, Patritius *Patavinus*, Jurisconsultorum celeberrimus, ter Comes, ter Eques creatus, (cujus insigne extat elogium apud *Jacobum Philippum Thomasium* Episcopum *Æmoniensem* Virorum eruditissimum) *Variarum Lectionum* lib. 1. *Sed rarum crudelitatis exemplum audi Cacani Avari Regis, qui cum Forum Julium obsideret, Urbem sanè tunc præstantissimam, & Aquilejæ excidio, ac ruinis auctam, quasi Arcem & totius* REGIONIS CAPUT.

JA-

JACOBVS *Philippus Bergomensis* Ord. *Heremitarum Supplem. Chronic.* X. *Alboinus* igitur XI. *Longobardorum* Rex, Vir Armis, & Virtute insignis, hoc anno postquam *Gunimundum Gepidarum* Regem occidisset, & *Gepidas* ipsos usque ad internecionem delevisset, ac *Narseti Bellorum* Principi contra *Totilam* auxilio fuisset; ipsum quoque *Totilam* interfecisset, cujus etiam virtute universa *Gothorum* Gens ex *Italia* pulsa fuerat, rogatus ab ipso *Narsete* Eunucho relicta *Pannonia* cum omnibus *Longobardis* suis, tàm Mulieribus, quàm Viris, adjunctis etiam sibi XX. M. *Saxonum* cum ipsis Uxoribus, ac Liberis, armentis quoque, per *Forum Julium Italiam* intravit, & primo ipso FORO JULIO occupato, *Gisulphum* Nepotem suum ibidem primum Ducem præfecit.

15 IOANNES *Antonius Maginus* in *Cosmograph.* XVIII. Descript. *Fori Julii*; *Alcuni pensano, ch'ella pigliasse il Nome da Foro di Giulio, quando Giulio Cesare per lei di là dell' Alpi condusse le sue Legioni; il Biondo asserisce, ch'ella vien così denominata da FORO GIVLIO Città destrutta da Cacano Rè de i Bavari.*

PALINODIAM excipe, concentumque planè mirabilem de consensu. TARCHANIOTA in Lib. VIII. *il Vittorioso Cacano havendo sopra l'altre Città mandata una parte de' suoi, esse co'l resto sopra la Città istessa del FRIULI passò, che dalla ruina d' Aquileia in poi era la prima Città di tutta quella CONTRADA divenuta, & la più forte.*

CASSIODORUS *Variarum* IV. *Theodorici* Regis Epistolam recitat: *Honoratis possessoribus, & Curialibus Forojuliensibus Theodoricus Rex:* inculcat hoc in loco optimè, & ingeniosè, ut assolet *Nicolettus*, in suo M. S. *Forojuliensi Ducatu. Ne anco hora con senso contrario i Forogiuliensi, à quali è mandata la lettera s'interpretaranno per i Provinciali, mà per gli habitatori del Foro Giulio Città; Si perche non nel Contado, mà nella Città, come nel medesimo Scrittore si può agevuolmente comprendere, habitava l'ordine de gli Honorati Possessori, i quali sotto il governo d'un capo destinato dal Rè possedendo i poderi reali, & fatti membri della Corte, erano anco detti Curiali, honore affatto inconvenevole à Rustici, e degno à Cittadini, à quali si deve commettere la compita essecutione de commandamenti de i Prencipi; si perche quell' Altissimo Rè scrivendo à Paolo huomo valoroso, gli commanda, che à Veneti faccia parte de frutti raccolti dalla Città d' Aquileia, Concordia, & Foro Giulio; che quando Forogiuliensi havessero abbracciato la Provincia, era soverchio venire alla susseguente speciale distintione. Paulus* Vir strenuus Senator *Papulus.* Frequenter utilitas publica compendiosa utilitate servatur, quando illud magis acquirit, quod bonorum intercessione remiserit. Veniens itaque Vir Venerabilis *Augustinus* Vita clarus, & Nomine, nobis necessitates fideli allegatione declaravit, non Vini, non Tritici, non Panici species apud ipsos
16 fuisse procreatas, asserens ad tantam penuriam provincialium pervenisse Fortunas, ut per vitæ (*sic*) periculum sustinere possint, nisi eis pietas Regalis solita humanitate prospexerit, quod Nobis crudele visum est aliquid à petentibus postulare, & illud sperare, quo Provincia cognoscitur indigere, à talibus enim solas lacrymas exigit, qui, quod non invenitur, imponit, & ideò tanti Viri allegatione permoti, Vinum, & Triticum, quod Nos in apparatu exercitus ex *Concordiense*, *Aquilejense*, & FOROJULIENSE Civitatibus colligere feceramus præsente authore &c. *Mà appresso gl'intendenti non senza cagione portarà un'habito di poco saggio, di poca consideratione, & (quasi lo dirò senza rispetto) di ridicolosa, perche vivendo Theodorico il Friuli non fù Provincia distinta, mà ben incorporata con la Venetia, ò pur Marca Trivigiana, la qual cosa se ben è più chiara d'ogni luce, più palpabile d'ogni sodezza, più indubitabile dell'istessa Verità, nondimeno si farà per l'autorità de' sottoscritti Autori, & levarà ogni argomento, che da gli affetti humani si potesse opporre. Et Antoninus Imperator in suo Itinerario: Venetia* cum *Istris*, in qua est *Aquileja.*

Pomponius Mela Lib. II. Carni, & *Veneti colunt Togatam Galliam.*

Paulus Diaconus: indeque *Alboin* cum *Venetiæ* fines, quæ prima est *Italiæ* Provincia, sine aliquo obstaculo, hoc est Civitatis, vel potius Castri FORI JULII terminos introisset, perpendere cœpit, cui potissimum primam Provinciam, quam ceperat, committere deberet; & *cap.* 15. *Venetia* non solùm in paucis Insulis, quas nunc *Venetias* dicimus, constat; sed ejus terminos à *Pannoniæ* finibus usque ad *Abduam* fluvium. *Et post paucas lineas*: *Venetiæ* etiam *Istria* connectitur, & citraque una Provincia habentur. *D. M. Antonius Sabellicus in proëmio Lib. I. Antiquitat. Patriæ*; quippè qui *Aquilejensis* Patriæ, quæ, ut *Plinio* placet, tota *Venetæ* Terræ portio est. *Candidus Lib. primo agens de Euganeis*; quorum quidem Regio absque dubio *Venetia* dicitur, terminique constituuntur, ab oriente *Timavus*, ab occasu *Mincius*, aut aliis ex ten- 17
dentibus *Abdua* parum absfuit, quin à memoria subterfugeret, ad primæ scilicèt *Theodorici* Regis Epistolæ Veritatem pertinens dictum clarissimum *Lazii*, XII. Comment. Cap. III. sic *Cassiodorus* Lib. *Variarum* cognitionum secundo refert Epistolam *Theodorici* Regis ad honoratos Possessores, & Defensores, ac Curiales *Tridentinæ* Civitatis, & lib. IV. alteram *Theodorici* introduxit Epistolam ad honoratos Possessores, & Curiales FOROJULIENSIS Civitatis.

FRANCISCUS *Bossus*, Vates *Tarvisinus*, cui etsi rudis aliquandò obtigit musa, Rerum ille tamèn antiquarum cognitionem apprimè callebat: in quodam poëmate edito MCCCCXXXI. *Romildæ* mortem atrocissimam lacrymatus hoc fudit hexametrum.

FORO JULIENSE ferunt Castrum dixisse priores.

Quod verò Civitatis nostræ Nomen universæ subindè cesserit Regioni, consentit *Fl. Blondus* in VIII. Hist: fecerunt iter *Longobardi* per patentem malo nostro portam, quæ ab ipso conditi orbis initio relicta fuisse videtur *Barbaris* ad *Italiæ* invasionem, decedentes namque *Pannonia* per *Noricum*, quæ prius *Bavaria*, nunc & in parte dicitur *Austria*, pervenere *Liburniam*, quæ tunc, sicut & nunc, dicta est Provincia *Fori Julii*, oppidoque FORO *Julio*, quod dat Nomen Provinciæ, &c. præbet & assensum *Bernardus Justinianus* Lib. VIII. *il Nome della Città fù dato alla Provincia, & s'è chiamata la Patria del Friuli.* comitatur hoc *Julius Averoldus* in *Venetis* Annalibus. *L'altra parte è il Friuli da una Nobil Città, che fù di già nominata FORO GIVLIO.* Sed quid? Viri Principes secundiore cursu nostris assertis jam faveant. Et quidem non vacat integra huc Diplomata (ea Ducales dicuntur) recensere Serenissimorum Principum *Venetorum*, qui omnes, vel cum Reipubl. tunc existenti, vel cum tandem ipsos maturo sanè, proboque judicio *Venetos* excepere Provisores *Civitatenses*, iis Magistratibus scribunt, semper Civitatem FORI *Ju-* 18
lii nominarunt, & nominant. An non imperterrita hæc Historiæ fundamenta? an non maxima veritatis indicia? audebunt forsitan quidam Civitatem istam haud esse *Forum Julianum* asserere? en Principes toto orbe sapientissimi, prudentissimique, quibus aperta sunt omnia, nota nova, ac vetera, eam hoc Titulo decorarunt.

JOANNES BAPTISTA *Pigna*, de Principibus *Ateſtinis* Hiſtoriæ Lib: I. *Longobardi Beneventi*, *Spoleti*, apud FORUM JULII ſingulos Duces collocavere. Uni *Campanos*, *Brutios*, *Samnites*, & *Lucanos* attribuere. Alteri *Umbriam*, atque *Hetruriam*. Tertio FOROJULIENSES, *Carnos*, & *Japidas* ſubjecerunt; & paulò poſt: Anno ejuſdem ſæculi XII. *Cacanus Avarum* Rex, excurſione in *Carnos* facta, *Longobardos* cum *Giſulpho* Duce trucidavit, & locis temerè munitis nullo negotio potitus, FORUMJULII, prodente *Rhomilda Giſulphi* Uxore, obtinuit, quæ capta Amore ipſius *Cacani* juvenis formoſiſſimi, fortunarum mariti, URBISQUE eum compotem fecit.

JOANNES FRANCISCUS *Tinctus* de *Veronæ* Nobilitate Lib: IV. Cap. IX. *Occupò Alboino in Venetia, primieramente la Città di FORO di GIULIO, da poi Trevigi, Vicenza, e Verona, & Cap. XI. Dopò la morte di Alboino i Longobardi congregato in Verona general Concilio crearono loro Rè Dalfone Huomo Nobiliſſimo, che transferi la ſede del Regno da Verona in Pavia; mà dopò ch'egli fu ucciſo à tradimento da Giubieno ſuo famigliare il ſecondo anno del ſuo Regno, ſtete quella Gente ſenza Rè per dieci Anni, tenendo ciaſcuna CITTA' in quel tempo il ſuo Duca, onde era retta, è governata.*

Era Duca di Milano Alboino.
Tabano di Pavia.
Vallari di Bergamo.
Gorno di Trento.
Giſolfo di FORO di GIULIO.
Authari, Figliolo dell'ucciſo Rè, di Verona.

19 JOANNES *Malumbra* Tabulam Europæ VI. *Ptolemei* Vulgi auribus, oculiſque conſignans. FORUM JULIUM, FORO di GIULIO, Colonia. Cividal di Friuli.

A Germano hujuſmodi genere verſionis non longè certè diſtaret Lib. I. de *Antiquit. Urbis Patavii*, *Bernardinus Scardeonius*, ſi communi utique, non *Latino*, ut ipſe fecit, idiomate Hiſtoriam mandaſſet poſteritati, dum hæc ſcripſit; in finibus autèm *Italiæ* urbes mediterraneæ ſunt: *Pucium*, *Pinguentum*, *Altinum*, itèm in *Carnorum* Regione FORUM JULIUM, *Concordia*, *Aquileja*, omnes Coloniæ *Romanorum*.

MAPHÆUS *Gerardellus Eccleſiaſt. Rerum Hiſt.* Lib. X. *Dagl'iſteſſi movimenti fatti arditi paſſarono anco gli Schiavi il Danubio, penetrati parte di eſſi ſino nell'Iſtria, parte altrove, Scorſe .... Rè degli Avari nel Friuli dove morte il Duca Giſolfo preſe la Città del FORO GIULIO datali dalla Ducheſſa Romilda.*

Franciſcus Berlingerius in *Italiæ Deſcript.* cap. VI.

...... deſtructa.
Da Rege Theodorico Oſtrogoto.
Dipoi trà monti eccelſi è la CITTATE.
D'AUSTRIA, la qual per CIVIDAL
denoto.
Queſte Mure da GALLI edificate
Si credono.

GABRIEL *Simeonius Florentinus* Lib. I. de *Venet.* Origine. *Vennero in queſti tempi gli Avari, ò Bavari, è fatta giornata con Giſulfo depredorno tutta la Carnia, inſieme con la Terra di FRIULI, detta GIULIO.*

LUDOVICUS *Dominicus* in ſua *Pauli Diaconi* Verſione Lib. II. Cap. VII. *Conſiderando dunque Alboino, chi doveſſe in detti loghi laſciare Duca, deliberò di laſciare il governo della Città del FRIULI, e di tutto quel Paeſe à Giſulfo ſuo Nipote.*

20 HENRICUS *Spondanus*, *Maulonenſis*, Presbyter *Romanus*, cujus neſcias quod non laudes, ſummam ne eruditionem, atque doctrinam, an eloquentiam? in Annali Eccleſiaſt: Pag: 670. Hoc igitur modo duo diverſi, diverſeque contrarii fuerunt ejuſdem Provinciæ Patriarchæ. Hactenus

A enim, qui *Aquilejenſis* fuit Epiſcopus, idem & *Gradenſis* dictus eſt. Factum verò eſt etiam poſteà, ut cum *Aquilejenſis* ſecuritatis cauſa tempore Belli ſeſe ad FORUM JULII contuliſſet, idem quoque FORO JULIENSIS, ſive JULIENSIS Patriarcha nominaretur, & pag. 768. quo ipſo Anno nempè 791. celebratum eſt in *Italia* Concilium FOROJULIENSE ſub *Paulino* Patriarcha *Aquilejenſi*, pietate, & doctrina conſpicuo, ſub cujus Metropoli FOROJULIUM nominabatur.

FERDINANDUS *Hughellus Florentinus* Abbas SS. *Vincentii*, & *Anaſtaſii* ad *Aquas Salvias*
B Ord: *Ciſtercienſis*, virorum haud dubiè eruditiſſimus, & cum antiquis quibuſve Hiſtoricis conferendus, *in Italia Sacra* Tom: V. ubi doctè, & diſertè, ut ſolet, plura de Patriarchis *Aquilejenſibus* cum enarraſſet, atque *Calliſti* Cathedram attigiſſet, orbis in conſpectum noſtram hoc planè modo Civitatem locavit: Hic (ſcilicet *Calliſtus*) quod in Civitate FORIJULII, ea *Cividal di FRIULI*, ſeu *de AUSTRIA* dicitur, pulſo inde *Amatore* Epiſcopo fixiſſet ſedem, factum eſt, ut non amplius *Aquilejenſis*, ſed FOROJULIENSIS Patriarcha, ſeu *Patriarcha* de FORO JULII per ea tempora diceretur; & inferius. Sepultus
C fuit *Paulinus* in Eccleſia FORI JULII in majori Baſilica, ubi Concilium celebraverat.

JOANNES FRANCISCUS *Ulmus* I. V. D. in *Veneti* florentiſſimi Dominii Relatione, quam cum illa *Poloniæ*, *Boëmiæ*que connexa ad *Joannem Cornelium* Principem Sereniſſimum, & Senatum ampliſſimum ſcribit. Tit. *le Città principali* propè finem.

Nel Friuli vi è Udine, dove riſiede il ſupremo Magiſtrato con titolo di Luogotenente Generale della Patria del Friuli; Con CIVIDALE, ch'hebbe già proprio Paſtore.

Jam verò adverſus ſe, quotquot ſuis in Caſtris 21
D *Pallas* enumerat, excitaſſet *Ambroſius Calepinus*, ſi, quæ neque novit neque probavit Antiquitas, melius utique conſultus, non ſuſtuliſſet è medio. Sed quid *Latini* ſermonis Magiſter eximius, quid locorum omnium benè conſcius? ut jam dixerim, in publico Litteratorum Concilio approbatum, atque decretum, fidem eſſe præſtandam per omnia *Calepino*, & nihil in ipſo poſſe damnari. FORUM JULIUM *Carnorum*, quod *CIVIDAL* nominatur, oppidum, ſeu Urbs non ignobilis.

Neque diſcrepat *Cæſar Calderinus*, qui ut clarius veritas illuceſceret, addere hæc peropportu-
E num exiſtimat: FORUM JULII *CIVIDAL del FRIULI ne i antichi, e moderni nomi.*

Et prudenter quidem *Petrus Galeſinus* hanc eandem ſententiam per ſcripta tranſmiſit. *CIVIDAL del FRIULI*; FORUM JULIUM.

Videre ſummoperè cupis, quid *Philippus Venutius*? eruditum pro certo pertentas; hoc in præſentia didiciſſe ſufficiat, *Cividal di Friuli, Città Nobile* FORUM JULIUM.

Sed quis unquam *Horatio Turſellino* è Societate *Jeſu*, aut in Pædotribia præſtantior, aut in Hiſtorica facultate, & Rhetorica clarior? *CITTA' di FRIULI* FORUM JULIUM in ſua No-
F menclatura.

Dictu difficile, quanto nam in pretio Authores hoſce habendos exiſtimem, quorum dictata, velut oracula ubique Gentium conſtituta gymnaſia receperunt: an ergò ſilerent tot Præceptores, ac Pædagogi puerorum ingenia miſerrimè ſuffocaturi, ſi paterentur falſa ab ipſis Calligraphiæ præcepta tradi? an qui Alphabetarium in Tabella indicem in Auditoris innocentiſſimi aures inſtillat, elementa confundit? quid ſi Rerum nomina poſteà non ex Superiorum Imperio impertiret, nonne

ne pessum irent omnia, atque illa communio, quæ inter Homines intercedit, obliteratis Rerum, locorumque Nominibus, evanesceret, & periret? bene itaque digesta sunt studia. *Ne i Antichi, e Moderni*, FORUM JULIUM sem-
22 per appellatum invenies *Fori Julii* Civitatem, ut quando vel inhibente invidia sic eam appellare renuis, & silere omninò recusas, bonus omninò esse nequeas Discipulus Litterarum, sequax Veritatis, & Assecla, quin acerrimè vapulabis, instigantibus rigidissimis Grammatistis.

Sed si lætè parùm exegimus subtristes Grammaticos, feramus gressum ad *Joannis Boteri* Relationes, eas tamèn nomino, quibus centum exactissimas Tabulas *Petrus Martyr* connexuit *Mediolani*, videre itàque poteris Europæ Tabulam L. *CIVIDAL d' AUSTRIA* olim FORUM JULII.

Verùm admiratione defixum te video, cur in tot, tantorumque Virorum insigni Synedrio *C. Cornelius Tacitus* taceat. Testes in affectum cordis nunquam adducimus, non hebeti, aut rudi ità me putes Ingenio. Virum maximum pro nostra Civitate stetisse non unus ego; sed *Ferrarius*, *Ortelius*, *Blaeu*, *Merula*, *Hondius*, & alii doctissimi, ac eruditissimi contestentur, consere cum ipsis manus, si possis.

LICEAT porro nunc PETRUM *Messiam* in *Phoca Romanorum* Imp. uti *Italorum* eloquio: *Cacano prese per forza d' Arme la Città chiamata FORO GIULIO, & la distrusse del tutto.* Asseris, Commentariis, aut dilucidationibus dicta tantorum indigere Virorum? obtemperabo quam libentissimè. *Bonifacius Tarvisinæ* Hist. II. *Cacano coll' ajuto delli Hunni assaltò il Friuli, & ruppe, & tagliò à pezzi Gisulfo Longobardo Duca, impadronendosi de i luoghi non pressidiati, & postosi all' assedio di CIVIDAL del FRIULI all' hora stanza de i Duchi del Friuli, mentre egli un giorno, &c.* Scriptor rerum gestarum ab *Aquilejensibus* Patriarchis; *Avares* CIVITATEM AUSTRIÆ, quæ tunc Castrum F. JULII. appellabatur, destruxerunt.

CÆTERUM plurimos vocavimus ex *Italia*. Videamus, quid exteri sentiant, pudet profectò; ubi edocendi sunt ab alibi genitis *Itali*, qui ea se vel nescire simulant, vel scire non curant, vel negant audacter, quæ Homines in extremis ferè Orbis partibus procreatos non fugiunt; Vocetur

EX POLONIA

23 ABRAAMUS *Bzovius* Ord. Prædicatorum Theologus Tomo *Annal. Ecclesiast.* XV. quos ipse infinitæ lectionis *Baronio Cardinali* conjunxit, quid de nostra Civitate reliquerit, audiatur. *Gregorius* (sunt ipsissima *Bzovii* Verba) illegitimum esse pronunciabat (de *Pisano* Concilio loquitur, dubitatum quippe fuerat valdè, & acriter disceptatum, an illud legitimum fuerit, quando sine ulla *Romani* Pont. Authoritate erat indictum) quamobrem aliud etiam ipse in FORO JULII circa *Aquilejam* datis ad Prælatos Ecclesiæ, Principes, & Communitates, litteris indixit, atque tempore designato celebravit. Hæres? eumdem legas, qui post enarrata Synodi prædicta capitula, sivè scripturam potiùs eadem in Synodo à *Gregorio*, qui super, Pontifice promulgatam, sic terminat: Lecta fuit dicta scriptura in Sacra Synodo CIVITATIS AUSTRIÆ congregata Die Jovis, quinto Septembris M. CCCC. IX. Pontificatus D. N. *Gregorii* XII. Anno III. Obstrepis adhùc, an dormis? accurrat promulgaturus non dissimilia

ALEXANDER *Scultetus*, Civis, & Canonicus *Varmiensis* in Chronographia, pag. 127. *Cacanus* capit FORUM JULII, & solo æquat.

EX BELGIO.

ABRAAMUS *Ortelius* Cosmographus egregie doctus in *Thesauro* Geographico, FORUM JULIUM *Italiæ* Regio, cujus Incolæ *Transpadani* cognominantur, ut *Plinius* tradit, hodie *Germani Friul'*, *Itali Friuli* vocant. *Venetis* quoque Patria dicitur. FORUM JULIUM Φόρος Ἰούλιος *Carnorum* Urbs, & Colonia *Tacito*, & *Ptolemæo*, *Leandro*, & *Lazio Cividal d' Austria*, *&c.*

JOANNES *Blaeu* parte III. *Theatri Orbis Terrarum*, quod *Atlas novus* audit. FORUM JU- 24
LIUM. Nomen huic Regioni, vel à FORO JULIO Urbe primaria; vel à *Julio Cæsare*, qui aliquot Legiones hac adversus *Germanos* duxerit, & (addit) supra *Aquilejam* Septentrionem versus ad *Natisonem* Civitas jacet, quæ FORUM JULIUM *Tacito* non uno in loco, hodie Vulgò *CIVIDAL di Friuli.*

PAULUS *Merula* Cosmographus *Par.* II. *Lib.* IV. *Cap.* XXXVII. suprà *Aquilejam* Septentrionem versus inter *Natisonem* Civitas jacet, quæ FORUM JULIUM Tacito. Φόρος Ἰούλιος *Ptolemæo*. *Castrum Juliense Paulo Diacono*; hodie vulgò *CIVIDAL d' AUSTRIA.* Causam mutatæ appellationis notat apud *Leandrum Candidus*, jacet in faucibus *Italiæ* loco natura munitissimo, habens in flumine percurrente lapideum Pontem: ab ea universæ Regioni Nomen.

Habeo etiam, quo tam confertam accumulem veritatem, longam illam, ac nobilem seriem XLIV. Voluminum; in quibus Gentium omnium Dominia, & mores, & opes singulari, fideli que narratione, *Belgicæ* Nationis industriæ inspectantur, ut certè coacervari nil possit, quod ibi in promptu non sit. Vetus FORUM JULIUM Civitas inter Montes jacet, primùm à *Theodorico*, deinde à *Cacano Pannoniorum* Rege eversa, instaurata, deinde CIVITATIS AUSTRIÆ nomen accepit, jacet in faucibus *Italiæ*, mediamque percurrit *Natiso* nobili Lapideo Ponte instructus.

JODOCUS *Hondius* in *Italiæ* Descript. Cap. XX. supra *Aquilejam* Septentrionem versus inter Montes ad *Natisonem* Civitas jacet, quæ FORUM JULIUM, hodie vulgò *Cividal d' Austria.*

EX GALLIA

ROBERTUS *Gagninus* (cujus quidem Virtuti nescio, cur rigidos sese ità præstiterint *Jovius*, *Latomus*que) in IV. ut asserit *Nicolettus. Gisulpho* malè accidit; *Cacanus* enim ex *Norica*, quæ 25
Terra *Venetiis* finitima est, in *Italiam* irrumpens, *Gisulphum* cum copiis sibi occurrentem occidit: quam rem gestam huic compendio ideo insertam esse nolui propter detestabile facinus, quod inde secutum est. *Gisulpho* prostrato, *Romilda* ejus Uxor FORUM JULIUM diligenter à se communitum defensare proponit, sed inconstans, & libidinosa fæmina, dùm muris obequitantem Hominem specie, & Viribus validum conspicit, Colloquium ejus postulat; igitur ex muro *Cacanum* vocans, oppidum dedere offert, si se ducat Uxorem, qua oblatione lætus Hostis per Nuncium jurat, se fæminæ pariturum; Hac tantum fide Oppidum *Cacanus* recepit; sed perfidus Barbarus continuò emissa à FORO JULIO Turba oppidum cremat.

EGINHARDUS *Caroli Magni* gestorum Scriptor egregius, citatus à *Cardinali Bar. Ecclesiast. Annal.* tom. IX. dùm *Caroli M.* Imperatoris Testamenti rerum mobilium mentionem facit, sic ait: Divisionem tamen Thesaurorum pecuniæ, ac Vestium, aliæque supellectilis coràm Amicis, & Ministris suis, annis tribus antequam decederet,

ret, fecit, conteſtatus eos, ut poſt obitum ſuum à ſe facta diſtributio per illorum ſuffragium rata permaneret, quidquid ex eis, quæ diviſerat, fieri vellet, breviario comprehendit, cujus Ratio, ac Textus talis eſt:

„ In Nomine Dei Omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Incipit Deſcriptio, atque Diviſio, quæ facta eſt à Glorioſiſſimo, atque Piiſſimo Imperatore *Carolo* Auguſto. Anno ab Incarnatione Domini Noſtri *Jeſu Chriſti* octingenteſimo undecimo, Anno verò ejus Regni in *Francia*, quadrageſimo tertio, & in *Italia* trigeſimo ſexto, Imperii autem undecimo, Indictione quarta; quam pia conſideratione facere decrevit, & Domino annuente perfecit de Theſauris ſuis, atque pecunia, quæ in illo die in Camera ejus inventa eſt; in qua illud præcipuè præcavere voluit, ut non ſo-
26 lum æleemoſynarum largitio, quæ ſolemniter apud *Criſtianos* de poſſeſſionibus eorum agitur, pro ſe quoque de ſua pecunia, ordine, atque ratione perficeretur, ſed etiam ut hæredes ſui omni ambiguitate remota; quid ad ſe pertineret, liquidò cognoſcerent, & ſinè lite, atque contentione, ſua inter ſe competenti partitione dividere poſſent. Hac igitur intentione, atque propoſito omnem ſupellectilem, atque ſubſtantiam ſuam, tàm in Auro, quàm in Argento, gemmiſque, & ornatu Regio, quæ (ut dictum eſt) illa die in Camera ejus inveniri poterat, primò quidem trina diviſione partitus eſt; deinde eaſdem partes ſubdividendo, de duabus partibus viginti unas partes fecit, & tertiam integram reſervavit, & duarum quidem partium in XXI. partes facta Diviſio tali ratione conſiſtit, ut quia in Regno illius Metropolitanæ Civitates XXI. eſſe noſcuntur, una quaque illarum partium ad unamquamque Metropolim per manus Hæredum, & Amicorum ſuorum æleemoſynæ nomine perveniat. Et Archiepiſcopus, qui tunc illius Eccleſiæ Rector extiterit, partem, quæ Eccleſiæ ſuæ data eſt, ſuſcipiens cum ſuis ſuffraganeis partiatur, eo ſcilicet modo, ut pars tertia ſuæ Eccleſiæ ſit, duæ verò partes inter Suffraganeos dividantur. Harum Diviſionum, quæ ex duabus primis partibus factæ ſunt, & juxta Metropoliticarum Civitatum numerum XXI. eſſe noſcuntur, unaquaque ab altera ſequeſtrata, ſemotim in ſuo Repoſitorio cum ſuperſcriptione Civitatis, ad quam perferenda erat, condita jacet. Nomina verò Metropolitarum Civitatum, ad quas eadem æleemoſyna, vel largitio data eſt, hæc ſunt, *Roma*, *Ravenna*, *Mediolanum*, FORUM JULII, *Gradus*, *Colonia*, *Moguntiacum*, *Vivagum*, quæ eſt *Salzburgum*, *Rotomagus*, *Treveri*, *Senones*, *Veſuntium*, *Lugduni*, *Rhemi*, *Arelatum*, *Vienna*, *Tarantaſia*, *Ebrodunum*, *Burdigala*, *Turones*, *Bituriges*.„

Quid ad hæc? Notat *Baronius*. Hic adverte lector, *Aquilejam* non poni, quod ejus ſedes, ut dictum eſt, translata fuerit FORUM JULII,
27 hinc eſt, ut ſæpe reperiatur ſcriptus PATRIARCHA FORIJULII, loco Patriarchæ *Aquilejæ*, hinc leges apud *Sigebertum*, cum eædem Metropoles recenſentur, cum nominat FORUM JULIUM, ſic ait: *Forum Julium*, quæ, & *Aquileja*; Ecce jam Hæredem factum *Aquilejæ* Dignitatis, & gloriæ Imperator Potentiſſimus ſapientiſſimè judicavit. Nec delicatis auribus indicta faſtidia; exploratiſſimum eſt, imperante *Carolo* in hac noſtra Civitate, ut & longè antè ipſum *Carolum*, Patriarchas *Aquilejenſis* Eccleſiæ reſediſſe. Petis Sanctiſſimum *Paulinum* ſub *Carolo* Imperatore? ipſum FORI JULII Patriarcham

A nominant *Baronius*, *Valphridus*, *Strabo*, *Eginhardus*.

Quoniam verò Imperatorum verſamur in Aula, in Auguſtiſſimo inſuper *Romani* Imperii ſolio *Auguſti* itidem audiantur, quorum Authoritate ſacris veluti legibus ſanciatur Veritatis Hiſtoria. Itàque *Ludovici*, & *Chlotarii* Regum ſimul, & Imperatorum Diploma Antiquiſſimum perlegatur, in quo duo illi *Maxentio*, qui ſuper Patriarchæ S. *Mariæ* in *Valle Cœnobium* conceſſit, præclaram etiam de noſtra Civitate mentionem inſinuant:

B „ In Nomine Domini, & Redemptoris Noſtri *Jeſu Chriſti*. Nos *Ludovicus*, & *Chlotarius* Divina ordinante providentia Imperatores Auguſti. Si liberalitatis noſtræ munere aliquid locis Deo dicatis auxilii conferimus, Id nobis procul dubio, & ſtabilitate Imperii noſtri, & ad Animæ emolumentum profuturum, liquidò credimus? proindè noverit experientia omnium fidelium S. Dei Eccleſiæ, noſtrorumque tàm præſentium, quam futurorum, quia veniens in præſentia culminis Noſtri *Maxentius* *Aquilejenſis* Eccleſiæ Patriarcha, precibus, quibus voluit, noſtram imploravit clementiam, uti Monaſterium *Puellarum*, quod dicitur *Sanctæ*
C *Mariæ in Valle*, quod eſt ſitum juxta Baſilicam *Sancti Joanni* conſtructam, infrà muros Civitatis FORO JULIENSIS in loco, qui dicitur Vallis prædictæ Matris Eccleſiæ, *Sancti Marci* Evangeliſtæ, & *Sancti Hermagoræ* Mart. atque Pontificis, ubi Authore Deo ipſe Patriar- 28
cha præeſt, tribueremus, quod ità, & Nos feciſſe, omnium veſtrum cognoſcat induſtria, & ideò ob firmitatis ſtudium has noſtras Imperiales Apices prædictæ Matri Eccleſiæ fieri juſſimus.„

IVON *Carnutenſis* multiſcius ſuo in *Chronico*, quæ ſub *Phoca* Imperatore ſunt geſta, commemo-
D rans. FORUM JULIUM à *Romilda* proditum, & direptum.

PETRUS *Heynſius* in *Speculo orbis Terrarum* Tabula LI. *Cividal d'AUSTRIA*, olim FORUM JULII.

GULILELMUS *Soonus* in eo Libello, cui Novi Orbis Terrarum Incolæ Titulus; FORUM JULII, *Fori Julii* Regionis q. Metropolis, *CIVIDAL di FRIULI*.

CLAUDIUS *Bartholomæus Moriſottus Divionenſis*, Vir ſapientia, rerumque uſu graviſſimus, Orbis Maritimi, ſivè Rerum in Mari, & Littoribus geſtarum Generalis Hiſtoriæ *Lib. II. cap. 2.*
E *Gothis in Italia ſucceſſere* Longobardi *à* Narſete *evocati*, *qui*, Juſtiniano *mortuo*, *inſolentem* Sophiæ *Imperatricis cavillationem ulciſci volebat. Iſti* Gothicæ, *&* Vandalicæ *originis primum*, *ſicut & ille è* Scanzia, *ſivè* Scandinavia *venerunt*, Ibore, *&* Agione *Ducibus*, *à* Bardis *Sacerdotibus gentilibus*, *vel à* longis Barbis *dicti*, *alio nomine* Vaynnili: *Ego* Longobardos Taciti *puto corrupto vocabulo populos* Baltici Maris; *prima Gentis ſedes* Scholandia. 2. Livonia, *&* Pruſſia. 3. Mauringia. 4. Ruplandia. 5. Polonia. 6. *ad* Rheni *fluenta*, *ubi hodie Palatinatus Inferior*. 7. Moravia. 8. Pannonia; *à quibus vocati ſunt à* Narſete, *ut in* Italiam *tranſirent*
F *Sub X. eorum Rege*, *cui* Alboini, *ſivè* Albuini *Nomen*; *qui* Hunnis *comitantibus*, *quibus jam contrà Gepidas uſus fuerat*, *in* Venetorum *Terram appulſus*, Aquilejam *Urbem ad* Seneſcentem Maris Hadriaci *fluctum ſitam*, *& FORUM JULIUM*, *illius Provinciæ Oppidum*, *quondam à JULIO CÆSARE conditum*, *capit*.

JOANNES LUDOVICUS *Gothofredus*, cujus præclari Auctoris opus illud aureum *Archontologiæ Coſmicæ* legimus, manibus nunquam ſapientium deponendum, in Deſcriptione *Foro Julien-* 29
ſis Provinciæ. FORUM JULIUM dici quidam au-

autumant à *Julio Cæsare*, qui aliquot Legiones hac adversus *Germanos* duxerit. *Blondus* autem id Nomen ei tribuit ab oppido primi Nominis FORO JULIO, quod destructum est à *Cacano* Rege *Avarum*.

PHILIPPUS *Brietius* rarum, & memorabile magni Ingenii exemplum è societate Jesu, in Appendicis Parallellorum Geographiæ Veteris, & Novæ *Tomo* II. *Parte* II. *Italiæ Lib.* VI. clarissime peritissimeque differit: CIVITAS FORI JULII, *Cività di FRIULI*, olim FORUM JULIUM, eversum primum à *Theodorico*, deinde à *Cacano*, quod postea, restauratum, dictum est CIVITAS AUSTRIÆ.

ABRAHAM *Golnitius Tom.* I. *Compendii Geographici*: Hinc ascendenti *Sontium* Vallem spatiosam, quam *Carporetinam* vocant, *Carporettum* Oppidum se offert, ubi pons eximius uno Arcu LX. pedum transitum jungit; hinc rursus descendenti versus Mare, & Meridiem, *Natiso* fluvius occurrit, & ad eum FORUM JULIUM, Civitas Antiqua, à qua Regioni nomen, sita in faucibus *Italiæ*, à Natura munitissima; mediam percurrit *Natiso*, nobili lapideo Ponte stratus. Primum à *Theodorico*, dein à *Cacano*, *Pannoniæ* Regibus eversa, rursus ab *Rhosimunda Austria*, *Luitprandi Longobardorum* Regis Vidua, instaurata fuit; Unde Cives CIVITATEM AUSTRIÆ dixerunt, quo nomine adhuc vocatur.

Addo Archiepiscopus *Viennensis*, in suo *Martyrologio*, die 17. Maji: In Pago *Foro Juliensi* Vico, qui vocatur *Calidianus*, S. *Maximæ* Virginis, quæ multis clara Virtutibus in pace quievit.

30 EX GERMANIA

CAESARUM potentissimorum præceptores, Cosmographi, Consiliarii, Historici, Medicique adsint, quorum unus *Wolffgangus Lazius Viennensis* elegantissimè, ut solet, suffragium ferat. *Venio nunc*, inquit *Romanæ Reipubl. Com.* XII. *Cap.* II. *ad* Castrum Juliense, *sive Coloniam FORO JULIENSEM*, *cujus extat mentio apud* Paulum Diaconum *Lib.* III. *Cap.* XII. *& Lib.* IV. *Cap.* XII. *& Lib.* VI. *Cap.* X. *Locus olim Episcopali sede celebris*, *cujus* Maximus *Antistes* Marianiensi *Concilio interfuit*, *contra* Severum *Gradensem Episcopum* Manichæum *habito*; *secutus illum* Fidentius *est*, *Præsul* Juliensis, *& post hunc* Amator, *quem* Callistus *Patriarcha* Aquilejensis *sede expulit*, *Regia è* Cormone *in* Juliam Coloniam *translata*. *Ubi deinceps Patriarchæ*, *tamquàm in loco celebriori*, *habitarunt*, Reginaldus, Paulinus, Carolo M. *Imperante*; Urbanus, Maxentius, Andreas, Venantius, Hendelmanus, Lupus, Valbertus, Fridericus, Leo, Ursus, Lupus, Gendelphridus, Rodoaldus, *&* Joannes, *usque ad* Poponem *Patriarcham*, *qui* Conradi II. *auspiciis*, *& privilegiis*, *sedem sui Præsulatus iterùm* Aquilejam *locum vetustum traduxit*: *mansere nihilominus nobiles*, *& celebres istinc Familiæ*, *quarum adhuc posteri manent* Bojanorum, Nordiorum, Irumentinorum, Gallorum, Porteorum, Salonorum, Canussiorum, Manzianorum, Brandiorum, Cottarum, Claricinorum, Pupiorum, *&* Comitum. *Superest etiamnum hoc municipium*, *non minùs*, *atque olim cultum*, *sed mutato nomine*, *quam videlicet* Austriæ Civitatem *vocant*. *Et alibi* Vabria, Carinthiæ *Ducis obitum narrans*: *accepta in fidem* Tarvisiensi *Marcha*, *Authore* Friderico II. *in* Colonia *FORO JULIENSI*, *quam postea CIVITATEM AUSTRIÆ dixere*, *rebus humanis eximitur*.

FRANCISCUS alter est *Cremonensis*, qui
31 *Maximiliani* Imperatoris sacratissimi *Austriaci* pueritiam litteris, morumque institutione composuit, in *Civitatensi* oppugnatione Ann. M. D. IX. *Igitur durante Bello*, *quod Copiis* Julii II. *Pontificis*
A *Maximi*, *&* Maximiliani *Regis* Romanorum, *nec non* Ludovici Gallorum *Regis*, *aliorumque itidem Regum & Principum*, *in* Venetorum *exitium Anno Sal. M. D. IX. graviter conflatum erat*, Henricus, *Dux* Bavariæ, *Præfectus copiarum* Maximiliani, *paucis diebus* Goritiæ *commoratus*, *capto* Rosaccio, *dedentibus sese*, *qui intus erant*, *post biduum ad* Manzani Rivum *revertitur*, *ibique propè* Natisonem *in pratis* Salicis *locatis castris*, *denuò* Rosaccium, *receptum à nostris*, *parvo negotio expugnat*, *& quotquot intus*, *partim trucidat*, *partim capit*, *nec mora*, *cum X. hominum M. FORUM JULII versus movet*, *quo nemine obsistente applicans*,
B *prid. Kal. sextiles eodem Anno ad Portam D.* Dominici *castra metatus est*, *factoque post crepusculum aggere in fundo* Baptistæ Puppi, *appositis Bombardis*, *hora noctis quarta Turres*, *& una Murum Turri obtiguum*, *quod à læva Civitatem introëuntibus occurrit*, *senioribus quidem*, *ac minus noxiis pilis ferire cœpit*, *sicque usque ad diluculum FORI JULII mœnia incassum percussit*, *ridentibus ferè Civibus obsessores ad hujusmodi Bombardarum ictus*. Et alibi in eadem oppugnatione: *Itàque obsidentibus* Germanis Carnorum *oppidum*, *quòd prius FORUM JULII dicebatur*, *nunc à plerisque* Civitas Austriæ, *à quibusdam verò*, *sed ineptissimè* (respuit hanc vocem
C Auctor undequaque sanè mellifluus, ut peregrinam, ac dissonam) Cividatum *nuncupatur*, *angebantur vehementer tàm summates*, *quam infimates*, *se incumbente Barbarorum exercitu*, *omni propemodum externorum auxilio destitutos*.

SEBASTIANUS *Munsterus*; apud quem in *Lib.* II. de *Italia Cap.* XLIX. de FORO JULIO sic scriptum invenio: *Rex* Avarum, *quem* Cacanum *vocant*, *cum maxima parte Copiarum FORUM JULIUM obsedit*, *majori conatu*, *quàm spe munitissimæ Urbis potiundæ*: *Cœperat Urbs hæc jam inde* 31
ab Aquilejæ *excidio TOTIUS REGIONIS*, *ARX & CAPUT haberi*; *sedet ad* Natisonem *Fluvium*.
D Rhomilda *verò*, *uxor* Gisulphi (*quem Rex* Cacanus *occiderat*) *tenebat Urbem Mœnibus*, *& præsidio munitam*, *defendebatque eam valde adversus omnes* Avarum *Conatus*, *sed quid Vis nulla potuit*, *muliebris intemperies*, *Urbem alioquin munitissimam*, *Hostibus patefecit*.

NICOLAUS *Romanus*, D. *Benedicti* Monachus ex Mathesis celeberrimis Professoribus: in suis Tabulis, (quas variis Orbis partibus, Urbibusque ornatas, primum *Ferrariensi* Principi, inde *Paulo* II. *Rom.* Pontifici dedicaverat) FORUM JULIUM ad præterfluentem *Natisonem* situm invenies.

E JOANNES *Nauclerus*, Præpositus *Tubingensis*, Volum II. Chronographiæ Tit. Generat. XX. Decedentes igitur *Longobardi Pannonia*, per *Noricum*, quæ prius *Bavaria*, nunc autem dicitur *Austria*, pervenere *Liburniam*, dicta Provincia FORI JULII, oppidoque FORO JULIO cum ipsa Provincia per Incolarum deditionem potiti, ad *Planum* Fluvium consederunt; & *Gisulphum*, Nepotem suum *Alboinus* FORO JULIO præfecit Ducem.

LUDOVICUS *Lucius* Ecclesiasticæ Historiæ *Tomo* V. *Centuria* VII. *cap.* XVI. Interea *Lupus* inter *Longobardos* Principatum affectans, à *Grimoaldo*,
F per *Bavarum* Copias, cum quatriduum acerrimè pugnatum esset, interficitur, & FORUM JULIUM, interfectis omnibus, etiam Infantibus exscinditur.

Ornabam ex inclyta *Germaniæ* Natione discessum, cum immorari aliquantulum jussit grandi profecto Volumine Historiarum *Kamermaister*. *Longobardorum*, ait, in *Italiam* ingressum fuisse comperimus *Benedicti* Papæ Pontificatus initio, & *Justiniano* Minore Anno jam XIII. apud *Constantinopolim* imperante; Oppidoque FORO JULIO,

cum ipsa (cui dat Nomen) Provincia per incolarum deditionem potiti, ad *Plavem* fluvium consedere.

33 ## EX GRÆCIA,

EX GRÆCIA, inquam, parente illa florentissima Doctrinarum, atque Excellentissimorum Ingeniorum Altrice omnimodè fœcundissima, CL. PTOLEMÆUS totam veritatis seriem dilucide est probaturus; Hujusce Viri auspiciis Tabularum situm aperiam, quò subinde librato, *Forum Julii* citrà controversiam Civitatem istam pronunciare quisque confidet, & quidem ex *Hieronymi* dicto cæcam illam Historiam esse intelligimus, quæ absque locorum cognitione profertur, atque hinc risu nonnullorum sunt deliramenta excepta, situm somniantium, effutireque audientium, procul a tramite veritatis. Unam ab *Iberis* incoli Civitatem deblaterat *Ephorus*, *Stephanus Viennam* in *Gallia* constituit; dat *Germanis* sedes in *Ionio Arrianus*, cum *Dacia Belgium* confunditur à *Conrado*; Nos hujusmodi Authorem sequemur, ut nemo nos profectò queat falsitatis arguere; ille itaque in VI. *Europæ* Tabula sic habet, *Aquileja Colonia*, *Concordia Colonia*. *FORUM JULII Colonia.*

Quæris diverticula? suspendis adhuc assensum? studes interpretari, quæ lectitas? non credam ego, fides apud me iis datur tantummodo, quos Terrarum hæc Universitas Sapientia, Antiquitate, & eruditione claros adjudicat. An iterum Te *Abrahamo Ortelio*, *Candido*, *Lazio* doctiorem jactitas? es certè impudentis audaciæ satelles. Quid si ostendam pro Nobis illos stetisse? quid si demonstrem inanes tuos esse conatus? falsa prorsus, & nulla, quæ contrà vegetis ingenii scriptores adduxeris? ille in elucidandis omnigenæ vetustatis monumentis consummatissimus hæc de nostra Civitate reliquit: *FORUM JULII Colonia*, *nunc CIVITAS AUSTRIÆ*. Hic in *Lib.* III. *Cap.* XV. *Templa prætereà*, *Cœnobia*, *publicæ*, *privatæque ædes celebritatem indicant*, *ubi multa visuntur Antiquitatum monumenta* Romanæ *Coloniæ*;
34 Postremus *Lib.* XII. *Cap.* II. *Forum Julium*, id est *Civitatem Austriæ Coloniam* nominavit. Odorasse nunquam hæc pro nostra Civitate asseres *Ptolemæum?* nugaris; remitto te ad locum *Sabellici* in III. de Vetustate Patriæ: libèret nunc suspicari FORUM JULIUM CIVIDATUM esse, quod *Ptolomæus* post *Aquilejam*, & *Concordiam* inter Mediterraneas *Carnorum* Urbes numerat?

EX HUNGARIA.

MELCHIOR *Incofer*, è Societate *Jesu*, multarum litterarum Vir, Ecclesiasticorum Annalium Regni *Hungariæ Tomo I. Occiso Lupo Avaribus FORO JULII potitis Grimoaldus habuit*, *qui eos in Pannoniam remitteret*, *ac tandem à Cacano*, *ut exercitum reducat*, *impetrat.*

EX DANIA.

JOANNES *Cluverius*, politioribus litteris, ac Historica facultate clarus, quamquam damnatæ memoriæ, non tamen in rerum narratione dubiæ, *Christiano* quippe IV. Regi Patrono Artium præstantissimo carus admodum, & acceptus. In celebri illa Historiarum Epitome: *Cacanus Rex Avarum immensa cum multitudine incursans Longobardorum Civitates*, *occiso cum copiis Gisulpho Duce*, *FORUM JULIUM acri premebat obsidione*; *Hic*, *dum lustrat munitiones*, *à Rhomilda Gisulphi conjuge visus*, *impudicos ejus oculos pulchritudine*, *ac ætatis flore capit*, *proditione URBEM obtinet.*

Non est, quod suspectum Urbis Nomen habeas. *Philippum Cluverium* audi *Geographiæ Tomo I. Cap.* XX. *FORUM JULIUM Ptolemæo dicitur* Φόρος Ἰέλιος Κολώνιας, *id est FORUM JULIUM Colonia*; *nam omnia Romanorum per Italiam*, *Galliamque Fora Ptolemæus masculino genere pronunciat* Φόρες. *Plin. Lib.* III. *cap.* XIX. *Oppidani indè dicuntur Foro Julienses.* Et *Cassiodorus* Variarum *Lib.* XII. *Epist.* XXVI. *Forojuliensis est Civitas*, *hodie vulgò vocatur CIVIDAT*, *sivè* Cividal di Friuli, *quasi dicas Civitatem FORI JULII. Hinc postmodum ipsa Urbs* Forum Julii *dicta est*, *vulgò* Cividal di Patria, *&* Cividal di Friuli, *id est Civitas Regionis Forojuliensis* κατ᾽ ἐξοχὴν, *quia caput erat totius Provinciæ.* Idem etiam *Philippus*, Introductionis in universam tàm veterem, quàm novam Geographiam *Lib.* III *Cap.* XXV. *Urbs hæc quondam potens*, *atque ingens inter primas Italiæ*, *Aquileja*, *nunc Aquilea*, *deserta planè*, *indè clara Oppida*, *FORUM JULIUM*, *nunc vulgo* Cividal di Friuli; *Julium Carnium*, *nunc Giulio*; *in ruinis inter Tilamentum fluvium*, *& Alpes. Vedinum*, *vulgò Germanis* Veiden, *Italis*, Udine. 35

Verùm si surdas accommodas aures saniora docentibus, Urbana ipsa marmora, ipsos parietes *Romanorum* Pontificum nutibus fabrefactos percurras.

THEODORICUS *Niem*, licet aliis de causis improbatus Auctor. *Lib.* III. de Schismate *Cap.* XXXVI. XLV. XLVI. „Postquam *Gregorius* „per tres menses, vel circiter *Senis* moratus, itidem „ad dilatandum schisma novem alios Cardinales cre„asset; ii fuere *Ludovicus Brancaccius* Archiepi„scopus *Tarentinus*, *Angelus Venerius Recanaten„sis*, *Angelus Barbadicus Venetus* Episcopus *Ve„ronensis*, *Bandellus* de *Bandellis Luceris* Arimi„nensis Episcopus, *Philippus Angelus* Episcopus „*Limoniensis*, *Matthæus Germanus* Episcopus *Ve„romaciensis*, *Lucas Manzolus Florentinus Humi„liatorum* Congregationis Præpositus Generalis, „*Vincentius* de *Arragona Hispanus*, *Octavianus* de „*Octavianis Florentinus*, *Petrus Maurocenus Ve„netus*, Juris utriusque suæ ætatis Consultorum „Principatum adeptus, & morum integritate „conspicuus; posteà *Ariminum* venit, ubi Hye„me transacta, tempore Quadragesimali hujus „anni ad Terram CIVITATIS AUSTRIÆ „*Aquilejensis* Diœcesis accessit, & ibi circa festum „Pentecostes suum Concilium celebravit, non „paucis existentibus ibi Archiepiscopis, & aliis „Ecclesiæ Prælatis, aut Procuratoribus Eccle„siasticorum Prælatorum, nec non Principum 36 „Sæcularium, qui in Generali Concilio per Summ. „Pontif. convocato, de Jure, & consuetudine in„teresse tenentur. Cum autem cognovisset sen„tentiam adversam in Concilio *Pisano* latam, & „promulgatam fuisse, metuens, nè contra se ex„ecutioni cum invocatione auxilii brachii sæcula„ris demandaretur, quodque *Veneti* ei forsitan „non assisterent, eo quod per ipsum Dominus „*Antonius* Patriarcha *Aquilejensis* privatus fuerat, „qui contra eum, suosque Cardinales potenter, „& sollicitè laborabat, ipsis ponendo insidias in „omni loco circum circa dictam Terram CIVI„TATIS AUSTRIÆ, habebatque semper ex„ploratores in eadem Terra, qui secretè etiam, „quæ ipse *Gregorius* fecerat, aut facere propone„bat, solertius exquirere nitebantur, & utrobique „stabat minus tutè, deficerentque sibi, suisque „Cardinalibus, sumptus, & Victualia, cogita„vit indè recedere qualitercumque: unde scripsit „*Ladislao* Regi, rogando ipsum, ut sibi quanto„cyus subveniret, ut indè posset recedere. *La„dislaus* verò, infrà pauca tempora duas Galeas „ad certum Portum non longè distantem à Ter„ra CIVITATIS *Austriæ* illi destinavit, & quos„dam Armigeros, qui *Gregorium* usque ad illum

„locum

„locum, ad quem Galeæ applicuerant, per terram associarent, illuc misit, qui cum ad eandem Terram pervenissent, quantò secretius potuit præparavit se ad iter, ut cum prædictis Armigeris indè posset recedere.

Videre mihi videor curiosos anxiè de trepido *Gregorii* in nostram Civitatem Adventu sciscitantes. non est, cur contemnam, & irrideam postulantium vota; teneant igitur Rationem facti petitam ab altioribus schismatis tàm diuturni primordiis. *Bonifacio* VIII. ex *Cajetana* Familia Pontif. illo omnium sæculorum memoria, ob Virilis Animi, ob imperterriti Ingenii præstantiam, & scientiam profundissimam celebrando, fatis è vitâ sublato, ingentes sunt inter Patres Altercationes cohortæ de Successoris electione, & partium simul-
37 tates. *Benedictus* IX. eligitur, cujus etiam obitu quàm ocyus subsecuto, post duos Comitiorum Annos, *Nicolai Prati*, Ordinis Divi *Dominici*, Cardinalis, ope, *Beltrandus Gothus Vasco*, *Burdegalensis* Archiepiscopus, absens, sed qui servaturum se *Galliæ* Regi promiserat aliqua, *Romanus* Pontifex declaratur. Erat hic à *Bonifacio* in eam Archiepiscopalem Dignitatem evectus, atque eò facilius *Ursinorum*, *Thomasii*, & *Cajetanorum* Cardinalium suffragia vicerat. *Clemens* itaque V. (sic se jussit appellari *Beltrandus*) cum se tutum *Romæ* esse nequaquam confideret, *Avenionem* perrexit, atque eò, ut proficiscerentur, cæteros purpuratos invitat. Sedes *Romana* in *Galliam* translata per LXX. & amplius annos, usque ad *Gregorii* XI. tempora *Gallos* habuit Pontifices; Post cujus obitum, qui *Romæ* successit, cum *Romana* Plebs ingenti sane Tumultu ad Fores Comitiorum armata *Italum* exposceret, territi ferè Patres *Barensem* Antistitem elegere, quem & *Urbanum* VI. nominarunt. Sed eorum posteà non pauci à Pontifice offensi *Robertum Genuensem*, ex Card. XII. Apostolorum multis, & nobilibus propinquis illustrem, ac magis prodigum, quàm liberalem Pseudo-Pontificem renunciarunt; quem & alii secuti sunt, in munere, quieti sanè Ecclesiæ infestissimo, distractis huc, illucque *Christianorum* Principum Animis. Multa peregere optimi tunc Principes pro communi utilitate. Ea autem conditione in Pontifices salutatos legimus, ut à dignitate decederent, quando id Ecclesiæ Tranquillitas postulasset. Sic & *Angelus* quondam *Corrarus* Patritius *Venetus*, Card. S. *Marci* in Comitiis *Innocentii* VII. morte habiti, electus est Pontifex. Degebat, & in *Gallia* ea tempestate *Petrus* de *Luna*, *Benedicti* XIII. assumpto Nomine. Uterque, ut exueret semet potestate, Patres *Pisis* in unum redacti, constituunt; oblitus ille, quod anteà fecerat, juramenti, tergiversari cœpit, & illectus honore respuit, quæ in Articulis perplexis pepigerat. Atque en tibi profugum *Gregorium*, en vix una ipsum capit *Italia*, ecce in nostram se Civitatem recepit. Sciebat ipse quàm
38 optimè, Civitatem Cives alere *Romanorum* Pontificum studiosos; nàm & legerat Decessorum Epistolas Nobis inscriptas. Viderat percaras extitisse *Foro Juliensium* Cordibus *Urbani* Pont. VI. cum Communitati nostræ Episcopi *Hostiensis* Nuncium ad omnem ipsi præstandum favorem commendarat.

VRBANVS EPISCOPVS,
Servus Servorum Dei.

Dilectis filiis Universitati Terræ Civitatis Austriæ Aquilejensis Diœcesis Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

„DIlectum Filium *Andream Angerii* Canonicum *Aquilejensem* Ven. Fratris nostri „*Philippi* Episcopi *Hostiensis* Capellanum, & „Nuncium ad partes illas, pro quibusdam tàm „propriis, quàm ipsius Episcopi Negotiis præsentialiter accedentem Devotioni Vestræ propensius commendamus, illam rogantes attentè, quatenus pro nostri Reverentia, & contemplatione dicti Episcopi eidem Nuncio, circa præmissa, quantum in vobis erit, opportuna præbeatis auxilia, & favores, proindè nobis singulariter placituri.

„Dat. *Romæ* apud S. *Petrum* VIII. id. Octob. „Pont. Nostri Anno XI.

„*Bonifacii* IX. qui Communitatem rogat, ut „persistat ad favorem *Antonii* Patriarchæ *Aquilejensis*, remotis suggestionibus malignantium.

BONIFACIVS EPISCOPVS, 39

Servus Servorum Dei.

Dilectis Filiis Nobilibus Viris Gastaldioni, Provisoribus, Consilio, & Communitati Civitatis Austriæ Aquilejensis Diœcesis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

„DEvotionis Vestræ integritatem, quam continuatis temporibus ad Nos, & *Romanam* Ecclesiam, nostrosque Prædecessores gessistis, & geritis; pro ut operis effectu, relatibusque fide dignis dilectorum filiorum Nobilium Virorum, *Ludovici* de *Cignotis* N. Doctoris, & *Rizzardi* de *Prodolono* Domicelli Ambasciatorum partium *Forijulii Aquilejensis* Diœcesis ad nostri præsentiam destinatorum plenè didicimus, in Domino plurimum commendamus, & præsertìm, quod Venerab. Fratrem nostrum *Antonium* Patriarcham *Aquilejensem*, quem ob suorum graduum exigentiam meritorum Paterno zelo prosequimur, & complectimur, veluti filium spiritualem, laudabiliter tractatis, obedientiam sibi, & reverentiam debitas exhibendo. Præfatam itaque devotionem vestram requirimus, & hortamur, quatenus spretis quarumcumque malignantium pravis suggestionibus, ea, quæ ergà præfatum Patriarcham sic laudabiliter gessistis, sollicitè, & constanter continuare curetis, ut proindè possimus eandem Devotionem dignis in Domino laudibus amplius commendare.

„Vosque per hæc Sedis Apostolicæ Benevolentiam in occurrentibus casibus valeatis non immeritò vendicare.

„Dat. *Romæ* apud *S. Petrum* II. Nonis Martii. Pontif. Nostri Anno XIV. *Innocentii* VII. „qui agit gratias de favore præstito *Concordiensi* „Antistiti.

INNOCENTIVS EPISCOPVS, 40

Servus Servorum Dei.

Dilectis Filiis, Regimini, & Communi Terræ Civitatis Austriæ Aquilejensis Diœcesis Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

„EX favorabilibus, atque gratis per Universitatem vestram impensis servitiis Venerab. „Fratri nostro *Antonio* Episcopo *Concordiensi*, „ac Sacri Palatii Causarum Auditori, Capellanoque Nostro, sicut eodem amplissimè referente cognovimus, devotionem Vestram in altissimo duximus non immerito commendandam, „& hortantes eamdem, quatenus ob nostram, & „Apostolicæ Sedis reverentiam benè cœpta laudabiliter ergà dictum Episcopum, cujus perso-

" nam cordiali, & paterna affectione semper amplectimur; jugiter prosequendo velitis illa semper efficere, quæ eidem, & Ecclesiæ suæ accommoda veniant, atque grata, ut exinde apud Nos, & Sedem Apostolicam, eadem Vestra Devotio possit non immerito commendari.

" Dat. *Romæ* apud Sanctum Petrum VIII. Idus Junii, Pontif. Nostri Anno II.

Hisce ille adminiculis roboratus ad Nostram se contulit Civitatem *F. Julii*, amplissima & munera relaturus, honoresque quàm maximos, audias ipsius Epistolam; daturi mox duas.

41 GREGORIVS EPISCOPVS,

Servus Servorum Dei.

Dilectis Filiis Nobilibus Viris, Communitati Civitatis Austriæ, Aquilejensis Diœcesis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

" PER VENERABILES fratres S. R. E. Cardinales, & Dilectos filios Curiales nostros inde reversos, multum lætè, & copiosè accepimus, quantum reverenter, curialiter, & charitativè Vos habuistis cum eis post Nostrum inde discessum, quantumve diligenter, & egregiè sociastis eosdem, ut sic per Dei gratiam omnes jure Patriam illam exiverint ope vestra. Proinde vestram devotionem, ut plurimum commendamus, quam præsentes, & absentes vidimus tam ferventem ad ea omnia, quæ nostri fuerint status, & honoris, & S. R. E. Matris nostræ; ut sic firmiter sperare possitis apud Nos, & Sedem Apostolicam obtenturos, quæ vobis esse habeant utilia convotiva. Nobilitatem Vestram attentè in Domino exhortantes, ut in devotione hujusmodi eò vigorosius perseveretis, quo per amplius experti estis nostri ad Vos Dilectionis affectum, quem adhuc credimus Vobis posse uberius demonstrare, quia in illo confidimus, qui post Nubilum dat serenum, & post adversa, quæ pro sua causa passi sumus, malignantium perversitate fugata, dabit tempora sua protectione tranquilla, Vobis, & aliis nostris fidelibus, & devotis salubriter profutura.

" Dat. *Gajetæ* IV. Nonis Martii Pont. Nostri Anno IV.

Ostendimus, & aliam hujusce Opt. Pont. Epistolam; Amoris procul dubio mutui argumenta clarissimè præferentem.

42 GREGORIVS EPISCOPVS,

Servus Servorum Dei.

Dilectis Filiis Nobilibus Viris, Communitati Civitatis Austriæ, Aquilejensis Diœcesis Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

" QUia Vestræ sinceritatis Affectus circa Personam nostram cognitus, & expertus pulsare non desinit mentem nostram, ut more Pii Patris de vestris sentire successibus excitemur, & ut in bonum tendunt continuè, amemur. Idcirco Nobilitatem Vestram duximus præsentibus exhortandam, quatenus illos Nobis frequenter vestris litteris nnncietis, cum fiducia requirentes, quæ pro Vestris promovendis utilitatibus, dispendiis vitandis per Nos fieri posse videbitis, quia in iis, quæ Divino congruent beneplacito, quæve nostri officii debitum patiatur, Vestra Nobis accepta sinceritas sentiet paterna charitate benevolos, eo-

A " que ferventius voluntarios, quo Vos ad fidem, & Devotionem nostram, & Ecclesiæ Matris nostræ senserimus vigilanter intendere, ut sic inter angustias, & pressuras, tale constantiæ studium habeatis, quale Aurum fornace probatum cunctis appellari temporibus valeatis, & condignæ retributionis fructum, qui tantis, & talibus congruat meritis, à Deo, & Nobis cum vestri gloria Nominis opportuno tempore reportetis. Potuistis enim audire, quæ istis diebus incolis *Bononiæ* sunt occursa, uno quidem perempto, & altero; *Baldassare* verùm *Ossa* subagrato, in loco, ubi Tyrannus extiterat, & tunc erat, qui non permisit aliquos ex-

B audire Catholicos, & Magnates suadentes saltem in profanatione supersederi, pro pace Ecclesiæ facilius procuranda, ut sic firmiter sperandum sit de Justitia eam talia non passuram convenientia Satanæ, & non Ecclesiasticæ disciplinæ.

" Dat. *Gajetæ* V. Id. Jun. Pont. nostri Anno IV.

Prosequitur idem Pont. Beatissimus benevolentiæ suæ intensissimæ indicem.

GREGORIUS EPISCOPUS, 43

C Servus Servorum Dei.

Dilectis Filiis Nobilibus Viris, Communitati Civitatis Austriæ, Aquil. Diœcesis Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

" VEstræ sinceritatis integritas promeretur nostris sæpe litteris recreari, ut cum Nobis benè esse Divina concedit Majestas, vestra devotio consoletur. Proindè Nobilitati vestræ significamus, quod per illius gratiam, qui dirigit servos suos, benè valemus, & reintegrationem, & pacem Ecclesiæ Dei continue pro-

D curamus: cumque Superna Bonitas in hostium confusione, & Catholicorum favore dexteram suæ virtutis incessanter ostendit, confidimus in eadam, quod nostris laboribus suæ propitiationis opem dabit, & præstabit successivis temporibus. Itaque Vos, & alii fidei Amatores habebitis, & poteritis uberius exultare; Hortemini igitur, & lætamini tanti meriti esse participes intendentes perseverantissimè ad salutem, & quæ Nobilitatis Vestræ proficua ab Apostolica Sede videritis exquirenda, quæratis, & Nos sentietis, quantum cum Deo possumus, semper memores fidelitatis, quam in-

E venimus in vobis.

" Dat. *Gajetæ* VII. Id. Septembris Pont. Nostri Anno VI.

" Vides ex hisce manifestè Pontificis *Gregorii* XII. in *Foro-Juliensem* Civitatem adventum, vides & memoriam collatorum ipsi beneficiorum deprehendi, interim nec successorum desiderantur Paternæ affectionis, & nostræ Religionis indicia. Lege Epistolam, qua *Joannes* XXII. sive XXIII. Pont. ex *Coscia Neapolitana* Patritia familia ortus, Communitatem nostram rogat, ut commendatum habeat Abbatem *Rosaciensem*.

F JOANNES EPISCOPUS 44

Servus Servorum Dei.

Dilectis Filiis, Gastaldioni, Provisoribus, Consilio, & Communi Civitatis Austriæ Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

" EX injuncto Nobis Pastoralis officii debito, cunctos *Christi* fideles paterna charitate com-

„ complecti tenemur, & pro ipſorum, cum expedit, favoribus benignè etiam alios excitare; ſed potiſſimè noſtra debet hujuſmodi diligentia vigilare pro Eccleſiarum, & Monaſteriorum Prælatis, qui Morum, & Virtutum dotibus prædìti, circa Spiritualia, & Temporalia, pro ut eis incumbit, laudabiliter intendere cognoſcimur: Sane Dilectus filius *Stephanus* Abbas Monaſterii *Roſacienſis Aquil.* Diœc. ob Virtutum Dona, quibus ab Altiſſimo inſignitus exiſtit, obque ſua non parva merita, nobis, & Apoſtolicæ Sedi gratus eſt admodum, & acceptus, & Nos eum merito cum benevolentia proſequimur ſpirituali: quare devotionem veſtram affectuoſiſſime exhortamur, ac requirimus, quatenus eumdem *Stephanum* Abbatem, ejuſque negotia, & Monaſterium prædictum, Res, & bona ejuſdem, ut ſperamus, & cupimus pro noſtra, & præfatæ Sedis reverentia, velit opportunis favoribus ſuſcipere recommiſſa; itaque veſtris favoribus in quibuſcumque ſuis, ac Monaſterii opportunitatibus, tutus exiſtat, preceſque noſtras ſibi ſentiat quamplurimum profuiſſe, id enim adeo noſtræ menti acceptum erit, quod ad ea, quæ devotioni veſtræ.

„ Dat. *Bononiæ* II. Kal. Jan. Pont. Noſtri Anno I. „

Sentit pronam erga *Romanam* Sedem obſervantiam, & obſequium *Fori Julii Martinus* V. Succeſſor.

MARTINUS EPISCOPUS

45 Servus Servorum Dei.

Dilectis Filiis, Conſervatoribus, Conſilio, & Communi Civitatis Auſtriæ. Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

„ Cum aſtiteritis Dilecto Filio noſtro *Alamano* T. S. *Euſebii* Præsb. Cardinali, pro executione proceſſuum pro ipſo Cardinali, contra intruſum in Monaſterio *Roſacienſi Aquil.* Diœc. & ut ipſe Card. Adminiſtrator, & Commendatarius prædicti Monaſterii in ejus libera poſſeſſione reponeretur, tam juſte, quam favorabiliter Vos geſſeritis, Devotionem veſtram merito commendamus; Vos ſtrictius exhortantes in Domino, quatenus pro noſtra, & Apoſtolicæ Sedis reverentia, ac veſtro debito, ut rem hujuſmodi uſque ad integrum ipſius effectum opportuna diligentia proſequamini, ſicut de Veſtra probitate plurimum confidimus, quod equidem Nobis profecto admodum gratum erit. Circa alia autem Nobis per eumdem Cardinalem expoſita, tam ſuper ſtatu Patriæ *Fori Julii*, quam ſuper negotio *Caſtri Tulmini*, Commiſſionem expedientem fecimus ad quietem, pacemque ipſius Patriæ, Paterna affectione quantum cum Deo poſſumus vacaturi.

„ Dat. *Florentiæ* XVII. Novembris Pontificatus Noſtri Anno Secundo.

Clariſſimam proculdubio Civitatem, & ex *Romanorum* mora ibi Pontificum, & Synodi celebritate cognovimus; & quidem ſi Conciliorum Nobilioris Dignitatis, ac Nominis repetenda memoria eſt, ea omnia celebrata, habitaque in primiori cujuſque Provinciæ Urbe reperiemus. Vidimus primum *Hieroſolymis*, *Romæ*, *Conſtantinopoli*, *Niceæ*, *Epheſi*, *Carthagine*, *Toleti*, qua-
46 rum Urbium illa *Judææ* Principatum obtinet, hæc *Italiæ*, illa *Græciæ*, *Bithyniæ* iſta, *Aſiæ* Minoris altera, *Africæ* penultima, *Hiſpaniarum* poſtrema. Quid enim ergo *Forum* noſtrum hoc *Julium* Synodi celebrandæ, vel commodum non porrigeret Rebus omnibus ad victum peropportunis affluentiſſimum, & Dignitatis, aut Honoris Titulos non conſcenderet loci Majeſtas, quæ caput, & Urbium, & locorum Patriæ eſt, & Antiquitate, & conditoris prærogativa, & ſuaviſſimis, optimiſque moribus incolarum; Atque eſt tibi ſatis, ſuperque probatum *Forum Julii*, Pontificum *Romanorum* Hoſpitium, Principum ſalus, & Seminarium; cum tot in ejus ſinu S. R. E. Principes victitaverint. Sed jam curioſi iſti multò cumulatius invenere, quàm quod à Nobis petierant; tranſeamus ad Cæſarum Aulas. An non ex loci ubertate, ſolique felici ſtatu, Generale ſtudium condidit *Carolus* Imperator IV. *Athenis*, *Romæ*, *Patavio*, *Bononiæ*, *Piſis* multum non tàm ornamenti, quam dignitatis contulere ſtudia litterarum, atque hinc derivabunt ad Nos innumera penitus decora, prærogativæ omnino ſpectabiles.

CAROLUS DEI GRATIA

Romanorum Imper. ſemper Auguſtus, & Boëmiæ Rex.

„ Noſtræ excellentiæ Regalis clementia Votis Fidelium ſuorum liberalitatis ſuæ clementiam accommodat; cum eorumdem preces honoris noſtri, & Sacri Imperii exaltationi inhærentes ad morum, & virtutum augmentum totis deſideriis aſpirare noſcuntur; Noſcat igitur fidelium noſtrorum, & dicti Imperii Univerſitas, quod Ven. *Nicolaus* Patriarcha *Aquil.* Princeps, & Frater noſter cariſſimus, noſtram Majeſtatem humiliter exoravit, quatenus ad Eccleſiæ, & Subditorum ſuorum profectum, nec non ad commodum, & utilitatem ſcientiæ cupientium ſtudio inhærere, in ipſius Patriarchæ, 47
& Eccleſiæ ſuo Dominio, ſpecialiter in ſua *Civitate Auſtriæ*, quæ ut Nobis conſtat, & fide dignorum comprobatur teſtimonio, omni victalium fertilitate exuberat, & Aëris amænitate lætatur, ad ſtudium quoque dedita concedere dignetur noſtra ſublimitas, tam in Artibus, quam in V. I. cum omnibus gratiis, privilegiis, & immunitatibus à Divæ Mem. Impp. & Regibus *Romanorum* Prædeceſſoribus; tribus indultis Doctoribus, & Scholaribus hactenus ſtudium Generale, &c. Cujus ſupplicationibus annuentes, & attenta deliberatione advertentes, quod prædictæ Eccleſiæ Dominium in metis *Alemanniæ*, *Hungariæ*, *Sclavoniæ*, atque *Italiæ* conſiſtit, quodque ad Dominium Patriarchæ prædicti Scholares facilius, & ſecurius, ac minori expenſarum profluvio, quàm ad partes ulteriores *Lombardiæ* poſſint accedere: Ad preces ejuſdem Principis Patriarchæ, & Fratris noſtri Inſt. ſtudium Generale, ut præmittitur, auctoritate Regia *Romana* in dicta *Civitate Auſtriæ* Terra Celebri, & Inſigni, & fertili concedimus, & inſtituimus de Regia Clementia, & gratia ſpeciali; Volentes, & Regio ſtatuentes edicto, ut omnes Doctores, Rectores, & Scholares ibidem ſtudio diligentes omni ſecuritate, omnibuſque Libertatibus, Privilegiis, Immunitatibus, Gratiis, & Favoribus alias talibus ex Imperiali, ſeu Regali conceſſis munificentia gaudeant, & liberè potiantur, quique doctorari volentes ad id ſe facultate offerente, ſub ipſo Patriarcha, vel ejus Succeſſoribus, quos volumus hujuſmodi honore, & prærogativa potiri, cum ſolemnitatibus debitis, & conſuetis in talibus honorem ſuſcipiant Doctoratus; præſentium ſub teſtimonio litterarum; quas ad perpetuam rei memoriam Noſtræ Majeſtatis Typario juſſimus communiri.

„ Datum *Pragæ* Anno M. CCCLIII. Kal. Auguſti, Indictione VI. Anno Regnorum noſtrorum *Romanorum* VIII. *Boëmiæ* verò VII. „

,, complecti tenemur, & pro ipsorum, cum expedit, favoribus benignè etiam alios excitare; sed potissimè nostra debet hujusmodi diligentia vigilare pro Ecclesiarum, & Monasteriorum Prælatis, qui Morum, & Virtutum dotibus præditi, circa Spiritualia, & Temporalia, pro ut eis incumbit, laudabiliter intendere cognoscimur: Sane Dilectus filius *Stephanus* Abbas Monasterii *Rosaciensis Aquil.* Dioec. ob Virtutum Dona, quibus ab Altissimo insignitus existit, obque sua non parva merita, nobis, & Apostolicæ Sedi gratus est admodum, & acceptus, & Nos eum merito cum benevolentia prosequimur spirituali: quare devotionem vestram affectuosissime exhortamur, ac requirimus, quatenus eumdem *Stephanum* Abbatem, ejusque negotia, & Monasterium prædictum, Res, & bona ejusdem, ut speramus, & cupimus pro nostra, & præfatæ Sedis reverentia, velit opportunis favoribus suscipere recommissa; itaque vestris favoribus in quibuscumque suis, ac Monasterii opportunitatibus, tutus existat, precesque nostras sibi sentiat quamplurimum profuisse, id enim adeo nostræ menti acceptum erit, quod ad ea, quæ devotioni vestræ.

,, Dat. *Bononiæ* II. Kal. Jan. Pont. Nostri Anno I. ,,

Sentit pronam erga *Romanam* Sedem observantiam, & obsequium *Fori Julii Martinus* V. Successor.

MARTINUS EPISCOPUS

45 Servus Servorum Dei.

Dilectis Filiis, Conservatoribus, Consilio, & Communi Civitatis Austriæ. Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

,, Cum astiteritis Dilecto Filio nostro *Alamano* T. S. *Eusebii* Præsb. Cardinali, pro executione processuum pro ipso Cardinali, contra intrusum in Monasterio *Rosaciensi Aquil.* Dioec. & ut ipse Card. Administrator, & Commendatarius prædicti Monasterii in ejus libera possessione reponeretur, tam juste, quam favorabiliter Vos gesseritis, Devotionem vestram merito commendamus; Vos strictius exhortantes in Domino, quatenus pro nostra, & Apostolicæ Sedis reverentia, ac vestro debito, ut rem hujusmodi usque ad integrum ipsius effectum opportuna diligentia prosequamini, sicut de Vestra probitate plurimum confidimus, quod equidem Nobis profecto admodum gratum erit. Circa alia autem Nobis per eumdem Cardinalem exposita, tam super statu Patriæ *Fori Julii*, quam super negotio *Castri Tulmini*, Commissionem expedientem fecimus ad quietem, pacemque ipsius Patriæ, Paterna affectione quantum cum Deo possumus vacaturi.

,, Dat. *Florentiæ* XVII. Novembris Pontificatus Nostri Anno Secundo.

Clarissimam proculdubio Civitatem, & ex *Romanorum* mora ibi Pontificum, & Synodi celebritate cognovimus; & quidem si Conciliorum Nobilioris Dignitatis, ac Nominis repetenda memoria est, ea omnia celebrata, habitaque in primiori cujusque Provinciæ Urbe reperiemus. Vidimus primum *Hierosolymis*, *Romæ*, *Constantinopoli*, *Niceæ*, *Ephesi*, *Carthagine*, *Toleti*, qua-
46 rum Urbium illa *Judeæ* Principatum obtinet, hæc *Italiæ*, illa *Græciæ*, *Bithyniæ* ista, *Asiæ* Minoris altera, *Africæ* penultima, *Hispaniarum* postrema. Quid enim ergo *Forum* nostrum hoc *Julium* Synodi celebrandæ, vel commodum non porrigeret Rebus omnibus ad victum peropportunis affluentissimum, & Dignitatis, aut Honoris Titulos non conscenderet loci Majestas, quæ caput, & Urbium, & locorum Patriæ est, & Antiquitate, & conditoris prærogativa, & suavissimis, optimisque moribus incolarum; Atque est tibi satis, superque probatum *Forum Julii*, Pontificum *Romanorum* Hospitium, Principum salus, & Seminarium; cum tot in ejus sinu S. R. E. Principes victitaverint. Sed jam curiosi isti multò cumulatius invenere, quàm quod à Nobis petierant; transeamus ad Cæsarum Aulas. An non ex loci ubertate, solique felici statu, Generale studium condidit *Carolus* Imperator IV. *Athenis*, *Romæ*, *Patavio*, *Bononiæ*, *Pisis* multum non tàm ornamenti, quam dignitatis contulere studia litterarum, atque hinc derivabunt ad Nos innumera penitus decora, prærogativæ omnino spectabiles.

CAROLUS DEI GRATIA

Romanorum Imper. semper Augustus, & Boëmiæ Rex.

,, Nostræ excellentiæ Regalis clementia Votis Fidelium suorum liberalitatis suæ clementiam accommodat; cum eorumdem preces honoris nostri, & Sacri Imperii exaltationi inhærentes ad morum, & virtutum augmentum totis desideriis aspirare noscuntur; Noscat igitur fidelium nostrorum, & dicti Imperii Universitas, quod Ven. *Nicolaus* Patriarcha *Aquil.* Princeps, & Frater noster carissimus, nostram Majestatem humiliter exoravit, quatenus ad Ecclesiæ, & Subditorum suorum profectum, nec non ad commodum, & utilitatem scientiæ cupientium studio inhærere, in ipsius Patriarchæ, 47
& Ecclesiæ suo Dominio, specialiter in sua *Civitate Austriæ*, quæ ut Nobis constat, & fide dignorum comprobatur testimonio, omni victalium fertilitate exuberat, & Aëris amænitate lætatur, ad studium quoque dedita concedere dignetur nostra sublimitas, tam in Artibus, quam in V. I. cum omnibus gratiis, privilegiis, & immunitatibus à Divæ Mem. Impp. & Regibus *Romanorum* Prædecessoribus; tribus indultis Doctoribus, & Scholaribus hactenus studium Generale, &c. Cujus supplicationibus annuentes, & attenta deliberatione advertentes, quod prædictæ Ecclesiæ Dominium in metis *Alemanniæ*, *Hungariæ*, *Sclavoniæ*, atque *Italiæ* consistit, quodque ad Dominium Patriarchæ prædicti Scholares facilius, & securius, ac minori expensarum profluvio, quàm ad partes ulteriores *Lombardiæ* possint accedere: Ad preces ejusdem Principis Patriarchæ, & Fratris nostri Inst. studium Generale, ut præmittitur, authoritate Regia *Romana* in dicta *Civitate Austriæ* Terra Celebri, & Insigni, & fertili concedimus, & instituimus de Regia Clementia, & gratia speciali; Volentes, & Regio statuentes edicto, ut omnes Doctores, Rectores, & Scholares ibidem studio diligentes omni securitate, omnibusque Libertatibus, Privilegiis, Immunitatibus, Gratiis, & Favoribus alias talibus ex Imperiali, seu Regali concessis munificentia gaudeant, & liberè potiantur, quique doctorari volentes ad id se facultate offerente, sub ipso Patriarcha, vel ejus Successoribus, quos volumus hujusmodi honore, & prærogativa potiri, cum solemnitatibus debitis, & consuetis in talibus honorem suscipiant Doctoratus; præsentium sub testimonio litterarum; quas ad perpetuam rei memoriam Nostræ Majestatis Typario jussimus communiri.

,, Datum *Pragæ* Anno M. CCCLIII. Kal. Augusti, Indictione VI. Anno Regnorum nostrorum *Romanorum* VIII. *Boëmiæ* verò VII. ,,

48 CAROLI invictissimum Nomen fecit, ut cum de hujus nominis V. omnium illo Nationum, & Sæculorum facile Principe, in *Nussii*, celebris famæ oratoris, ac vatis, aliqua, in ea oratione, quam in funere Comitis *Joannis Strasoldi* habuit, sic de Civitate nostra collegi. *Jacobus* enim, inquit ille, Martiis rebus nuntium non remittens, Re bellica nominis celebritatem sibi comparavit: qui *Caroli* V. obsequio obstrictus, ex amænissimis libertatis Viridariis in servitutis ambitum se deducens virtute sua meruit, ut ad altissimum omnium Aulicorum fastigium perveniret; nam ab ipso invictissimo *Carolo* Cæsare magnæ militum multitudinis Præfectus est factus; & cum *Algerum* obsidione cinctum esset, manus conserens, Vitæque Honorem anteferens intrepido animo occubuit, quem eodem sanguine, & familia ortum æmulatione sequens *Joannes Strasoldus*, Avorum nostrorum tempore, cum inter *Austriacos*, & *Venetos* simultates ortæ essent, se strenue gessit, & Dux Equitum constitutus, hanc Regionem alieno sceptro subjectam, *Venetiarum* Principi restituit; quibus meritis *Soffimbergum* tria M. passuum *Foro Julio* distans, à Republica *Veneta* illi, pro laboris & industriæ compensatione datum est.

Abi jam bona pace studiose lector in *Galliam*.

Siste gradum, paucis Te adhuc volo, jam rei propositæ extremam imposueram manum, cum Nobilis Vir *Polliottus Frumentinus* confectas in hac Civitate *Gregorii* XII. Bullas ostendit. Rationi consonum itaque arbitror eas hic apponere.

49 GREGORIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei.

Dilecto Filio Thomæ, Electo Lucien. Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

,, Vitæ, ac morum Honestas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, super quibus apud Nos dilectus Magister *Nicolaus* de *Rugiis*, Canonicus Ecclesiæ *Sanctæ Mariæ Civitatis Austriæ Aquil.* Dioec. scriptor noster, fide digno commendatur testimonio, Nos inducunt, ut eum specialibus favoribus, & gratiis prosequamur; ipsius itaque *Nicolai*, qui etiam litterarum Apostolicarum Breviator existit, in hac parte supplicationibus inclinati, discretioni tuæ, qui officii Pœnitentiariæ nostræ curam geris, per Apostolica scripta committimus, & mandamus, quatenus eumdem *Nicolaum* in locum dilecti filii *Feudi Piscidelli* de *Neapoli*, litterarum dictæ Pænitentiariæ scriptoris, à *Romana* Curia absentis, quamdiù idem *Feudus* à dicta Curia absens fuerit, & ad hujusmodi officium, ejusque exercitium, ac honores, & emolumenta consueta, prout alii scriptores dictarum litterarum Pænitentiariæ in eadem Curia præsentes percipiunt, & exercent, percipere, & exercere consuerunt, recipias, & recipi facias, & admitti: Contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo: Non obstantibus statuto, de certo numero scriptorum earumdem litterarum Pænitentiariæ, cui per hæc alias non intendimus derogare, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac aliis contrariis quibuscumque, seu si aliquibus communiter, vel divisim à Sede Apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de hujusmodi indulto mentionem.

50 ,, Datum in CIVITATE *Austriæ* VII. Kal. Julii, Pontificatus Nostri Anno III.

Quid his apertius afferre unquam poteris invide? En Pontificum *Romanorum* Hospitium redditum *Forum Julii*. Sed ne putes horæ unius tantùm Comites habuisse suos *Foro Julienses Gregorium*, en Bullam aliam ejusdem Pont.

GREGORIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad futuram rei memoriam.

,, Sinceræ devotionis affectus, quam dilectus filius Magister *Nicolaus* de *Ruggiis*, Canonicus *Aquilejensis*, Scriptor Noster, ad Nos, & *Romanam* gerit Ecclesiam [1] promere exigit; ut eum specialibus favoribus, & gratiis prosequamur; exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dicti *Nicolai* petitio continebat, quod olim iniquitatis filius *Antonius*, tunc Patriarcha *Aquil.* attendens grata, & indefessa obsequia per ipsum *Nicolaum* non solum eidem Patriarchæ, sed etiam Ecclesiæ *Aquilejensi* ferventer, & indesinenter impensa, & quæ idem *Nicolaus* sperabat in futurum impendere, & ut præfatus *Nicolaus* ad illa impendenda imposterum ferventius animaretur, volens eidem *Nicolao* gratiam facere specialem, quemdam Hortum cum Sedimine Domorum, & stupa ad Mensam Patriarchalem *Aquilejensem* spectantem, situm in Burgo *Sancti Petri* Civitatis *Austriæ*, dictæ Diœcesis, prope portam, quæ vocatur *de Luinis*, quem quondam *Joannes de Luyna* à dicta mensa obtinebat, per ipsius obitum ad mensam prædictam legitime devolutum, cum omnibus Juribus, & pertinentiis suis, præfato *Nicolao*, suisque hæredibus pro annuo Canone, sive Censu, seu Affictu unius libræ Piperis anno quolibet in festo Nativitatis D. N. I. C. Patriarchæ pro tempore existenti in *Canipa* ejusdem Patriarchæ persolvendo dedit, concessit, atque donavit, in iis omnibus dilectorum filiorum Capituli Ecclesiæ *Aquilejensis* accedente consensu, prout in litteris patentibus eorumdem Patriarchæ, & Capituli sigillis munitis, quarum tenorem de verbo ad verbum præsentibus inseri fecimus, plenius continetur. Quare pro parte dicti *Nicolai*, Nobis fuit humiliter supplicatum, ut Dationi, Concessioni, & Donationi prædictis Robur Apostolicæ confirmationis adjicere de begnitate Apostolica dignaremur. Nos igitur volentes eumdem *Nicolaum*, ob grata devotionis obsequia, quæ Nobis, & Apostolicæ Sedi impendit hactenus, & adhuc sollicitis studiis impendere non desistit, favoribus prosequi, gratiosis hujusmodi supplicationibus inclinati, Dationem, Concessionem, & Donationem prædictas, ipsius *Nicolai* Vita durante dumtaxat duraturas, Auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Tenor verò dictarum litterarum talis est: *Antonius* Dei Gratia Sanctæ Sedis *Aquilejensis* Patriarcha *Venetiarum*, *Nicolao de Ruggiis Aquilejensi*, & *Civitatensi* Canonico, filio Nobis in *Christo* Dilecto salutem, & gratiam Nostram: Decet Principes illos extollere, & commodis præmiis, & muneribus honorare, in quibus solers, & indefessa fidelitas operis per effectum diutius comprobata vigere dignoscitur, atque fides, ut illis de bono perseverandi in melius materia tribuatur, cedatque cæteris faciendi similiter ad exemplar. Hinc est, quod attendentes grata, fidelia, & indefessa obsequia per Te non solummodo Nobis, sed etiam Nostræ *Aquilejen-*
,, *si*

[1] *Promere*) Leg. forte *promerere*, vel *promereri*.

„ ſi Eccleſiæ ferventi animo, & indeſinenter im-
„ penſa, & quæ impendi ſperamus, dante Do-
„ mino in futurum, & ut ad illa ferventius ani-
„ meris, volentes in partem remunerationis ipſo-
„ rum ſervitiorum tuorum Tibi gratiam facere
„ ſpecialem, Hortum noſtrum, & Eccleſiæ no-
„ ſtræ, cum Sedimine Domorum, & Stupa ibidem
„ exiſtentibus, ſitum in Burgo *Sancti Petri* No-
„ ſtræ *Civitatis Auſtriæ* prope Portam, quæ vo-
„ catur *de Luinis*, hactenus poſſeſſum per quon-
52 „ dam *Joannem de Luyna*, & per mortem ipſius
„ quondam *Joannis*, ad Nos, & Eccleſiam No-
„ ſtram pleno Jure, & legitime devolutum cum
„ ſuis juribus, & pertinentiis omnibus, Tibi, tuiſ-
„ que Hæredibus per Nos, & Succeſſores No-
„ ſtros hac Vice, & Nomine Noſtræ *Aquilejen-*
„ *ſis* Eccleſiæ harum tenore damus, concedimus,
„ & donamus ad habendum, tenendum, dan-
„ dum, gaudendum, uſufructuandum, & quic-
„ quid Tibi, vel tuis Hæredibus melius, & uti-
„ lius placuerit, faciendum abſque contradictio-
„ ne Noſtra, Succeſſorum noſtrorum, & alte-
„ rius cujuſcumque perſonæ, ſalvo tamen Jure
„ cenſus infraſcripti, videlicet ſolvendo Nobis,
„ & Succeſſoribus noſtris in quolibet Feſto Na-
„ tivitatis Domini Noſtri *Jeſu Chriſti*, vel VIII.
„ diebus poſt, jure affictus perpetualis in *Canipa*
„ Noſtra *Civitatenſi* unam libram piperis annua-
„ tim. Mandamus dilecto filio Noſtro *Gugliel-*
„ *mo Puppi*, Noſtro *Caniparío Civitatenſi*, harum
„ tenore diſtricte, quatenus ad omnem tui requi-
„ ſitionem, Te in tenutam, & corporalem poſ-
„ ſeſſionem ipſius Horti, nec non Sediminis, &
„ Stupæ ponat, & inducat, faciatque Tibi de
„ ipſius Horti juribus, & juriſdictionibus univer-
„ ſis plenarie reſponderi. Harum ſub noſtro, ap-
„ penſione ſigilli, teſtimonio litterarum.
„ Datum in *Caſtro Noſtro Utini* Die V. Augu-
„ ſti. Anno Domini M. CCCC. VII. Quinta
„ decima Indictione. „

„ NOs *Federicus* de *Polcenico Decanus*, *Henri-*
„ *cus* de *Straſoldo*, *Hercules* de *Camino*, &
„ *Philippus* de *Fontanellis*, Canonici Eccleſiæ *A-*
„ *quil.* facientes, & conſtituentes Capitulum di-
„ ctæ Eccleſiæ *Aquil.* Cum plures Canonici di-
„ ctæ Eccleſiæ perſonaliter tunc non eſſent, qui
„ poſſent commode intereſſe, vocatis omnibus
„ convocandis in loco, in quo conſueverunt Ca-
„ nonici dictæ Eccleſiæ ad Capitulum congrega-
„ ri ſuper infraſcriptis ſpecialiter peragendis; mo-
„ re ſolito, ut Capitulum præfatæ Eccleſiæ con-
„ gregati, viſa, audita, & intellecta, ac coram
„ Nobis publice recitata littera ſupraſcripta con-
„ ceſſionis, & Donationis Horti, & Sediminis
53 „ ſupraſcripti factarum per Reverendiſſimum in
„ Chriſto Patrem, & DD. *Antonium*, Dei gratia
„ Sanctæ Sedis *Aquilejenſis* Patriarcham digniſſi-
„ mum, Venerab. Viro D. *Nicolao* de *Ruggiis A-*
„ *quil.* & *Civitatenſi* Canonico, pro ſe, & ſuis hæ-
„ redibus, prout in ipſa littera diffuſius contine-
„ tur. Eidem Conceſſioni, & Donationi, &
„ omnibus, & ſingulis in dicta littera contentis
„ pariter & inſertis, noſtrum præbemus conſen-
„ ſum pariter & aſſenſum. In quorum omnium
„ Teſtimonium hunc præſentem conſenſum no-
„ ſtrum mandavimus ſcribi per *Joachimum* de
„ *Merlatis*, Notarium & Scholaſticum noſtrum,
„ & noſtri ſigilli appenſione muniri. Datum, &
„ Actum in Capitulo noſtro *Aquil.* Anno Nativi-
„ tatis Domini Noſtri *Jeſu Chriſti* MCCCCVIII.
„ Indictione prima, die ſecunda Menſis Maji. Nul-
„ li ergo omnino hominum liceat hanc paginam
„ noſtræ confirmationis, & communitionis in-
„ fringere, vel ei auſu temerario contraire. Si
„ quis autem attentaverit, præſumpſerit, indi-

A „ gnationem omnipotentis Dei, & Beatorum
„ *Petri*, & *Pauli* Apoſtolorum ejus ſe noverit
„ incurſurum.
„ Datum in CIVITATE *Auſtriæ Aquilejen.*
„ Dioec. XIV. Kal. Octobris Pontif. Noſtri An-
„ no III.

JActa ſunt una cum ipſorum Monumentis veritatis ſinceriſſimæ fundamenta; Ita ne vero poni ante Dominatores oculos paterentur *Innocentii*, *Alexandri*, *Sixti*, *Gregorii*, *Clementis*, *Leonis*, *Pii*, *Urbani*? Quales Pontifices, Deus immortalis! experientia, rerumque notitia, & maturitate judicii candidati; quæ ſecum mendacia portentoſa convehe-
B rent? procul ſit ab ipſis, vel ipſa ſuſpicio falſitatis. Interrogas, quorſum hæc omnia? quia in Magnificentiſſimo *Vaticano* Peripato, *Galleria* communiter nuncupato, quod animi cauſa, ſupremo inter mortales Magiſtratu perfuncti, amæniſſimis Provinciarum, Urbium, oppidorumve delineamentis ornarunt, viſitur etiam in Chorographia Patriæ noſtræ Civitatis elogium, cum epigraphe FORUM JULIUM COLONIA C. AUSTRIÆ; O te felicem, fortunatamque Urbem, cui tam liberaliter donatum à ſuperis hoc delici- 54
um, perpetuo nempe penes ora Sanctiſſimorum
C Pontificum converſari! Luſtrant Te Patres Beatiſſimi, quorum unum Religioſo quondam hoſpitio, atque benevolo recreaſti: Luſtrant Te geſtientibus oculis, quando Te Catholicæ fidei vindicem probarunt accerrimum. Luſtrant Te Primatem Chriſtianitatis, *Italiæ* Primates foviſſe: plenis illi Te Benedictionibus Sanctorum, & Sedem, & parentem accumulant, quando Chriſti amore confeſtim exæſtuans Deum omnium Creatorem agnoſcis, quamvis pleraſque tamen alias *Italiæ* Civitates denſiſſima in errorum caligine demerſas *Satanas* irretiret. Vident in te curam haberi exactiſſimam Animarum, nec decipiuntur, numero tot Canonicorum, & Sacerdotum op-
D pletam cum ſciunt; ò Urbem iterum feliciſſimam?

Itinere laborioſo ab *Urbanis* hiſce monumentis ſpectandis conſternaris, ac frangeris? deliba ſparſa per Auctores (eos Citatos inferius offendes) Topographum exerceas, & Chorographum obſerva, adverte quam diligenter, perſcrutare, an eadem omnino *Civitas Auſtriæ*, ac illud *Forum Julium* tot encomiis celebratum, vulgatumque videatur, & ſit. Non es tanto etiam labori ſuppar, ſuccumbunt oneri vires, culpare ego ipſe Te deſinam. Pacato vultu ſolus ipſe feram, quæ tolerare non potes. Et primo quidem verba ſunt do-
E ctiſſimi, & Nobiliſſimi Canonici *Leonardi de Maniaco*; *Forum Julii* diſtabat à Ponte *Liquentiæ* XLVIII. lapidem, ut videre eſt apud *Diaconum Lib.* V. *Cap.* XVI. quod ad unguem de noſtra Civitate verificatur, nam Pons dicti fluminis verſus mare erat exſtructus, non longe à *Laurentino* pago, qui per viam *Flaminiam* ab *Aquilejenſi* Civitate ductam ſinuoſo itinere circa paludes tranſitus dabat verſus *Bononiam*. De his *Antoninus* in ſuo *Itinerario*, *Candidus* in *Lib.* XI. *Cap.* VI. & *Albertus*. Probat eamdem Identitatem *Leonardus de Maniaco* Canonicus Patritii ſanguinis, & litterarum eximium ornamentum, per alium confinem
F remotum, nam *Diac.* in *Lib.* V. *Cap.* IX. & X. & *Lib.* VI. *Cap.* XVI. dicit, quod *Sclavi* habitabant ſupra *Forum Julii* in finibus *Carinthiæ*, & in *Car-* 55
niola (in quibus locis viſitat Eccleſias Capitulum Noſtrum) Hoc idem ſentit *Candidus* in *Lib.* VI. *Cap.* XXIX. in illa Diviſione Patriæ facta à *Beltrando* Patriarcha, in illis præcipue Verbis: *Tertia Regio Civitatenſis intra Turnum*, & *Judrum cum Sclavis*, & *collibus decreta fuit* Philippo Porteo, Joanni Cuſaneo, & Hermano Æmpſeo, & *alia compar-*
titio

titio Sclavorum in executionem litterarum Sereniſſimi Ducis Venetiarum fuit facta de Anno M. DLXXII. *à D.* Cornelio Gallo *Civitatenſi, & D.* Jacobo Stainero *Utinenſi Arithmetico, & Geometra: alia ſimilis compartitio Sclavorum ex præſcripto dicti Sereniſſimi de Anno* M. D. XCIX. *fuit facta à Clariſſimo*, Sebaſtiano Querino *Proviſore Civitatis* Fori Julii *cum aſſiſtentia D.* Camilli Locatelli, *Doctoris Syndici Generalis Territorii, & D.* Antonii Miſſii, *fiſcalis dicti Principis.* Sed pro evidenti Demonſtratione dictæ Identitatis deſcendamus ad proximiores Confines. *Diaconus* in precitato *Lib.* V. *Cap.* X. dicit, quod pons *Natiſonis* ſe extendit usque in hodiernum diem, dicitur *Broxanum*, & Porta Civitatis cum contrata ad intrà dicitur *Broxana*, prout extat in Juribus noſtris, & in Inſtrumentis de annis M. CCCLXXIV. M. CCCXXII. M. CCCLXV. M. CCCLXXI. M. CCCLXXII. in quibus omnibus fit mentio de Porta *Broxana*, ſed iſtud agnomen aliquando adulteratum fuit, ſicut & alia in toto orbe terrarum ab imperito vulgi ſermone. Pons autem *Natiſonis* non multum diſtat à noſtra Civitate, & eſt lapideus antiquiſſimus, & altiſſimus, per quem ex *Sarmatia*, *Pannonia*, *Auſtria*, *Carinthia*, *Stiria*, & *Carniola* Nationes olim *Barbaræ* tranſierunt, & nunc Mercatores, & Advenæ recta, & brevi via in *Italiam* contendunt. *Diaconus* in præcitato *Lib.* V. *Cap.* X. dicit, quod *Sclavi* congregata valida manu volentes ſuper *Foro Julianum Caſtrum* irruere, conſternati ſunt non longe à *Foro Julio*, in loco, qui *Broxas* dicitur. (Hæc Villa in Idiomate *Sclavio* dicitur ad præſens *Briſchis*) ex qua cum percuſſores *Sclavorum* adveniſſent ad dictum Pontem *Natiſonis*, conſpectis XXVI. Equitibus cataphra-
56 ctis &c. modo videant ipſi Adverſarii, prout hæc viderunt, an ſint veri confines Pons, *Natiſo*, *Broxa*, *Borta*, *Suaurbium*, ac Regio *Sclavorum.* Pergit ulterius eruditiſſimus, & nobiliſſimus *Maniacus*; Sed tranſeamus ad confines ſpirituales; probatur identitas per Calendarium *Utini* de more impreſſum, in quo recenſentur multa corpora Sanctorum in Eccleſia Civitatis *Fori Julii*, & inter cætera *Paulini* Patriarchæ, qui ibi vivens Concilium habuit Anno D. CCXCVI. ut legitur in Codice Conciliorum in III. Tomo. *Cap. DLXVI.* & refert *Sigonius* in IV. de *Regno Italiæ*; & hoc probat eam Civitatem *Fori Julii*, & *Forum Julium* idem eſſe; Item per marmora ſepulcrorum vetuſtorum Patriarcharum, ſed particulariter *S. Maximæ.* Corroboratur identitas per Donationem *Joannis* Patriarchæ, & Inſt. de Anno, M. CCXCII. in quo *Raimundus* Patriarchæ committit *Bernardo* Decano *Civitatenſi*, ut recipiat, & examinet teſtes ſuper exemptionem quorundam, & in Inſtrumento illo Civitas vocatur tribus modis Civitas *Fori Julii*, *Forum Julii*, & *Civitas Auſtriæ:* item ex Bullis Pontificiis, & litteris Principis *Venetiarum*, in quibus omnibus hæc noſtra Civitas appellatur *Civitas Fori Julii.* Item ex Decretis Sacræ Congregationis, illis verbis, *Capitulum Civitatis Auſtriæ Fori Julii.*

Sed ſi tractandis, aut terendis hujusmodi manus minus habes idoneas, Tyrones adi, obſerva vulgarium Indicem Dictionum. Nonne igitur *Petrus Galeſinus*, & *Cæſar Calderinus*, *Forum Julii* edocent nominandum *Cividal del Friuli?*

Equidem, ut à magis inculcanda Nominis appellatione inſudare amplius non vacat, ita de primi *Forii Julii* conditoribus maximas difficultates invenio. Hic ea me ſcripturum polliceor, quorum non pœniteat poſtmodum: Habeo præ oculis *Arcadas*, quos amentiæ damnarunt Hiſtorici, quod ſe ante lunæ, Solisque ortum faciant in orbem invectos; *Indorum*, aut *Sinenſium* Antiquitatis oblectamenta, auribus non inveſtigabo *Ci-*

A *vitatenſium.* Florida iſta veſte circumcingi non patiar corpus veritatis. *Ægyptios* eludimus. *Chaldæi* longiſſimis Annalibus ſuam Nobilita- 57
tem obnubunt potius, quam illuſtrant; quod Nos, ne impellamur in fraudem, ad certum annorum ſpatium noſtræ Civitatis referemus Antiquitatem; ſint licet nonnulli ad altiora natalia deducenda prompti; nil in iſtas paginas cadet, aut ex Mythiſtoriæ Arcanis ſumptum, aut ex Archiviis altiſſimis *Athenarum.*

Illud mihi non vereor, planeque extra periculum calamum habens non ſum neſcius, Civitatem hanc noſtram à *Gallis* fuiſſe conſtructam, quæ
B quidem ædificatio contigit Olympiadis CXLVIII. Anno IV. ab Urbe condita DLXVIII. *Sp. Poſthumio Albino*, & *Q. Martio Philippo* Coſſ. atque ante Salvatoris adventum CLXXXVIII. quæ excisa mox à *Marcello*, *Julium Cæſarem* ſenſit reparatorem: quærenda eſt memoria. *Titus Livius* (cui Divinus *Hieronymus* elegantiſſimum illud elogium contexuit, quemque uſque adeo lacteo fonte manantem expreſſit, ut ad illud videndum veniſſe Homines de ultimis *Hiſpaniæ*, *Galliarum*que finibus affirmavit) Lib. IX. Decadis IV. *Per ſaltus ignotæ anteà viæ, ut ante dictum eſt, Galli in Italiam transgreſſi, oppidum in Agro, qui nunc Aquilejenſis eſt,*
C *ædificabant*; oppugnationem vero, atque ejusdem excidium *Plinius Cap.* XIX. *Lib.* III. clariùs aliquantum inſinuat. *In hoc ſitu interiere ex Venetis Atina, & ab Aquileja ad* XII. *lapidem deletum Oppidum, etiam invito Senatu à M. Claudio Marcello.* facili negotio author iſte ad mentem noſtram attrahi poterit.

Viam mihi aperit *Nicolaus Claricinus*, Familiæ ſplendore, & ſapientiæ ſtudiis maximè clarus, dùm *Scipionis Manzavi* Heroicum Poëma, cui Titulus, *i tre primi Canti del Dandola*, luculentis lucubrationibus explicans, hæc de Civitatis præclariſſimæ primordiis, & incrementis eruditè
D perſcripſit. *La Città del Giulio detta hoggi la Città del Friuli, & Cividal del Friuli, è antichiſſima Città, & quella, che già ſi chiamo* FORO GIU-
LIO; volendo il Biondo nella ſua Italia Illuſtrata, 58
che quella ſia quella Città, che nell'anno DLXV. dalla fondatione di Roma, & CLXXXIII. inanzi al naſcimento di Chriſto nel Conſolato di Sp. Poſtumio Albino, & Q. Martio Filippo, fù edificata da Franceſi, quali paſſati l'Alpi paſſorono nella Provincia di Venetia, di che ne fà anco mentione Tito Livio nella quarta Decade, dove dice, che coſtoro occuporno Terra per l'edificatione d'una Città non molto lungi d'Aquileia, il che tiene ancora Plinio nel terzo della ſua natural
E *Hiſtoria al* 19. *Capo, che veramente queſta ſia* FOROGIULIO, *ſi hà in Raffaele Volaterrano nel quarto lib. dove dice* FORUM JULIUM antiqua Civitas, cujus Incolas *Plinius Forojulienſes* vocat; *ne da queſto è diſcorde Paolo Diacono Cittadino di lei, che ſcriſſe ne i tempi di Carlo Magno, dicendo nella ſua Hiſtoria Longobarda, al decimo Capitolo, della Provincia di Venetia fù Capo Aquileia, in luogo della quale è hoggi Foro Giulio Città coſi detta, perche Giulio Ceſare quivi haveva ordinata una Piazza di Negotiatione; Di queſta inteſe Ceſare nei ſuoi Commentarii, quando diſſe:* Duas ibi legiones conſcribit, *parlando d'Italia*, & tres, quæ circa *A-*
F *quilejam* hyemabant, ex hybernis eduxit. *E queſto Foro Giulio, ò Cividale poſto ſu'l Natiſone fiume, che ſcendendo dalle Montagne, che vanno verſo Plezzo, ſcorre quaſi per mezo di quella, ſopra qual fiume è quel famoſo Ponte di Pietre vive, che eccede in maeſtà, & in bellezza ogni altro Ponte d'Italia. Fù prima ſotto la Repub. Romana; poſcia de gl'Imperatori Romani, indi ſotto i Greci, fù deſtrutta da gli Hunni, & dalli Oſtrogotti, & dopo ordinata da Alboino Rè de Longobardi, Capo del Ducato Furlano, di che ſi vedono ancora antichiſſimi veſtigi.*

Ejus-

Ejusdem planè sententiæ visus est JOANNES *Antonius Trovamala*, *Civitatensium* tunc Reip. à secretis, in ea oratione, quam ad Serenissimum *Venetiarum* Principem, & amplissimum Senatorum Cœtum habuit, & quidem maximi æstimanda sunt ipsius Verba: quippè quæ in Sacrario prolata. *Dico dunque, che la nostra Città di Cividale negli antichi tempi fù Colonia de Romani, si come si legge in Tolomeo, & in Paolo Diacono nostro honorato Cittadino, & Secretario di Carlo Magno, & altri, & si chiamava Foro Giulio, mà declinando*
59 *l'Imperio de Romani fù miserabilmente da gli Hunni, da Gotti, & da Cacano Rè di Baviera ruinata, & fino al suolo destrutta, & tutti i Cittadini con ogni specie di crudeltà occisi, & mal menati; passati poscia alquanti anni Alboino Rè de Longobardi venendo in quelle parti, & vedendo il sito opportuno, & commodo, & opposto ad ogni impeto di gente, che tentassero di entrare nella Italia per quella via, delibero di risar la Cittade, & ivi constituire un Duca, che governasse, & reggesse tutta la Provincia, & così fece.*

Acquiescimus opinioni temperatissimæ, quod si magnum quid aliquibus videatur, & major, quam par est, Antiquitatis Honor impendi; noverint antiquiorem longe à Nobis fieri potuisse. Lapis sexaginta abhinc fermè Annis inventus eo in loco, qui *Hebræis* quondam Inquilinis ad sepulturam est traditus, Epitaphium indicat, quod D. C. IV. annos antè reparatum à *Christo* Domino Hominum genus, *Hebræum* quemdam in hac Civitate mortuum, atque sepultum indicat. illud *Hebraicis* characteribus insculptum MDLXVIII. *Helianus Judaicæ* linguæ peritissimus vulgari sermoni donavit. *Hoggi nel giorno di Mercordì a dì 2. chesleu, cioè della Luna di Novembre l'Anno CCXXV. del millesimo sesto, habbiamo trovato il numero di questo stante vecchio, il quale diceva CLVI. del millesimo quarto, & per benemerito habbiamo posto questo stante presso questo. Così dice la Sinagoga di Cividale*; Hic ibi porrò exponit hæc eadem mox *Helianus*: *Hoggi nel giorno del Mercordì a dì 2. chesleu, cioè della Luna di Novembre l'anno CCXXV. del Millesimo sesto, cioè cinque milla & CCXXV. anni della Creation del Mondo à modo de gli Hebrei. Habbiamo trovato questo stante, cioè la pietra, che soglione metter gli Hebrei al capo del Defonto, la quale chiamano* Maceba, *& questo perche mettono in piedi la detta pietra, & non collocata giù, come fanno li Christiani, la qual diceva CLVI. del millesimo quarto, cioè della creatione del Mondo fino al presente tempo MMMCLVI. & quando la fù ritrovata fù del MMMMMCCXXV. adunque dal tempo, che fu fatta la detta Pietra fino al tempo, che fu retrovata sono MMLXIX. anni, & CIII. sono dall'hora fino al presente anno, perche gli Hebrei contano al presente*
60 *MMMMMCCCXXVIII. vien esser dunque MMCLXXII. anni, che la detta Pietra è fatta, contando dall'Auvenimento di Christo fin hora secondo il numero, il quale è MCCCCCLXVIII. fino al numero detto dell'esser fatta la detta Pietra, e CCCCCCIV. inanzi l'auvenimento di Christo. Così pare à me questa espositione della detta Pietra.*

Io Vittorio Heliano Correttore de' luoghi, & libri Hebrei scrissi a dì 24. Marzo MCCCCCLXVIII. in Cividal de Friuli.

Notat hoc in loco Doctissimus *Nicolettus*, additque ad rem, quæ sequuntur: *Nicolao Canussio, & il Candido accrescono il numero fin'alli anni due milla inanzi l'incarnatione del Figliol di Dio. Anco il detto Elliano hebbe la medesima opinione, che per molti anni trà più famosi Rabbini dell'Hebraismo havendo portato nobilissimo nome, riscaldato alla fine del vero lume, lasciate le tenebre Hebraiche venne alla luce della Vocatione, & felicita Euangelica. Costui con vivi, & inespugnabili Argomenti provo, che quantumque l'allegata Pietra fosse antichissima, nulladimeno alcune altre di forma semicircolare acuta, che fin hoggidì si veggono quasi tutte coperte di Terreno nel luogo detto Zudaica, erano di gran lunga più antiche, & si avicinavano al Diluvio; la qual cosa se porta, ed apparenza, & essenza di verità, si può credere, che questa Città Foro Giulio fosse anco prima, che i Cesari havessero l'Imperio.*

Videat, nec improbet optimi lectoris arbitrium, an fortè desint Nobis Antiquitatis argumenta prægrandia, an verissimis Titulis extolli merito possit, & nomine ornatissimo decorari Civitas; enimvero nobilis, & præclara fateor, si non temporis diuturni pondere calamus gravaretur, & occultis hisce tanquam arcanis initiis exhorresceret ulterius progredi, me rem apprimè cognoscere statuisse. Verùm obvelata sunt *Apollinis* Templa, & procul, ò procul este profani, interpellat chorus vocibus incompositis Sibyllarum. Sat esto mihi ex supra citatis Authoribus evicisse, *Julii Cæsaris Forum* Civitatem hanc esse. Ceterum antiquitatem admiror, Vetusta monu- 61
menta veneror, his fidem adhibere nequaquam maximam erubui, Doctiorum sequor vestigia, errare potiùs cum hisce glorior, quam cum stultis sapere, & cum ineptis philosophari.

Porrò, quæ ad *Romanam* Coloniam in hanc Civitatem adductam non abs re factum existimo, si quæ vidimus, in præsentia fideliter intimare. Duplex autem fuisse *Romanæ* Reipubl. Civitatum Genus, ex insignibus Authoribus deprehendi: unum illorum Vrbes amplectabatur, quibus propriis vivere juribus, atque propriis uti legibus permittebatur. Alterum ostendit, quæ leges simul, & Incolas à *Romanis* accipere cogebantur. Illæ Municipia nuncupantur, quasi populi *Romani*, Hominumque participes. Hæ *Coloniæ*; scilicet Vrbem Romanam exonerabant Triumviri Equitum aliquo, peditumque numero, quibus posthac gratis divitias partiebantur, duo, quatuor, vel septem, aut plura Agri jugera; sic enim alacrius maturabant.

Sed utræ alteri (*Volfgangus* scribit) præstiterint Dignitate, Coloniæ ne, quod *Romani* Juris, & legum erant, vel Municipia, quod libere Patriis legibus administrabantur, hoc in dubium apud multos vertitur; id quod *Aulius Gellius* præclarus *Romanæ* Reipubl. Author discutere videtur *Noctium Atticarum* XVI. Cap. XIII. his verbis, *sic adeò, & Municipia quid, & quo jure sint, quantumque à Colonia differant, ignoramus, existimamusque meliore conditione esse Colonias, quam Municipia, de cujus opinionis tàm permixtæ erroribus D. Adrianus in oratione, quam de Italicensibus, unde ipse ortus fuit, in Senatu habuit, peritissimè disseruit, mirarique se ostendit, quod & ipsi Italicenses, & quædam item alia Municipia antiqua, in quibus Uticenses nominat, cum suis moribus, legibusque uti possent, in Jus Coloniarum mutari gestierunt. Prænestinos autem refert maximo opere à Tiberio Imperatore petiisse, orasseque, ut ex Colonia in Municipii statum redigerentur, idque illis Tiberium pro referenda gratia tribuisse: quod in eorum finibus sub ipso Oppido ex capitali morbo revaluisset. Municipes ergo sunt* 62
Cives Romani ex municipiis suo jure, & legibus suis utentes, muneris tantum cum Populo Romano honorarii participes, à quo munere capessendo appellati videntur, multis aliis necessitatibus, neque ulla Populi Romani lege astricti, cum nunquam Populus eorum fundus factus sit; & inferius: Subscribit *Gellio*, Municipia præstantiora fuisse, & Suet. *in Augusto cap. de morte ejusdem*: *Corpus Decuriones*, inquit, *municipiorum & coloniarum à Nolla Bovillas usque deportarunt*. Hactenus ille.

Verum disputent quantumlibet alii, nos Urbem istam honoribus, ut ita dicam, oneratam ad satietatem invenimus, ut nullum differendi, aut

dubitandi locum reliquerit curiosis. Vis Municipium *F. Julii? Volfgangus Lib.* XII. *Cap.* II. docet, *superest etiamnum hoc Municipium*, &c. Vis Coloniam? docuit *Ptolemæus*, *Forum Julium Colonia.* Sed sub cujusnam Coloniæ Indice ponenda sit Civitas Illustrissima, in hoc etiam non modicè disceptandum. *Romana* ne illa fuerit, an *Latina?* *Latina* dicebatur illa, quæ ex *Latio*, *Romana*, quæ ab ipsa Urbe, Domina Nationum, & Urbium derivabatur; placet eorum opinioni subscribere, qui *Romanam* statuunt, non *Latinam*, tùm quia Triumviros illos, qui Coloniam induxere *Aquilejam*, *Romanos* fuisse testantur Historici, tum quia Conditor Augustissimus *Cæsar Romanam* citra dubium adduxisset, secum præstantioris utique, & excellentioris generis prole conflatam. Multiplicis *Cæsarianæ* Benevolentiæ augmenta supracitatus *Bonifacius* in *Tarvisinæ* Hist. *Lib.* I. collegit. Et quidem debuerat quovis ornamento, cultuque omni oppidum insignire, quod felicissimis auspiciis à fundamentis exstruxerat, illique sui Nominis fixerat Titulum omnium sæculorum memoria duraturum. Et cur non amaret, aut non in deliciis, & oblectamentis foveret locum, qui triumphali appellatione percelebris, malignas cujusvis oblivionis nebulas a Gloriosissimi *Cæsaris* perennitate præverteret? Adest ad dicta veritatis intentus *Julius de Solis: Passato il detto Fiume vedesi frà i Monti l'antica*
63 *Città di Cividale del Friuli, da qual trasse il Nome di Friuli tutta questa Regione; questa è quella tanto famosa Colonia de Romani, edificata da Giulio Cesare presidio de' suoi Soldati; fu detta Foro, che residenza Imperiale significa.*

Coronidem imponat *M. Antonius Nicolettus*, Vir, plusquam dici potest, inveterata eruditionis fama præstans, quique ob laborem, industriamque in eruendis Patriæ rebus Autographis, primam lauream sano sibi pectore vindicavit.

D'intorno à Cividal F. Giulio, & nel suo Territorio, dove si fà anco poca profondità del Terrone, escono insperatamente alla luce Reliquie della Colonia Romana, Archette di pietra viva, & Urne con le ceneri dentro de' corpi brusciati, e coll'ampolline di lagrime, & d'oglio co'l coltello, con l'ombolo, & colle lucerne di creta, che nella parte verso terra portavano artificiosamente impresse le figure, ò di Proserpina, ò di Diana triforme, ò di Plutone, ò di qualche altra falsa Deità de' Gentili, & ben spesso trà le mura inalzandosi qualche fabrica nelle fondamenta si dissepeliscono l'ossa humane, forse inanzi l'uso di dar i cadaveri al fuoco sepolte appresso i penati, & insieme fanno di se nova, & maravigliosa vista i pavimenti di lavoro Mosaico, che con la vaghezza delle Pietre di diversi colori rappresentando, & là natura, & l'arte, quà spirar fanno Huomini, & Animali, & fiorir piante, là sollevarsi colonne, congiongersi artificiosi fogliami, apparire superbi Pallazzi. Si cavano oltre di ciò pezzi di Colonne di marmo, & di altre di pietre di prezzo da mano maestrevole in tutti gli ordini d'architettura giudiciosamente tirati. Nei Campi, & nelle Campagne, dove si calcano le ruinose vestigie dell'antiche Habitationi, rosseggiano Tegole Romane, quasi in ogni luogo dopò qualche pioggia splendono Medaglie, & Medaglioni di Cesari; indicavit has mihi *Polliottus Frumentinus* Patritius, præter eam, quam omnes norunt, Generis, nobilitatem humanus, & pius. Omnium tamen istarum imaginum pretiosissimam censui postremam *Helenæ*, & quidem in prima figura, sub Arbore fornicata, senis in speciem, Urnam effundit extensis pedibus Fluvius. Sedet montis in
64 Apice *Paris*, volante *Mercurio*, pomumque ipsius dexteræ porrigente. Tria indè nudo corpore Dearum Numina venustissima judicium expectant; Hinc Amor velatis oculis sagittas evibrat; indè Pecudum juxta gregem Molossus lævum *Paridis* pedem lingit. At in aliam conjectis oculis partem, se se *Helena* specie, & forma offert venustissima, mamillis, sinuque penè aperto, Crines ad pectus usque belle fluunt, sed in unum, interque se colligati, nè capitis reliquum nuditate patiatur. Stalagmiis onerantur Aures; Profana hæc ornamenta mulierum non ità recenter comperio inventa.

C. CAESAR DICTATOR 65
DRVSVS CAESAR AVG. F. DIVI AVG.
CLAVDIVS CAESAR AVG.
SER GALBA IMP. CAESAR AVG.
IMP. GORDIANVS PIVS....... AVG.
IMP. C. MAXIMIANVS P.F. AVG.
IMP. ALEXANDER PIVS AVG.
DIVA FAVSTINA.
LVCILLA AVG.
IMP. COES. NERVA TRAIAN. AVG. GERM
COS TER DICTATOR ITER.

Imaginem *Julii Cæsaris* hanc esse scias.

IMP. COES. DOMIT. AVG.
COSTANTINVS AVG.
...... TONINVS AVG. PIVS.
IMP. AVRELIANVS AVG.
AVGVSTVS PATER.

Quæ sequuntur, linguæ Græcæ notis sunt insculpta:

ΕΛΕΝΗ ΛΗΔΑΙΑ ΣΠΑΡΤΗ ΒΑΣΙΛΙΣΣΑ.

Helena Ledæa Spartæ Reginæ.

ΑΚΑΘΑΡΤΟΣ ΠΑΡΙΔΟΣ ΚΡΙΣΙΣ.

Impurum Paridis judicium.

Ben spesso ne i bassi cavamenti delle Fabriche sot- 66
to la percossa de gl'Instromenti necessari si trovano gli Aquedotti di Piombo, argomente certo delle Romane *ricchezze. Mà con più chiara, & più evidente fede d'ogn'altra Antiquità, le quasi infinite Inscrittioni* Romane, *chi è di picciola, chi è di vasta grandezza, danno al publico un glorioso, a gli Antiquarii un dilettoso spettacolo, esprimono affatto la Dignità* Romana, *mantenendo ancora viva la memoria de suoi Coloni, ò pur Habitatori. C.* Arrio *figlivolo di Gajo*, C. Valente, C. Sarrio, L. Julio, Ursillo; *i quali hanno (come si crede) dato il nome à Villaggi nostri.* Arriano *ne i monti.* Gajano, Valentiniano, Variano, Girliano, Ursaria, *che ben spesso nella sua campagna detta delle sepolture ritrova alcune Reliquie gentili, oltreche i Villaggi, & luochi vicini, quantunque i sassi dalla voracità del tempo siano stati indegnamente consumati, tengono i Nomi de'* Romani, *non essendo alcun dubio, che* Tulliano *è detto da* Tullio, Acciano *da* Accio, Firmiano *da* Firmio, Marsuriano *da* Marsurio, Muimaco *da* Munavio, Burtinico, *anzi* Bitinico *da* Bitinico, Tarriano *da* Taurea, Horatiano *da* Horatio, Trebelliano *da* Trebellio, Cassiano *da* Cassio, Campidoglio *da* Campidoglia *Donna*, Manzano *anzi* Manciano *da* Manzino; *ne minor odore di quella Antichità spirano ancora* Fagelle, Celsi, Vennussio, Campo Marcio, Rivo Emiliano, *che bagna le mura di questa Città* F. Giulio, Antro, Monte Fusco, Tomba Gallo, Longiano, Albana, Lacio, Rivo Magno, Rivo Mag- 67
giore, Drusso, Roboretto, Cornoletto, *& infinite altre voci latine, che al dispetto delle Barbare Nationi corrutrici della favella Romana sono rimase nella bocca anco dè Plebei, & vinte trionfano de vincitori.*

Et quantumque nel centro delle cose non apparenti siano

siano per mia opinione sepolte le cagioni, l'Auttore, e'l tempo, sotto de quali questa Città Foro Giulio de Carni fù ordinata Colonia; il Panvinio però nel III. Lib. de' suoi Commentarii attribuisce à Cesare questa attione, fra tutte le altre Colonie del Mondo Romano annoverando ancora questa con quelle parole: Colonia *Forum Julii.* Hæc, ut existimo, etiam deducta fuit, quod nomen ipsum declarat. de qua
67 *Ptolemæus, Lib. IV. Cap. I.* sic meminit, *Carnorum* Mediterraneæ Colonia, *Forum Julii* Colonia. I suoi Coloni per la maggior parte furno scelti dalla Tribù Scaptia, cosi detta dalla Città Scaptia, il che fuori d'ogni contrario senso facilmente si conosce dalle note di tre sassi d'una quasi importabil grandezza, l'uno appoggiato alla Torre del Maggior Tempio, l'altro attaccato al muro sotto il Portone della seconda Cinta de' muri del Borgio di S. Pietro, il terzo posto nel frontispicio della Casa del Signor Paolo Formentino. Le note sono tali del primo.

. . . . ESCA
. . . . TI
. . . . ILIAVGO,
. . PATRONO. ET
P. FABIO. PL. VERECVNDO
. . . FIL. AVGVSTALI
. . . P. FABIVS: PHILETVS
LIIIIL VIRV. F. ET
FABIAE. PL. FESTAE CONIVGI
.ADAVCTO FIL. ANN. XX.
FELICI. FILIO. P. LIB.
FABIAE. PL. COMPSE.
LIB. LIBQ.

Del Secondo.

(1) T. VETTIDIVS.
T. F. SCAPT.
VALENS
LIIL. VIR. LVRDI
QVINQ. PONT.
SIBI. ET
T. VETTIDIO
PONTI FIL.
EQVO PVBLICO
ANNOR. XX. D. V.
T. F. I.

Del Terzo.

(2) F. SVTTIVS L TSC.
ALTEIA. L. F.
POSILIA VXOR
M. T. F.

Essendo adunque venuti i Coloni di Roma mutando Cielo, mà non conditione, ne grado, & godendo i larghi Privilegii communi à tutte le altre Colonie Romane, per gran tempo, si governarono illustramente con le leggi, & con l'istituti della medesima Republica, diviso in Decurioni, che significavano il Senato, & in Plebe, Imagine del Popolo Romano, à discioglier gl'impedimenti di Giustitia dal corpo de' Decurioni, creando ogn'anno quattro, overo sei Deputati, ogn'uno dè quali si chiamava 69
VVIR. overo VIVIR. I. D. cioè Juridicendo, si come nelle due precedenti Inscrittioni, l'una di Fabio Verecundo, e d'altri, l'altra di Tito ettidio chiaramente si vede, & nelle susseguenti con certissima prova si manifesta, l'una è al Portone di S. Domenico, l'altra nell' Horto de Venusti, e la terza nel pavimento del Tempio maggiore sopra un Marmo mezo rotto.

1

(3) Q. CAEDIVS P F.
IV. P. SEX VIR.
TERGESTÆ. V. F.
VINISIA. Q. F. MAXVMA
VXOR.
APVSIDIA. C. F. SECVNDA.
MATER.
GEDIVS. P. F. FRATER.

2.

(4) GVELAEVS. I. L. AEROS.
SEX VIR. ARA. SEDILIA.
STRATUM DAT.

3.

(5) TICLAS
IIIIII VIR,
TUTILI
CON.

E Da credere, che si come appresso questo Magistrato di negotii profani co'l rispetto forse d'una più 70
eccellente dignità per l'osservanza delli ordeni savi si faceva ancora (il che si conosce dall'allegata Inscrittione di Tito Vittidio) un Pontefice, così anco secondo un'Instituto ordinario delle Colonie si creò sopra le vie, gli edificii, le vettovaglie, le rendite publiche, un edile, & sopra l'erario, overe fisco, un questore.

Eò Rem *Nicoletti* ope perduxisse mihi videor, ut eventum sperare quam secundissimum liceat. Sed quia similia *Locatelli*, ac illius Ratio est; visum est aliqua etiam repetere, quæ Doctor in *Veneto* Foro immensam ex agendi causas munere laudem consecutus, parum ab assertis superius discrepantia, secundè non minus, quàm fœcundè disseruit.

La Città di Cividale detto negli antichi tempi Foro Giulio, *onde poi tutta la Patria prese il nome del* Friuli, *& poi* Cividal d'Austria, *& al presente* Cividal di Friuli. *Vuole il* Biondo da Forli *nella sua* Italia illustrata *nella Regione del* Friuli, *che sia quella, che nel anno* DLXVIII. *dall'edificatione di* Roma, *&* CLXXXIII. *inanzi il nascimento di Nostro Signore nel Consolato di* Sp. Posthumio Albino, *&* Q. Martio Filippo *fu fabricata da quei* Francesi, *i quali passate le* Alpi, *calati nella Provincia di* Venetia *con molta quiete non molto longi d'* Aquileja *occuporno Terra per l'edificatione d'una Città, si come ne fà mentione* T. Livio *nel IX. della quarta Deca. Ne par che l'opinione del sopranominato Historico punto s'allontani dal vero; perche* Plinio *nel* III. *della sua Natural Historia Cap.* XIX. *dice, parlando di questa Città edificata da* Francesi: & ab *Aquileja* ad XII. lapidem deletum Oppidum etiam invito Senatu à *M. Claudio Marcello L. Piso* Auctor est, *& sanno tutti, che la vecchia* Aquileja *s'estendeva fino ad* Agello, *Villa distante da* Cividale *forsi 13 miglia, dove dicesi, che era la Piazza, & ancora veggonsi le vestigie d'un muro bellissimo, il quale era doppio per far un Aquedotto, & chiamavasi* Gemino, *& hora*

1. T. VETTIDIVS) Apud *Grut.* p. CDLXXXVI. n. 1. præfigitur D. M. & pro PONTI FIL legitur POTENTI FIL. & post D. M. additur. M IIII.

2. F. SVTTIVS) Non videtur exstare Inscriptio hæc apud *Gruterum.*

3. Q. CÆDIVS) Exstat apud *Grut.* pag. CCCLXXIX. n. 5. sed præfigitur D. M. & pro IV. P. ponitur PVB. pro GEDIVS autem C. CAEDIVS.

4. (GUELÆUS) Non inveni apud *Grut.* non dubito tamen, quin legi debeat C. VELLÆUS: qualis *Canusii* agnoscitur, in Magno isto Opere pag CCCCLXXXIV. N. 1.

5. (TICLAS) Nimis corrupta est, quam ut quid certi affirmare possim.

hora con parola corrotta Murigiano, quivi fabricato da Cesare Augusto.

Doppo la destruttione fatta da M. Claudio Marcello, di cui ne ragiona Plinio nel luogo allegato, 71 fù la medesima Città da Giulio Cesare rifatta, e chiamata F. Julii, della quale appresso il Volaterrano nella sua Cosmographia si trova scritto, F. Julienses vocat F. I. Duces Longobardorum perficiebant, &c. provasi questo coll'autorità di Paolo Diacono, suo Cittadino, Historico di gran fede, il quale scrisse ne'tempi di Carlo Magno, dicendo egli nel II. della Historia de Long. al cap. X. della Provincia di Venetia fu capo Aquileja, &c. dove mette questo Historico i termini della Provincia di Venetia da i confini della Pannonia fin al fiume d'Adda. Mà anco in conformità del Diac. Carlo Sigonio nel Lib. II. della sua opra intitolata dell'antica Regione d'Italia, dice, che crede, che fosse fabricato Foro di Giulio ne'Carni da Giulio Cesare all'hora, che con Titolo di Vice Consolo reggeva la Gallia di quà, & di là. Et Noi veggiamo, che Cesare usava di venir in questi Paesi da quello, ch'egli medesimo hà lasciato scritto ne suoi Comment. nel primo della Guerra Francese dicendo, mentre che parla di se stesso, ipse in Italiam magnis itineribus contendit, duasque ibi legiones conscribit, & tres, quæ circum Aquilejam hyemabant, ex hybernis adduxit. Oltre che si retrova anco altrove fatta mentione, che venisse in Aquileja, come appresso M. Tullio nell'oratione contra Vatinio. Il medesimo Diacono in tutti i luoghi, dove fà mentione di questa Città, la chiama sempre Civitatem F. Julianam, nome conforme a quello, che al presente retiene Castrum F. Julianum, & molte volte F.Julii, confondendo queste voci, si come la chiamano F. Julii anco altri, che doppo lui hanno scritto, & che veramente parlino di questa, & non d'altra, ne fà fede al Cap. IX del V. Libro, dove è scritto, che li Schiavi raunata una grossa moltitudine, &c.

Di due Auttori moderni mi son maravigliato, i quali tenendo due conclusioni diversissime, & contrario l'uno all'tro, negano, che questa sia F. Giulio, le cui opinioni restano dalla verità riprovate.

Il Candido dunque verso il fine del primo Libro de i suoi Comment. delle cose d'Aquileja par, che lasci dubbioso il Lettore, se egli hà inteso, che Aquileja, ò pur la Patria per habitarvi spesso Giulio Cesare, dalla Gente Giulia prendesse il Nome di F. Giulio; poi soggiunge, che Giulio Carni-
72 co già Citta, & Castello Giulio, hora Cividal d'Austria da Giulio Cesare furono chiamati. Mà habbia voluto intender il Candido, ò che Aquileia, ò che la Patria da Giulio Cesare fosse nominata F. Giulio, in ogni modo hà errato; percioche alla conclusione, che fosse Aquileia, repugna, che egli stesso adduce un'epitafio ritrovato nel muro Gemino in memoria di Cesare Augusto, che pur fù dopò Giulio Cesare, nel qual Epitafio è Scritto. Cæsar Augustus Aquilejensium Restitutor &c. da che vedesi non esser vera, che cangiasse il nome d'Aquileja, si come non l'hà mai anco cangiato, anzi fin al giorno d'hoggi, come che sia stata destrutta, conservato. Basterebbe à confutatione di questa opinione solo Paolo Diacono dicendo egli quello, ch'hò già notato, che della Provincia di Venetia fu capo la Città d'Aquileia in luogo della quale hora è F.Giulio, appresso il quale si vede anco fatta in più altri luoghi mentione d'Aquileia, havendo egli particolarmente lasciate scritto, che quando vennero in Italia i Longobardi, & fu posto Gisulfo Duca nella Città di F. Giulio era Paolo Patriarcha della Città d'Aquileia. Di questa medesima Auttorità del Diacono della successione di F. Giulio in luogo d'Aquileia, io mi vaglio à dimostrare, che non può anco dire il Candido, che la Patria fosse chiamata da Cesare Foro Giulio, intendendo il detto Diacono per F. Giulio non il Paese, ma una Città capo del Paese, come fù capo, & Citta del Paese prima di lei Aquilegia; oltre che nel quinto lib. dice del Ponte di Livenza a F. Julii XLVIII. millibus distat, & nel medesimo lib. parlando del Castello di Nimis, non longè à F. Julii, distat; & nel VI. ragionando de i Patriarchi: Sedem suam in F. Julii, & in Cormone habebant, le quali parole, si come non si verificarebbero se per F. Giulio intendessimo la Patria, essendo Nimis, & Cormone della Patria del Friuli, & la Livenza il termine fra detta Patria, & il Trivigiano, così è indubitata conclusione, che ci denota Cividale, & se appresso Plinio si trova nel III. Lib. fatta mentione de i F. Giulesi, parla ivi Plinio delli Habitatori, non del Paese ma di questa Citta F. Giulio, si come hà ben inteso il Volaterrano, ma non si vede anco trattando le cose delli Antichi, che da una particolar Famiglia si denominasse una Provincia, mà ben una Città, ne che alcuno di quelli luoghi, che si dissero 73
Fori fossero Provincie, anzi si trovano Foro di Clodio, Foro di Claudio, un' altro F. di Giulio in Francia. F. di Livio. F. di Cornelio, che à punto da Cornelio Sulla fù nominato, per haver egli ivi instituito un Foro. Et se d'altri Fori si legge, che essendo da principio stati ordinati à Commodità, ò di Giudicii, ò di Mercati, possia accresciuti de numero d'Habitatori, ò di frequenza di edificii sono stati tutti Città. Nè altrimenti desidera questo Articolo Tolomeo Cosmogr. se ci riportiamo al Giudicio di lui, se non che'l Candido s'è molto ingannato, poiche Tolomeo chiama il Paesa non Foro Giulio, mà Carni; mette, che siano trè Città ne' Carni frà terra diverse di nome, & nella misura de' Gradi differenti l'una all' altra: Foro Giulio, Concordia, & Aquilegia. Oltre à ciò il Candido con le sue parole medesime resta convinto, Perche confessando egli due cose, l'una, che la Città abbrusciata da Cacano sii questo Cividale, di cui io scrivo, il quale chiama egli, si come mostrerò, che non hebbe Castello Giuliese, l'altra, che la discordia, che nacque trà Callisto Patriarcha d'Aquileia, & il Duca Pemmone, fù, perche a Callisto parve strano di far la sua Residenza in Cormone, onde se ne venne in questa Città (la quale pur segue il Candido di chiamar Castello Giuliese) & cacciò Amatore Vescovo Giuliese: si rappresenta facile, & indubitata la verità pigliando Paolo Diacono, dal quale hanno tratto li moderni Auttori, ciò che scrivono de' Longobardi, in modo, che mi pare temerità grande di partirsi punto da questo approvatissimo, & antichissimo Historico: Egli dunque scrivendo il successo di Cacano, & come apertagli per opera di Romilda la porta entrò in Cividale, dice nel libro IV. così: illa verò nihil morata portas Fori Juliensis Castri aperuit. &c. Onde, se confessa il Candido, che Cividale fù abbrusciatò da Cacano, il quale dal Diacono è chiamato Foro Giulio, non è dunque nella Patria, ne Aquilegia nominata Foro Giulio da Cesare, mà Cividale, ne importa, che l' Historico prima habbia detto, che furno aperte le porte del Castello F. Giuliese, e poi ch' entrarono gl' Avari in Foro Giulio, 74
havendo egli in costume d' usar simil maniera di dire, così chiamò Cesare, si vede leggendo le sue Historie, Pavia Residenza de i Rè di Longobardi, Ticinum, alcuna volta Civitatem Ticinensem, parimente Milano Mediolanum, & Civitatem Mediolanensem, il medesimo si vede in Cremona, Trento, Trevigi, Benevento, Parma, & altri. Vengo all' altro luogo del Candido, che è stato il secundo proposto da me, dove parla della discordia trà Pemmone, & Callisto; & dico, che appresso il Diac. si trova scritto nel Lib. VI. di questo fatto, così: Causa autem hujus discordiæ ista fuit. Adveniens anteriori tempore Fidentius Episcopus de Castro F. Julienci, cum voluntate superiorum Ducum intra F. Juliani Castri muros habitavit, ibique sui Episcopatus

tus Sedem ſtatuit, quo vita decedente *Amator* in ejus loco Epiſcopus ordinatus eſt, &c. *Hor veda quì il* Candido, *ſe convenendo trà Noi, che queſta Città ſii quella, dalla quale Calliſto cacciò il Veſcovo.* Paolo Diac. *le dà appreſſo Nome di* F. Giulio, *il che eſſendo, non dovea il detto* Candido *alterando l'Hiſtoria contra quello, ch'egli hà trovato, fabricar un novo nome di Caſtel* Giulieſe *a queſta Città. Conobbe ciò* F. Alberto, *che quantunque nella teſtura dell' Hiſtoria grandemente imitaſſe il* Candido, *tuttavia non chiamò egli mai* Cividale *Caſtello* Giulieſe, *ſe non quando tolſe le formali parole del* Candido; *anzi oltre che diſſe, che queſto era il* Foro di Giulio, *appreſſo ributtata con belle ragioni l'opinione di coloro, che volevano, che la Patria del* Friuli *foſſe così detta dinanzi* Giulio Ceſare, *conchiudeva, che queſta Città deſſe il nome alla detta Patria accordandoſi con l'opinione del* Biondo, *il quale come recita eſſo* Alberti, *volle nel VIII. Lib. delle ſue Hiſtorie, che traheſſe queſto nome di* Friuli, *la Patria da* F. Giulio, *Città, che fu rovinata da* Cacano *Rè de* Avari, *& è veriſſima queſta opinione, per quanto oltre di Luoghi citati ſi legge in* Paolo Diacono *anco nel Lib. IV. dove ſcrivendo della venuta d'* Alboino *in* Italia *dice:* Cum *Venetiæ* fines, quæ prima eſt *Italiæ* Provincia, ſine ullo obſtaculo, hoc eſt Civitatis, vel potius Caſtri *Foro Juliani* terminos introiſſet; *& più giù:* *Giſulphum*, ut fertur, ſuum Nepotem, Virum per omnia idoneum *F. Juliani* Civitati, & toti illius Regioni
75 præficere, ſtatuit; *dai quali luoghi ſi vede, che non haveva ancora in quei tempi nome di* Friuli *la Patria, eſſendo chiamati prima i ſuoi habitatori* Carni, *& dopò Region della Città di* F. Giulio.

l'Altro Auttore, che hà voluto concluder, che Cividal *non ſia* Foro Giulio, *è ſtato il* Sabellico, *mà con modo diverſo. Egli nel IV. Lib. dell' Antichità della Patria, intitolato la* Guerra de Longobardi, *dice, eſſer vero, che* Paolo Diacono *afferma, che* F. Giulio, *foſſe quello, che è hora* Cividale, *& che anco la Commune opinione è così; Mà poi per contradire al Diacono, & moſtrar, che erraſſe, adduce un Teſto dell' Hiſtoria di* Pio *Pontef. il quale ſcrivendo l'incendio, che fece* Cacano *di eſſo* F. Giulio, *dice in fine, di queſto, al tempo, che ſcrivea eſſe* Pio, *non apparivano pur le veſtigia di quel luogo; da che argomenta il* Sabellico, *che non pur non eſſendo perdute le veſtigia di queſta Città, mà eſſendo ella habitata à pari delli altri luoghi della Patria, però non può eſſere* F. Giulio. *A me pare, che non haveſſe cauſa il* Sabellico *di concludere così, poiche dove coll' auttorità delli Scrittori antichi ſi giuſtificano le ſcritture de' Moderni, hà voluto egli, che un Moderno tolga la fede ad un' antico, eſſendo più novo* Pio *Pont.* del Diacono, *al quale come à Fonte s'hà ricorſo. Et ſe non hà detto* Paolo Diacono *com' è vero, che non diſſe, che non ci reſtaſſero le veſtigia di queſta Città, il che per meglio de gl' altri, per haverci anco habitato, mà ſolamente, che l'abbruſciorno gli* Avari; Silvio *errò gravemente in queſta parte, come aggiungendo fece fuori della Verità dell' Hiſtoria, & poi coſa è ancora contra la fede Commune, ſapendoſi, che non può il fuoco cancellar affatto le veſtigia d'una Città, che non ci reſtino le mura, con che la cingono, come de gli edificii; con queſto s'accorda quello che dice* P. Diacono *predetto nel Lib. IV. dove dopò che racconta l'Hiſtoria di* Cacano *ſoggionſe, che* Lempich *ſuo* Biſavolo *con quattro fratelli furno all' hora condotti prigioni da queſta Città nel Paeſe de gli* Avari, *& che poſcia* Lempich *liberatoſi dalla prigione ritornò in* Italia, *& ritrovò la Caſa, dove era nato, la quale tutto che non haveſſe tetto, & foſſe piena di rovi, e di ſpine, ci erano però reſtati i muri, ſopra li quali la edificò. Ma ſi vede anco da queſto quanto s'in-*
76 *gannaſſe* Silvio *(il quale, diſſe il* Sabellico *medeſimo nel principio del III. Lib. che havea poſto pochiſſimo penſiero circa la memoria di queſta Patria) perche tutti i Duchi* Longobardi *ſucceſſori à* Giſulfo, *ſi ritrova ſcritto, che riſederono in* F. Giulio, *come* Giſulfo *haveva fatto; per tutte queſte cauſe mi confermo nell' opinione, che queſto ſia* F. Giulio, *mà anco il detto* Sabellico *nel V. Lib. hà laſciato ſcritto* Cividatum, quod F. Julium appellari diximus.

Quì ritrovo, che mandarono Colonia i Romani; *così mette* Tolomeo *nel III. Lib. della ſua* Geografia, *& tali ſono le ſue parole*

Carnorum Mediterraneæ.

	Longitudo.	Latitudo.
Forum Julium Colonia	$35\frac{2}{3}$	$45\frac{2}{3}$
Concordia Colonia	$35\frac{2}{3}$	$45\frac{1}{2}$
Aquileja Colonia	$35\frac{1}{2}\frac{1}{4}$	$45\frac{1}{2}$

Nel qual luogo hà gravemente errato il Ruſcelli *nella ſua Volgata Traduttione di* Tolomeo, *che ponendo anch'egli nelle Città de'* Carni *Fra Terra la prima* Foro di Giulio *Colonia, eſpoſe, che ſii* Friuli, *ſeguendo forſi la corrotta opinione del* Candido, *& non auvertendo, che l'Auttore hà chiamato il Paeſe tutto col Vocabolo* Carni, *il qual Paeſe non ſi ritrova, che anco appreſſo alcun' altro Auttore antico ſia mai ſtato detto* F. Giulio; *parimente* Wolfgango Lazio, *Hiſtorico di* Ferdinando I. Ceſare *&c. Vegonſi in molte parti della Città gli Epitafii* Romani, *de' quali ne hò ſcritto alquanti quì ſotto coperti delle pietre con ogni fedeltà, eſſendomi obligato al contenuto di riga in riga, & le circonvicine Ville ſi chiamano in gran numero co'l Nome, che de* Romani *hanno preſo, ſegni eſpreſſi della* Colonia. *E una pietra nel* Domo *in piedi, con due Dei delle Anime alati, dove in belliſſime lettere è ſcritto, tutto che per eſſere ſpezzata dalla parte di ſotto non ſi vegga il fine.*

D. M. 77
RAVIDIAE MARCELLAE
FEMINAE CASTITATIS,
ET VERECVNDIAE
CVLTV SINGVLARI
SEXTIVS EROS
OB INSIGNEM. EJVS ERGA.

Et in una meza pietra poſta nel pavimento della Chieſa, la quale da un lato (perche l'altro è diſtrutto) hà un Dio delle Anime alato, è ſcritto in caratteri Romani *vaghiſſimi.*

TI. CL. AS . . . .
IIII. VIR . . . . . .
TVTILI . . . . . .
CON . . . .

E un' altra meza pietra poſta nel luogo ſopradetto con un' altro Dio alato da una parte, che dimoſtra, che un ſimile ne foſſe dall' altra, dov'è ſcritto.

. . . . . SPIN.
. . . . . ANVS
. . . . . ALET
. . . . . SIBI.

Appreſſo il Campanile del Duomo è una pietra concava d'altezza. Vide ſupra. 78

Si vede ancora una pietra del Pozzo del S. Biaggio Attimis, *la quale hà due lamme intagliate una per parte, & ſi vedono ſcritte queſte lettere; dimoſtra queſta pietra d'eſſere ſtata Baſe di qualche ſtatua anticha, e d'eſſere ſtata poſta con le lettere in fronte, come io qui ſotto l'hò appreſentata.*

P. GRAXIO. P. F.
CARD. AFRI
Ɔ F.

Nella facciata della Caſa, che fù di Giacuzzo Giacoppo, *& al preſente della Veneranda Fraternita di* Santa Maria de Battuti, *è una pietra deteſtiva, ch'hà belliſſime queſte lettere.*

. . . .
VSMI . . . . .
ODIVS . . . . .
. . . .

 Ap-

Appresso la Porta di dentro Borgo S. Domenico *in un sasso leggesi.*

* 2 *

C. ARRIVS
MONVMENT
SIBI. FIERI. JVSSIT.
SEX. ACILIVS. C. F.
HAERES FECIT.

79 *Et in una pietra bianca di marmo fitta nella facciata della Chiesa di* S. Domenico *leggesi.*

BENE MERENTI
BVS. AVGVSTO. ET VIRS.
ANNOS IIII MENSES VII.
DIES XII. ET VRSILLA. ANNOS
IIII MENSES. DIES XV PARENTES
CONTRA. VOTVM. POSVERVNT.

* 2 *

T*utti i sopradetti Epitafii hò trovato io Medesimo nelle pietre, dove sono scritti, nominando i luoghi dove si ritrovino le pietre, hora ne seguono tre altre, le quali hò havuto dagli heredi di* Nicolo Macheropio, *che pose qualche pensiero circa l'Antigaglie di questa Città, & quantunque io non sappia, ove si ritrovasse il primo di essi; tuttavia quanto al secondo, mi viene affermato da chi l'hà veduto, che nella Chiesa di dentro del Monasterio di* Santa Maria *in Valle evi una pietra distesa in terra, di Marmo, longa, con molte lettere* Romane, *si come hà lasciato scritto il* Macheropio, *che, & in quel luogo, & da una cotal pietra l'hà tratto, dal contenuto, del quale haverei voluto io stesso certificarmi usando quella diligenza, che hò fatto nelle altre pietre, se per nuove ordinationi di Santa Chiesa non fosse vietato l'entrare là dentro, il che al tempo del* Macheropio *fù permesso. Mà il terzo Epitafio, che par fatto nella Declinatione dell' Imperio* Romano, *il quale anco il* Macheropio *copiò diffettivo per esser perduto il rimanente del sasso; hò io letto in molte belle lettere, che sono restate spezzate in due parti, che furno copiate dal detto.*

80 . . . CAELIO RVFINO EQV. Q. CECILII
RVFINO PRAEF. FIL. QVI VIXIT
AN. X. D. XXIIII. AVRELIA
GEMELLINA MATER F.
INCOMP. POSVIT.

N. VARIO
L. BAEBIO
P. SALLVSTIO
C. CARVILIO
L. CORNELIO
V. VELLIO P.
IVLIO PR.
C. IVLIO M.
SEX. CVR. II. N.
C. SENILIO I.
L. VEDIO. P. F.
M. VETTON
T. CLAVD. R.
T. CAESER N.
T. CAESER N.
P. VIRDIO II.
L. GALLONIO
G. IVLIO.

. . . . AGATHV
81 ILIBEROR. IV.
DIVINA MAJES
CONSECVTVS
VIR. AVG. AQIL.
FECIT. SI.

Mà anco nella Villa di Moimaco *lungi circa due miglia da* Cividale *è una pietra antica rotonda, che dimostra d'esser stata un'Urna, dove si riponevano Ceneri de Morti, la qual pietra è di presente murata al Campanile di quella Chiesa, & hà queste lettere initiale:*

A

D. M.
CAMPILEAE
APHRODISEAE
ANNO. XX. M. X.

E nella Villa di Rubignaco, *lungi mezo miglio da Cividale è una pietra nel Portico della Casa del Sig.* Ottaviano Manini, *dove sono scolpite queste lettere.*

DEO RVBIGO.
SACRVM.

Nomen hoc inter cætera vesanæ Gentilitatis, eo scilicèt tempore, quo in omni scelerum, &
B flagitiorum genere se se Homines volutarent; clarum perhibetur, ac potens; præsidebat illud enim frugibus, ne aut nimio frigore, aut æstu perirent, unde &, teste *Plinio*, *Rubigalia*, seù *Rubiginalia* Sacra VII. Calend Maji fiebant, quoniam tunc ferè segetes rubigo occupat. *Varronis* cum de *Rustica* opus sanè egregium lectitarem, animadverti *Cap. I.* morbum quemdam segetum *Robigenem* esse, qui ex nimio humore culmis frumentorum innascitur, & hoc vitio spicas marcidas fuisse, & in pulverem fœtidum confriatiles, cujus etiam morbi meminit in primo *Georg. Latino-* 82
rum Vatum antesignanus.

Sed ex cadaverum *Romanorum* exuviis repertis
C nobilissimas magna cum gloriæ nostræ Civitatis gentes enumero, quas inter tanquàm quovis fastigio celsiores *Cornelios*, & veneror, & admiror; & quidem si ex *Corneliis* prisca illa *Romanæ* Reipublicæ sæcula magnificentissima fasces penè nonaginta consulares tribuerint, summos Pontificatus, Præfecturas, Imperia, non minora illis in Christianissima *Venetorum* Republ. munera obtigere, cum relictis patriis tectis ad condendam florentissimam Urbem, furentibus *Barbaris*, Paludes in æstuarias advolarunt; Testis est *Petrus Justinianus*, Senator Purpuræ, & calami fulgore illustris, hæc *Lib. I. Venet. Hist.* perloquutus; Virique *Romana* Nobilitate, ac agnominatione *Marcelli*, *Cor-*
D *nelii*, *Valerii*, *Quirini*, *Memmi*, *Longi*, *Balbi*, *Vetturii*, *Æmiliani*, ac *Pisoni*, qui corrupto nomine appellantur *Pisani*.

Quod si ergo incredibilem existimationem nacta est tanta Respubl. *Romanæ* Nobilitatis stirpes amplexa, cur non insuper cessurum hoc idem erit in gloriam, & decus amplissimum *F. Julii*, Coloniæ *Romanæ*, *Romanis* legibus, *Romanis* Civibus honestati? quemadmodum est demonstratum. *Plinium* audi *Lib. V. Epist. XIX.* qui eam Epistolam *Valerio* cuidam *Paulino*, *Romano* Patritio, miserat. Hic hanc Civitatem, dum incolit, atque in *F. Juliense* Agro dum possessionem tenens, *Pli-*
E *nium* induxit, eidem, ut Amicum *Sosinium* nomine, recuperandæ valetudinis causa, hisce quam diligentissimè commendavit; *qua de causa destinavi eum mittere in prædia tua, quæ* F. Julii *possides. audivi enim te sæpè referentem esse ibi aërem salubrem, & hoc hujusmodi curationibus accommodatissimum; rogo ergo, scribas tuis, ut illi Villa, illi Domus pateant.*

Parum abfuit, quin è memoria laberetur spectandam proponere sepulturam quamdam, conglutinata laterum coctorum compagine, in *Butrio*
F erutam, hujusmodi inscriptione nobilitatam. Q. Cœcilius *hiante subindè bipenuum ictibus super-* 83
imposito saxorum acervo Urna lucernam asservante æternam, vitreas ampullas, & cultrum apparuit.

Jam verò, ubi cum lectissimis, probatissimisque Auctoribus ac peritissimis Antiquariis, ac exemplis Veritatem ostendi, eamque oratione, ac ratione comprobavi, Urbem hanc, scilicèt nostram, *Forum* esse *Julii* illud apud litteratos illustre,

ſtre, non enim ex *Italia* ſolùm, ſed ex tota *Europa*, A & Septentrione linguas erga noſtram Civitatem juſtas, & non obliquas excepimus. Elogium itaque ſcribendum ſtatui Imperatoris, oratorisque fortiſſimi, *Franciſcum Ponam*, Equitem eloquentiâ, & eruditione inſignem paululum imitatus.

Conſtat *Juliam* Gentem ex Deorum ſimul, & Hominum emanaſſe Conſortio. Heroum parens veriſſima fuit, ex qua naſci, non fieri, datum. *Julius*, *Aſcanii* ex *Ænea* filius, qui XXXIX. Annos regnavit in *Latio* proſapiæ conditor perhibetur: Maternum adde etiam Genus, abundè ſuppetunt omnia ad amplitudinem ſinceriſſimæ B Nobilitatis. *Martiorum* illud indicat *Julius*, primo Pontifice Maximo, memorabilibus Præfectorum *Victoriis*, & Quarto *Romanorum* Rege *Anco*, qui VII. bella feliciter confecit, inſigne: ſeptennio poſt *M. Tullii Ciceronis*, & *Pompeji Magni* Nativitatem, Patre *C. Julio Cæſare* Prætore; Matre *Aurelia C. Aurelii Cottæ* filia, naſcitur: *Cæſaris* cognomen ſivè à *Cæſarie*, ſivè à *Cæſo Elephante*, aut veriùs ab *utero Matris Cæſo* oblatum, in gloriam poſtmodum vertitur Succeſſorum; & nunc illud idem obtinet *Ferdinandus* III. nomine *Magnus*, geſtis, Religione, & clementia *Maximus*, porrigetque DEUS Opt. Max. poſteris in C ſæcula duraturum.

XVI. Annum agens, quod *Corneliam Cinnæ* IV. Conſulis filiam duxiſſet Uxorem, *Cajique Marii* Affinitatem contraxiſſet, *L. Cornelii Syllæ* indignationem attraxit: bene eſt; odium ſceleſtiſſimi, truculentiſſimique Hominis incurrit. Inermis abiit ex Patria, rediturus armatus, ominoſi non fugiens præſagia Dictatoris: evitare ta-
84 men ità nequam illum *Syllam* non potuit, quin non in ejusdem miniſtros inciderit: Naufragio facto, Hoſtem exoptata præda privavit. Fortunam, vel in ipſa jactatione, ſecundam expertus. Stipendia prima fecit in *Aſia* Martis ſimul, & Veneris; D à *Machemio* Prætore in expugnatione *Mitylenarum* Civica donatus, à *Nicomede Bithyniæ* Rege ditatus auro, Regina ſuæ felicitatis præſagio regebatur, nam non multo poſt Regnum cordi ſuo hærere cœpit, cum fuiſſet anteà impura Dilectio *Nicomedis*. Tribunus militum, & Quæſtor renunciatus, *Juliam* Amitam, Uxoremque *Corneliam* fato defunctas laudavit à more pro Roſtris, & lingua, & ferro pollens. Urbis Honores, & Magiſtratus implevit, opprobrium timens Tori, quod ipſe intulerat aliorum, corruptis tot illuſtribus fœminis, *Q. Pompæji* natam dimiſit ad *Herculis* delubrum, ad M. *Alexandri* ſimulacrum ingemuit, E invidiæ, aut Animi modici lacrymas effuſas interpretari formido; guttas eas dixerim pretioſas, quibus gloriam, quibus Virtutem ſupparis Ducis in omnia comparavit; Ædilis electus *everſas Marii* ſtatuas reparavit. Triumphis ſemper inſiſtere delectatus; Magnificentiſſima Populo *Romano* ſpectacula repræſentans, nullum ſe, vel majus edidit, vel nobiliùs: Ad Faſces petitus, anteà Pontificatum maximum iniit, quàm ſuffragia accepiſſet. Præturam reſpuit, quia ſe, meritisque ſuis minorem; indè Terrarum orbis partes emenſus, ulterioris *Hiſpaniæ* præturam amiſit, ne *Galliarum* amitteret Conſulatum: F Peragrans utramque Provinciam, ſingulorum Annorum ſpatia per ſingulos Commentarios conſcribit, Dignum ſe unum invenit, qui quod faceret, ſcriberet, & ſcriberet, quod patraret. Ex feliciſſimo Rerum ſucceſſu, & creſcente auctoritate, atque potentia *Cæſaris*, æmulatio *Pompæjana* cooritur, Splendidiſſimo ſoli inanis umbra tanta, qua demùm in *Pharſalicis* Campis excuſſa, deplorataque magnanimè, Rerum potitus Matrem ſtupravit in ſomniis; ea Patria *Roma* fuit, neque doluit à filio tam generoſo corrumpi: *Alexandrino*, *Africano*, ac *Pontico* Bellis, ut non ſine præſenti periculo, ità non 85
ſinè futura ſui Nominis celebritate confectis, aſcendit in Capitolium: infrà ſe habuit cuncta; Cœlorum Regia ſolùm remanſerat occupanda. jam proximus ſanguine, propinquior eſſe cœperat cum Imperio: Tempus vocat, ut Mortalem ſe agnoſcat, & probet; verentur tamen, an trepidant fata? prodigiis interturbant mortem; Deſpicit Ariolos *Cæſar*. Divinationem contempſit, qui Divinos Titulos affectabat, & tamen properabat ad Cineres: melius, ſi qui menſium, & annorum curricula corrigebat, ſuam incredulitatem correxiſſet. *Brutus* adoptatus in filium, additis ferè X. in conjurationem ſociis, Patrem Patriæ XXIII. vulneribus trucidavit; qui matris libertatem polluit, meritò lictorem filium experitur; Quis tamen crederet, vel ipſam mortem juſſu fuiſſe *Cæſaris* executam? inexpectatum mortis Genus optaverat: terrere fortè mortem poterat, ſi non ex tempore generoſiſſimum, invictiſſimumque proſtraſſet: Vita grandis ex uno vix vulnere migraviſſet, exitus multos aperit ingenioſa Crudelitas; Verùm dùm è medio tollunt nequiſſimi Graſſatores, tunc magis extollunt: Stella radiante Coma, ceu face ſplendente in Solis occaſu ab iratis elementis immiſſa, piè *Julii Cæſaris* Funeri parentavit. Lamentatrici non indigenti in feretro, comas evellunt, atque in Cadaver projiciunt capillamenta formoſiſſima Sydera. Stellam illam cæſi *Cæſaris* Animam interpretatur *Italia*, inter Beatorum Solia coruſcantem: quam tamen ille, hoc uno infelix, ignibus æternis effudit.

EXPONAM interim in calce ſtatum præſentem *Foro Julienſis* Urbis; Hæc IV. ferè incolarum numerat millia. Anno M.CXCVIII. Circuitus ad II. mille, & CCC. paſſus inventus. Muri ſemiruti, Aedesque perantiquam quamdam redolent majeſtatem. Prætorianum in primis Palatium Baſilicæ Collegiatæ contiguum, Aula ſpatioſa ad aërem hinc, atque indè ſaluberrimum admittendum, marmoribus, ſtylisque ex duro lapide fabrefactis fulcitur, ac fulget. Habet in ſe, cum hæc ſcribimus, qui innatâ *Venetis* prudentiâ Populos regit, Proviſorem Illuſtriſſimum *Bar-* 86
tholomæum Donatum, *Hieronymi* filium, qui non Paterno minùs ſanguine, quam *Eliſabethæ* Genitricis Nobilitatis acceſſione, ea ſibi ornamenta conjunxit, ut antiquis quibusque *Venetæ* Reipubl. Patribus, ſi non ætate, Virtute certè propior, atque vicinior ab omnibus meritò cenſeatur. Novimus electiſſimos *Venetiarum* Principes, *Marcios* Procuratores, & Equites Terræ Marique armorum Præfectos, primum ex Nobilitate *Veneta* Cardinalem, *Aquilejenſes*, *Cretenſes*, & *Corcyreos*, Antiſtites ex *Donato* ſanguine procreatos. Horum ad imitationem magna bonorum gratulatione non impari ſanè gradu Præſes hic noſter optimus procedere non deſiſtit, carus apud ſuos, cariſſimus apud exteros, apud utrosque clariſſimus meritorum ſuffragiis, ac Virtutum. Confert namque ille ſuas cogitationes, & curam, ſtudium pietatis, atque Juſtitiæ ad communem ſubditorum utilitatem; & gaudet, iis in Urbibus, quarum adminiſtrationem famâ ſemper integræ probitatis obivit, Patronus conclamari, ac Pater, & commodè quidem, præter *Donatam*, ex vetuſtiſſima, ac nobiliſſima *Collalta* matris proſapia, una cum Marchionibus, & Comitibus *Savornianis* admixta exempla liberalitatis, ac magnificentiæ propinavit. Utrumque genus nobiliſſimum, noverint omnes, opulentiſſimis Ditionibus frui, numero *Venetorum* Patritiorum adſcribi, Cæſarum, Regum, ac Principum Magiſtratum exercere ſupremos.

Porro Baſilicæ facies tota quadratis lapidibus conſtat. Valvas tres in fronte aperit, aditum

tum ad Divini Numinis cultum concedentes. Sistentis in ipso limine lumina majestas occupat. Si per Lithostrotum ambules, quadratis est illud marmoribus, positis albis, atque coccineis. Ascensus hinc fit in Chorum per gradus ex candido marmore, XIII. perstylia hinc, atque indè ejusdem materiæ, accedendi, ac recedendi commodiorem præbent facultatem. Sic decet omninò unctos Dei sacra peragere, à Populo segregatos, & à terrenis ereptos. Chorus enim verò augustus ac nobilis Aulæis *Francisci Barbari* M. illius *Antonii* E-
87 quitis, ac D. *Marci* Procuratoris filii, *Aquilejensis* Antistitis laudatissimi liberalitate donatis parietes suos habet ornatos. Eminet Patriarchalis ex Decani nostri parte Thronus. Ara in medio argenteis laminis pretiosa, *Pellegrini* Patriarchæ monumentum; sed & summo opere commendanda est Cleri pietas, atque Religio, quando ingenti ab ipso studio Divina tribus, singulis diebus, vicibus, psalluntur officia. De Sacrificiis, cæterisque ritibus sacris nil præteritur, atque ea pompà, & Christiana propemodùm Dignitate cuncta conficimus, ut tunc se cognoscere, dicere soleret *Barbarus*, Patriarcham, cum nostram accederet in Basilicam: nàm præter XL. Canonicorum coronam XII. Mansionarios, infinitus etiam Presbyterorum, & Altaristarum, ut vocant, numerus confluit. Recentior quidam Topographus ità de nostra Civitate reliquit: *Ma ritornando verso i monti si trova il Fiume di* Natisone, *ove siede* Cividal d'Austria, *alla vista de'riguardanti così vaga, quanto mirar si possa; ove si vede un Ponte, che passa il Fiume* Natisone *di così mirabil altezza, & bellezza, che un altro simile non si trova altrove, percioche la Natura concorrendo all'ajuto dell'Arte, hà quì nel mezo del Fiume arrecato una pietra di così maravigliosa grandezza, che più tosto si può parangonare ad un altissimo monte, che à base, & sostegno degl'Archi del Ponte, quali sopra sono fondati, & sostenuti nel mezo del corso del Fiume, l'altra parte degl'Archi posano alle Rive del Fiume, ma di tanta altezza, che chi mira un'Huomo à basso del Ponte, par di veder un picciol Nano per la lontananza dell' occhio. Quì sono de i Canonici, & hanno così bella Chiesa, quanto altra mirar si possa, massime di corpo, & di Architettura; L'Aria è così sottile, & buona, che non si può desiderar la migliore, ove si veggono è gli Huomini, & le Donne di faccia tutta gioconda, & amorosa*, Et alibi recentior quidam alius. *Hà poi dentro diverse altre Chiese, & Par-*
A *ochie. Vi è una Fontana in Piazza con una capelletta sopra, ove si dice Messa per la moltitudine de' Schiavi, quali concorrona al Mercato. Ci è d'antico un cemiterio d'Hebrei, tenuto già da loro in gran consideratione.*

Cœnobitarum verò Templa præter illud 88
D. *Georgii* Minorum observantiæ, & sacra D. *Francisci* familia (quod cernitur extra muros) habemus S. *Dominici*, ut ex *Chronicis* apparet, ab ipso D. *Dominico* fabrefactum, quod & à literis etiam *Octaviani*, Cardinalis Sedis Apostolici Legati, colligitur. Legatur hac in re *Pius*, qui plura commemorat, & B. *Benvenutæ Boyanæ* Virgi-
B nis Vitam disertè conscripsit. Sunt & elapsis nostra ætate annis in hanc nostram Civitatem ex D. *Francisci* Cucullatis, quos *Capuccinos* appellant, pià sanè, ac generosa liberalitate vocati; exstructum est Cœnobium, Horti amœnitate ad animum levandum adjuncta: multi ibi *Foro Julienses* Patrîtii non insano *Christianæ* Devotionis Amore flagrantes ultrò sese strictiori vivendi ratione ingenti sanè cum opinione Sanctitatis addicunt.

Omnium tamèn antiquissimum, vel ex ipsa structura esse conjicio templum D. *Francisci* Minorum Conventualium, sumptu non modico Civium, & Patriarcharum, *Raymundi* præcipue
C *Turriani* constructum; quin & in ipsis jam semirutis parietibus Regiam sibi suisque Successoribus saxis asperrimis, & præterfluentis *Natisonis* Aquis aggregatam *Gisulphus* erexit. aucupari sic id potui à nonnullis. quidam asseverarunt firmissime. nam sciscitatus ego à Viris ingeniosis, atque exquirens etiam solertissime, in qua nàm Civitatis loci parte *Rhomilda* inhumanum *Cacanum* conspicata, amore deperdita deflagravit; præripuit statim Animum *Canussius*, hunc fuisse locum assentiri, cum positis, ille inquit, Barbarus *Cacanus* ad *Natisonem* Castris, quà tandem parte moliri mœnia posset, obequitabat, unde commode à *Rhomilda*
D conspectus amore ejusdem promptissimo saginatur.

Sunt & duo alia Templa, atque Cœnobia Monialium Virginum, alterum D. *Benedicti* Ordinis, D. *Dominici* alterum, S. *Claræ*, & Virginum Maximæ Annunciationi Sacra. Illuc æstivis temporibus inclementer *Aquilejæ* solum verberante Sole Moniales adventant, salubriori sub Cœlo. De *S. Maria de Valle* ejusdem *Benedictini* Ordinis inferiùs nonnulla dicemus.

---

89 # BASILII ZANCAROLI CYDONII
ANTIQUITATES CIVITATIS
FORI JULII.
LIBER SECUNDUS.



EXIMIA Urbis tantæ Nobilitas usque modo spectata, Antiquitas perlustrata, licet ab aliis validioris eruditionis Viris expressa, eminentioribus posteà Titulis exornatur, atque hujusmodi splendore nitescit, Numinis Supremi clementia, ut ad ejus Aciem admota *Cæsaris* Conditoris, opificisque Majestas, atque Potentia contremiscat. Jàm enim Nominibus à summa impie-
E tate ad Caules immortalium Bonorum adductis, jam Dæmonum servitute in Dei Opt. Max. reverentiam commutata, flagitiosè ubique superstitionis error depellitur; jàm Divino inspirante consilio illius fidei ardentissime petitur obsequium, & incrementum optatur, cum qua anteà studiis pertinacissimis pugnabatur. Jam *F. Julium* Catholicæ Religionis, Christianæ Veritatis infusione ditatur; & quod olim suis sub *Julio* communem hanc

hanc Vitalis Auræ fruitionem ingesserat, Lætio-
90 rem, excitatam sanctissimis ab Hominibus, suis posteris elargitur.

Secundo, ac XL. *Augusti Octaviani* Imp. Anno in *Bethleem Judæ* oppido natus Rex Regum deperditum ad se genus Hominum aggregavit. Fundamenta jacturus Rei, cujus gratia è Cœli Regia ad nostra Terrena devenerat, XXX. attingens ætatis Annum, delectos mira vocatione Apostolos XII. ac LXXII. Discipulos, vesanis, impurisque Gentilitatis Ritibus delendis, objecit. Cœlestis Patriæ Hæreditas pro caducis hisce promittitur, edit infinita miracula. Advolant ad ebibendam lympham hanc salutarem utriusque sexus innumeri: Hinc præcepta mutuæ charitatis, patientiæ documenta, mortis, tormentorumque contemptus; Hinc lilia puritatis. In crucis demum patibulum Auctor salutis proterva Judæorum improbitate subigitur; Sed in inferiores partes descendens, diruptis, disjectisque cardinibus Tartarorum, ad Patrem, magna justorum comitante Caterva digreditur; Verum antequam se in Cœlum conferret, ut *Christianam* Rempublicam conderet, jus suis Discipulis impertivit. Festinant ad opus alacres, atque ex S. Spiritus partitione linguarum mira imbuti scientia, vel remotissimas, & efferas Nationes contrahunt ad Baptisma.

SIMON PETRO ex *Bethsaida Galileæ* sacri Collegii tribuitur Principatus. Hinc *Antiochiæ* in *Syria* Sedem sibi constituit, undè etiam factum, ut repentè ibi *Christi* Nomen ostensum reliquis Terrarum Populis inclaresceret. Congregantur ad *Christianæ* fidei Aream *Pontii*, *Phœnices*, atque *Cappadoces*. Primus omnium *Cornelius* apud *Cæsaream Palestinæ* fideli confessione cursum dirigit ad fidem *Italiæ*. *Petrus*, transacto in *Antiochiæ* Solio septennio, *Romanis* cœlitus designatur. Collocandum ibi Evangelium, cognoscendumque confidit. Arcem totius impietatis invaserat, facturus hanc posthac cœlesti sermone Veritatis simul Discipulam, ac Magistram.

Frementes passim impios in *Christiani* Nominis Asseclas *Marcus* generosè prostravit, conscribendæ sacræ paginæ sumpto negotio. Leonis erat audiendus sonus, quo Domina Gentium implere-
91 tur. Honoratus non multò post ingentibus laudibus ab Apostolorum Antesignano, ne opere ab incepto desisteret, datam sibi ab ipso Provinciam flexit; *Foro Juliensis* hæc fuit. Magistratum haud pauci subsequuntur, *Christianum* Nomen adaugent. Via in contermina loci Evangelicæ Doctrinæ munitur. *Hermagoras* præcipuam lauream in Sanctæ hujusmodi Rei consummatione quæsivit. Fuit cibo hoc suavissimo, atque nutrivit tuas propagines, Civitas *Fori Julii*, *Hermagoras*, perque strenuos Duces Crucis Trophæum, & ædibus, & cordibus tuorum imponitur. Quod vero *Hermagoras* nascentis Evangelii luce Civitatem hanc Illustrissimam minimè fraudaverit, certissimis argumentis compertum: Hymnus ab *Aquilejensi* Ecclesia in laudem SS. *Hermagoræ*, & *Fortunati* solitus decantari, metum adimit periculosi judicii:

Eo juvante Populum
Ad Cœli perduc Solium,
Crucis Amore, capite
Truncatus es, ut hodie
Sublimet Aquileiam,
URBEM fovendo AUSTRIAM.

ET quidem si longissime dissitis Populis, Unius veri Numinis ignoratione maximè miserandis cœleste contulit *Hermagoras* Amuletum, *Fortunato Tergestem* modo ire jusso, *Syro* modo *Papiensem* peregrinationem assumere; an ità de Civitate *F. Juliensi* nequàquam sollicitum judice-

A mus, cujus propitium cæteroquin studium, Amoremque, & frequentia, & probitas Civium merebantur? & quorsum *Urbem* fovendo *Austriam?* Si in vivis ille dum ageret neglexisset eandem *Christianis* erudire Mysteriis? Si, dùm ille ignotas 92
Civitates, & oppida peragrando, lavacro Baptismatis expiabat, unos Incolas *Fori Julii* reliquisset fœdissima Dæmonum, errorumque mancipia? Si eminentissimo *Aquilejensis* Ecclesiæ Throno præpositus in tàm vicinam Urbem haud oculos direxisset, & ut erat in perpetua Cœli conversatione futurorum eventus edoctus, eam suis prædicationibus privavisset, quæ successorum Patriar-
B charum complexura erat jàm syrmata, exceptura infulatos, & palantes sub truculenti Barbarorum Tyrannide statutis tectis recreatura.

1. Transiit itaque in delicias Sanctissimorum Antistitum Civitas Nobilissima; quippè quæ ingenio, genioque mitissimis incolarum eos compulerat, non minus æque *Aquilejense* negotium, quàm suorum gerere. Ubi recto itinere ad Cœlum migravit *Hermagoras*, præter ea tempora Profanum *Romanorum* Cæsarum Dominium sensimus. post *Vespasiani* obitum *Titus* natu major suscepit Imperium; Huic, veneno, ut fama tulit, necato, filius alter *Vespasiani Domitianus* successit; Frater hic
C Triumphorum, & Muscarum *Domitor*, pugione confoditur in Cubiculo. Penè septuagenarius *Coccejus Nerva* præficitur, in *Christicolas* Humanissimus, non tamen arrisit Prætorianis Cohortibus, cogitur itàque *M. Ulpium Trajanum*, Natione *Hispanum*, in filium adoptare, commendatum largissimè ob instructas Bybliothecas, restituta judicia, sapientes muneribus invitatos. Consensu Senatus, ut in nullo à *Trajani* fortitudine, ac probitate degenerans, *Ælius* eligitur *Adrianus*. Inde *Antoninus Pius*, cui dictum etiam *Catonis* Pium sedit altius, *malo unum Civem servare, quam mille Hostes occidere. Pio M. Antoninus Philosophus* surrogatur,
D *Græcorum* Philosophorum magnanima sequutus exempla, Arma tractare non dubitavit; *Sarmaticam* licèt, *Germanicam*que Victoriam Superorum potius clementiam, quam suis viribus reportaverit, siti, *Christianæ* Legionis precibus largissimis profusis imbribus, suorum extincta, atque Hostibus crebris coruscantium fulminum jaculis effugatis. Optimi Patris pessimus filius *Commodus* 93
ad incommodum Reipub. evehitur, Civium pernicies, Cæsarum probrum. *Septimus* post hunc *Severus* occurrit; mox *Caracalla*, ob ductam in Uxorem Novercam, *Oedipus* dicterio nuncupatus; ut successor *Maximinus* ob immanitatem *Cyclops*. *Christo* dedit Nomen *Philippus Arabs*: *Decius*,
E *Valerianus*, *Gallienus*, *Probus*, *Diocletianus*, *Maximianus* magna sunt Nomina, & Adulatorum non tam otia, quam negotia. Hinc omnium Gloriosissimus *Constantinus*: *Constantem*, *Constantinum*, *Constantium*, *Julianum*, *Jovinianum*, *Valentinianum*, *Valentem*, *Gratianum* Magnus *Theodosius* meritis anteivit; post quos *Italia* ferè tota nostrumque in primis JULII FORUM, post *Arcadium*, & *Theodosium*; *Marciano* demùm imperante ad extremam desolationem emarcuit.

2. Ordo postulat, ut sacrum etiam Regimen
F afferam: est igitur, qui in *Heluri* locum *Chrysogonus* deligatur: sequitur purpuratus suo sanguine *Theodorus*, sub *Agone*, *Aquilejensi* Præfecto, martyrii Agone peracto: *Pii Romani* Pont. *Aquilejæ* nati, Annos attingit *Agapitus*: Denumeratur posthac *Fortunatus*, *Valerianus*, *Benedictus*, *Quirinus*, & *Fortunatus Afer*; *Qirinus Philippum* Cæsarem Patrem habuit, hujus sanguinem *Pannonii* sitiunt, manantem à sacris vulneribus *Danubius* epotavit. Ergà *Chromantium* ex omnibus se partibus ostendit uberrimis in litteris Amor *Hieronymi*, Divini illius *Tullii*: *Augustinus*, *Adelphus*,

Maximus, *Januarius*, *Secundus* appropinquantium
calamitatum superstitem *Nicetam* inveniunt. in
promptu est funesta narratio.

3. Mandarunt litterarum monumentis Histo-
rici, *Scythas* humanæ originis tenuisse primatum,
atque ex innumera illorum propagatione Aquilonis
omnia derivasse Dominia, *Sueciam*, *Finingiam*,
Moschoviam, *Lithuaniam*, *Armeniam*, *Tartariam*;
quo circa *Berossus* apud *Joannem M.* in III. & IV.
Chaldaicæ Historiæ affirmat, humanum Genus ad-
eò in immensum multiplicatum fuisse in illis pri-
mis centum Annis post Diluvium, ut illa latissi-
ma Aquilonaria, & *Gothica* Regna plures Incolas
94 capere non potuerint, necessitasque ipsum *Noë*
ad comparandas novas in Occidente, & Oriente
Sedes compulerit. Primus *Magogus*, *Noemi* ex *Ja-
pheto* filio Nepos, imperitat. sed hujusmodi *Gothi-
cæ* Gentis, exquisitissima diligentia conquisitam à
Sylvio, *Scandiam* vastissimam Insulam tenuisse inve-
nimus XIII. Reges. XIII. itidem Nationibus præ-
sidere, testatur *Procopius*, tria tamen uti nobiliora,
& situ amæniora: *Gothia*, *Norvegia*, atque *Sue-
cia* celebrantur; & ex his quidem Hyperboreis
plagis, in orbem Terrarum, Ductore *Attila*,
XVI. Kal. Januarii irrumpens infinita colluvies
Barbarorum armis, & moribus ferocissima, in
Europæ, & totius Occidentis excidium anhela-
vit.

4. Occultò ferebatur, *Aëtium*, sordidis in *My-
sia* Natalibus genitum, verùm ingenii acumine,
naturali quadam eloquentia, & excellenti milita-
ris Artis scientia, mille periculis obdurata, ad sub-
limes continuo Dignitates elatum, quique ea
tempestate *Galliam Narbonensem* administrabat,
Romani affectasse fasces Imperii: auxere famam
missi ad *Attilam* Regem Nuntii, ut illius Viribus
auctus, optato exitu Machinam expediret. Sed
temeritatis peccavit impulsu. non respondit *Atti-
la* votis, imperitanti similis, & plus Honoris appe-
tens, quam quod vellet *Aetius*; itaque magna pe-
ricula magnis constare discriminibus ratus, *Attilæ*
conatus aperit Cæsari, metuebat scilicet ne adver-
sus se *Bonifacius*, Magister Militum, & *Africæ*
Gubernator, in Aula perpetuus Æmulus, & in
campo quandocunque sui victor, cui nota sua esse
consilia minime desperabat, Augusti odium con-
citasset. Usque adeo, dum terror incutitur, quis-
que sapit. Interim ingenti armatorum numero
(ad L. Myriadas ascendisse vulgatum) *Attila* in
apertam irruptionem consurgit; *Germaniam* (*Co-
lonia*, *Argentina*, *Spira*, *Constantia*, *Basilæa* fœdè
direptis) multis, & gravibus damnis affecit. Vi-
ctoriis inflatus, eo certiore potiundi Orbis spe e-
rigitur, quod neminem, qui secum auderet con-
fligere, obvium habuisset: sed in *Gallia* obfirma-
tis Amicorum, & fœderatorum Animis, contra
95 venturum Hostem militem *Aëtius* armabat; icto
fœdere cum *Clodovæo Gallorum* Rege. Apparatus
initiis *Theodoricus Ostrogothorum*, & *Gensericus Van-
dalorum* Reges, conscriptis Bellatoribus, comme-
atum accersunt. Excubabat ad hæc vigilantissimus
Attila, qui exercitu innumero circumseptus (sep-
tem in eo fuere Reges) in *Galliæ* viscera penetra-
vit; Præerat *Romanis* Copiis *Aëtius*; curam ge-
rebat *Attila Barbarorum*; in campis *Cathalaunicis*
acerrimè depugnatur; & quidem ex *Jornandi* Hi-
storia tanta Animorum pertinacia hi exercitus
conflixere, ut DLX. millia Hominum utrinque
cæsa referantur, exceptis XC. millibus *Gepida-
rum*, & *Francorum*, qui pridiè prælii noctu sibi
occurrentes mutuis concidere vulneribus, quin &
rivulus ripa humili prolabens peremptorum vul-
neribus sanguine multo provectus, non auctus im-
bribus, sed liquore concitatus insolito Torrens
factus est cruoris augmento: auxit occisorum nu-
merum *Theodoricus* Rex, dum incautius se ictibus

A aperit. *Aëtius* prælio fuit superior; sed tàm in-
genti parta Victoria frui est visus potius *Aëtius*,
quam potiri: an suæ incolumitati sic consulens,
quo ipse Victoriæ, ut Auctor, sic & Superstes
ad concupitum culmen ascenderet, incertum, hoc
unum scio, à *Valentiniano* Imperatore eam præser-
tim ob causam reducem *Aëtium* à vivis ereptum,
quod novis studeret rebus, Diademati studens
Imperii. Addo ex *Procopio*; quod cum *Valenti-
nianus* de *Aëtii* ex *Gallia Romam* jam accersiti cæ-
de deliberans, quemdam ex familiaribus interro-
garet, num *Aëtii* mors futura esset Reipub. uti-
lis; respondit ille, hoc ipse videret, num benè,
B an malè; Sed id scire, quod Imperator illum oc-
cidendo sibi dexteram altera manu præcideret,
quod quidem & eventu ipso comprobatum est;
nam hoc Viro extincto, qui ad Rempublicam
defendendam natus videbatur, simul cum ipso Oc-
cidentis Imperium concidit, & Respubl. salutis
suæ Dexteram amisit.

Rursus igitur, delata per exploratores, Ducis
Egregii morte, Belli turbines *Attila* conflat; Vi-
sum omnibus, qui signa *Attilæ* sequebantur, non 96
per *Galliam*, sed per *Carsios* montes in *Noricis*, *I-
taliam* occupari Nationes, quibus *Attilæ* censeba-
tur exercitus, prosequitur *Cavitellus*, septingen-
C ta militum millia fecere, *Sarmatæ*, *Geloni*, *Qua-
di*, *Neuri*, *Messegetæ*, *Nutini*, *Tungri*, *Suevi*,
Marcomanni, *Heruli*, *Turcelinghi*, *Saxones*, au-
daciam mutuatur, & Corvus præstigio quodam
mirabili dextero conquiescens in humero; assum-
pto indè volatu eo usque tendens, ut oculos effu-
gerit spectatorum. Traditum est à curiosis, depi-
ctum in Imperatorio *Attilæ* Vexillo leporarium
albicantem canem. ignaviam lepore figurabant *Æ-
gyptii*; symbolum turpis torporis, atque inertiæ
in reliquas transiit Nationes. Id ex *Curomæro*,
cum enim sub *Boleslao III. Polonorum* Rege *Pa-
latinus* quidam, qui Bello illo extremo contra *Ru-
thenos* ad *Haliciam* sua fuga cæteris fugæ causa ex-
D titerit, cum domum rediisset, Rex ei leporis
pellem misit, qua ille ignominia ad voluntarium
suspendium adigitur. *Europæ* Principum negli-
gentiam signabat *Attila* problemate non vulgari,
socordiæ se correctorem cane leporum sectario in-
dicabat. comprobantur Insignia, devictis *Tragurio*,
Belgrado, *Tadera*, *Gina*, *Pola*, *Parentio*, *Aemo-
nia*, *Epidauro*.

Exordia hæc *Attilæ* feritatis, atque potentiæ
insitam dominandi libidinem in *Carnorum* Provin-
ciam impulerunt. Erat *Aquileja* Urbs tota *Eu-
ropa*, si post *Romam* enumeres, Cultoribus, *Æ-
E dificiorum* publicorum, ac privatorum munifi-
centia Nobilissima, Augustissima, Potentissima,
expugnanda. Provisum anteà saluti Urbis fuerat
à *Menappo*; & proficit *Armanni* de *Poriliis* vir-
tus, qui nec Hostium fama perterritus, nec Ar-
morum, aut telorum terrore concussus, inter pri-
mos propugnatores consistit. Dignus es Comes
excellentissime, ex tanto Heroe deductæ prosapiæ
soboles, *Ferdinande*. Undè nil mirum, si gratis-
simus Regibus, Cæsaribus, ac Senatui, omnium
es benevolentiam consecutus. Aggere circum-
quaque ducto machinis omnibus lacessitur à *Bar-
baris Aquileja*: cum demum trium Annorum op- 97
F pugnatione pertinacissima fatigata, Vires tamen
adhuc & spiritum non amiserat; locum fuisse
crediderim, & natura, & humano ingenio (nar-
rante *Sabellico*) ad omnes hostiles conatus arcendos
longè munitissimum. Contulit & non parum ad
levandam rerum inopiam proximum mare, qua
parte commeatus transmittebantur. Equidem
quod floris erat militiæ *Patavi*, *Foresto Atestino*
Duci miserat *Lilius* Princeps. Gratulor tibi quam
plurimum, *Atestina* Gens Serenissima; genus al-
to à sanguine Regum, & monumenta tuæ forti-
tudinis

tudinis singularia, Tibi dedico, consacroque, Cardinalis Gloriosissime *Rhaynalde*. Candida sunt hæc Benevolentiæ erga *Italiæ* libertatem signa, an Aquilæ illæ tuæ *Aquilejenses* non adhuc prædicant ab *Atestinis* Principibus beneficium susceptum! O quantas est in illis Vires experta *Carnia*, quæ licet non gestent fulmina, habent illæ tamen *Atestinorum* bellantium Principum dexteras fulmine quolibet fortiores.

Desperatis Rebus redire ad suos cogitantem *Attilam* ominosa Ciconia retardavit; Per muros semirutos, eversosque Victor ingreditur, per occisorum cadavera Barbari in globum acti, in cædes, in rapinas, in stupra discurrunt, debacchantur impunè, inde ignibus coronata *Aquileja* ad solum usque miserrime deflagravit. Unde

Hic Aquileja fuit, remanet miserabile tantum
Nomen, & infelix cætera condit humus.

Perculit de eversa, direptaque *Aquileja Forojuliensium* Animos Nuncius: cum anxii simul, ac trepidi, quid caperent consilii, variis cogitationibus luctabantur; nec jam aliud, quo sua salus adversus Regis validissimas copias niteretur, præter nonnullas equitum, peditumque Alas ad ostia *Natisonis* redactas habebant, illis tantum Hostis expectabatur. Itur ad Arma, dissipatis, fugatisque nostris, trucidatisque, obice nullo in Urbis castra recto itinere ferebatur. Placuit amplectentibus saniora sævitiam Barbari exercitus declinare. Itaque corpora tantum sua, libero-
98 rum, ac conjugum eripere properantes, ad tuta propinquorum montium concava confluxerunt. Dedit ad fugam ansam peropportunam casus; exasperata scilicet incommoda equitatione *Attilæ* vulneris cicatrice, quod in *Aquilejensi* obsidione acceperat à *Menappo*. Pergunt oppido postmodum Barbari, perrumpunt claustra, obsecundanteque Fortuna conjunctis Viribus signa inducunt in medium. Parietes magnis ictibus quatefacti agente rimas igne desjecti horribili fragore prosternuntur.

Horribilis florentissimæ nuper Civitatis Facem, quæ se inflammaverat, reliquis *Italiæ* Urbibus admovendam quam primum *Attila* minabatur. Rapido, rabidoque Torrente pessundatur *Concordia*, diruitur *Opitergium*, exponitur in prædam *Verona*, subvertitur *Ceneda*, excinditurque *Feltre*, *Ticinum* incenditur, vincitur *Vincentia*, squallet patefactum *Patavium*, *Mantua*, *Brixia*, *Bergomum*, *Cremona*, *Parma*, *Placentia* absumuntur.

Putaret tamen quis nunquam tot cladibus, & ruinis funestatam *Italiam* ex hisce decorem sibi, & quod majus est, salutis, libertatisque propugnaculum reperisse? Scriptores celeberrimi pronunciare minimè dubitarunt, furori *Attilæ* gratias nonnullas profiteri deberi; cum ad illum evitandum palantes, trepidique potentissimi quique Urbium illarum Cives, de sedibus, domiciliisque suis figendis deliberantes, ad Paludes, & stagna confugiunt *Adriatica*, atque cumulata arena Domos exstruunt felicissimis fundamentis, quibus paulatim crescentibus in eam mox opum magnitudinem, & Civilis Disciplinæ præstantiam *Venetiarum* Civitas adolevit, ut Urbium in toto genere humano Regina sit unica, & in externi Hostis potestatem nunquam venerit, multarum quin ipsa gentium, & Insularum, & Regnorum victrix extiterit celeberrima; & sanè Divino accidit Nutu, nè *Italia*, ut inquit *Baronius*, sinè Republ. linqueretur, quæ olim florentissima, Dominantium Vi oppressa, jam cum Imperio collabente prorsus videretur extincta. Lector de-
99 scriptionem disertissimam *Venetiarum* accipere poterit ab *Joan. Petro Maphæo*, *Bergomensi*, *Societatis*

A *Jesu*, qua quidem Epigraphe nihil exactius, nihil pulchrius dici potest. Equidem hanc *Guido* S. R. E. *Bentivolus* Cardinalis purpuratæ ille sapientiæ Princeps non uno mecum adhibito sermone exquisitis semper laudibus commendabat.

Quoniam vero ad novam nostræ *Civitatis* speciem interitu *Attilæ* subsecuto, convertetur oratio: sic æquus ego æstimator, ac Judex, Regis Ingenium, mores, & personam aperiam: *Mandulco* Patre, & *Hosdrubalcia* Matre, *Hunnorum* Regibus oritur: Sedes ad *Danubium* prima: Religio varia, vel nulla. Fortuna secunda semper; Ingenium litteris, & Armis excoluit, Acuit il-
B lud immanitas. Terreri nunquam visus, Viam ad Monarchiam parat; *Bledam* fratrem, ubi in variis Bellorum eventibus à fatis elusum vidit, interimit; indignum ratus eum habere pro fratre, qui non Fortunæ fœminæ dominaretur: an animam illum efflare cupiit, quo vivo conflare desperabat imperium? adscitas tot Nationes Imperio vinxit, non fædere amicas voluit, non socias. Urbium, Regnorumque Helluo deglutire totam ut assuesceret Orbem, spumantibus sese poculis super morem ingurgitat. Sanguine è venis scaturiente suffocatur in *Thalamo*. Uno hoc facinore
C tunc ebrietas commendata, quod flagellum Dei, quod Regem illum Armis invictum, qui arroganter dixerat, stellas præ se cadere, Terram tremere, & malleum universi, sustulerit. Insulsa Pictorum, & Sculptorum figmenta prætereo, legimus *Ravennæ* Equestre *Attilæ* simulacrum juxta *Ursianam* Ædem barba caprina visum, exportatumque *Venetias* ab *Hieronymo Donato* Doctore, & Equite. Sed & fama omnimode fabulosa canis concubitu, quem in deliciis habebat mater, *Attilam* fuisse conceptum; atque hinc latratibus voces assimiles emisisse, profecto hac in re tantum *Paulum Jovium*, *Nucerinam* Ecclesiam summa litteratura dignissimè à *Leone* X. Papa promeritum,
D non laudo, quippe qui non tergiversaverit suo in Musæo, Regem *Bellicosum*, atque magnanimum, 100
micantibus oculis, cornutis, cristatisque capillis, hiante bucca, vultu suino, truci, raraque sub mento barbula, adunco naso, *Asininis* auribus, patulis naribus, caninis dentibus, reliquo demum corpore horridis pilis obsito, collocari; audiatur an hæc sint vera; *Priscus*, qui se vidisse testatur *Attilam*, cum pro *Theodosio Juniore Imper.* legationem apud ipsum peregit. *Fuit*, ait ille, *Attila brevi statura, patenti pectore. Capite grandiore, minutis oculis, rarus barba, simo naso, tetroque colore, incessu superbus, oculorum aciem huc,*
E *illucque torve circumferens, extabatque in ipso motu corporis Animi elatio, Bellicæ Rei cupidus, sed manu temperans, consilio utilis, supplicantibus exorabilis, propitius in fide semel receptis.* Liberos reliquit quinque *Ellac*, *Kaba*, *Dintionem*, *Hernacum*, & *Hennicum*, ob id fortasse haud perpensam à *Canussio* Sobolem judico, qui Regem mortis insidiis interceptum scripsit, eo scilicet tempore, quo haud æquo animo ferens prolis orbitatem, petiit novæ nuptæ concubitum, quæ tamen Uxorum, seu concubinarum potius extitit ultima; Nata erat ex *Ildico Bactrianorum* Rege (*Honoriam* dixere aliqui *Valentiniani* Cæsaris sororem) omnium sane
F Juvencularum speciosissima; quod verò *Attila* supplicantibus exorabilem se gesserit, in *Leonis* Pontificis Maximi gratiam *Romæ*, *Trecis Lupi*, *Joannis Ravennæ*, *Tarvisio Giberti Mazalunæ*, *Mutinæ Geminiani*, pepercit; jactabundus quandoque dicere solitus, *Attilam* Humanitate posse devinci, Armis autem superari non posse.

Et *Marcianus* Imperator; qui per somnum *Constantinopoli Attilæ* viderat Arcum eadem plane nocte confractum, qua proprio sanguine præfocatus in formosæ *Ildiconis* complexibus animam

exhalavit) completo VI. Imperii Anno: *Valentiniani* in Dignitate coævi Mors accidit luctuosa. Erat *Maximo*, Patritio *Romæ* primario, spectabili forma conjux; Huic Annulum Mariti per jocum detractum misit *Valentinianus*, simulans, ut vel-
101 let ad Imperatricem accedere: obtemperat, nilque mali suspicata Aulam ingreditur: Vi protinus à parato milite rapitatur ad Cæsarem, à quo & passa est stuprum: non suffert injuriam *Maximus*; rodit intima furor; nullo igitur inspectante, per *Dassalium Valentinianum* interficit. *Eudoxia* Imperatrix vi compressa turpibus nuptiis copulatur. Scelus *Maximi* molestissimè ferens, ex *Africa* advocat *Gensericum*. Qui & in Urbem 12. die Mensis Julii præsidio vacuam, nullo adversante, ingressus, omnia cædibus, & rapinis implicuit: *Maximus* saluti fuga consulens, lapidibus petitus, dilaniatusque in *Tybrim* projicitur.

Et in Occidente *Romanum* Imperium æqua dilaceratione proscinditur. *Italiam Avitus* quidam primus invadit, sed á *Richomæro Gothorum* Duce captus deponere est coactus Imperium. *Flavius Julius Valens Majoranus* subrogatus, ob malè administratam classem, in *Africa* mœrore extinguitur: ità affatim elato uno, alteroque depresso, *Orestes*, *Glicerii Majorani* Successoris Patruus, expulso altero Nepote *Julio*, per summam ingrati animi labem, *Ravenna* capta, *Italiæ* occupat Dominium, & filium *Augustulum*, infantia nondum egressum, declarat Imperatorem: Sed *Odoacer Herulorum*, seu *Rugiorum*, unius ex *Maris Arctoi* Insulis, Rex, ex gregario milite *Italiam* meditari cœpit. Cunctis libertatem promulgat, inest fides promissis, sese ultro illius Arbitrio tradit *Italia*.

Incessit cupido sub Regis indulgentia instaurandæ Patriæ *Foro Juliensibus*; ex his igitur, quos *Attilæ* quondam furor in proximorum tuta Montium loca disseminaverat, construi Urbs cœpta, Elicuit lacrymas lutulenta, jam concinnè

Gothius hic Armis sævus tendebat Achilles:

Sordescunt omnia; cum lectissima Juvenum manus instant ardentes operi; pars densa ferarum Tecta petit, Sylvas, lignorum secatura congeriem, pars lapides, & saxa legit. Mœnia surgunt. Eliguntur Magistratus. Ultro, citroque opes, ac merces. At nonne Rerum mortalium inconstantia propemodum immortalis? Rosa est nostra hæc Terrena felicitas, nito-
102 ris modicum & odoris spina circumdat continuarum miseriarum, æternorumque dolorum, quibus vexatum mortalium genus semel, atque irum ingemiscit. *Forum Julium* è cuna vix prosiliens coarctatur in Tumulo; Auram vitæ uno haustu, mortisque libavit. Obierat mortem per eos dies *Leo Philosophus* I. *Græcorum* Imperator, probitate insignis, Reip. utilis, justitiæ in primis, & Orthodoxæ Fidei cultor eximius. Nemo Provinciis provisit oculatiori prudentia. *Theodoricum Gothorum* Regem septennem adhuc summis honoribus honestavit, jam adoptatum in filium. Sic illum, qui Potentissimus Rex, post *Theodomiri* Patris obitum futurus erat, Amore sibi devinciebat; successerat post hæc *Leoni Zeno Isauricus*, vultu deformis, deformior moribus, cujus ob id etiam prætererat electionem *Leo*. Spe propinqui *Theodorici* Regis Amici, auxiliisque jam promptis inflatus, *Odoacrum* insectatur. Vocatur igitur *Byzantium Theodoricus*, creatur Consul, ejusque statua ære pretioso conflata ante Palatii Regiam collocatur. Proinde à *Zenone* animus aperitur; tolerare se, inquit, amplius non posse *Odoacri* Tyrannidem; jam sibi nihil præter Nomen in Imperio esse, hæc *Theodoricum*, si vellet, avertere posse, si modò exercitus duxerit; spondet cessuram ingentem gloriam. Quid? Rex integro animo negotium sumit, jurat nunquam *Ze-*

A *nonis* se partes deserturum, Bellique initium facturum in *Carnia*.

Ex *Græcia* indutus Amictu Regio *Theodoricus*, magna Senatus parte stipatus, navigat in *Italiam*; cum *Odoacer* occupationis non exiguæ negotium arbitratus, cum Rege tot claro Victoriis manus conserere, coactis properanter Amicorum præsidiis cum *Foro Juliensibus* obviam primum *Theodorico* processit. Ventum utrinque ad Amnis *Soncii Ripas*, lustrantur acies, animantur ad prælium. Concursum est collatis signis; magna diei pars, qua stratis cadaveribus, qua pavore fugien-
B tium, qua resistentium vigore, clamoribusque consumitur. Oculorum usum excitatus in densissimas nubes pulvis abstulerat. Restitit strenue
Odoacer; nutat utrobique Victoria; profligatur de- 103
nique *Odoacer*, & superato flumine, *Theodoricus Foro Julienses* non tantum Armis, quam multitudine militis oppressos crudelissime cecidit. Expugnat itinere continuato Urbem. Supplicium de saxis ipsis etiam sumitur. Vinci, superari nescius *Odoacer*, reficit in Agris *Veronensibus* copias, sed adversa iterum afflante fortuna *Ravennam* depellitur. Ibi per triennium maceratur; III. Kal. Martias *Joannis Ravennatis* Archiepiscopi opera laxatur obsidio. Penes ambos Æquo Dominio remansit
C *Italia*, sed molientem insidias *Odoacrum* interficit *Theodoricus*. Legi in *Cassiodoro*, inter scyphos convivio exceptum per sicarios una cum filiis interfectum; magis placet *Canussius*, porrectis à *Theodorico* poculis evocatum ad cœnam (melius, si ut *Procopius* dixisset, ad nuptias) virulenta tabe consumptum. *Theodoricus* Consorte liberatus, projectis Armis pacate gubernat *Italiam*. Plurimæ Urbes renovantur, munitissima Castella conduntur, admiranda Palatia consurgunt, magnisque ejus operibus antiqua miracula superantur. *Foro Juliensis* interim Provinciæ ad instauratio-
D nem intentus, *Verucam* (hodie *Monfalcone*) à fundamentis erexit; Hinc cum *Canussio* Civitatis nostræ ædificationi iterum subvenitur.

Erat *Theodoricus*, & Armorum tractatione, & Triumphis percelebris; & si maternum genus adimas, nobilissimus. Mulier minuti sanguinis, sed forma excellens *Arilena* nomine, *Theodomiri* hunc edidit. XVIII. agens annum, nullius auxilio suffultus, *Sarmatas* à Patrio Regno propulsat, & ingenti strage peremit: rapuit Imperium, non eripuit. Sanare visus libertatem, vulneribus affecit. Consul salutatus, lictore se uno utitur, qui præiret. Pater Patriæ conclamatus, *Oedipus*
E erat: Aureis compedibus illigata *Italia* Hominem non agnoscit. Trabem argenteam M. & XL. pensantem libras, cum duobus cærostratis argenteis, quorum singula LXX. pensabat libras, Basilicæ Apostolorum Principis obtulit. Desideratur puritas Donatoris. Fædat omnia liberalitatis,
magnificentiæ, vigilantiæ, & fortitudinis orna- 104
namenta *Arianæ* superstitionis inquinamento, & *Symmachi*, *Boëtii*que innocua cæde. Authoritate *Olai Magni* proditum est, acerbo luctu patrata scelera deflevisse.

Volventibus Annis, *Totilas Gothorum* Rex, sui Juris *Forum Julium* fecit: Hunc *Tarvisii* natum,
F *Hildebrando* Patruo, & *Alarico* per dolum extinctis, pulsoque ad *Placentiam Græcorum* exercitu, pars magna *Italiæ* Dominatorem sensit. Perdit *Romam* XVI. Kal. Jan. Capitolium incendit, cuncta deformat. continentiæ tamen laudem quam maximam reportavit, nulla fæmina violata, quin & ut aboleret infamiam, quam superior *Romæ* desolatio ipsi pepererat, captam iterum *Romam* ædificiis exornavit. Sed à *Narsete* Eunucho, *Justiniani* Præfecto, victus, in Agro *Brixiensi* necatur. Quod quidem ipsi à D. *Benedicto* fuerat præmonstratum.

TO-

TOTILÆ in hac nostra Civitate memoriam fuisse aliquando comperio; quam & Benefactorem vel arguit *Locatellus*, vel eum hic etiam pro casu, aut eventu aliquo mansisse; Certum habeo, cum *Bonifacius Canussius* è conspectu D. *Silvestri* Fani, Ædi suæ constituendæ fundamenta parabat,
A inventum cum hac inscriptione marmor TOTILAS. *Totila* è rebus humanis erepto, *Gothorum* Regnum concidit in *Italia*: Inde, & nostra Civitas *Aquileja* sepulta, *Carnorum* facta Metropolis ad *Græcos* Cæsares transiit, donec *Græcum* cum *Longobardorum* Regimine commutavit.

105 # BASILII ZANCAROLI CYDONII ANTIQUITATES CIVITATIS FORI JULII.

LIBER TERTIUS.

Deletis *Gothis* ad *Longobardos* accessimus. Oblectabit Tertius hic Liber FORO JULIENSIUM Animos, quos mœrore, pavoreque defixos inter *Barbaras* Nationes, immanesque Principes usque modo cognovimus. Clariora hinc citrà controversiam suæ Nobilitatis, & Antiquitatis Argumenta desumet: Hic Sacras suorum Antistitum Infulas adorabunt: Hic Patriarcharum Thronum conspicient gestientes: Incommodissimo *Christianæ* Reip. tempore *M. Justiniano* Imp. morte substracto, *Flavius Justinus* II. ejusdem ex Filia, non ex Sorore, ut *Sigonio* placuit, Nepos præficitur, non tam Exercitus Universi, quam suffragatione Senatus. Militaris ipsi scientiæ, civilisque prudentiæ dotibus denudato, accessere hæresis *Pelagianæ* Deliria. Hinc in Orthodoxam Religionem contemptus; otio ad Martem, mortemque vocat Imperium. Prægrandi refertus in-
106 ertia fœminam adhibet à consiliis; Hisce, quam ipsa vellet in partem, agitur Imperator; *Sophia* conjux illa fuit petulans admodum, ac superba; summa scelerum ubique licentia, conculcata virtus, *Narsetis* in primis Herois, & Belli, & Pacis Artibus instructissimi. *Sigonius* litteras Patritiorum quorumdam *Romanorum* effingit, quarum ea erat sententia; nihil præsenti sua fortuna miserius, nihil afflictius posse putari, satius sibi fuisse *Gothis* Regibus obnoxios esse, quam *Græcis* Imperatoribus obedire, apud quos *Narses* Eunuchus imperet, & *Romanos* acerba, ipso Imperante, servitute oppressos teneat, quam omnibus precibus obtestari, ut aut arctis servitutis se vinculis eximant, aut *Romanos* antiquæ virtutis, & gloriæ memores sibi consulere, novis quærendis Imperiis, patiantur. Parcat Vir tantus. An ad contumeliam Ducis beneficentissimi, ac generosissimi proclivis unquam foret *Romana* Majestas; alias potiori jure litteras scriptas arbitrarer: quibus significatum est *Cæsari*, *Narsetem* invictum prorsus, ac formidabilem, infinitam Vim Auri asservasse, ut virtute tandem, ac opibus ejecto *Justino* à *Constantinopolitano* solio, sibi summam usurparet Rerum. Attigit hæc *Rubeus*. Dum autem *Narses* maximis opibus virtute partis, ipsâque nunquam interiturâ rerum gestarum gloriâ florens, magnam sibi conflavisset invidiam, *Justino* persuadetur, uti omnibus jam restinctis Bellorum facibus in *Italia*, ejus vectigal in *Cæsaris* Aerarium nimis exhaustum, inferendum juberet; præsertim cum *Narseti* non esset, in quod tantum Auri insumeretur; Imperat *Narseti Justinus*, ut simul, ac pecuniæ exiguntur, *Byzantium* eas transmittat, quod ut de illarum parte libentissime faciendum *Narses* existimabat, ita non probabat omnes mittendas, nudatamque relinqui omni-

B bus præsidiis *Italiam*, ne subita irrumpente calamitate frustra serum à *Byzantio* auxilium expectaretur, nam *Burgundiones*, & *Franci* semper in Armis erant. Poterat quidem justissima hæc *Narsetis* opinio *Cæsarem* emollire, de sententiaque deducere, sed obstabat invidia malignorum. Malorum causas in *Narsetem*, non ita ego à *Roma-* 107
nis tentatas solum, quam ab iis etiam, qui *Byzantii* morabantur, vel auctas, vel investigatas crediderim. Exploratum est, plura in unum coaluisse portenta tumultuum in *Italia*; Iratam Mulierem, & nimis infensam *Narseti*, invidiam Aulicorum, cupiditatem, aurique libidinem in
C *Justino*.

Interim *Longinus* longa laturus in Occidentem ex Oriente infortunia, *Narsetis* pro successore mittitur, impar virtute, imparque Dominio subadolescentium Bellorum fecit eventus. Mersus lupanaribus Ministros alebat in Aula, qui Matronas, Virginesquè raptarent. Optimus *Romæ* Consul *Romuli* vestigiis inhærebat. Sed indignatione nobili *Narses* exæstuans profectionem instituit, eam telam exorditurus; quam nunquam pertextura sit Imperatrix. *Alboinum Longobardorum* Regem, quem socium laboris simul, & gloriæ contra *Gothos* habuerat, ad invadendam *Italiam*
D introducit.

LONGOBARDORUM originem omnes plane consentiunt, ex *Scandinavia* esse, *Germanici* Oceani Insula, ex qua XXX. Nationes diximus prodiisse. Cur autem sic fuerint nuncupati, Dubitatio non una apud varios pullulavit. Vulgus tenet, Doctis Viris nonnullis asseverantibus, à longitudine barbæ *Longobardos* fuisse dictos: improbata hæc, atque exagitata sententia alios dicere compulit ab Armorum genere, quæ ipsi gestabant, nempe à longis securibus, seu Bipennibus *Longobardos* appellatos; idcirco potius ingenio meo convenit, qui, duobus ex populis, *Lingonibus* sci-
E licet in *Germania*, & *Bardis* in *Gallis*, uno posthac sub Nomine crevisse asserit *Longobardos*; idem hoc notarunt in *Gallo-Græcis* Veteres, in *Ostrogothis*, *Visigothis*, & *Celtiberis*. Quicquid sit, *Narsetis* furor, ceu accensa quædam fax, *Longobardorum* Nomen reddidit præclarissimum. Pretiosi saporis fructus, ut caperet, *Alboino* muneris loco miserat, quibus gustatis, ceu partibus amænissimis fœcundæ Telluris, *Italiam* incolere, & opum, & segetum commodis, Cœlique temperie fortunatam optaret. *Xerxem* hoc plane modo in *Athenarum*, & *Græciæ* perniciem ficus arma- 108
runt, & nostrorum ætate majorum *Cypri* suavis-
F sima Vina ad Regnum nobilissimum occupandum, *Selimum Turcharum* Principem acuerunt. Oratores, quæ mandata exceperant, è vestigio præstitere: Certiorem *Alboinum* faciunt, nullum impe-

dimentum *Longini* inertiam injecturam, ut in
hisce studiis, atque conatibus facili, & perbeni-
gna fruatur occasione. Rex spe, & animo *Italiam*
aucupatus, ad eamdem occupandam Vires cunctas
suas transtulit, & consilia.

Porro admodum difficilis scriptorum illorum
locus apparet, ubi ponunt *Joannem* III. cui uni-
versæ Ecclesiæ incumbebat cura, *Neapolim* pro-
fectum, *Narsetem* benignè, & comiter monuis-
se, ut accitos *Barbaros*, missis novis Nunciis re-
moveret. non enim ita facile ira deponitur à Ma-
gnis Viris. Equidem tanti Herois hortatibus, qui-
bus si vim addere voluisset, gradum revocare po-
terat in Patriam *Alboinus*, sed mœrore, dolore-
que consumptus *Narses* mortalitatem ubi exple-
vit, audaciam Regis auxit; *Platinæ* elogium de
Narsete hoc extat. *Narses pietatis*, *Religionis*,
Misericordiæ, *Magnificentiæ*, *Gratiæ exemplar omni-
bus erat.*

Mutationem *Italici* status horridi auditi mugi-
tus in Cœlo, igneæ acies madentes sanguine, Tra-
bes sulphureos eructantes protenderunt: Crevere
in immensum fluvii, lateque Civitates, & Oppi-
da inundarunt; accedentibus Ventis noxiis, nubi-
busque lethiferis messis perit. Indictione I. feria
II. Paschatis 2. Aprilis, *Pannoniis* egressus *Alboinus*,
motis Castris non longe *Aquileja* consedit. parvo
negotio tentatam, suam in potestatem adjunxit:
erat tunc Patriarcha *Paulinus*, *XXIV*. numeratus
à *Marco*; Hic *Longobardorum* futuros extime-
scens procursus, *Gradum* cum Ecclesiæ Thesau-
ris, sacrisque Reliquiis commigravit. *Aquileja*
capta haud languide Bellum prosequitur. *Fo-
rum Julii*, *Natisone* superato, quæ primo Civi-
tas aspectui opponitur sine gravi certamine debella-
vit: Celerem effecere victoriam Vires, & Mœ-
109 nia *Gothorum* adhuc rabie enervata. Quare con-
sternati Cives honorata emissa legatione, Civita-
tem dedêre. Tentantur mutuo colloquio volunta-
tes, oblatum *F. Fulii* gratulabundus excipit *Al-
boinus*, facturus mox idem ex loci opportunitate
Ducum totius Patriæ Sedem.

GISULPHUS I. DUX

In

CIVITATE FORI JULII.

NUNQUAM melius Virtuti, & Generis cla-
ritati consultum; nunquam dignius Hono-
res sunt debiti persoluti, quam cum *Gisulphum* ex
Sorore Nepotem *Alboinus* Rex in Ducalem di-
gnitatem evexit. Equidem nemo hoc illo inter
tot militari scientia, & animi magnitudine Nobi-
les, majorem, aut Virtutis, aut Nobilitatis san-
guinis opinionem, aut plus celebris est nominis
consecutus. nec clausis oculis prima illi est digni-
tas assignata Ducalis; tres siquidem insigniores,
primæque notæ Ducatus introduxerant in *Italiam*
Longobardi. in hac nostra Civitate primum, qui
Carniæ, quique *Iapidiis* præsideret; *Spoleto Roma-
næ* quondam Coloniæ *Faroaldum* imponunt? *Thu-
sciam* redegerunt in tertium. *Bonifacium* quæ res
moverit, nescio, cur *Beneventanum*, & *Taurinen-
sem* præposuerit nostro: patet quippe *Beneventum*
una cum toto *Samnio*, multo post ab *Authari*,
Mauritio Græcorum Imperatori ereptum, & in
formulam Ducatus erectum, *Zothoni* traditum.
Taurinensem vero constat cum *Novariensi*, *Vercel-
lensi*, *Comensi*, *Bergomensi*, *Brixiensi*, *Veronensi*,
Mantuano, *Cremonensi*, *Tridentino*, *Mutinensi*, *Vi-
centino*, *Placentino*, *Parmensi*, fuisse ab aliis *Alboini*
successoribus conditum. Sed & *Tarvisii* Marchio-
110 natum supra cæteros Magistratus *Longobardorum*

A evexit; Novum habeo. Duces in omnibus Na-
tionibus præeminere quis ignorat Marchionibus?
certe apud *Græcos*, quos hujusmodi Tituli in-
ventores constituit *Rubeus*, post Cæsaris personam
Ducem admittunt. quin *Roma* ipsa sub uno Duce
gubernabatur, à quo defluxisse reor, ut primariæ
Nobilitatis Patritii, & Familiarum toto orbe de-
cantatissimarum capita Duces fuerint nuncupati.
Legat in *Germania Bonifacius* post Duces, Land-
gravios, Marchiones; quid in *Burgundia*, *Bava-
ria*, *Gallia*, *Lithuania*? imminuit *Bonifacii* senten-
tiam notissima conjectura, non enim Nepoti suo
antestare quempiam pateretur in *Italia* superbissi-
B mus *Alboinus*. Cæterum an non sedes extitit Du-
cum Civitas ista? præter superius allatos Autho-
res perlege *Rubeum* Hist. *Ravennatis* Lib. III. *Al-
boinus F. Julii occupato*, *atque ibidem Gisulpho fra-
tris filio Duce facto*, *Italiam devastabat*.

Diaconum Lib. II. Cap. IX. *indeque* Alboinus
cum Venetiæ *fines*, *quæ prima est* Italiæ *Provincia*,
sine aliquo obstaculo, *hoc est Civitatis*, *vel potius
Castro* Foro Juliani *terminos introiisset*, *perpendere
cœpit*, *cui potissimum primam Provinciarum*, *quam
cœperat*, *committere deberet*. *Si quidem omnis* Italia,
quæ versus Meridiem, *vel potius in Eurum extendi-
tur*, Tyrrheni, *sive* Hadriatici *Maris fluctibus am-
C bitur*; *ab Occiduo vero*, *& Aquilino*, *jugis* Alpium
ita circumcluditur, *ut nisi per angustos meatus*, *&
per summa juga montium non possit habere introitum*;
ab Orientali vero parte, *quæ* Pannoniæ *conjungi-
tur*, *& largius patentem*, *& planissimum habet in-
gressum*. *Igitur ut diximus*, *dum* Alboinus, *ani-
mum intenderet*, *quem in his locis Ducem constituere
deberet*, Gisulphum, *ut fertur*, *suum Nepotem*, *Vi-
rum per omnia idoneum*, *qui eidem strator erat*, Foro
Julianæ *Civitati*, *& toti Regioni illius præficere sta-
tuit*. *Qui* Gisulphus *non prius se Regimen ipsius Ci-
vitatis*, *& Populi suscepturum edixit*, *nisi ei quas
ipse eligere voluisset*, Longobardorum faras, *hoc est
D generationes vel lineas tribueret*. *Factumque est*, *& 111
annuente sibi Rege*, *quas optaverat* Longobardorum
præcipuas prosapias, *ut cum eo habitarent*, *accepit*:
& ita Ductoris Honorem adeptus est; *poposcit quo-
que à Rege generosarum Equarum Greges*, *& in hoc
quoque liberalitate Principis exauditus est*.

SIGONIUM in Indice *Foro Juliensium* Du-
cum. *Alboinus Longobardorum Rex*, *Aquilejâ ca-
ptâ*, *& Foro Julio*, *& circumquaque Oppidis*, *Gisul-
phum Nepotem Fori Julii collocavit*.

Quod initio operis fecimus, idem hic libentis-
simis animis exequemur. Vis scire quidnam hoc
Forum Julium? audi toties à me citatum *Sabelli-
E cum* de vetustate Patriæ *Lib. III.* Continuo *Alboi-
nus Gisulphum* Nepotem suum *Foro Julianæ* Pro-
vinciæ cum valida hominum manu præfecit, Du-
cemque *Fori Julii* declaravit. (Vulgus tenet penes
Rhetores enucleare phrasis vim, ac nervum) quod
& *Paulus Diaconus* affirmat, *Forum Julium* fuisse,
quod nunc peculiari Nomine CIVIDATUM ap-
pellant.

Expediam me modo ab *Alboino* ob jactam Re-
gni *Longobardorum* molem clarissimo. Post datum
Foro Julio Nepotem, Belli progressibus, & fortu-
natis eventibus, reliquam *Italiæ* partem sibi, tan-
quam incertæ possessionis assignat: *Verona* post
F tandem subacta Rex salutatur. *Babylonem* alteram
invenit *Longobardorum Alexander*, Funus, & Dia-
dema parabat. Magnos persæpe Viros confecere
refectionis convivia. Felicitas causa non raro est
insanæ superbiæ. Lethum lætis in poculis hauri-
mus: Fercula pheretris aliquando coquuntur. O
tempora, o mores? Fides vix ipsis in conjugali-
bus Thalamis reperitur. Carent charitate conju-
gia. Copulaverat in Matrimonium *Alboinus* sibi
Rosimundam, quam *Cunimundus*, *Gepidarum* Rex,
ab illustri suscitaverat concubina; Huic in prælio
à se

à se antea victo pellem *Alboinus* detraxit, ejusque ex cranio poculum fieri procuravit, aureo tegumento coopertum secum ubique deferri præcepit. A
112 *Veronæ*, ut diximus, Rex conclamatus *Italiæ*, parat Proceribus epulas. Estur incondite; agminatim spumante Baccho calices absorbentur; circumstant pumiliones, saltitantque Mimi; Regis saluti madidi, ac tremulo ore propinant, cantillant strepitu, reliquos in Orbe Reges, ac Principes convitiis, sibilisque jocantur; tunc *Alboinus* temulentus, pateram ex *Rosimundæ* Patris capite factam adducit in medium, ea potatur à discumbentibus, impulit Reginam, ut cum suo Genetore hilariter biberet, *Alboinus*: dissimulans illa, toleransque liquorem ebibit; emota mensa, eructatur, jam sursum omnia, deorsumque caligant oculi, dormitum asportatur à Famulis *Alboinus*. Tulit acerbissime facinus *Rosimunda*. Fœminis parent omnia. Vivebat in Regis Aula Militum Tribunus strenuus *Peredæus*; Huic arcanum *Rosimunda* aperit, detestatur ille flagitium; eriguit ad dicta Regina; nova machinamenta ultio excogitat fœminarum. Significat *Helmegisus* quidam, *Peredæum* cum una ex Regiis Puellis consuetudinem habere; Ancillam adit Regina, minitatur mortem, si non ex vestigio discedat. Igitur pro illa clam se ponit in Thoro, Tribunoque succubuit, inalbescente jam Cœlo ubi potestatem corporis Reginæ sibi factam animadvertit, pene spiritum non amisit. Erigitur à Regina, & futuri spe conjugii recreatur, si susciperet imperata; obtruncatur *Alboinus* Jam palam *Longobardorum* odium adversus nequissimos Nebulones. Secundo *Pado* uterque *Ravennam* advehitur. Sed ibi, cum à *Longino* tentata *Rosimunda* splendidiores nuptias inconstans animo volutaret, pestiferum poculum exeunti Balneo porrigit *Peredæo*; sensit lethale poculum, strictoque mucrone ut residuum biberet, compulit *Rosimundam*. Declinato in tumulo *Rosimundæ* cadaveri arguta Musa hoc Distichon exaravit:

Hac jacet in Tumba Rosimunda non Rosa munda.
Non redolet, sed olet, quæ redolere solet.

GISULPHUS ob Patrui cædem incredibilem
113 dolorem sustinuit; erant enim in illo Rege quamplurima, quæ ad colligendam Benevolentiam, & Voluntates alliciendas valebant. Sed discusso tandem mœrore, quo uti moderate Heroas decet; munire Civitatem cœpit Turribus, Aggeribus, aliisque propugnaculis, quibus, & Hostium eluderentur conatus, & Civium salus obfirmaretur.

PATRIARCHÆ Nomen inauditum fuisse hactenus in *Italia* fatetur Eminentissimus Cardinalis *Baronius*, & quatuor tantum Patriarchas, post Culmen illud Apostolorum Principis, *Romæ* commemorat, *Alexandrinum*, *Antiochenum*, *Hierosolymitanum*, *Constantinopolitanum*. Desciverat *Paulinus Aquilejensis* Archiepiscopus à *Pelagii I. Romani* Pont. monitis & decretis, recipiendæ *Chalcedonensis* Synodi gratia, ad ubique terrarum constitutos Episcopos missis. Renuit *Paulinus*, qui, ut idem *Baronius* notat, cum cæteris *Venetiarum*, & *Istriæ* Episcopis præemineret, illum sibi loco Pontificis constituêre, supremumque suum Patriarcham nuncupavêre; quod postea Nomen bono pacis imposterum est permissum. *Longobardorum*, ut supra diximus, metu in Insulam *Gradum* continenti proximam aufugerat Patriarcha, ibique XII. completis annis emortuus, regendam Ecclesiam *Probino* reliquit. Hoc quoque defuncto, *Elias* Natione *Græcus*. *Eliæ Severus*. Hoc ab hac luce subtracto, en *Gisulphus Fori Julii* Dux Clero *Aquilejensi* denunciat, ut omnino eligant *Joannem*. *Gradensis* Præpositus habita concione causa fuit, ut *Candidiano* tribuerint Præsulatum. Prostat duorum Patriarcharum electio, *Candidiani*, & *Joannis*. Rex, & reliqui *Longobardorum* Duces, ac Principes facinus commendarunt *Gisulphi*, proque *Joanne* stetere. *Bonifacius* Pont. *Candidiani* suffragia comprobavit. Episcoporum pars *Aquilejensi*, pars *Gradensi* favebant, plerique in *Aquilejensem* inclinant. Unus *Concordiensis* Episcopus *Joannes* usque adeo *Joannis* electionem perhorruit, ut ab ipso alienissimus ad Insulam confugerit *Caprularum*, quam mox *Romani* Pont. Episcopali Cathedra decorarunt, atque eidem nuper renunciavit Episcopum *Innocentius* X. fons abundantissimus gratiarum, *Cretensium* casus miseratus acerbos, affinem meum *Georgium*, D. *Armenium* ex *Agiensis* Ecclesiæ Canonico, Virum prudentia, & integritate dotatum. 114

Commodum sane singulare dedit hæc Patriarchalis electio ingenio perquam avido, investigandæ in hac nostra Civitate Patriarcharum *Aquilejensium* Residentiæ. *Valphridus Strabo*, & *Marianus Scotus* â *Baronio* citati, sic dixerunt: „His „ diebus defuncto Patriarcha *Severo*, ordinatus „ est loco ejus *Joannes* Abbas Patriarcha in *Aquileja* Vetere, cum consensu Regis *Agilulphi*. In „ *Gradu* quoque ordinatus est Patriarcha *Epiphanius* (successerat iste brevi extincto *Candidiano*) „ qui fuerat Primicerius Notariorum ab Episcopis, qui erant sub *Romanis*, & ex illo tempore „ cœperunt esse duo Patriarchæ, nempe *Aquilejensis*, atque *Gradensis*, immo, & eadem ex „ causa INCOLATUS AQUILEJENSIS FORUM JULIUM, etiam eodem est Nomine „ nobilitatum, adeo, ut idem *Aquilejensis* Patriarcha dictus quoque inveniatur PATRIARCHA FORO JULIENSIS, & quidem *Joannes* suæ potius incolumitati consuluisset, si „ *Forum Julii* apud Ducem, à quo unice diligebatur, incoluisset." Adde, quod ex *Diacono*, *Sigonio*, & XXXX. aliis Auctoribus, *Aquilejæ* dum loco fuerit *Forum Julii*, *Carnorum*que Metropolis, hic potiori jure Patriarchalis constituenda erat Sedes.

Ita *Gisulphi* Auctoritate nostra in dies aucta est Civitas prærogativis. ast ubi diem suum obiisse *Zothonem Beneventanorum* Ducem accepit *Agilulphus* Rex, in *Gisulphi* gratiam, *Arichim* Ducatui surrogavit. Hujus institutis propter eximiam ipsius Virtutem filios alendos tradiderat jam ante *Gisulphus*.

Sed huc adventat *Cajanus*, seu *Cacanus*, Monstrum latebris æternis dignissimum. *Forojulianæ* Civitatis Hostis truculentissimus, libertatis Vespillo scelestissimus; altius repetantur nostrorum fundamenta Malorum. *Justino* (quo, ut supra est narratum, imperante, *Italiam Alboinus* invaserat) 115
miserrime mortuo, in *Græcorum* spe *Tiberius* eligitur *Constantinus*, expectationi mirifice satisfecit: post hunc *Mauritius* ob recuperatam *Mesopotamiam*, *Tiberii* filia in uxorem ducta, *Græcorum* Imperium adipiscitur, malis tamen Avibus natus, *Turcarum*, *Persarum*que vastationes deplorat. Quin & ab *Avaribus* clades sensit innumeras, atque tunc primum, ut *Turcarum*, sic *Avarum* auditum nomen. *Avares*, ob dissonam parum Nominis similitudinem, eosdem quam multi constituere cum *Bavaris*, an recte? pendet sententia; scio hoc, truculentis ipsos moribus efferos; *Corrippus* Vates, quamquam maxima sit recentium, veterumque morum dissimilitudo:

Illa colubrimodis Avarum Gens dura capillis,
Horribilis visu, crudisque asperrima Bellis. &c.

Ex Glacialis Aquilonis, & *Germaniæ* postremis Populis, *Hunnis*, *Herulis*, *Gothis*que immixti, in florentissimas sunt Civitates effusi. *Christianæ* Religionis institutis adversos incendia Sacrarum Reliquiarum, & rapinæ expilationesve Templorum manifestarunt. Cujus ad exemplum libere sese impuris vivendi modis, terminisque componerent, Regem eligunt; Hunc sua lingua *Cacanum*

num nominant. Erat ætate admodum robusta, armis, & tractandis, & regendis idoneus, inimicus quietis, ac otii, gloriæ quantum dici potest, Dominiique appetentissimus, in victos, & resistentes suis viribus rigidus, trux.

Ea vero tempestate *Longobardorum* Regum status sic se habebat. Post *Autharym Clephonis* filium eo est à *Longobardis* concursum, ut Regem illum decernerent sibi, quem sauciata *Theodolinda* Vidua elegisset. *Agilulphus Taurinatium* Dux ex-
116 titit. Erat *Mauritio* ante notus *Gregorius M.* qui cum esset *Italus*, *Italicæ*que familiæ famosissimæ Germen (ea est *Frangipana* supra mille ornamenta *Ambrosio* Archiepiscopo *Mediolanensi* Nobilis) Imperatorem adversus occupantes *Italiam Longobardos* sæpius animabat. Expergefactus demum ille *Callinicum* delegat in *Italiam*, multasque ab illis Civitates extorquet.

Igitur *Gisulphus* infaustam *Agilulphi* fortunam intuitus, in spem venit acquirendi Regni, quod certe ad ipsum ob sanguinis Regalis propinquitatem, ob plures in *Ducatu Foro Juliensi* Annos gloriose peractos, & ob primatum inter reliquos *Longobardicæ* Nationis Duces, jure spectabat; à Rege defecit; oppressus hinc, atque inde ingentibus periculis *Agilulphus*, omnimode fluctuabat, meta ea consiliorum fuit, *Cacanum* enixe precari, ut quam cito sibi succurrat. Sed mœrore confectus calamus, in Ducis scilicet funus, & Civitatis, retexere non sustinet luctuosam Tragœdiam.

DIACONUS ergo sic *Romildæ*, sic *Cacani*, & *Gisulphi* facinora concinnavit Lib. IV. Cap. XXXVIII. *Circa hæc tempora Rex* Avarorum, *quem sua lingua* Cacanum *appellant*, *cum innumerabili multitudine veniens*, Venetiarum *fines ingressus est: Huic* Gisulphus Foro Julianus *Dux*, *cum* Longobardis, *quos habere poterat*, *audacter occurrit*, *& quamvis forti animositate contra immensam multitudinem Bellum cum paucis gereret*, *undique tamen circumseptus cum omnibus suis extinctus est. Uxor vero ejusdem* Gisulphi, *Nomine* Rhomilda, *cum* Longobardis, *qui evaserant*, *sine eorum Uxoribus*, *& filiis*, *qui in Bello perierant*, *intra murum* Foro Juliani *Castri sese munivit. Huic erant filii* Tasso, *&* Cacco, *jam adolescentes*, Rhodoaldus *vero*, *&* Grimoaldus *in puerili adhuc erant ætate constituti. Habebat vero & Filias quatuor*, *quarum una* Appa, *alia* Gaila *vocabatur*, *duarum vero nomina non tenemus*; *communierant se quoque* Longobardi *& in reliquis Castris*, *quæ iis vicina erant. Hoc est in* Cormone, Nomaso, Osoppo, Arema, Raunia, Glemona, *vel etiam in* Obligine, *cujus positio omni-*
117 *no inexpugnabilis existit.* Avares *vero per omnes* Foro Julianorum *fines decurrentes*, *omnia incendiis & rapinis vastantes*, Foro Julianum *Oppidum obsidione claudunt*, *& totis viribus expugnare moliuntur*; *Horum Rex*, *id est* Cacanus, *dum circa muros armatus cum magno equitatu perambularet*, *ut qua ex parte Urbem facilius expugnare posset*, *inquirit. Hunc* Rhomilda *de muris prospiciens*, *cum eum cerneret juvenili ætate florentem*, *meretrix nefaria concupiscit. Eique mox per Nuncium mandavit*, *ut si se in matrimonium sumeret*, *ipsa eidem Civitatem cum omnibus*, *qui aderant*, *traderet. Quod Rex* Barbarus *audiens*, *eidem malignitatis dolo*, *quod mandaverat*, *se facturum promisit*, *eamque in matrimonium spopondit accipere. Illa vero nihil morata*, *portas* Foro Juliensis *Castri aperit*, *& ad suam*, *cunctorumque*, *qui intus aderant*, *perniciem*, *Hostem introduxit. Ingressi vero* Avares *cum Rege suo* Forum Julii, *universa*, *quæ invenire poterant*, *rapinis diripiunt*, *ipsamque Urbem flammis concremantes*, *universos*, *quos repererant*, *captivos abducunt*; *fallaciter tamen eis promittentes*, *quod eos*, *unde degressi fuerant*, Pannoniæ *in finibus collocarent.*

A *Rhomildam* vero, quæ totius malitiæ extitit caput, Rex *Avarum* propter jusjurandum, sicut ei spoponderat, nocte una quasi in matrimonium habuit; novissime vero XII. *Avaribus* tradidit, qui eam per totam noctem, vicibus sibi succedentes libidine vexarent, postmodum vero palum in medio campo configi præcipiens, eamdem in ejus acumine inseri mandavit; Hæc insuper exprobrando inquiens: Talem dignum est maritum Te habere. Sed & *Gisulphi* funestissimus obitus in Annum salutis humanæ D.XCIX. Pontificatus *Gregorii M.* X. Imperii *Mauritii* XV. cecidit, qui etiam Imperator quinque post annos à
B *Phoca*, *Cacano* simillimo, cum tota familia securi percutitur.

Hæc diligentiori, accuratiorique calamo describenti obvenit in manus *Sigonius*; inspectansque ego, quidnam aliud adderet de *Gisulpho*, reperi tandem Ducem nostrum absque dubitatione *Christianis* ritibus adhæsisse. Id quod à nonnul- 118
lis ego Viris doctissimis paulo ante narravi relatum. Verba id sonant: *Post* Longobardorum *in* Italiam *adventum*, *Antistes* Aquilejensis, *relicta* Aquileja, Gradum *tenuerat*, *atque unus ipse omnibus Episcopis* Venetiæ, Istriæ*que præfuerat*; *Ab hoc tempore duo Patriarchæ fuere*, *unus*, *qui* Aquile-
C jam, *alter*, *qui* Gradum *insedit. Huic instituto causam contulere* Longobardi; Gisulphus *enim*, *Dux* Foro Juliensis, Christiana *Religione suscepta*, *Vetus suæ ditionis dignitatis hujus fastigium quærens*, *sacros honores novo exemplo distribuere ausus*, Joannem *Abbatem per Clerum* Aquilejensis *Ecclesiæ designandum Patriarcham curavit*, *contra vero* Candidianum *Clerus* Gradensis *elegit.*

CACCO, ET TASSO,

IN CIVITATE FORI JULII

D
D U C E S.

Unum supra XXX. in Ducatu Annos *Gisulphus* contriverat, cum, adversus potentissimos Reges iratæ admodum sortis invidiâ, peremptus Patriam primus suo sanguine cruentavit, cujus ipse primus solium purpuravit; Legimus celebriora Regna, atque excellentiora Nationum Imperia conditorum persæpe suorum violentæ mortis vidisse spectacula: Vix enata *Roma Remi*, vix in Imperio constituta *Cæsaris* cæde fœdatur; *Babylone*, ubi Orientis fundare statuerat Monarchiam,
E uxoris *Semiramidis* fraude *Ninus* à Satellitibus trucidatur; *Cyrus* apud *Medos*, & *Persas*, epoto per vim cruore suffocatus interiit; An *Alexander* immunis in *Græcia?* pestifero hausto poculo, misero, cruciabilique exitu in primo flore ætatis exaruit; *Attilam Gothorum* Regni, *Alboinum Longobardorum* institutores, ne infinita propemodum exempla contexam, mors violenta compressit: bene in *Belgica* Hist. *Nicolaus*: *Homines quotidie* 119
mutantur, *mores Hominum*, *casusque in Orbem redeunt.* Susceperat ex *Rhomilda Gisulphus* mares IV. (tres posuit *Corius*, *Cacconem* confundens cum *Rhodoaldo*) totidemque fœminas; duæ ob gloriam
F servatæ pudicitiæ nomina perennibus sæculis consacrarunt, *Agape*, & *Agle.* Cum enim *Avares* potiti jam Urbis, locorumque præsidiis, ad libidinem effrænes sese laxassent, illæ pretiosissimum Virginitatis florem præscindi sibi à Barbaris metuentes, sub fascia inter mammas, crudorum pullorum carnes apponunt, quæ ex calore putrefactæ fœtorem immanissimum exhalabant; horrent eas attingere *Avares*, digesta pro hoc invento libidine; Æquo pede fratres fortuna juvit, nam captivi cum ad *Hunnos* deportarentur, nocte media

dia somno sepulta custodia, conscensis celeriter equis per noctis silentia sese ex Turmis eripiunt; destinatur magnis itineribus fuga; quid actum, lepida, ac perjucunda narratione scribit *Diaconus. E quibus*, inquit, *Unus* Grimoaldum *puerulum fratrem suum, cum existimaret, utpote parvulum, super equum currentem se tenere non posse, melius ducens eumdem gladio perimere, quam captivitatis jugum sustinere, eum occidere voluit; cum autem, ut eum percuteret, lanceam elevasset, puer lacrymans exclamavit, dicens*, noli me pungere, quia possum me super equum tenere; *qui invicta manu eum per brachium apprehendens super nudum equi dorsum posuit, eumdemque, ut se contineret, hortatus est; puer vero frænum equi manu arripiens, fugiente Germano, & ipse sequutus est; quo comperto* Avares *mox ascensis equis eos persecuti sunt, & reliquis veloci pede evadentibus*, Grimoaldus *puerulus ab uno eorum, qui velocius cucurrerat, capitur, nec tamen eum suus comprehensor gladio ferire propter parvitatem ætatis dignatus est, sed sibi serviturum eumdem potius servavit, cumque eum ad castra revertens apprehenso ejusdem equi fræno reduceret, deque tam nobili præda exultaret (erat enim ipse puerulus eleganti forma,*
120 *nitentibus oculis, lacteo crine perfusus) qui cum se trahi captivum doleret, ingentes animos angusto in corpore versans, ensem qualem in illa ætate habere poterat, vagina exemit, seque trahentem* Avarem *capitis in vertice percussit, moxque ad cerebrum ictus perveniens; Hostis ab equo dejectus est; puer vero* Grimoaldus *verso equo fugam lætabundus arripiens, tandem fratribus junctus est, eisque liberatione sui nunciata, insuper Hostis interitu inæstimabile gaudium fecit.*

Adventu florentissimorum Juvenum in FORI JULII Civitatem secundis famæ rumoribus evulgato, omnes, qui extra Urbem effugerant, de felicitate cunctæ Provinciæ cœlitus restituta unanimes adinvicem gratulantur; confluxere alacres plurimi, amplexantur ora, largissimis præ gaudio lacrymarum imbribus pectora irrigantur, & quia, ut impar ætas, sic non impar etiam Virtus, animique præstantia in *Caccone*, & *Tassone* lucebat, Duces ambos sibi constituunt. Assumunt illi Regimen Civitatis, atque ubi occasio postulabat, resarciunt Domos; Viarum impedimenta tollunt, redigunt in statum pristinum splendoris & cultus Urbem; mœnibus, murisque refectis, primi à *Sclavis* annuam solutionem exigunt. *Sclavos* multi ab *Illyriis* originem sumpsisse testantur; sed tueri hanc opinionem nequeo, cum à *Vandalis* illi prodierint, quorum etiam incolatum *Plinius* in extremis *Germaniæ* partibus observavit. Hæc demum Natio per varias Orbis partes, ac ditiones effusa, *Bohemiam*, *Dalmatiam*, *Sarmatiam*, totumque fere Septentrionem opplevit, adeo ut *Raphaël Slousar*, Archiepisc. *Ilioviensis*, totius *Russiæ* Metropolita, atque *Urbani* olim VIII. Prælatus domesticus, & assistens *Romæ*, asseveraverit mihi, *Sclavorum* idioma plusquam à XL. Nationibus adhiberi; equidem, vel ex eo nobile approbarim, quod rem sacram in eo datum sit ab Ecclesia celebrari, quod quidem privilegium *Græco*, *Syriano*, & *Latino* concessum; Hujusce Gentis numerus non spernendus in *Fori Julii* montanis pagis consedit, floruitque aliquando viribus, & potentia, nec parum nostram Civitatem afflixit.

121 Migraverat ex hac vita per ea tempora *Agilulphus Longobardorum* Rex, fidei Catholicæ Professor eximius, quique Ecclesias, ac Monasteria privilegiis, & fructuosis proventibus insignivit; *Flavii* nomen, quod & posteris cessit, filius tradidit *Alemannius*; geritur itaque Regnum à Successore F. I. *Adabaldo*, adscita in societatem, vel ob ætatis imbecillitatem, vel ob benevolentiam, *Theodolinda* Matre. Fœdus in primis cum *Forojulianis* Ducibus ictum Dominio *Longobardorum* incrementa spopondit; suspectum id *Græcis* est Imperatoribus visum: *Opitergio* tunc *Heraclii* Cæsaris, occiso *Phoca*, nomine præerat *Gregorius*, *Romanus* Patritius, multis calculis iniquus, & dolis, atque fraudibus assuetus; Hujus in odium, in invidiam potius, *Cacconis Tassonis*que felicitas incidit; injuriam ab iis nullam prorsus acceperat, per summum tamen ille dedecus epistolam composuit, in qua se scribit, ætate jam maturescente, morti proximum. Fixam inibi, atque locatam cogitationem posuisse, ad se accedere cum vellent, post rasam more *Longobardico* Barbam, utrumque adoptaturum in filios. Dant fidem pollicitationibus fratres innocentissimi, atque electissima Juvenum nobilissimorum caterva stipati *Opitergium* ingrediuntur: Vix ad *Gregoriani* Palatii pervenere conspectum, cum à posita ibi Armata multitudine adoriuntur; amputantur à grassatoribus, non tamen inulti, affirmante *Sabellico*, sed, ut illi vim apertam fieri viderunt, illico districtis ensibus aliquanto pro salute certarunt, mox verò omni evadendi spe amissa, facto in oppidanos impetu ingentem edidere stragem, donec fortiter dimicantes, occubuere: Delato ad *Gregorium Tassonis* capite, Barbam, quasi nè perjurio infamaretur, præcidit. Verum non impune tantum scelus patratum fuit, in Hominem impium inflicta pœna, doloribus passim in Artubus scintillantibus, quorum etiam vi periit *Opitergium* innocentem sentiit sanguinem in sua damna clamantem, non multo post à *Grimoaldo*, tertio Ducum fratre, postea *Longobardorum* Rege creato, *Græcis* ablatum Imperatoribus, errabundos suos Cives 122
ubique locorum aspexit, donec ab his *Heraclea* (*Heraclio* Imperatori palpantur) Civitas condita est, sed hæc insuper brevi felicitati viguit: quippe funditus devastata.

TASSONIS, *Cacconis*que Ducatum *Pauli Diaconi* sapientissimi Viri familia ad nos deflectens, & novum tot Gentium linguis conflatum eloquium, nobilitarunt; Idioma hoc *Carnium* extitit; licet ejusdem antè hæc tempora usum *Canussius* agnoscat: Habeo certè quod in hoc genere loquendi vehementer admirer; nam præterquam multas *Hispanicas*, *Gallicas*, *Alemanicas* Voces, *Græcas* etiam, & quod magis est, *Saracenicas* aliquas, sive *Turcicas* deprehendi; Argumentum sanè, quot jam fuerit Civitas ista vetustissima jactata Turbinibus, quot procursus, & concursus subierit Populorum, quot accedentes, decedentesque viderit mores, audierit ora. Patriarchas post *Joannem* illum Monachum, & Abbatem, *Marcianum* & *Fortunatum*, colligimus ex Tabulis *Aquilejensis* Ecclesiæ.

GRASSULPHUS III.
IN CIVITATE FORI JULII
DUX.

GISULPHI Patris Ducatus, superstites ex occisis à *Gregorio*, ut diximus, Patritio fratribus, *Grimoaldum*, & *Rodoaldum* jure spectabat; Sed immaturam illorum ætatem, Indolem certè non potuit, *Grassulphus* Patruus aspernatus, Ducatum invasit, quod equidem facinus Nepotes indigne ferentes ad *Arachim* suæ quondam adolescentiæ moderatorem recta contendunt: erat ille *Beneventi* Dux, indoluit discessum ornatissimorum Juvenum Civitas. Sed cur mœrore contabescis? lacrymis & singultibus parce; en *Grimoaldum* 123
tuum, procedente tempore, *Beneventi* primo Du-

cem, post *Aimonem*, *Arichii* filium, ob strenuè effusos Hostes, & procul ab Urbe fortissime demandatos, electum, indè cum *Gundelberti*, sorore defuncti, nuptiis celebratis, cunctis *Longobardis* assentientibus, Regem renunciatum *Italiæ*. Hujus si gesta cum nostris interdum conjunxerim, quæ debeo, solvam, nam & summa hinc Dignitatis *Foro Juliensium* Ratio, & prærogativa non vulgaris derivabit Honoris cum Ducibus suis, quin immo Civibus indiguerint Regna. *Grassulphum* vero severe administrasse Rempublicam ex eo suspicari scriptoribus attributum, quod per injuriam Nepotibus Principatum extorserit, nulla ob hæc ejus acta recitant, an indignatione inflammati? credere mallem, quia annos paucos, vel potius menses in Ducatu consumpsit; utcumque sit, *Grassulphum* gloriosum existimo, qui fasces *Foro Juliensium* pace servavit, sustinuitque prudentia, spectator interea ibi Nepotis facinorum, quæ certè ad se, ut & Ducatum, attraxit.

AGO IV.

IN CIVITATE FORI JULII.

DUX.

NIhil, quo in AGONE gloriæ desudaret, *Agoni* mors immatura concessit, decesserant tunc sinè prole Duces *Longobardorum* insignes duo, *Theudolapius Spoletanus*, & *F. Julianus Grassulphus*; Ubi *Apertus* Italiæ Rex factus est certior, *Agonem*, nobilis stemmatis Virum, quo à Secretis, & à Consiliis utebatur, ad Ducatum nostræ Civitatis evexit; in promptu legant quid fecerit. Nobiles secum Patritios non nullos *Longobardos* adduxit, optimum se cunctis præstitit, justum, pium, atque munificum, ædes extruxit, genus suum intulit, quod in præclarissimis à se constructis ædibus collocavit; Diaconus familiam *Agonis*, & Aedes ad ætatem usque suam mansisse hic affirmat.

LUPUS V.

124

IN CIVITATE FORI JULII.

DUX.

GRIMOALDI Regis amicissimi favore nixus Ducatum assumit *Lupus*, animi magnitudine, bellica gloria, & virtute multis testata expressaque, rectè factorum monumentis illustris: Fortuna in ipso varia, deturbat inconstans omnia, aviditate regnandi, pacem decessorum otio partam, præliis, ergàque nativos Reges fidei mutatione subvertit, & ut nomini natura proluderet, in *Gradensis* Ecclesiæ Patriarchalis gregem prædo ferocissimè debacchatur: Hoc Unum sat esto, *Lupum* vixisse Amicis juxta, ac Inimicis, quà palam arreptis Armis, quà subdolis Artibus, formidabilem, benè semper Hasta pugnavit & Astu. Domi laudes illorum æquavit, quorum nomina propter egregia facta, singularemque justitiam perpetuo in animis Hominum tuebitur Immortalitas, *Ticini* P. Regem agit. Dedit administrandi Regni causam insperatus *Constantis*, *Græcorum* Imperatoris, exercitus adversus *Longobardos* adventus.

Gradensem inter, & *Aquilejensem* Antistites ingentes contentiones, & odia excitavit æquitas Dignitatis, & Nominis; *Aquilejensis*, ut potè *Foro Juliano* Duce suffultus viribus, persæpè superior. Hæc dicta, ne ad *Minois*, sive ad *Radamanthi* Tribunal afferant, Antiquitatis ignari, *Baronium* illum, inter *Romanæ*, hoc est veræ Historiæ Quirites facilè Principem, sic *Tomo Annal. Ecclesiasticorum VIII.* patrocinantem adducimus „ ne quid autèm minus haberet *Gradensis* Ecclesia ab *Aquilejensi*, ipsi *Romani* Pontifices eamdem Ecclesiam Pallii Insignibus, & Patriarchæ „ nomine illustrarunt,„ nam, ut superius dictum est, ipse etiam *Gradensis* Episcopus Patriarcha invenitur sæpius nominatus: Unde & factum est, ut immortalis inter utrumque venerit æmulatio, 125
& excitatæ perennes discordiæ fuerint, perpetuaque odia coaluerint, quæ nutrita sunt opera Sæcularium Principum, *Longobardis* Patriarchæ *Aquilejensi* (qui securitatis causa *Forum Julii* sedem transtulit, ob idque *Forojuliensis* Patriarcha est appellatus) favente vero Patriarchæ *Gradensi Ravennate* Exarcho; Ecce adverte optimè, quam ante *Callisti* tempora apud nostram Civitatem Sedem fixerint Patriarchæ. Ut vero clarius series percipiatur Historiæ, noverit Amicus lector, *Honorium* ea tempestate, Natione *Campanum*, Doctrina moribusque Sanctissimis, fuisse *Romanum* Pontificem. Hic, disjecto *Fortunato* ex *Gradensi* Patriarchatu, quod hæresi imbutus, Catholicam Doctrinam insectaretur, subrogavit in locum ejus *Primogenitum* Subdiaconum, ut in ejus litteris apparet, & sedis Apostolicæ Regionarium, in quibus nec silentio præterire fas est, quod de Serenissima *Venetorum* Republ. notatum est, eam scilicet dignissimo religiosissimis Patribus titulo, *Christianissimam Honorius* Pontifex nominavit; utpotè quæ *Romanorum* semper Pontificum studiosa, acerrimos orthodoxæ fidei Vindices filios peperisset; nec mirum postea, si amplissimo hujusmodi titulo à factis inclytis concesso, si Catholicæ pietatis officiis gloriosa, potens longè, latèque suum propagavit Imperium, nunquam, nisi cum Rerum Natura, Mundique Machina periturum: & miramur adhuc, quod jam decennio, *Trojana* profecto potentia gloriosor adversus infinitas, & maximas *Otthomanorum* Imperatorum Copias Regnum *Cretæ* nobilissimum *Christianæ* Reip. servarit, quin innumeris Cladibus afflixerit, enervaverit sævissimos nostrorum Dogmatum inimicos?

Sed pergit jam ipse *Baronius* cum *Paulo Diacono*: Hic *Lupus*, in *Grados*, Insulam non longè ab *Aquileja*, cum equestri exercitu per stratam, quæ antiquitus per mare facta fuerat, introivit, & deprædata ipsa Civitate, *Aquilejensis* Ecclesiæ Thesaurum exinde auferens deportavit; sed quæso, quo thesauros, & Reliquias asportas, *Lupe?* cur Res Antistitis Benevoli deprædaris, quorsum immortale hoc, atque immanissimum odium? dicat ipse *Gradenses*, Thesauros mea habeat *Foro Juliensis* Ecclesia, mea Civitas spoliis exultet opimis, 126
ac Sanctis, quo *Aquilejenses* Patriarchæ Sedem transtulerant. Ex ea autem Veterum Thesaurorum direptione S. *Marci* Evangelium devenit ad Nos, quod demum ad Augustissimæ *Venetæ* Reipubl. Thesaurum, *Thoma Mocænico* Principe flagitante, est deportatum: Sponte *Foro Juliensibus* Oratoribus concedentibus: Obstrepit hic in *Candidum Locatellus*, ille enim, ut ipsi videtur, datum prædictum Evangelium ab *Aquilejensi* Ecclesia pronunciavit: obstant publica Serenissimi *Thomæ* Principis Diplomata, quorum unum sic sonat:

THOMAS MOCÆNICO,

DUX VENETIARUM, &c.

„ SPectabilibus, & Egregiis Viris Provisoribus, Consilio, & Communitati Civitatis „ *Austriæ*, Amicis Dilectis salutem, & dilectionis „ affectum: Fidem gerimus inconcussam, quod „ in omnibus, quæ cognosceretis esse in summo „ desiderio nostro, velletis omnibus viribus, & „ ingenio hujusmodi nostris desideriis condescendere, atque largissimè complacere, proindè cum

„ cum certam, ac firmam notitiam habeamus, „ quod liber Evangeliorum scriptus propria ma- „ nu Gloriosi Evangelistæ B. *Marci*, est, & re- „ peritur ad præsens in manibus Venerabilis Viri „ V. Decani vestræ majoris Ecclesiæ, vel alterius „ personæ, quæcumque sit, & justum, & pium, „ atque religiosum, ut idem Liber apud edito- „ rem, & Scriptorem ipsius reducatur, nam ut „ vestris Amicitiis est notorium, Sacrum Cor- „ pus, & Reliquiæ Venerandæ ipsius B. *Marci*, „ Patroni, & Protectoris nostri, sunt in Civitate „ Nostra *Venetiarum* in cultu, & reverentia Vo- „ bis notis: Vestras nobis gratissimas Amicitias „ rogitamus affectuosè, quatenus cum non posset
127 „ esse in mundo Res, quam Nobis facere possi- „ tis adeò gratam, & acceptabilem, quam com- „ placere Nobis in dicto Libro: Placeat sicut de „ benevolentia vestra fidem tenemus indubiam, „ quod idem Liber Nobis sub diligenti cura, & „ custodia transmittatur, quem non dubitamus „ ex Dispositione Divina pervenisse ad manus ve- „ stras, ut Vobis mediantibus ad Venerandas „ Compositoris sui Reliquias referretur; quoni- „ am intelleximus, & certò cognovimus, quod „ idem Liber apud *Aquilejam* diù negligenter ha- „ bitus, & malè conservatus, pervenit ad termi- „ nos, ad quos indignum, & contra Religionem „ est, permittere devenire Res tales, & tantæ „ Devotionis: Cujus nostræ affectionis volunta- „ tem, atque favorem cognoscens Egregius O- „ rator vester, lator præsentium, subito cum his „ nostris litteris se ad iter disponit, ad vestram „ præsentiam accessurus, & hanc intentionem „ nostram procuraturus, quam non ambigimus „ eamdem esse cum effectu reportaturum; nam „ sancta, & honesta requirimus, ut videlicet „ Margaritæ de luto *Aquilejæ* in Templum Do- „ mini referantur, & membra Corpori reducan- „ tur, quam justam, & religiosam Dispositio- „ nem nostram, si admiseritis, Nobis, supra id „ quod possemus dicere, complacebitis, & A- „ morem nostrum ergà Vos, & vestram Rempu- „ blicam de bono in meliùs accendetis; si verò „ preces nostræ, tam acceptabiles, apud Vos va- „ næ fuerint (quod non credimus) cordialem, & „ intrinsecam Animæ nostræ displicentiam senti- „ remus, quoniam speramus de Amicitiis vestris „ multo majora, sicut pro Vobis, & Republ. „ Vestra bonam intentionem, & mentem no- „ stram. Datum in Nostro Duc. Palatio Die „ penult. Mensis *Maji* Indict. XIII. M.CCC.XX.

Hoc Evangelium Scribit *Ulpinus*, qui illud vidisse *Græcis* litteris scriptum narrat, quod sine dubitatione tenendum est, nam tres Evangelistas *Marcum*, *Lucam*, & *Joannem*, *Græce* scripsisse unanimes Authores asserunt; *Paulus* item Apostolus, unam si ad *Hebræos* excipias, *Græce* suas Epistolas exaravit; quin S. *Lucas* eamdem postea, ne
128 deesset, quod *Græcæ* linguæ desideraretur Honori, convertit in *Græcum*. Ex hisce profecto eximium *Græcæ* linguæ Encomium promanavit, quam ita viri quidem illi Sanctissimi, & *Christianæ* Reipubl. Antesignani probarunt, ut illam dignam adjudicaverint, qua Divina oracula, qua nostræ salutis Divina Mysteria promerentur; Unde & Divino consilio factum existimant linguæ *Græcorum* Amasii sapientissimi, mediam illam inter *Hebream*, & *Latinam*, in titulo Cruce pendentis Domini à *Pontio Pilato* fuisse locatam, ut ancillantium velut Idiomatum cæterorum, & illius reverentium Majestatem in medio Principis instar, atque Reginæ percurrerent Syllabas Viatores.

At jam *Ticinum* Nos advocat *Lupus*, cujus ad Regiam à Rege *Grimoaldo* accitus est. *Constans*, *Græcorum*, ut est à nobis paulo ante commemo-
A ratum, Imperator, ad sui nominis immortalitatem aditum illustri memorabilis alicujus facinoris monumento aperiturus, & dignitatem Insigni aliqua Victoria condecoraturus, ad *Longobardos* ejiciendos *Italia*, animum prorsus omnem, & Vires intendit. Belli tanti exitus adversus *Romæ* Statuas, & Simulacra evaporavit: *Mà cinquanta anni dopò*, inquit *Scipio Ammiratus* Animadversionum *in Corn. Tac. Lib. III. chi venne à sgombrar di* Roma *le Antichità di Bronzo*, *& l'altre cose belle*, *che v'erano restate*, *altri*, *che* Constante *Imperatore? Lupus* ratus, prælia non vacare periculis, atque ut erat ad grandia gerenda progenitus, *Gri-*
B *moaldum* habens pro mortuo, *Ticinum* suæ vitæ mentisque modo gubernat; Tyrannos, vel bonos Principes creavit ambitio, à suppliciis, non à beneficiis *Lupus* auguratur. Sui Principatus initio, metum, amorem raro sibi Tyrannus conciliat; ex metu odium: quid de *Lupo?* non cessant *Ticinates Lupum* suspectum reddere *Grimoaldo*, Scribunt Ducem jam suum in Lupum plane degenerasse rapacem, nihil jam in eo Amici, vel propinqui relictum, *Grimoaldum* palam ab ipso respui, palam contemni; lacerari calumniis; irrideri gesta, invidere virtuti; Victorias, quas de Imperatore *Constante* retulerat, aversis auribus, 129
C obliquiore animo excepisse: compellitur hisce verbis *Grimoaldus* in Urbem repente præcurrere; fata increpat obsecraturque *Lupus*, suis nimium ausibus infensa, quod Regnum quasi sibi destinatum coorta hac tempestate turbulenta disjecerint. *Forum Julii* per celeres equos petit, superat imminentia pericula ex ipsis periculis emergens Animi vastitas, & cum perituri *Longobardorum* Regni in suo capite verti probra intellexisset, à *Grimoaldo*, collectis copiis, armataque manu descivit. Invitum se ad Bellum trahi Rex optimus obtestatur, *Lupi*que audaciam miseratus, quamplurimum futuram *Foro Juliensium* jacturam deplorat: nihil,
D quo in fide, & officio contineret Ducem rebellem omisit: frustra corpori morbis consumpto remedia: jam se totum *Lupus* ad *Italiæ* Regnum converterat. Belle *Divinus*:

Et ecco il Lupo *di* Friul, *che aspira*
Al Dominio d' Italia.

Tunc (ut est penes *Diaconum*) *Grimoaldus* nolens Civile Bellum inter *Longobardos* excitare, Regi *Avarum Cacano* mandavit, ut in *Forum Julii* contra Ducem *Lupum* cum exercitu veniret, eumque Bello protereret: quodque est factum; nam veniente *Cacano* cum exercitu in loco, qui dicitur *Fluvius*, sicuti nobis retulere Seniores Viri,
E qui in ipso Bello fuerunt, per tres dies *Lupus* Dux cum *Foro Julianis* adversus *Cacani* exercitum conflixit, & prima quidem die valdè ejus exercitum paucis suis vulneratis prostravit; secunda verò die aliquantis ex suis vulneratis, & mortuis, pari modo multos ex *Avaribus* extinxit; tertia verò die jàm pluribus ex suis sauciatis, sive peremptis, nihilominus magnum *Cacani* exercitum delevit, prædamque copiosam invasit. Triduanam hanc *Lupi* felicitatem in præliis infaustus Dies subsequus amputavit, nam *Barbarorum* multitudine nostrorum superante, ac quatiente Virtutem, in fugam vertuntur *Civitatenses*, quos, dum *Lupus* imper-
F territis clamoribus vocabat ad aciem, promptissimi in omnibus militis, & Imperatoris munus 130
explendo, gravi affectus vulnere spiritum exhalavit; inflixit etiam majus Civibus vulnus *Cacanus* iterum per summam immanitatem *Avaribus* conquisitis; licet finitima tantum Castella *Cacani* pervia fuisse furori à *Sabellico* sum admonitus; quam paucissimi, qui ex funesta illa pugna evaserant, in Patriam reversi, suis Popularibus auctores fuere, ut Castella, & Oppida communirent, quando Victor Hostis paulo post esset affuturus.

Interim *Avares* fugientium ſequuti veſtigia, pene improviſi proſtant, patrianos fines miſerabili clade occupant, profana cum ſacris ferro, flammaque populantes; ſed cum per ocium omnia undequaque fœdiſſimè vaſtarentur, per Legatos *Grimoaldi Cacano* intimatur, ut abſtineret à Patria, quando jam *Lupus* ſuæ temeritatis pœnas perſolverit; reſponſum eſt admodum petulanter ab *Avaribus Grimoaldo*, nequaquam videlicet eam Terram relicturos ſe fore, quam ſuam fecerant jure belli, neque Regem rectè agere, quod ſe ſocios, & Regalis in *Italia Longobardici* Nominis Aſſertores, quos Patriis Sedibus in diſcrimen Belli ſua adhortatione traxiſſet, tandem militiæ præmio fraudare voluiſſet. His *Grimoaldus* commotus exercitum in *Avares* validiſſimum præparat; ſed cum ſic quoque appareret haud ita facile his Copiis Hoſtem ſuperatum iri, ad terrendos eorum animos, nova arte uſus eſt: Acceſitis namque *Avarum* Legatis, qui forte per eos dies *Ticinum* venerant; continuo jubet per militiæ Præfectos Copias omnes, quas in *Avarum* comparaſſet excidium, per ſpeciem recognitionis, ordine traduci, quod cum pluribus diebus eædem Acies diverſo ſemper Armorum genere inſtructæ proceſſiſſent, immenſi pene exercitus ſpeciem præbuere, quo ſpectaculo territi Legati, Regi nunciant, invictam Aciem in *Avares Grimoaldum* comparaſſe; addiderunt ferociſſimi Regis minas, quibus ſe intra paucos dies omne *Avarum* Nomen deleturum profitebatur, niſi *Italia* primo tempore abſceſſiſſent; his territus *Cacanus*, *Italia* relicta, in ſuum Regnum citiſſime repedavit.

131 Verum præſtantem fructum eruditionis, Amice, ſumes, & certe *Lupi* rationibus vehementer conducet, niſi enim judicio fallor, non ita mors vim Virtutum, & Gloriæ apud poſteros ampliſſimi Principis elevavit, quin eum Egregia quavis laude dignum, immo digniſſimum, non oſtenderit; ex eo præſertim, quod *Theodoretam* ejus filiam, animi corporiſque Dotibus Illuſtriſſimam *Romualdo*, ſeu *Rhodoaldo*, filio *Beneventanæ* Civitatis Principi *Grimoaldus* matrimonio ſociaverit, quod dictet præſenti in facto mens, habeo, judicium Regis potentiſſimi fuit, Victum *Lupum* maluiſſe, quam Victimam.

VECTARIS VI.

IN CIVITATE FORI JULII DUX.

CANDIDUS; & alii nonnulli, quorum non magni noſtra intereſt, *Varnephrito Lupi* filio Civitatis conceſſere Ducatum; ſecus apud Nos; nam *Paulus Diaconus Lib. V. Cap. XXII.* aperte demonſtrat, nunquam *Varnephritum* Ducatus inſignia obtinuiſſe, ſed tentaſſe, ad eaque aſpiraſſe tantummodo, atque ob id Amicos, & fœderatos ad ſua vota pertrahere ſolertiâ, & pollicitationibus ſtuduiſſe; ſuaſus inſuper improborum acceſſerant, & jam haud dubia ſpe dominandi concepta, in *Carinthiam*, & *Sclavos* ſeceſſit, eos, ſi unquam poſſet, ſollicitaturus ad Bellum; Auro corrupti aperta vi in *Foro Julianos* excurrunt; An Ducatum ſic ipſe erectum à majoribus ſuis, regnumque inire decreviſſet pacatus ſucceſſor, & optimus? An Dominum ita male Cives fidi per omnia ſuorum Principum ſubditi tractaviſſent? Dicam ſubreptitium fuiſſe Ducem, atque ideo illos hunc reſpuiſſe: autumabant ſiquidem *Vectarim*, inſigni loco apud *Vicentinos* ortum, datum ſibi Du-
132 cem à *Grimoaldo*. Sugillat hoc idem mors *Varnephriti* ab ipſis *Forojulianis* illata; cum enim ipſe efferatus in rabiem, armatuſque auxiliaribus Copiis in Civitatis Caſtra irruit, ab occurrente valida Civium Acie, fuſis, cæſiſque *Sclavis*, ipſe fortiter dimicando perimitur; Mortem itaque non in *Forojulienſi* Ducatu, ſed pro Ducatu *Varnephritus* oppetiit apud *Neumaſum* Caſtrum; *Nimis* hoc eſſe perhibent eruditi, quo ex propinquis montibus *Sclavi* confluxerant: Æmulis ſublatis è medio, concordibus, & Procerum, & Civium animis *Vectaris*, ut quam cito ſe imponeret oneri, adhortatur: parat ille ſe viæ, ut *Sclavorum* reliquias abolere poſſet, & ne Civilis diſcordia longius procederet, quando apud non nullos *Lupi*, filiique memoria diminui ita nequiit, ut non ardentiſſime pullularit; uſque adeo mortalium perſæpe male ſana cupido jam ea abolita concupiſcit, quæ præſentia tolerare non potuit: Difficiles ſumus, exhorreſcimus uno eodemque ſpiritu & campos, & otium: *Vectarim* præclara ſtirpis Nobilitas, Bellica laus, Animi, vel ad ſumma pericula, præceps ardor, in tuenda Populorum concordia Comitas, & Probitas incorrupta, Juſtitia temperata pietatis officiis, metuendum Hoſtibus, amandum Subditis, laudandum omnibus effecere.

Excruciantur animi perduellium, invident felicitati noſtræ, & cum optimos Cives à ſuſcipiendo Duce magnanimo inſtinctu, & promiſſis arcere non poſſent, ad Vim, atque Arma recurrunt; porrigit audaciam Ducis abſentia; non in caſſum *Latinorum* vatum *Homerus:*

Urget præſentia Turni.

Rem hic plane ſupra Naturæ Vires aggredior: Catorthoma afferam antiquis ipſis Heroibus, & Semideis non comparandum, ſed anteponendum quam maxime; Verum dum, admonente *Tullio*, lux ſit Hiſtoriæ veritas, aut lux Veritatis Hiſtoria, nihil me allaturum idcirco profiteor, quod ſit mendacio maculatum, & quod non ſit in Hiſtoricorum laudatiſſimis monumentis; accipe igitur, lector, inſigne ſub Ductore *Vectari Foro Julienſium* facinus, plenum ſimul admirationis, & fidei. 133
Octo fere paſſuum M. à *Foro Julii* pagus *Broxianus* jacet (*Braxas* appellat *Diaconus*, *Briſchis* Vulgus) non procul aquas ſuas ad ſublimis ſaxeique montis radices evomit *Natiſo*, & per inferiora delapſus, qua placido murmure, qua confragoſo, ſerpit in Urbem; porro, qua ad Pagum aditus, inde *Broxiana*, verſus Septentrionem, & *Græcum* Orientem, impoſito Ponte à *Sancti Quirini* Fano proximo dicto, perambulantium commoditati conſultum: paret locus Jurisdictioni noſtri pro tempore Cuſtodis: Hoc itaque in Pago *Sclavi* valida collecta multitudine caſtra metati, Victoriam *Vectari* præparabant: Jam ad prædictum *Natiſonis* Pontem conſtiterant, cum obvium intuentur XXV. tantum Equitibus ſtipatum. Patriarcham cum ſuo Clero adventantem irrident. Sibilis æthera feriunt; cachinnis obſtrepunt, argute deblaterant: *An*, inquiunt, *ſecundam adeo ſibi fortunam Clerici pollicentur, ut vel pauci pugnantes acie, eventus ſibi proſperos non deſperent?* elatior quidam animo cunctorum dicta compeſcuit, ſubditque: *iſte equidem Patriarcha agere nobiſcum putat, ut* Leo *quondam Pont.* Roman. *cum* Attila; *non pugnam, ſed veniam petiturus Clerus imbellis egreditur*; ita illi partim virtuti ſuæ, partim noſtrorum attribuebant inſaniæ, cum appropinquans *Vectaris*, Caſſidemque ſibi de capite afferens, vultum ſuum *Sclavis* oſtendit, nudato capite ob calvitiem ab Hoſtibus agnitus eſt. Perturbantur inſperata fortiſſimi Imperatoris præſentia, de fuga cogitant; dixerim, ceu fulminis ictu pavore perculſos in vicinam ſæpem abditos Viatores, nulla mora, invectus cum Equitibus *Vectaris*, tantam Barbaris intulit ſtragem, ut quam pauciſſimi, qui ſuorum cæ-

cædem nunciarent, evaſerint; confectum pecudum, non Hominum numero exercitum delevimus, expugnavimus. Mirum tamen *Foro Julianorum* fortitudinis, & magnanimitatis exemplum brevi univerſam complevit *Italiam*; & quidem nemo eſt impoſterum auſus noſtram interturbare quietem.

Vectaris demum, non ſine ſuorum lacry-
134 mis, plenus annis, & meritis, fatis extremis conceſſit. nonnulla ab ipſo egregie geſta prætereo, illud de proſtratis *Sclavis* dixiſſe ſufficiat, quo uno, non ſua tantum omnia, ſed præteritorum etiam Ducum facinora ſuperavit. Eodem fere tempore *Vectaris* Virtuti ſuppar *Grimoaldus* Rex, vena, nono poſt ſanguinis emiſſionem die, cum Arcus tendendi cauſa conniteretur, aperta, migravit è vita. Regnum Paternum vix trium menſium ſpatio *Perthariti* odio filius *Ganbardus* obtinuit.

LAUDARIS VII.

IN CIVITATE FORI JULII

DUX.

NIhil, quod laudare poſſit Hiſtoria, repertum in *Laudari*; nudum nomen apud *Diaconum*, nuda in Ducatum ſucceſſio in *Sabellico*, nihil memorabile profert *Sigonius*: circumſcribit *Laudaris* regimen *Nicolettus*. *Laundhari nella Città Ducale del conſenſo unanimo di tutti gli ordini ottenne l'Inſegne della Duchea* Forogiulienſe, *con così felice ingreſſo, che egli col core, & coll'opere, i ſoggetti coll'obedienza, i Vicini coll'otio, conſervarono una perpetua pace, lode aſſai maggiore di qualſivoglia vanto Bellico, che ſe la Guerra ſi prende per la pace, come del Guerriero non ſarà maggiore il pacifico? che ſenza nudar l'armi vinta la naturale inquietudine della Signoria, abbaſſata la quaſi ordinaria inconſtanza de ſoggetti, & l'orgoglio terribile de finitimi hà dentro*, & *fuori felicemente retto ſe ſteſſo, & i Popoli.*

135 RODOALDUS VIII.

IN CIVITATE FORI JULII

DUX.

ÆQuas ſeditiones, atque diſſidia *Forojulienſis* Ducatus, & Regnum *Longobardorum* ſenſerunt hoc anno; ſub *Rhodoaldo* noſter, illud ſub *Guniperto*; *Alachiſius*, *Tridentinus* Dux, *Aldone* & *Gauſſone Brixianis*, ſummæ potentiæ Viris, in conſilii, ac temeritatis ſententiam adſcitis, *Papiam* ingreſſus, ſalutari ſe Regem ab omnibus imperat: prima alteratio adverſus Sacerdotes fuit; ceu ferum, & Barbarum *Longobardi* execrantur ex Templo; Quoties contempta Religio peſſum dedit! Accedunt ad *Guniperti* ſubſidium milites *Foro Juliani* à *Rodoaldo* miſſi; ſed perpende, an Civitas iſta *Forum* illud ſit *Julii*; Verba *Diaconi Lib. V. Cap. XXXIX. Cumque contra eum* Gunipertus *exercitum colligeret, &* F. Juliani *in ejus auxilium juxta fidelitatem ſuam vellent proficiſci; ipſe* Alachis *ad Pontem* Liquentiæ *fluminis, quod à* Foro Julii *XLVIII. M. diſtat, & eſt in itinere*, Ticinum *pergentibus, in* Sylva, *quæ* Capulanus *dicitur, latens, cum* F. Julianorum *exercitus ſparſim veniret, omnes eos, ſicut veniebant, jurare ſibi compulit, diligenter cavens, ne aliquis ex iis retrovertens venientibus hoc aliis indicaret, ſicque omnes à* F. Julii *venientes ejus ſunt Sacramentis adſtricti. Victo denique* Alachiſio Gunipertus *caput & pedes præcidit.*

A Seditionem poſſe curari Prudentia, & Viribus, in *Guniperto* cognovimus; par onus in *Rodoaldo*. Hic Regis *Guniperti* favore *Laudari* ſurrogatur. intrepide acceptat munus; Urbem ingreſſus, cum pleraque deeſſe opportuna Civibus, Incoliſque conſpiceret, unde remedia afferret, paucis comitatus, abierat alio. *Anſphridus Rheunianus*, ſola ſuperbia, & libidine notus, Regiam Ducis 136
invaſit; facit hunc *Candidus Rheuniani* Principem, *Regogna* illud appello. Ægrè conſpirationem ſenſit tam ſubitam *Rodoaldus* cognitam apud ſe tamen, dum tenet & *Guniperti* Juſtitiam, & *Anſphridi* ſpiritum minime generoſum. In *Hiſtriam* aufugit, inde *Ravennam*, hinc ad Regem. Auxit
B *Anſphridi* audaciam in longinquas diſtractus partes optimus Princeps; nam opulenta Ditione per fraudem potitus, diù, multumque agitans veſana conſilia, in ipſum etiam *Gunipertum* conſpirat. Ergo quantas poteſt, armat copias, plenuſque ſpei, curſum *Veronam* direxit, integrum Regnum devoraturus: Sed qui ſupra Vires pondus aſſumit, idem mox deponere cogitur, & qui plus, quam ſuadet robur, audet *Milo* conſcindere, oppreſſus ab Arbore Lupos ſaginat. En captus *Anſphridus*, dum Regna ſitit, pœnas luit, Evulſis oculis dejicitur in exilium: corporis orbatur oculis, qui mentis amiſerat: Verſatur in Umbris, fucatam quærens dolis, ac fraudibus dignitatem: ita
C ex eminenti apice præceps interitus.

Tunc & *Rodoaldus* cum vivere debuiſſet, emoritur; fallax fortuna per omnia, quod duobus ſecurum oſtendit Imperium, utrique abſtulit. Foliis caducis ſolia comparans non erraverit. Felicitatem vix unus cepit *Gyges*, invenit eam tamen in piſce; natantem invenire poſſumus, firmam & ſtabilem nunquam.

PHERDULPHUS IX.

IN CIVITATE FORO JULII

D
DUX.

CUm per annum, & menſes VII. *Ado*, *Rodoaldi* Frater, probatæ Virtutis, ac probitatis Vir, Ducatum Procuratoris titulo gubernaſſet, *Pherdulphus* Dux datur, in *Liguria* natus, educatuſque *Ticini*, turbido ingenio, aſpectu truci, animoque 137
ab Juventutis calore rerum novarum cupido. Plura *Diac.* Lib. VI. Cap. 24. *Mortuo quoque apud* F. Julii Aldone, *quem dixeramus loci ſervatorem fuiſſe*, Pherdulphus *Ducatum ſuſcepit, qui de partibus* Liguriæ *extitit: Homo lubricus, & elatus, qui dum Victoriæ laudem de* Sclavis *habere cupit,*
E *magna ſibi, &* Foro Julianis *detrimenta invexit. is præmia quibuſdam* Sclavis *dedit, ut exercitum* Sclavorum *in eamdem Provinciam ſua adhortatione immitterent; quod ita quoque effectum eſt; cauſa autem magnæ in eadem* Foro Julii *Provincia perditionis iſta fuit. Irruerunt latrunculi* Sclavorum *ſuper Gregem, & Paſtores ovium, quæ in eorum Vicinia paſcebantur, & de eis prædas abegerunt: Hos ſubſequutus eſt Rector illius loci, quem* ſculdahis *lingua propria dicunt, Vir nobilis, animoque, & Viribus potens, ſed tamen eoſdem latrunculos aſſequi*
F *non potuit; cui exinde revertenti Dux* Pherdulphus *obviam factus eſt, quem dum interrogaret, quid de illis latrunculis factum eſſet*, Argaid *ei (ſic enim Nomen habebat) eoſdem fugiſſe reſpondit; Tunc ei* Pherdulphus *indignans ita locutus eſt:* „ quando tu „ aliquid fortiter facere poteris, qui *Argaid* ab *Arga* „ *Nomen deductum habes*"? *cui ille maxima ſtimulatus ira, ut erat Vir fortiſſimus, ita reſpondit*; „ ſic velit „ Deus, ut non antea ego, & tu, *Pherdulphe*, exeamus de hac vita, quam cognoſcant alii, qui ex no-

„bis magis est *Arga*." *Hæc cum sibi invicem vulgaria verba loquuti fuissent, contigit non multos post dies, ut exercitus* Sclavorum, *pro quorum adventu* Pherdulphus *Dux præmia dederat, cum Magnis Viribus adventaret, qui cum castra in summo Montis vertice posuissent, & pene ex omni parte difficile esset ad eos accedere*, Pherdulphus *Dux cum exercitu veniens cœpit eumdem montem circuire, ut per loca planiora posset super illos irruere; Tunc* Argaid, *de quo præmisimus, ita* Pherdulpho *dixit; memento Dux* Pherdulphe, *quod me esse inertem, & inutilem dixeris, & vulgari verbo* Arga *vocaveris; nunc autem Ira Dei super illum veniat, qui posterior è Nobis ad*
138 *hos* Sclavos *accesserit: & hæc dicens, verso equo per asperitatem montis, unde gravis erat ascensus, ad Castra contendere cœpit* Sclavorum: Pherdulphus *vero opprobrium ducens, si non ipse per eadem difficilia loca super* Sclavos *irrueret, eum per aspera quæque, & difficilia sequutus est, quem suus exercitus turpe ducens, Ducem non sequi, subsequi & ipse cœpit. Videntes itaque* Sclavi *per devexa loca supervenire, præparaverunt se viriliter, & magis lapidibus, & securibus, quam Armis contra eos pugnantes, pene omnes dejectos equis peremerunt. Sicque Victoriam non viribus, sed casu adepti sunt: ibi omnis nobilitas periit* F. Julianorum: *ibi* Pherdulphus *cecidit, ibi & ille, qui eum provocaverat, extinctus est; Tantique ibi Viri fortes per contentionis malum, & imprudentiæ debellati sunt, quanti possent per unam concordiam, & salubre consilium multa millia sternere Æmulorum: ibi tamen unus ex* Longobardis *nomine* Munichis, *qui Pater post* Petri, F. Julianorum, *ac* Ursi, Cenetensis *Ducum extitit, solus fortiter, & viriliter fecit; is cum de equo dejectus esset, & eum unus de* Sclavis *subito invadens ejus manus fune colligasset, ipse manibus ligatis lanceam ejusdem* Sclavi *dextera extrahens, eum cum ipsa percussit, & ligatus per aspera se loca dejitiens evasit.*

Oppido Ursi, Cenetæ Ducis (*Oppidum* scribit *Sigonius* in *Foro Juliensi* Ducatu) *Petri, F. Juliensium* Ducis fratris, nomen adhuc in Donatione præclaræ pietatis suæ monumenti apud Sacrum Collegii Gazophilacium custoditur; placet hoc in loco sic calamum exercere. Pacis, & Dilectionis Rex, ipse pacificus, studia in sua Ecclesia conservari, propugnarique dum voluit, illam, ut in primis ardentissime foverent, & colerent, pastoribus demandavit: quamobrem & Hospitem ingredi in Amici Domum nefas, nisi prius ejusdem Domino pacem deprecaretur. Hinc mos in Ecclesia receptus usque modo servatur, ut inter Divina Mysteria (apud *Durandum Divin. Ration. Lib. IV.*) *Leonis* PP. II. Decreto, pax astantibus
139 fidelibus impetretur; Verum & in Urbem accedenti Dynastæ immissam ab Episcopo pacem, vel ex se, vel per aliquem, legimus; Iconem vero Salvatoris, aut Virginis Matris depictam, aut insculptam, vel in laminis, vel in Tabulis, à pace deprecata, *la pace*, communiter appellatur: Extat itaque una ex hujusmodi Iconibus apud Nos ab *Urso* Duce donata. est eburnea, quasi unius palmi longitudine, binæ à dextero, totidem à sinistro latere figuræ: Deiparæ, Dilecti Discipuli, *Longini*, alteriusque militis, cum spongia Myrrhati Vini, pincernæ: *Longobardica* elementa leguntur: in Crucis singulis angulis duo videntur circuli, quorum in uno juvenis instar Sol, Luna in altero puellæ sub Vultu repræsentantur. Opus Ecclesiarcharum diligentia hucusque honorifice, beneque servatum, quod ne vel diminui, vel conteri aliquo casu possit, coronide circumdatur lamina argentea cooperta, lapillis ornata.

IHS NAZA
REX IVDE
VR SVS
DVX FEIT
T

MEN FILTVVS APEΓΓEMPTNA,

VRSVS DVX FIERI [1]. PEEP

CORBOLUS X. 140

IN CIVITATE FORI JULII DUX.

AMisso eo, cujus meminimus, modo, à *Ligure* Principatu, CORBOLUS surrogatur. Hæc de illo tantum Nobis reliquit *Diac.* Lib. VI. Cap. XXV. *Mortuo itaque* Pherdulpho *Duce, in ejus loco ordinatus est* Corvolus, *qui parvo tempore Ducatum tenens, dum Regem offendisset, evulsis oculis dedecorose vixit;* nimis etiam de illo avare Sabellicus. *Perdulpho* Corvulus *Dux successit.* Hic cum *Ticinensem* Regem in se vertisset, privatus oculis, exilio mulctatus est; cæterum *Rhodoaldi* ut dignitas in *Corboto*, sic mors fatalis *Ampridi*, nulla sua culpa, sed malignorum invidia. Expectabatur à *Foro Juliensibus* anxie *Corbolus*, è præcipua nobilitate natus, & optima à teneris annis educatione ad bonum quodvis opus, & generosam idoneus.

Excesserant è vivis *Cunipertus*, *Luitpertus*, *Aripertus* II. & *Asprandus*, *Longobardorum* Reges; Horum IV. nulli sapientiæ, ac prudentiæ laude postponendus, post tres Menses (Authore *Sigonio*) Idibus Junii indictione X. laudatissimorum suorum morum effigiem, & virtutis filium reliquit *Luitprandum*, illum, inquam *Luitprandum*, Principem potentissimum, & in omni Vitæ officio singularem. *Rhotaris* Regis cognatus, qui non minus desidis ocii, quam Seditionum, atque Dissidiorum studia enixe colebat, ad hanc novam Regiam potestatem conquestus, *Longobardorum* detestari cœpit justitiam, ignaviam exprobrat, quasi eum suum in Regem elegissent, cui pares Vires, par ingenium deerat. Adit fidissimum quemque, omni officio, venerationeque prosequitur, futura Regi, & Regno infortunia prædicit, si *Luitprando* Habenas, & summam rerum omnium commisissent; obsecrare non destitit, nolint indignum adeo pati dominatum, & famulatum adeo 141
sordidum profiteri; Impavidus, Solers, quantum dictare potuit fraus, exequitur; ergo ad Regem adventum simulat, atque ubi eum salutationibus perquam honorificis, & officiosis devinxisset sibi, quod subsequa luce habiturus erat, ad convivium invitavit; Negotium admodum scite, atque artificiose à callido Cognato contextum panditur *Luitprando*; quem ille inter pocula, Viris fortissimis armatis, absconditis occidere imperaverat. Conjurationis *Rhotaris* caput, & Artifex ea die sub veste loricam induit. *Luitprandus*, ut sunt dominantium ingenia scrupulosa, patulis auribus facinus demisit in animum; evocatur ad Palatium confestim à Rege Cognatus; ignorans ipse, se jam fuisse detectum, deponere loricam non curat, atque ad *Luitprandum* hilaris proficiscitur. Rex vix prima verba loquentem sub Veste pertractat; *Ad Nos cur*, inquit, *Cognate armatus accedis:* pavidus ad Regis interrogata *Rhotaris* post se aliquantum exiliens, evaginat gladium; ut Regem percuteret; tenuit Rex contra *Rhotarim* gladium; tunc unus ex satellitibus, audito luctantium strepitu accurrens, prompto pugione *Rhotarim*

1. PEEP.) i. e. *Præcepit.*

rim internecavit. *Corbolum*, ut pote *Rhotaris* amicum, non secus ac ejusdem conjurationis participem, *Aulici* invidi accusarunt ad Regem. Non fidem præstat dictis, vel potius Rem negligit accuratius intueri, nihil esse longius dictitans in *Corbolo*, quam erga se obsequium, & amorem. Patronum agit *Corboli Nicolettus*; à *Pherdulpho* successore *Corbolo* Principe *d'una intiera fede*, *& d'una assai ardente inclinatione à* Luitprando *Rè de'* Longobardi *suo Signore*, *perche in un marmo del pavimento de' fragmenti antichi*, *che fin' à miei giorni nel Tempio maggiore della Città del* Friuli, *è stato veduto*, *impresse con caratteri* Longobardi *la memoria*, *& operationi Reali*. Verum nefarii Nebulones non cessant ad sua vota pertrahere *Luitprandum*; impellunt demum novo scelere, ut tolleret
142 è medio *Corbolum*: missas ad ipsum à familiaribus quibusdam *Rhotaris* fingunt Epistolas, quibus in Regis caput animabatur: quando jam extincto illo Regem se facturum facili negotio promisissent: Habuit tunc *Italia Ulysses* suos. indicta causa *Corbolus* orbatur oculis; quàm contra Jus, & æquum id actum cum fido, & antiquo ministro, exitus postmodum patefecit; Unus namque ex consciis morti proximus, se tanto exoneraturus flagitio, petita, impetrataque venia, seriem narrat. *Corbolum* innocentem à Viris sceleſtissimis proditum lacrymatur. Orat subinde, ut in Accusatores, quod æquum videretur, statueret: *Luitprandus*, re cognita, se ipsum levitatis incusans, Calumniatores exquisitos, & perpetua notatos infamia, capitis sententia damnavit.

Corboli Ducatui ornamenta accesserunt uberrima, coorto scilicet apud *Christianissimam Venetorum* Remp. novo Ducatu; nam cum anteà per CCXXX. & amplius annos Tribunitia potestate fuisset administrata, Ducem habere cœpit *Paulutium Anaphestum* (in *Faletros* transiit nobilissimum Genus) *Heracleanum*, magnæ probitatis. Hic, ut Dignitatem tutaretur à Bellis, cum *Longobardis* fœdus inivit.

PEMMO XI.

IN CIVITATE FORI JULII

DUX

IN aspectum maximi Principis, & elato nimis ingenio imperantis, sistimus calamum. Parva omnia, & minuta recensuit; hujus memoria, & virtus, vel ex eo *Foro Julianis* debet extare gratissima, quod Regium suis Ducibus imposuerit Diadema. Patria *Bellunensis* fuit; claro loco prosapia, cujus tamen splendori *Christianæ* Religionis quamplurimum, & pietatis adjecit. Inge-
143 nuorum Genitorum ingenuus filius, in Patrui *Corboli* innocentissimi gratiam moribus candidis ipsi simillimus Nepos, *Liutprando* concedente, Ducatus successionem obtinuit; Magno Populi favore adductus in Regiam aurea promisit sæcula, dedit à pietate desumpta administrationis primordia, expertus hic antea fuerat Hymenæos, ducta in matrimonium *Rasperga*, eximiis virtutum ornamentis clarissima, & quod caput est, fidei *Catholicæ* studio inflammata; Hæc cum illiberali, & deformi esset facie, maritum non semel orat, ut cum jam Dux esset, & Civitatis quidem Nobilissimæ, dignam se conjugem sortiretur, alia se venustiore super inducta, id futurum sibi gratum. O dignum tanto Principe responsum! *Mores*, inquit, *ò Rasperga*, *non forma*, *in conjuge considerandi sunt*; Hanc illi reddunt omnimode speciosam: ah quoties gratiosa illa lineamenta colorum in facie fœdis moribus inquinata

A telam perennis ordiuntur infamiæ! Quot cladibus, quot exitiis, quot sanguinis rivulis, stratisque maximorum *Heroum*, ac Principum cadaveribus, cumulavit *Asiam* impudicæ *Helenæ* pulchritudo? sepulcra hæc dixerim dealbata, quæ Vermes corrodunt flagitiorum, & scelerum. An miramur postea ex Sanctissimo tali *Pemmonis*, & *Raspergæ* Conjugio enatam fuisse sobolem, quæ divina favente clementia ad solia est Regnorum evecta? Scimus castis Conjugium cordibus præsentia, ac futura bona Superos elargiri. Fuere tres excelsæ, & expectatæ Indolis filii, *Rachis*, *Rhotchasius*, & *Astulphus*; Rudimenta militiæ
B sub optimo Ductore locant, libenter equitatui indulgent, Turmas ducunt, exercent Hastarum, saxorumque ejaculationibus artus, evadunt in Heroas.

Sed ad perniciosa domi, forisque exorta Bella transeamus. Data hujusmodi non negaverim pro culpa, vel *Sclavorum* intemperantiæ, vel impotenti Iræ *Callisti* Patriarchæ adversus *Amatorem*, nostræ Civitatis Episcopum. In ipso fere *Longobardorum* in *Italiam* adventu, eorumque jam in *F. Julii* solio constituto, *Fidentius Julii Castri* Episcopus vel sponte, vel à Ducibus accersitus, vel suorum expulsus injuria, in hanc se nostram 144
C Civitatem recepit, suamque Sedem Episcopalem statuit, atque, una cum aliis *Venetæ* Provinciæ Episcopis, Concilio *Maranensi* interfuit. Ecce hinc illorum hallucinationes aperte detectæ, qui *Forum* hoc *Julium*, *Julium* illud esse *Carnicum* perhibent, montibus cinctum; quid hac re monstruosius, quid insanius? Quorsum *Diaconus* amabo *Lib. VI. Cap. XI. Adveniens anteriore tempore Fidentius*, *Episcopus de Castro* Julienſi, *cum voluntate superiorum Ducum intra* F. Juliani *Castri Muros habitavit*, *ibique sui Episcopatus sedem statuit?* Ita Homunciones isti, nec prima Philosophiæ, Grammaticæ potius limina salutarunt? An non norunt, Terminum à loco, à Termino ad locum
D differre valde, esseque rem omnino distinctam? si *Julium* est *Forum Julium*, cur distinguit *Diaconus*? fateri tenemur, *Julium* à *F. Julii* sejungi, cum huc illinc Episcopus accesserit, novamque Sedem locaverit, & tenuerit: Quod vero Thronum alio transferre Episcopi tunc præsertim temporis, consueverint, legimus, *Grados Aquilejensem* deportatum, *Altinatem Torcellum*, ad *Caprulas Concordiæ*, *Metamaucum Patavinum*, ad *Æstuaria* Maris *Hadriatici Cenetæ*, *Opitergii*.

Amator, Vità decedente *Fidentio*, ejus loco ordinatur Episcopus. Hunc ubi summo in loco, & pretio penes *F. Juliensium* Duces cognovit esse
E *Callistus*, indigne tulit, ægroque animo non sustinet intueri, quod sub sua constitutus Diœcesi Præsul dignior haberetur se, sederetque cum Principibus, ac Magnatibus, ipse vero angusto in loco sordesceret. „ *Amatorem* ex Civitate *Austriæ* (sic M. S. Patriarcharum *Aquilejensium* in Vitis) „ expulit, & in eandem suam habitationem elegit „ *Callistus*, *Tarvisii* illustribus Natalibus, & opibus „ clarus, Archidiaconatum gerens (quo quidem modo magistratu *Balthasar Bonifacius* IV. Doctor ob excellentis ingenii Vim fœcunditate mirabilem, & egregiam in omni prope disciplina Doctrinam, cunctis perquam gratus summo sui Nominis cum honore perfungitur) *Luitprandi* Regis
F „ Authoritate *Aquilejensium* Patriacha post *Serenum* 145
„ evaserat, cui & *Pallium* rogatu ejusdem Regis „ *Gregorius* Pont. II. attribuit. Unde vero tunc „ *Callistus* iratus *F. Juliensis* Episcopi Dignitati in „ nostram venerit Civitatem, Diaconum secuti „ quam plurimi ex *Cormone* venisse litteris demandarunt.„ Sic ille: usque ad eamdem enim diem superiores Patriarchæ, qui in *Aquileja*, propter *Romanorum* Incursiones habitare minime poterant, Sedem

non

non in *F. Julii*, ſed *Cormone* habebant, quod *Calliſto*, qui erat nobilitate conſpicuus, ut in ejus Diœceſi cum Duce, & *Longobardis* habitaret Epiſcopus, & ipſe nullo ſociatus Vitam duceret: quid plura? contra eumdem *Amatorem* Epiſcopum egit, eumque de *F. Julii* expulit, atque in illius Domo ſibi habitationem ſtatuit: & *Anonymus* eamdem ſententiam prorſus amplectitur: Sit noſtra tamen opinio cum *Sigonio*; *Calliſtum* Patriarcham electum, *Aquilejæ* contra Deceſſorum morem voluiſſe morari, ſed inde poſtea Viribus Hoſtium agitatum *F. Julii* redire coactum: Quod vero *Aquilejæ* degere voluerit, patratum id à Præſule, Viro inflato arbitror, ut de ſe dici aliquando poſſet à poſteris, quod *Poponi* demum conceſſum eſt. *Verum cum aſſiduis* (*Sigonii* ſunt verba) *Sclavorum incurſionibus conflictatus* Aquilejam *relinquere ſtatuiſſet*, Amatorem *Epiſcopum de Oppido* F. Julii *depulit*, *cum diceret*, *Inſignem Duce Sedem Patriarchæ magis*, *quam Epiſcopo convenire.* *CALLISTO* vehementer irratus *Pemmo*, quod probum, & amicum Epiſcopum tanta affeciſſet injuria, mortem minatur, ſed *Sclavio* occupatus Bello alio diſtulit ultionem; qua vero felicitate Dux *Pemmo Sclavicum* Bellum confecerit, imponat humeros geſtorum ſub Sarcina *Sabellicus*: *Audito itaque Hoſtium adventu*, *Dux cum ſuis ad* Laucianum *illis occurrit*, *ubi triplici prælio magna ſtrage ſuperavit*; *cum* F. Julienſium *nemo interim cecidiſſet*, *præter* Sicoaldum *quemdam*, *qui cum ea clade*, *quæ* Pherdulphi *temeritate accepta fuerat*, *duos Filios amiſiſſet*, *ac proinde in eorum ultionem duobus ſuperioribus præliis ſtrenuam operam navaſſet*,
146 *multumque hoſtilis ſanguinis hauſiſſet*; *cum tertio prælio infeſtius hoſtem urget*, *nec ulla interim ſuorum adhortatione à pugna revocari poſſet*, *clamitans ſatis lætum ſe periturum*, *ſi multo hoſtium cruore orbitatem ſuam abluiſſet*, *factum eſt*, *ut hoſtibus intercluſus*, *fortiter*, *adhuc dimicans*, *occubuerit*. *Ex illo tempore* F. Juliana *Arma à* Sclavis *formidari cœperunt*, *quibus pacem petentibus* Pemmo *non denegavit*; *eodem itaque loco*, *in quo pugnatum fuerat*, *fœdus percuſſum eſt*, *atque pacis conditiones datæ*.

Triumphum Dux facturus in Patria, Urbem revertitur, neque ſui conſilii immemor Arma comparat in *Calliſtum*, factoque cum ſuis impetu modico negotio vicit. Captum, vinctumque in *Pucium* Caſtellum adduxit, cumque in mare præcipitare decreviſſet, à ſuis retentus teterrimo carceri mancipavit, victu tenuiſſimo ſuſtentandum, conjectus in vincula Patriarcha, capitalem ſententiam expaveſcens, tandiu Amicos ſollicitare non deſtitit, quoad *Luitprandus* certior fuiſſet factus de *Pemmonis* adverſus ſe, ſuamque Dignitatem nimia temeritate, ac Ira. *Luitprandus*, & ordinem Sacroſanctum eo in magiſtratus genere violatum, & *Calliſtum*, qui ſe annitente Patriarchalem Honorem fuerat conſecutus, conqueſtus, graviſſime *Pemmoni* ſuccenſuit. Exitum *Pemmonis* elegantius commemoravit *Sabellicus*: Pemmo *autem præſenti Victoria elatus*, *continuo ad exercendas cum* Calliſto *inimicitias converſus*, *facto cum ſuis impetu*, *eum modico negotio in poteſtatem ſuam redegit*, *quem vinctum ad Caſtellum* Pucium *traxit* (ſed *Punicum* pro *Pucio* legendum putò) *unde eum in Mare præcipitare ſtatuerat*. *Verum cum ad locum ventum eſſet*, *continuo mutato conſilio eum præſenti morte ſervatum in carcerem*, *& vincula conjecit*, *quod ipſum* Luitprandus *Rex*, *quo annitente* Calliſtus *Patriarchalem Dignitatem conſecutus fuerat*, *ut audivit*, *vehementer commotus*, Pemmonem *Ducatu privavit*, *atque* Rachim *ejus Filium Ducem declaravit*: *id indigne ferens* Pemmo, *ad* Sclavos, *eo tempore ſo-*
147 *cios*, *cum multis claris Viris*, *qui cum eo conſpiraverant*, *tranſire conſtituit*, *quaſi vi ereptam dignitatem aſſerturus*: *Verum* Rachi *apud Regem intercedente* Pemmo Luitprando *reconciliatur*, *acceptaque à Rege fide*, *uti neque Patri*, *neque Nobilium cuiquam*, *qui cum eo conſpiraſſent*, *fraudi eſſet*, *& qui in* Calliſtum *manum conjeciſſent*, *deque tranſitione ad* Sclavos *cogitaſſent*: *Egit* Rachis *cum Patre*, *ut ad Regem cum ſuis veniret*, *quaſi illi coram ſatis facturus*; *Ubi vero* Ticinum *ventum eſt*, *cum* Pemmo, *& alii in* Luitprandi *Regiam veniſſent*, *continuo apparuit*, *qualis eſſet Regis in* Pemmonem *animus*, *nam* Rachi *ſibi proximo loco aſſidere juſſo*, Pemmonem *cum duobus Filiis*, *quos ſecum duxerat*, *& reliqua Nobilitate humiliore loco collocavit*: *nec multo poſt facto ſilentio nominatim jubet*, Pemmonem, *& omnes ejus complices comprehendi*. *Ferunt* Aiſtulphum, *alterum ex duobus filiis*, *quos Patrem ſequutos diximus*, *furore percitum*, *gladium exemiſſe*, *ut Regem obtruncaret*, *quod facinus Juvenis ferociſſimus patraſſet*, *niſi à* Rachi *fratre fuiſſet detentus*: *Hinc omnis* F. Juliani *Nobilitas cum* Pemmone *capta in vincula conjicitur*; *Unus omnium* Herxemar, *fertur per Armatorum Cuneum ferro ſibi viam feciſſe*, *atque in* D. Michaelis *Sedem*, *velut in tutiſſimum Aſylum confugiſſe*, *quo facinore impunitatem à Rege impetravit*.

Apud quoſdam legere eſt, *Pemmonem* Ducali Dignitate mulctatum, nec ultra in eo ſævitum, reliquos vero longiſſimo Carcere cruciatos. Hujuſce *Pemmonis* lapideum monumentum ſe vidiſſe teſtatur Doctiſſimus *Locatellus*. *Di* Pemmone, *& parimente di* Rachi *ſuo Figliolo*, *& Duca Succeſſore*, *ſi vede memoria in un' Arco di* Pietra *vagamente lavorato alla* Longobarda, *il qual Arco ſi ritrova in terra nel Domo di* Cividale *dirimpetto alla Porta del Cemiterio*, *che è preſſo la Sacriſtia*, *quivi tutto che ſii guaſto*, *e gli manchi il principio*, *& il fine in Caratteri* Longobardi, *queſte parole ſi leggono.*

. . . . . TERRE FLOROLENTOS PEMMONEM RAT IHI SVM AT PROCERES HIGON . . . .

Sed jam juſſu Regis *Calliſtus* ſolutus à Vinculis 148
lætus in *F. Julienſem* Urbem ingreditur; Sedem inibi ſuam nullo penitus ſuæ gloriæ, vel nominis æmulo ſecurè fixurus, Palatium in primis ſumptuoſe conſtruxit. Chori laquear fabricavit, pictiſque variis coloribus Trabibus adornavit: quod poſtea flammis abſumptum *Peregrinus* III. Patriarcha *Aquilejenſis* inſtaurat; denique totum anno Salutis M. CCCC. LIV. corruit, maxima profecto Antiquitatis jactura: Baptiſterium marmoreum VIII. ſuffultum columnis ſub *Calliſto* conſtructum in ipſo Baſilicæ ingreſſu dextrorſum conſpicitur litteris *Longobardis*, quod indicitur, ut potuimus, apponemus.

In primo Angulo.

Quos regat Trinitas Vera ✠ ex aqua, & Spiritu Ren-

In ſecundo.

Atus fuerit, niſi teſtante Vitam Dō, quis non videb-

In tertio.

It. æternam miſtycum Baptiſmate Sacr-

In quarto.

ABit, veniens Xpūs Hoc in Iordanem.

In quinto.

Mittens piorum patuit Regnum Tegur-

In ſexto.

IVM, cernite Vibrantem Armorum SCE-

In ſeptimo.

MA qui Calliſti Beati ornabit.

In Octavo.

Reædificavit.

Inſculpta hæc adduntur. 149

Et denuò è Sacrario dejecto hùc tranſlatum Anno Domini MDCXLV. Pont. Max. Innocentii X. Anno II. Patriarcha Aquilejenſi Marco Gradonico. *Anno XIII. Decano Foro Julienſi Franciſco* Brandis.

Verum & Armis ſe ſe implicuit aliquando *Calliſtus*, nam ad *Aquilejenſem* Ditionem amplian-
dam,

dam, dilectis à *F. Juliana* Gente copiis *Gradensis* Ecclesiæ possessiones suis adjecit. Tentata tamen hæc à *Callisto* suasu *Luitprandi*, vèl ad ipsius gratiam arbitror, illa præcipuè tempestate, qua Rex Exarchatum *Ravennæ Græcis* Imperatoribus, & *Romanis* Pontificibus ademturus, ex cupiditate Imperandi motus, Urbem *Romam* sub *Gregorio*, captis circumquaque oppidis obsidebat, ast ut in arripiendis Armis Amorem ergà principem tàm beneficum ostendit *Callistus*, ità in deponendis obsequium summo in Terris *Christi* Vicario debitum egregiè præstitit: *In questi tempi* (inquit *Paulus Maurocenus* Hist. Venetæ *Lib. II.*) Callisto, *Patriarca* d'Aquileia, *seguendo l'essempio delli altri Patriarchi*, *occupò due isole nelle lagune*, *una detta* Centinara, *l'altra* Massone. Venetiani *doppò haver domandato la restitutione*, *& veduta l'instanza riuscir senza frutto*, *si preparano alla Guerra per ricuperarle*, Gregorio *Sommo Pontefice inteso questo successo*, *grandemente riprendendo* Callisto *di tale attione con risolute lettere commandò*, *che lasciasse l'occupato*; *onde il Patriarca ne fece la restitutione*: *Una di queste Isole ne'tempi*, *che seguirno*, *restò affatto distrutta*, *l'altra non hà altro*, *che una Torre*, *qual si chiamò pure di questo nome* Massone.

Atque hinc etiam præclarissima suæ Religionis, & fortitudinis, pro S. R. E. libertate tuenda, ac propaganda, monumenta colligis immortalis *Venetorum* Respubl. *Marcellus* gloriam Patriæ proferat: *Ravenna*, *Urbe Longobardorum*, *Armis op-*
150 *pressa*, *Exarchus*, *& Urbis Præsul ad Venetorum auxilium confugere*: Gregorio *etiam Pont. adhortante ad Arma pro Exarcho adversus insolentissimos Barbaros capienda*: Veneti *Pontifici obtemperantes validam Classem* Ravennam *transmittentes continuo Urbem receperunt*: *eamque Exarcho restituerunt. Circà* Gradum *etiam Res* Venetæ *non omnino quievere*, Callisto Aquilejensium *Antistite* Gradensium *fines infestante*, *sed paulò post ipsius* Callisti *jussu ab omni infestatione cessatum est*: *Fastis hæc omnia* Venetæ *pietatis atque potentiæ adscripsit Olympus*.

Interea *Callistus* post XL. sui Patriarchatus annum, cum ætatis etiam satis vixisset; vitam cum morte commutat. Dedit Sepulcrum hæc Civitas in Basilica, quam ipse in optimam formam redegerat, dùm spatium vitæ perageret, leguntur ad hunc usque diem in marmoris cujusdam frusto litteræ circumcisæ.

. . . . *CALLISTVS EGREGIVS. AQ.*

Callistum in nostram Civitatem Patriarchale *Aquilejensis* Ecclesiæ Solium detulisse, nemo est, qui vertat in dubium; Hoc ego tantum non approbo, dum primum hic resedisse decernunt; cum clarissimè superius à nobis sit demonstratum, longè ante *Callisti* tempora vixisse in *F. Julii* Patriarchas. *Volffgangus* Comment. XII. *Callistus*, *qui contempto loco* (de *Cormone* loquitur) *& Julio Episcopo* Amatore *expulso*, *locum commorandi Civitatem* Austriæ *traduxit*: sequitur eamdem sententiam *Munsterus* in *Aquilejensium* Patriarcharum Catalogo XXXIV. „ *Callistus* (hujus sedes Civitas „ *Austriæ* erat) XL„.interim prudens lector ducat ab asserto nostro Veritatis & fidei argumenta, constructam hic à *Callisto* extare Basilicam, cujus subinde veteri disjecto opere, Anno MCCCCLVII sumptuosius aliud à fundamentis cœptum est erigi. Sub *Callisto* III. Summo Pont. non sinè aliqua argutæ Historiæ occasione dicendi concessa, quæ *Callisti* olim opera renovata *Callistum* adorant. Sed & in hoc opere sumptuoso multum pietas *Philippi* de *Portis* enituit. Erat tunc Collegii Decanus *Silvester Quirinus*, Patritius *Venetus*, I. V.
151 Doctor, Summis Pontificibus admodum carus, & gratus, cujus Nepotem *Vincentium* Equitem, mox in *Camaldulensium* Sacra Heremo sanctissimè victitantem *Petri* sub Nomine *Leo* X. Cardinalem designat. Habet nunc ea Familia Oratorem in Hispania *Jacobum*, in Procuratoria purpura *Paulum*, in X. Virali Magistratu *Petrum*, in V. Virali *Franciscum*, in VI. Virali *Nicolaum*, in Insulis, *Joannem Cretæ* Regni Archiepiscopum, quem nominasse solum est abunde laudasse. Vidimus Sepulcrum *Callisti*, Dona, Palatium; et quidem Patriarchale apud Nos erectum olim fuisse Palatium denotant infinita Chirographa probatissima, indicant Serenissimorum Principum *Venetiarum* Diplomata; exhibuere Nobis Patritii Nobilissimi *de Portis Beltrandi* Patriarchæ Diploma, confectum pro *Philippo de Portis* Equite, præsentibus Venerabilibus Viris DD. Fratre *Gilberto* Abbate *Mozzensi*, *Guidone de Manzano* Decano, *Menardo de Porsiliis*, *Jacobo de Carrara*, Canonicis Ecclesiæ Civitatensis, & D. *Artico de Prampero*, & *Corrado de Civitate* Militibus, *Henrico* q. D. *Petri Fondani*, aliisque testibus. Apparet sub initio Instrumenti.

„In *Christi* Nomine Amen. Anno MCCCXXXVI „ Indictione VIII. Die XXX. Octobris in Civitate „ Austriæ in Palatio Patriarchatus. „Vivebat tunc Patriarcha Sanctitate Morum Venerab. *Beltrandus*, quem in *Gallia* natum *Joannes* XXII. Pont. Max. Auditorem Sacræ Rotæ creatum in Patriarcham elegerat. Hujus res gestas, & obitum sanè gloriosum *Maniacus de Valvasono* eleganter, eruditèque conscripsit. Cæterum optimè de Patriæ suæ ornamentis emeritus *Maniacus* Blaterones enervet; Illa vero Domus Episcopi ab subsequentibus Patriarchis erecta fuit in Palatium, quæ permansit usque ad ætatem Patrum nostrorum, & propter ingentem terræmotum corruit. De vetustate Palatii extant litteræ Serinissimi Ducis *Venetiarum*, de Anno MCCCCXXXVIII. Tenor lit- 152
terarum talis est.

FRANCISCUS FOSCARI,
Dux Venet. &c.

„ NObili, & Sapienti Viro *Victori Bragadeno* „ Locumtenenti Patriæ *Fori Julii*. In „ MCCCCVI. Mensis Octobris, scripsimus præ- „ decessoribus Vestris, & eorum Successoribus, „ cum nostris Consiliis Rogatorum, ut dare facerent de tempore in tempore pro contributio- „ ne, & subsidio reparationis fiendæ in Palatio „ Patriarchali, existente in Civitate *Austriæ*, libras M. „ De *Callisto* autem *Candidus in fine Tertii libri* dicit, quod Basilicam pulcherrimam condidit in *Civitate* Austriæ, pariterque Ecclesiam extruxit S. *Joannis* Baptistæ, & Baptisterium de marmore nobilissimo; quod posteà resarcitum fuit à *Sigualdo* ejusdem Successore, & Nomina amborum Patriarcharum *Longobardicis* characteribus circumscripta usque ad præsens perleguntur: & licet Episcopi *F. Julienses* à *Callisto* de medio sublati fuerint; Dignitas tamen quasi Episcopalis remansit Capitulo cum sua Diœcesi distincta, & separata; remansit pariter officium particulare, neque secundum *Romanam*, neque secundum Patriarchalem Ecclesiam; remansit pariter inveterata consuetudo immittendi Patriarchas in possessionem Patriarchatus, quam consuetudinem habuit post eversionem *Aquilejæ*. Et ecce *Maniacus* nobis assentitur: quid enim consuetudo illa post eversionem *Aquilejæ* denotabat, quam quod Patriarchæ in *F. Julii* habitaverint, quod certè antè *Callisti* Patriarchatum contigit. Sed pergit ille. De Anno MCCCLVI. „ Datur „ *Marquardo* Patriarchæ à V. Decano *Civitatensi* „ gladius evaginatus in signum Temporalis pos- „ sessionis, quem ipse in Vaginam albam repo- „ nit„: apparet etiam in *Candido Lib.* V. quod *Gregorius* Patriarcha cœpit possessionem Patriar-

chatus in *Civitate Austriæ*, ubi dicitur, quod multa signa militaria ex Victoriis reportata, in æde Sacra
153 in Trophæi speciem appendit: & hodie in præclarum tantæ Rei, & Consuetudinis monumentum, ad significandam illam Patriarcharum possessionem in Festo Epiphaniæ, in Solemni Missa Diaconus procedit ad Altare, & ad Caput Euangelii, cum ense evaginato, & cum galea cristata, ità ut Capitulo nostro cum *Paulo* dicere liceat, *non enim sine causa gladium portat.*

Legant hæc, & perlegant ingeniosi non minus, quam curiosi, & velut in speculo, suæ ubi deformitatem contradictionis agnoverint, abluant semetipsos antiquis, & vesanis erroribus: captos se fateri non erubescant; fidem habeant Rebus, quas Eminentissimi S. R. E. Cardinales *Venetæ* Nobilitatis Alumni simul, ac Proceres, quas Doctissimi Præsules domi, forisque egregiis monumentis Illustrissimi, avidis auribus, avidioribus Animis amplexantur, ut rationi congruas, ut consonas veritati. Detur loquendi locus Sapientissimo *Locatello: Mà oltre alle cose raccontate in conformità del scacciamento del Vescovo di* Cividale *per la successione de' Patriarchi, trovasi riposto nell' Archivio della Communità un grande, & autentico Testimonio di* Marino *Cardinale* Grimani *già Patriarcha d'*Aquilegia, *perche egli nel MDXXIV. à XVIII. Decembre, essendo all'hora primieramente venuto alla Vista della sua Diocese, giunto alla porta del Duomo, si fermò, & trattasi d'intorno la Cappa sua Pontificale di porpora, vi fece un libero dono di essa alli Proveditori della Città, ch'all'hora furno* Giovanni Manzano *Dottor di leggi molto celebre, &* Giovanni de Brandis, *accompagnando lo spogliò con queste parole; Che si come era rimasa la Città priva del suo Vescoco per ornamento del Patriarchato, così all'hora in memoria d'una tanta opera si spogliava della sua principal Veste in gratia della Città.* Commenta hæc, num aliqui putant? authenticas hic non *Marini* tantummòdo Cardinalis, quam & Successorum Antistitum, litteras perspiciant.

154 MARINUS GRIMANUS,

Miseratione Divina S. Sedis *Aquilejensis* Patriarcha.

Magnificis DD. Provisoribus, Consilio, & Communitati Civitatis Austriæ, *Salutem in Domino, & Paternæ Charitatis affectum.*

„ MUltis undecumque rationibus, & rerum „ argumentis excitantur Animi mortalium „ ad Virtutem amplectandam, sed in primis tamen videntur in causa esse præclare gesta, & „ monumenta majorum ex Virtutibus comparata, quæ quasi à naturæ instituto, vel ad actiones cum laude peragendas alliciunt, vel merito debent impellere: Nam sicut cæteros „ egregios Viros prædecessores imitari laudi „ datur, ita & abjectæ fortunæ, ab ipsis degenerare, & esse dissimile: Verum quanta semper „ fuerit *Civitatis Austriæ* Nobilitas, atque Rerum gestarum magnitudino, non solum testatur præteriti temporis memoria; sed etiam præsentis; quippe quæ Vestra ipsa Civitas post *Aquilejam* aliarum omnium Patriæ Urbium Antiquissima, Belloque, & pace potentissima, frequenti Nobilium multitudine eximia, nec minus magnarum rerum studio, quam Ditionis: „ quæ cum sæpissime in totius Patriæ defensionem, non sine maxima laude se se exposuerit, „ Patriarchalem tamen sedem *Aquilejensem* in utraque fortuna communem semper habuit, majoresque vestri fortissimi, atque optimi nihil „ unquam durum, aut difficile judicarunt, quod „ vel ad gloriæ Civitatis *Aquilejæ* incrementum,

A „ vel ad ipsius Sanctæ Sedis commodum pertinere putassent; idque vel ex eo uno conjectari „ licet (quamquam id longe majus est) quod in „ perpetuæ observantiæ memoriam Civitas vestra „ tunc libera se se *Aquilejæ* Metropoli in filiam, „ & subditam præbuit, sedem à se propriam Episcopalem transferens; quorum parentum vestrorum pulcherrima facta Vobis ob oculos perpetuo versari censemus; Nam Vos ex consulto „ illorum vestigiis inhærentes, tum in rebus magnificis gerendis, tum Nobilitatis præstantia, „ ex prisca morum illorum Sanctimonia aggeranda „ itidem certatis cum ipsorum etiam Veterum I- 155
B maginibus, atque ita denique certatis, ut eisdem vos propria virtute plus lucis, & splendoris jam attulistis, quam acceperitis, & quamvis multa alioquin serio commemoranda per Vos „ gesta sunt, hac nostra tempestate, ex quibus „ procul dubio alias videremini summam manum „ imposuisse Vetustatis vestræ monimentis: Nihilominus illud unum satis scimus, in quo Vobis potissimum superest gloriandum, ut licet „ proximorum temporum iniquitas, propter ingruentes Bellorum calamitates in causa ([1]) fecit, „ quod minus licuerit S. Matris Ecclesiæ pariter, „ & Sedi nostræ Patriarchali tantum præstare;
C „ quantum volebatis: attamen eodem studio, ac „ reverentia, quam erga Divinum cultum, & fidem Evangelicam semper observavit Respublica vestra, continuo estis prosequuti, tum dictam Sanctam Sedem, tum Patriarchas ante „ hac immediate prædecessores nostros, tum demum personam nostram, sicuti nec adhuc desistitis pro honore, & commodo nostro favorem vestrum, & filialem observantiam, quantum in Vobis est, impartire; quæ omnia re „ quidem magnifica, ac longe Vobis, tantis Autoribus, magnificentissima; Nos erga Rempublicam Vestram, ceu signo erecto evocant, ex-
D timulant, & commovent ad mutuam gratiam, „ munificentiamque, & liberalitatem, & propterea eisdem nos vestris meritis invitati ad hanc „ vestram Civitatem libenter accessimus hodie, „ paternæ siquidem, & Spiritualis Visitationis „ charitatem, & benevolentiam in Vos nostram „ cum Deo ([2]) præstari. Verum enim vero cum ingressu nostro, maxima (ut tunc vidimus) omnium vestrum expectatione, applausuque accepto summopere cuperemus, saltem aliqua in „ parte satisfacere beneficiis vestris, ac simul animo in Nos vestro promptissimo, quæ tamen „ non nisi æterna persolvi præstatione possunt. 156
E „ Dum in eadem vestra Civitate, liminibus Collegiatæ Ecclesiæ *B. Mariæ* præsentes insisteremus, Cappam Nostram Pontificalem purpuream, ex humeris tunc nostris exutam, in signum, „ & fidem perpetui, communisque, & universalis „ Privilegii Vestræ hujus Civitatis, sponte, libereque vobis dedimus, & tradendo concessimus, „ ibidem etiam tunc Magnificis D. D. Viris *Joanni Manzano* I. C. & *Joanni Brandis*, tamquam Civitatis Provisoribus, & vestrum omnium Vice, & Nomine recipientibus, gratiasque pro „ hoc nostro munere agentibus maximas: Nobisque visum est operæ pretium, non habere
F „ rationem Muneris, vel præmii præsentanei, „ sed posteritatis magis, & memoriæ in sæcula „ multa futuræ; conveniebat namque, ut sicut „ Respublica pro Patriarchatus Nostri ornamento se se olim spoliavit proprio Episcopatu, „ sic nos quoque ad tantæ Rei recordationem „ mutua adjecta compensatione expoliaremur „ principaliori nostro Indumento ob vestram gratiam; Sperantes ut eadem fides, studium, & „ Ve-

1. *Fecit*) *f. fuerit.*
2. *Præstari*) *f. præstaturi.*

„ Vestra observantia semper in melius augeant
„ Successorum Nostrorum Animos ad ampliora
„ per ætatem venientem Vobis concedenda; in
„ quorum fidem has fieri per Secretarium nostrum
„ subscribi, sigilloque nostro majori jussimus com-
„ muniri, nec non ad majorem fidem propria
„ manu nostra subscripsimus.

„ Datum, & Actum in *Civitate Austriæ*, propè
„ portam Majorem Colleg. Ecclesiæ *B. Mariæ*
„ dictæ, nostræ *Aquil.* Diœcesis. Præsentibus in
„ *Christo* Patribus D. *Daniele de Rubeis* Episcopo
„ *Caprulano* Suffraganeo nostro, & *Jacobo Nor-*
„ *dio* Episcopo *Urbitanensi*, & *Joanne Angelo de*
„ *S. Severino* Protonotario Apostolico Vic. nostro
„ Generali, & *Hieronymo Nordio* Decano dictæ
„ Collegiatæ Ecclesiæ; nec non Nobb. Viris
„ DD. *Joanne de Manzano* I. C. *Joanne Brandis*
„ dictæ vestræ Civitatis Provisoribus, *Albertino*
„ *Formentino de Cusano* I. C. atque *Federico Bojano*,
„ omnibus ejusdem *Civitatis Austriæ* Patritiis, ac
„ pluribus aliis Primoribus dicti loci testibus ad-
157 „ hibitis. Anno Nativitatis MDXXIV. Indictione
„ XII. Die vero XVIII. Mensis Decembris. Pon-
„ tif. S. D. N. *Clementis* Divina providentia Papæ
„ VII. Anno primo, Patriarchatus verò nostri su-
„ scepti Regiminis Anno secundo.

IN CHRISTI NOMINE AMEN.

„ ANno Domini M. DCIV. Indictione VII.
„ Die XXV. Aprilis in *Civitate Fori Julii.*
„ In limine Collegiatæ Ecclesiæ B. *Mariæ* exeun-
„ te Illustrissimo, & Reverendissimo D. Patriar-
„ cha post peractam ejusdem Ecclesiæ primam
„ Visitationem; ubi Illustrissimus, ac Reveren-
„ dissimus in Christo Pater, & DD. *Franciscus*
„ *Barbarus*, Dei, & Apostolicæ Sedis Gratia Pa-
„ triarcha *Aquilejensis*, in primo, post delatum si-
„ bi pallium de corpore B. *Petri* sumptum, quo
„ Patriarchalis Potestatis plenitudo continetur, &
„ & confertur ingressu in Civitatem *Foro Julii*, to-
„ tius Civitatis plausu, & incredibili penè o-
„ mnium ordinum lætitia exceptus: cum Ma-
„ gnificorum DD. Civitatis Provisorum, *Michae-*
„ *lis Nicoletti* I. C., & *Scipionis Manzani*, mode-
„ stam observantiæ, & reverentiæ planam peti-
„ tionem, & instantiam intellexisset, qua vigo-
„ re Privilegiorum Civitatis humillimè peteba-
„ rur, ut ipsius Jura, & prærogativæ in Ponti-
„ ficalis Cappæ, primo Patriarchali ingressu,
„ concessione salva, & integra esse vellet; Civi-
„ tatis eam esse observantiam, studium, & reve-
„ rentiam in ejus Dominationis Illustrissimæ, ut
„ manutentionem veterum privilegiorum, quæ
„ concessione præfata, & executionis vigore con-
„ tinentur, & conservantur loco eximii Privile-
„ gii, perpetuo suæ Dominationis Illustrissimæ Be-
„ nevolentiæ argumento, Paternique animi cer-
„ tissimo testimonio sit habitura, & omni melio-
„ ri modo. Hac Magnificorum DD. Proviso-
„ rum intellecta Instantia, volens memoratus Illu-
„ strissimus, & Reverendissimus DD. Patriarcha
„ Privilegia Civitatis, & Civium, quorum sibi
158 „ fuerat tenor exhibitus, rata, grataque habere,
„ ac eis in nullo derogare, sublatam à propriis
„ Patriarchalibus humeris Cappam violaceam,
„ Pontificalis dignitatis Insigne, Petitioni an-
„ nuens honestæ, concedendam, donandamque
„ MM. DD. Provisoribus Civitatis Nomine re-
„ cipientibus duxit, prout traditione voluntaria,
„ liberalique Donatione, volens, libens attribuit,
„ concessit, & donavit. præsentibus Magnificis,
„ & RR. DD. *Raphaele de Reccamatoribus* Cano-
„ nico, & Vice Decano Civitatis *Leonardo Ma-*
„ *niaco* Canonico, aliisque per multis ibidem a-
„ stantibus Testibus.

A ANTONIUS GRIMANUS,

Miseratione Divina Patriarcha *Aquilejensis.*

„ COnsuevere prædecessores nostri præcipuis
„ quidem honoribus, propensionisque signis
„ illas Civitates decorare, quæ & Civium Virtu-
„ tibus, & meritorum monumentis in S. Sedem
„ *Aquilejensem* magis, ac magis refulgent: Quod
„ quidem optimum factum perpendentes, & nos
„ ipsorum vestigia quantum possumus insectantes,
„ erga PRÆCLARISSIMAM, ANTIQUIS-
B „ SIMAMQVE HANC CIVITATEM F.
„ JVLII, quorum Civium amplitudines inter
„ præclara gesta eò magis elucescunt, ex quo
„ semper à priscis temporibus usque in hodier-
„ num pro incremento, & ornamento Sedis No-
„ stræ Patriarchalis summopere in utraque fortu-
„ na insudant. Hæc omnia pluries Majores No-
„ stri firmarunt, amplioribus quidem elogiis, &
„ in perpetuam observantiam pro liberali, gene-
„ rosoque illo, proprii EPISCOPATVS SPO-
„ LIO, in amplitudinem Patriarchalis Dignitatis,
„ præclara monumenta tradiderunt. Quamob-
„ rem & Nos, cum hodierna die, in primo ingres-
C „ su Visitationis, Officiique nostri Pastoralis, ad
„ limina Augustissimi quidem Templi Insignis
„ Collegiatæ hujus Urbis accesserint, comitan-
„ te magno Nobilium Cœtu, Per-Illustres Viri
„ DD. *Joannes Ludovicus de Maniaco* Provisor, &
„ *Joannes de Brandis* V. Provisor, ægrotante 159
„ Per-Illustri D. *Vincentio de Portis* altero Provi-
„ sore, prælibatæque Civitatis merita, ac Privi-
„ legiorum documenta, non minus facilè, quam
„ reverenter publica Vice, & nomine exposue-
„ rint, summaque modestia efflagitaverint, at-
„ que evocaverint signo erecto ad consimilem
„ nostrorum Prædecessorum mutuam gratiam, a-
D „ nimique munificentiam, ac liberalitatem; Hinc
„ est, quod ad tantæ Rei recordationem posteri-
„ tate nunquam delendam, non minus promptè,
„ quam benigne Cappa violacea, tanquam prin-
„ cipaliori Nostro Patriarchali indumento ex
„ humeris nostris expoliati, in signum, ac fidem
„ perpetui, communisque, & universalis Privi-
„ legii vestræ hujus Civitatis, sponte, libereque
„ Vobis dedimus, donavimus, & tradendo con-
„ cessimus; qui quidem Per-Illustres DD. Provi-
„ sores totam Civitatem repræsentantes, gratias-
„ que maximo pro Nostro Munere agentes, hu-
„ militer receperunt. In quorum fidem jussimus
E „ præsentes fieri, per Secretarium Nostrum sub-
„ scribi, sigillique nostri appensione muniri, nec
„ non ad majorem fidem manu Nostra subscri-
„ psimus.

„ Datum, & Actum in Civitate *F. Julii*, pro-
„ pe Portam Majorem Insignis Collegiatæ *B.*
„ *Mariæ* Nostræ *Aquil.* Diœc. præsentibus Per-
„ Illustribus, & Admodum RR. DD. *Francisco*
„ *de Brandis* Decano, *Marco Antonio Nordio* Ca-
„ nonico dictæ Insignis Collegiatæ Ecclesiæ,
„ *Hyppolito Valvasono de Maniaco* Equite *Hiero-*
„ *solymitano*, *Baldo Nordio* Equite quoque *Hie-*
„ *rosolymitano*, *Paulo Bajano*, *Raynaldo Portis*,
„ *Philippo Portis*, *Joanne Baptista Puppo*, *Hecto-*
F „ *re Canussio*, *Bartholomæo Nordio*, *Joanne de*
„ *Manzano*, *Jo. Petro Osmiano* Quæstore, D.
„ *Beltrando Micheluto* altero Syndico Egregio.
„ Pop. ac compluribus aliis dictæ Civitatis Pa-
„ triciis, aliisque testibus adhibitis. Anno Na-
„ tivitatis Domini MDCXXX. Indictione
„ VIII. Die vero Dominica XXII. Mensis Maji.
„ Pontificatus S. D. N. *Urbani* Divina Provi-
„ dentia Pap. VIII. Anno II. Pttriarchatus vero
„ nostri suscepti Regiminis Anno III.

B. Z. Cydonius.

160 AUGUSTINUS GRADONICO,

Dei Gratia Patriarcha *Aquilejensis*.

Per-Illustribus DD. Provisoribus, Consilio, & Communitati Civitatis F. Julii. *Salutem in Domino, & Paternæ Charitatis affectum.*

„ CIvitatem F. JULII. aliarum omnium Patriæ Urbium Antiquissimam Nobilitate, Insignem propria Civium Virtute, fide, constantia, innumerisque, ac præclaris Rerum gestarum monumentis illustratam; prædilectam Civitatem nostram merito nuncupamus, cæteris omnibus præcipuo charitatis vinculo præferendam; illa enim, & progenitores nostros, & Nos ipsos prima ineunte ætate peramanter excepit, in sinu gessit, tot honoribus est prosequuta, amorisque suavitate, & gratia Nos adeo ad sui amorem impulit, ut Nobilissimorum Civium moribus, benevolentia, & studio delectati in amplissimo eorum cœtu cooptati videremur; Scimus memoriæ proditum esse, Vobis maxime gloriandum, & sæpe Nobis animo perpendendum, fortissimos Viros Majores vestros pro Patriarchalis Sedis *Aquilejensis* amplitudine, ac dignitate tuenda pacis, & belli tempore, ea in utraque fortuna Viribus, & Animo præstitisse, quæ nulla unquam ætas conticescet, nulla delebit oblivio: Summæ tamen devotionis argumentum extitisse summam vestram laudem, & gloriam esse fatemur, Vestram Rempub. se proprio Episcopatu spoliasse, ut Patriarchalis Dignitas ipsius Episcopatus Amictu speciosior appareret. Hujus facti memores, inextinctæque erga Prædecessores nostros observantiæ non obliti; Nos hodierna die primam apud Vos Pastoralis nostri Officii curam obeuntes, & ad Vestram Civitatem,
161 vestrique Augustissimi Templi limina accedentes, tanto Nobilium cœtu comitante, tanta omnium lætitia, & exultatione excepistis, ut, Vobis mutuam gratiam non referre, ut, consuetæ Prædecessorum nostrorum munificentiæ, ac liberalitatis pignus nullum dare, alienum ab omni humanitate censeremus: Idcirco Per-Illustribus Viris DD. *Nicelao à Turre*, & *Federico Roncono*, Vestræ Civitatis Provisoribus, publica vice, & nomine ipsius Civitatis, merita privilegiorum documenta, & Vestram erga Nos filialem obedientiam, non minus facunde, quam reverenter in ipso Insignis Collegiatæ Ecclesiæ Beatæ *Mariæ* limine exponentibus, Nosque signo erecto ad consimilem Prædecessorum Nostrorum gratiam, & liberalitatem excitantibus, Cappam nostram Violaceam, tanquam Pontificale, & Præcipuum Indumentum ex humeris nostris tunc exutam, in signum, fidem, & testimonium perpetui, Communis, & universalis Privilegii hujus Vestræ Civitatis, sponte, & libere ipsis DD. Provisoribus, cum gratiarum actione recipientibus, dedimus, donavimus, & tradendo concessimus; una Paternæ charitatis Veste contenti, quæ pro vestra salute, vestraque gloria perpetuum nostri cordis erit indumentum; Confidentes in Domino, ut filialem Vestram erga Nos obedientiam in dies magis, magisque augeatis, ut diuturna eximiæ charitatis Vestræ probatione Nos, & Successorum nostrorum animos ad ampliora concedenda compellatis. In quorum fidem, ac perpetuam rei memoriam has fieri per Secretarium nostrum subscribi, sigillique Nostri appensione jussimus communiri, nostraque manu subscribendas. Datum, & Actum in Civitate *Fori Julii*, præsentibus illustrissimo ac Reverendissimo D. *Antonio Grimano* Abbate *Rosacensi*, Per-Illustribus, ac RR. DD. *Julio Canussio* Archidiacono & Canonico *Aquilejensi*, *Marino Nordio*, & *Guido Cæsarino* pariter Canonicis *Aquilejensibus*; Item Per-Illustribus DD. *Thoma de Colloreto* Præfecto Cubiculi nostri, *Ludovico de Varmo*, *Mario Tursio Utinensi* Pincerna nostro, *Philippo de Portis*, *Joanne Ludovico de Maniaco*, *Joanne de Manzano* ejus- 162
dem Civitatis Patritiis, & pluribus aliis Primoribus dicti loci, nec non DD. *Nicolao Vanino* Cancellario dictæ Civitatis, & *Hieronymo Boscutto* primo Cancellario Testibus adhibitis, Anno Nativitatis Domini M. DCXXVIII. Indictione XI. Mensis Junii, Pontificatus S. D. N. *Urbani* PP. VIII. Anno V. Patriarchatus nostri Anno primo.

MARCUS GRADONICO,

Dei Gratia Patriarcha *Aquilejæ*.

Per-Illustribus DD. Provisoribus Civitatis Fori Julii, *Salutem in Domino, & Paternæ charitatis affectum.*

„ EXcitant nos prædecessorum nostrorum exempla, præcipue vero *Augustini Gradonici*, Patriarchæ recolendæ memoriæ, qui Antiquissimam, Insignemque vestram Civitatem, tanquam sibi communem Patriam, singulari dilectionis affectu prosecutus est; ut eodem charitatis impulsu, eademque Animi propensione ea omnia præstare studeamus, quæ ad vestram salutem, dignitatem, & commodum quoquomodo pertinere, ac spectare dignosceremus. Scimus enim Majores vestros clarissima hujus Urbis lumina, proprio se Episcopatu sponte abdicasse; pro Patriarchalis Sedis Amplitudine, ad quam tuendam, & fortunas, & Vitam ipsam anteactis temporibus paratissime exposuisse; speramusque Vos quoque Majorum Vestrorum vestigiis laudabiliter inhærentes, filiali Amori, & obedientiæ erga Nos expectationi vestræ præclare responsuros. Hoc nobis indicant Animi alacritas, Comitatus, & officia, quibus Nos hodierna die primam apud Pastoralis nostri officii curam exercentes in ipsius Vestræ Civitatis ingressu, & amplissimi Templi limine excepistis, quæ nobis adeo grata, jucundaque extitere, ut Vobis mutuam gratiam referre dignum, & congruum arbitremur, idcirco Per-Illustribus Viris DD. *Philippo Portis*, & *Jo.* 163
Ludovico de Maniaco, Vestræ Civitatis Provisoribus, publica Vice, & Nomine ipsius Civitatis, merita Privilegiorum documenta, & communem Vestram erga Nos filialem obedientiam, in ipso Insignis Collegiatæ Ecclesiæ *B. Mariæ* limine, exponentibus, Nos signo erecto ad consimilem Prædecessorum Nostrorum Gratiam, & Liberalitatem excitantibus, Cappam Nostram purpuream, tanquam Pontificale Indumentum, ex humeris nostris tunc exutam, in signum, fidem, & testimonium perpetuum Communis, & Universalis hujus Vestræ Civitatis Privilegii, sponte, & libere ipsis DD. Provisoribus cum gratiarum actione recipientibus, dedimus, donavimus, & tradendo concessimus; in Domino confidentes, ut dum Nos pro vestra salute, vestraque gloria majora in dies peragere cogitamus, Vos pariter erga Nos reverentiam inviolabilem, perpetuamque conservetis. In quorum fidem, & perpetuam rei memoriam has fieri, per Secretarium nostrum subscribi, sigillique nostri appensione

„ com-

„ communiri jussimus, nostra quoque manu subscribendas.
„ Datum , & Actum in Civitate *Fori Julii* præsentibus Per-Illustribus, & Admodum RR. DD. *Francisco de Brandis* Decano Collegiatæ Canonico, Illustrissimo Domino *Thadæo Diedo* Illustrissimi Domini Provisoris Filio, D. *Nicolao Gradonico*, nec non Per-Illustribus DD. Comite *Francisco Richierio à Portu Naonis*, *Hieronymo de Attimis*, *Joanne Manzano*, & *Puliotto Frumentino*, atque etiam *Laurentio Paparotto*, ejusdem Civitatis Cancellario, testibus ad supradicta vocatis & adhibitis, Anno MDCXXXIV. Die XV. Mensis Junii, Pontificatus S. D. N. *Urbani PP.* VIII. Anno XI. Patriarchatus nostri Anno primo.

An in cassum hæc ab Heroibus Ecclesiæ Præstantissimis dicta? ita ne decipere tantos

A Viros poteramus Nos, & Privilegiis incertis illorum acies oculorum obstringere, ne Veritatem agnoscerent; An qui tot Honores, ac Titulos sapientiæ, prudentiæque suffragiis compararunt, circumagi quivere à non bene fundatis 164
unius apud Nos Episcopatus auspiciis? præcipuas illi Civitates *Italiæ*, & Metropoles *Europæ* non tam mente, quam passibus peragrarunt: nota illis fuere omnia: inconsulte igitur creditis peregisse Principes primarios solidissimi Judicii professores? itane scriptis ad perpetuam Rei memoriam reliquissent, quæ ab aliis vel irriderentur, vel oppugnarentur ut falsa? sint aliorum ingeniis
B crimina; profecto *Venetis* Excellentissimis Patribus nulla culpa in judicando, vel discernendo nuncio Veritatis, nulla in proferendo, intelligendoque defectio.

165
BASILII ZANCAROLI CYDONII
ANTIQUITATES CIVITATIS
FORI JULII.

LIBER QUARTUS.

RACHIS XII. DUX IN CIVITATE FORI JULII XX. ITALIÆ REX.



Nicum datum à natura telum in extremis esse prudentiam, sole ipso meridiano illustrius edocuit RACHIS; nam præterquam quod hujusmodi dexteritate Patrem ab irato Rege servavit, aditum sibi etiam ad Ducatum patefecit, & Regnum: Vidimus, si non culpas, pœnas Genitorum in filiis; Tulimus Parentum iniquitates, & odia, etsi propria desint; nec odium habuit pro hæreditate Patris, nec crimina RACHIS, magistra una, Duce
166 que prudentia; colit namque ille submississimè *Luitprandum*, extollit ejusdem magnanimitatem, & invicta gesta; componit se ad Nutus quosque; quicquid imperat, exercet hilaris, nunquam queritur, quærit arcana nulla, aut abdita Aulicorum consilia, famulatum probat per omnia, non tamen vilem. Quadrant & summis Viris obsequia, dummodo in serpentibus istis ministeriis, & officiis Animus non sordescat, ac defœdetur. Fides in *Rachi* semper incorrupta, constans semper, & integra. Hisce ille gradibus Regis visus est jugulasse furorem, devinxitque ad gratiam mutuam Principem. *Foro Julienses* occupantur Ducatus Insignia; quam cito discedit ab Aula, vel sui desiderium facturus apud Regem, à quo majora extorquere posset, vel jam quod concupiverat, tenuisset; ità si dona non fugimus, fugimus Datorem, & à flammis calorem tantum exposcimus.

Itaque ut primum Ducatum administrare cœpit, Cives magna jam suæ Virtutis, & bellicæ gloriæ expectatione suspensos, ad Concionem die statuto vocavit: ibi orsus à primo *Longobardorum* in *Europæ* Regiones adventu, revocatisque in memoriam Antiquarum ætatum meritis, commemoratisque Triumphis, cogitasse exinde se, atque in animum induxisse noverint omnes, enun-

C ciat, ne otio, & languore torpentes ad inertiam delabantur. Excitate, ajebat RACHIS, grandes Animas ad æternam gloriam largo sudore parandam, qui sub signis merere *Pemmonis* Sobolis studet, curet Vigilias, & labores amplecti, luxum fugiat, delicias respuat, & quidquid imbellem reddit animum generose contemnat.

Quisquis enim duros Casus Virtutis Amore
Vicerit, ille sibi laudemque, decusque parabit.
At qui desidiam, luxumque sequetur inertem, 167
Turpis, inopsque simul miserabile transiget Ævum.

Romani Majestatem Imperii, quam diuturnæ Dictatorum fortissimorum vigiliæ ad Cæli usque
D terminos ampliarunt, imbellis otii tranquillitas profanavit, polluitque triumphos illos luxus, qui vel ipsos superos suos admiratores fecere. Arma hæc (ut ille sapientissime notat) corpori robur adferunt, & menti vigorem, in labore Virtus viget: an non Arborum robustiores partes sunt oppositæ Aquiloni, quam quæ placidum Austrum, aut Zephyrum spectant? ita fortiores, ac firmiores sumus iis in rebus, in quibus Nos aut adversa Fortuna, aut magnus labor exercuit; nec enim magnum quid esse potest, quod sine pulvere, & sudore contingit; ita namque Naturæ parenti placuit, ut præstantissima quæque non sine summis vigiliis consequamur; Res vero viles laborem
E non requirunt; ita finem habent inglorium. Si quis aliud meditetur, aut facturum se putet, iis nostris se copiis ne audeat admisceri, Universam *Italiam* petimus, petimus *Europam*. *Socrates* ille non tantum hominum judicio, quam Deorum oraculo sapientissimus mortalitatis existimatus, Radicem laboris amaram, fructus jucundissimos nuncupabat. Dum petamus, Commilitones generosissimi, dura, inquam, feramur per Saxa, per Rupes, & Ignes; subjugandi sunt *Barbari*, evertendæ Civitates, & oppida, æquandæ sunt solo Hostium Sedes, in Foro *Julia*-
F *norum* Inclyta vexilla figenda.

Florebat ab ineunte ætate Artibus iis, quæ ab Humanitate Nomen acceperunt, RACHIS; addiderat corporis indefessi Vires: Itaque oratio omnibus, qui aderant, in præsentia perjucundè au-

audita est, præclarum aliquod fortitudinis argu-
168 mentum patrare quisque contendit. Ad *Sclavos* perlata sunt signa, ut eventus postea demonstravit, ad acquirendas opes, Imperiumque firmandum, nulla quippe injuria ab illis sumpta. *Carniola* prima omnium Devastationis sensit incommoda; proximi Populi timore perculsi, ne vocarentur ad prælium, munera mittunt. Ab illo, inquit *Sigonius*, tempore magis magisque Fama RACHIS inclaruit; repentino enim *Sclavorum* incursu petitus, lanceam Armigero non præbente, qui primus occurrit, eum clava, quam manu gestabat, percussit, ac subita morte affecto, reliquorum impetum retardavit. Celebratur in Civitate Triumphus mira procerum, & militum gratulatione, atque frequentia; RACHIS prudentiæ æque, ac fortitudinis palmam eripuit. Alia insuper arrisit occasio. Gerebat per eos dies *Spoletanum* Ducatum *Transimundus, Fertaldi* filius; hic corporis, animique dotibus præditus, res novas quærit, Pontificum in primis *Romanorum* studiosissimus; *Gregorii* namque II. (quod ab hoc prohiberetur Vectigalia *Leoni*, *Græcorum* Imperatori à *Romanis* transmitti) *Paulus* Exarchus dum clam, & aperte necem petit, sumptis Armis, adventantibus Hostium legionibus obtulit sese magnanime, & Victor evasit, *Paulo*, cæterisque in *Romanum* Pontificem conjuratis, occisis; Denique suorum, suaque Virtute augeri ambiens Dominatum, malis extremis opprimitur: nam III. *Gregorii*, alterius *Gregorii* successoris societate, fœdereque subnixus, *Luitprandi* Regis facere imperata detrectat, paratum adducturus exercitum secum tulit RACHIM. Adventante adversus se Rege, *Transimundus* elapsus ab Urbe exul cum paucis ad Rom. Pont. perfugit. *Luitprandus* Ducatu *Spoletano* facile in suam potestatem redacto, nulla cursus intermissione copias in Urbem traducit, dedi Hostem sibi à Pontif. supplex orat; negat *Gregorius* expertæ Beneficentiæ Ducem ad supplicium tradere supplicantis. Iratus Rex *Romam* obsidione vallavit; quid Pontifex? Cum à *Leone* Imperatore sperare auxilium non posset, & magna esset Authoritas *Caroli Martelli*, Regis *Gal-*
169 *liæ* Aulæ Præfecti, petit ab hoc, ut *Luitprandum* ad deserendam Urbem induceret, atque id, quo facilius impetraret, per *Anastasium* Episcopum, & *Sergium* Presbyterum S. Sepulchri claves *Martello* misit: Præclaram hanc inter *Carolum*, & *Luitprandum*, Virtus, non Fortuna, Benevolentiam conjunxerat; igitur *Longobardi Papiam* repetunt: quid *Spoletanus?* audacter amissa recepit, *Hilderico* Regis Nepote, ab ipso Rege *Spoletanis* Principe substituto, necato; quo cognito, subdit *Sigonius*, novum Bellum *Transimundo* intulit *Luitprandus*, *Rachi* Duce cum *Foro Julianis* opem ferente. *Transimundus* cum *Spoletanis*, & *Romanis* copiis obviam prodiit, atque ad Fanum, ubi exercitum Navibus devectum positurus Rex erat, occurrere properavit, quo conatu lapsum, ipsum à Fano ad *Forum Sempronii* contendentem media sylva nactus Rex invasit; RACHIS Dux, & Frater ejus *Aistulphus*, cum *Foro Julianis* extremum claudebant Agmen, in hoc cum *Spoletani* se intulissent, grave prælium inierunt, ac licet Ducibus totam pugnam fortiter sustinentibus, multos ex hostibus vulnerarunt. RACHIS à quodam *Spoletano* nomine *Bertone*, nominatim prælio provocatus, in certamen descendit, atque conserta manu illum equo dejicit, qui, permissu *Rachis*, manibus pedibusque repens evasit in sylvam. *Aistulphus* vero à duobus in Ponte circumvectus, alterum aversa cuspide de Ponte deturbavit, alterum graviter vulneratum demersit in flumen: diremta pugna, *Spoletum* inde est processum; *Transimundus* cum se mœnibus inclusisset, ob-
A sessus pervenit in Ditionem; cum Ducatu spoliatum *Luitprandus*, Clericum esse voluit, & in locum ejus *Asprandum* Nepotem suum substituit. Meminit hujus etiam Belli summa cum *Rachis* laude *Sabellicus*. „ In *Pemmonis* locum *Rachis* ejus „ Filius, volente Rege, declaratus est: Hic gravissimum Bellum *Sclavis* intulit, *Carniolam*que „ eorum Regionem populatus est, atque procedente tempore, pro *Luitprando* Rege, cum fratre „ *Aistulpho* adversus *Spoletanos* egregia Belli facinora edidit.„

Interea *Luitprandus*, priscis Imperatoribus, militari scientia, & partis ubique Victoriis confe-
B rendus, *Papiæ*, repentina morte, collachrymantibus Universis, eripitur. 170
Equidem nullus, tunc temporis, vel animi, vel corporis exquisitiori conditione præcelluit. Erat corpori mira proceritas, nec tamen absque membrorum dexteritate. Robur diuturnis laboribus solidatum, cor inter continuas tractationes Armorum, & plausus Triumphorum nova *Fortunæ* quæque tentamenta non pavit, illud Religio custodivit; siquidem (narrantibus *Diacono*, atque *Sigonio*) multa in *Christi* honorem, per singula loca, ubi degere solebat, Templa, Basilicasque construxit, Monasterium S. *Petro* ad *Cælum Aureum* extra *Papiæ*
C mœnia, & alterum *Bardonis*, in *Monte Benetum*, dictum ædificavit; miro vero opere Sancti *Anastasii* Martyris Domicilium statuit, in quo & Monasterium excitavit, in suo Palatio oratorium S. *Salvatoris* condidit, & quod nulli alii Reges habuerant, Sacerdotes, & Clericos instituit, qui ei quotidie Officia celebrarent; nimia tamen in ipso regnandi libido, non semel adversus *Romanam* Ecclesiam irritavit. *Diaconus* quasi nihil amplius *Longobardis* decoris relicturus, & gloriæ cum *Luitprandi* fine, suam quoque terminavit Historiam, hoc addens Elogium. „ Fuit autem Vir „ multæ sapientiæ, consilio sagax, pius admodum,
D „ & pacis amator, Bello potens, delinquentibus „ clemens, castus, pudicus, orator pervigil, Eleëmosynarius largus, litterarum quidem ignarus, „ sed Philosophis æquandus, nutritor Gentis, legum Argumentator.„ Sepulcrum Alii in *Hadriani* martyris, Alii in Basilica *Petri* Apost. statuunt. Inscriptum legitur Epitaphium.

Flavius hoc Tumulo Luitprandus conditur, olim
Longobardorum Rex inclytus, acer in Armis,
Et Bello Victor: Sutriumque Bononia firmant
Hoc, & Ariminum, nec non invicta Spoleti
Mœnia, namque sibi hæc subjecit fortior Armis.
E *Roma suas Vires, jam pridem milite multo*
Obsessa expavit; deinceps tremuere feroces
Usque Saraceni, quos dispulit impiger ipse,
Cum premerent Gallos, Carolo poscente juvari; 171
Hungarus à solo Hoc adjutus, Francus, & omnes
Vicini grata degebant pace per omnes;
Rege sub hoc fulsit, quod mirum est, sancta, frequensque
Religio, ut recolunt Alpes, Ecclesia quarum
Hunc habuit, Vivente ipso, & pergrandia Templa,
Quæ vivens struxit, quibus & famosus in Orbe
Semper, & æternus lustrabit sæcula cuncta.
Præcipuè Petri Cælesti hac sede locata
F *Clavigero, statuit Cælo quam providus Aureo;*
Augustinus ubi huc aliunde abductus eodem
Rege jacet, cujus Doctrina Ecclesia fulget.

Non sum gravatus hoc scribere; simulare enim hic nequeo, ne *F. Julianos* meos adhorter enixe, ut perenni memoria, precibus indefessis, *Luitprandi* Apotheosim prosequantur, cum, illo adnitente, *Callistus* Patriarcha *F. Juliensibus* à *Rom.* Pontif. destinatus, cujus & Decessori *Sereno*, testante Cardinali *Baronio*, Usum Pallii obtinuerit, quod

quod Patriarcharum, Primatum, & Metropolitanorum est proprium, ut per illum à cæteris Episcopis discernantur; quamvis horum Unus *Hostiensis*, qui Sacri Cardinalium Collegii Decanus est, à Pallii usu non abstinet, singulari profectò privilegio ex institutione *Marci* Pontificis, eo quod Summum Pontif. soleat consacrare. Veneramur hoc in Insigni Christianitatis Magistratu purpura, & fascibus Serenissimum *Carolum Mediceum* Principem Cardinalem. Majorum merita erga Universos exhibita Regali munificentia Genitorem effusissimum ostentat *Carolus*; Habet quod in *Leone*, quod in *Clemente*, quod in *Pio*, in se uno exprimat ad Miraculum; robur cum *Leone*, & Vires ab Hostium impetu propulsando; nil tamen dignum se faceret, formidabilis, si non clementia parcere subjectis nosceret, & Amicos, atque Benevolos splendidissima pietate nutrire. Atque hinc *Christianis* Principibus gratissima ef-
172 fecta semper est Regnatrix Soboles *Mediceorum*; Magni Titulum à *Pio* Pont. est promerita; jam *Leones* in infestissimos Hostes eduxerat; jam Heroas, atque Semideos Terra, Marique pro fidei defensione muniverat. At languentes ubique squallidæque Musæ opem efflagitant; quid hic: Mella generet suavissima fortitudo feræ, intestinis vexata malis pessumdat *Italia*, Animos una Clementia fœdere vinciat Amicitiæ: expectaris ad maxima *Carole*, *Romam* pete, hæres omnium cordibus; jam non uni Orbi, sed sex Orbibus pulcherrimè poteris imperare.

Sed non minora gratitudinis Argumenta requirit à Nobis Pontifex *Gregorius II.* qui tanta nostræ Civitati contulit ornamenta. Natus est ille ex Nobilissima, & Excelsa *Sabellorum* familia: Atque hoc genus est illud miris Scriptorum acclamationibus ductum æternitatis in Regiam. Illud *Romanos* Pontifices Quinque dedit. XXX supra VI. Purpuratos, quorum singulas omnium Virtutes in uno *Fabricio*, *Innocentii X.* Cardinale, & nuper *Bononiæ* legato cumulatas conspicit orbis. Genus hoc illud carum apprimè Regibus, & Cæsaribus, audivimus non semel in *Marcelli* Theatrum veneraturi *Albani* Principem Patrem tuum Invictissimi *Ferdinandi* Imperatoris Amplissimum Oratorem, Videmus, & legimus magna Nomina *Sabellorum* Equestribus Statuis illustrata, *Veneti* Senatus Sanctissimi liberalitate, in *Gemellorum* Phano; accersimus ex Inclytis illis Cineribus tui Nominis Majestatem; ad majorum quippè tuorum imitationem es natus, quos & æquare jam poteris, & etiam superare; Interim scias gratissimos adhuc Tibi vivere *Foro Julianos*, & esse memores gratiarum, à Te utique majora, in Tuisque imposterum relaturos.

Rachi Italiæ Regnum, non minus Civium favor, quàm Virtutis fortuna Comes attribuit. *Hildebrando* emortui *Luitprandi* Nepoti contum, argumentum futuræ Successionis, dum miles porrigit, Cuculus Avis volitando consedit in Apice: Hoc pro portento viso, & cunctis Principatum
173 fore sub *Hildebrando* prorsus inutilem dictitantibus, expellitur Regali Solio *Hildebrandus*. Non me præterit, *Locatellum* litteris tradidisse in hac Civitate monumenta olim visa *Luitprandi*, & *Hildebrandi*.

Resto, scripsit ipse, *doppo tempo hoggidi ancora la memoria di* Luitprando, *&* Hildebrando *in Cividale conservata in un' Arco lavorato alla* Longobarda, *egli è disteso nel Domo in Terra, dirimpetto alla Porta del Cemiterio presso à quella della Sagrestia, & manca, come quasi a tutte le altre Pietre, il principio, & il fine.*

.... PRAND DECIT NEGONET...
HILPRAND PRINCIP.........

A PORrò, licet hic addere non nulla à *Baronio Tomi XI.* initio conscripta, ex quibus deprehendere facillimè possumus *F. Julii* per hæc tempora Antistitum Sede fuisse nobilitatum, atque uno, eodemque tempore sub superioribus Ducibus proprium inibi Præsulem resedisse; quamvis serò hæc à me sunt servata. Hoc tempore, nempè triennio, antequam Successor hujus itidem *Gregorius* III. hujus Nominis dictus sederet, contigerunt justæ querelæ *Donati Gradensis* Patriarchæ adversus *Serenum Foro Juliensem* Antistitem, cujus rei gratia reperiuntur à *Gregorio* Pont. scriptæ Epistolæ hic recitandæ.

B Præerat hoc tempore *Serenus* Episcopus Ecclesiæ *Foro Juliensi*, cui & *Gregorius* PP. Pallium misit, rogante Rege *Luitprando*, (meminit hujus *Paulus Diac. Callisti*que Prædecessorem fuisse tradit) de hoc autem cum accusari venisset ad *Gregorium* Papam, quod invaderet Res *Gradensis* Ecclesiæ, Hæc ipsi *Gregorius* scripsit:

GREGORIUS, 174

Servus Servorum Dei,

C *Dilecto Fratri* SERENO.

„ TAnto munere quisque ditatur, quantum in „ sublimitate positus, sese ex mandato D. „ *Salvatoris*, humiliter sentit; Etenim Pastoralis „ Dignitas singulariter ex humilitate ornatur, „ spernendos quippè Apostolica lectio arguit elatos; quid habes quod non accepisti, & si accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? „ nam dum ad Cumulum tui honoris precibus „ eximii filii nostri Regis flexi, plurimum Ecclesia pro rectitudine fidei, per quam Te, tuamque Ecclesiam amplecti cognovimus, provocati, per alium Tibi dixerimus, interdicentes,
D „ & inter cætera prohibentes, ne unquam aliena „ jura invaderes, aut temeritatis ausu usurpares „ Jurisdictionem cujuspiam, sed his esses contentus, quæ usque hactenus possedisti. Nunc verò, ut cognovimus, *Gradensis* Patriarchæ niteris invadere Jura, atque ex iis, quæ possedit, omne usque usurpare. Ne ergo in quoquam existas Temerator; ex Auctoritate Apostolica præcipimus, ne ullo modo Terminos „ ab eo possessos accedas, sed de his habeto, quæ „ usque modo possedisti, nec amplius quam in finibus Gentis *Longobardorum* existentibus gressum „ dedere præsumas, ut non injuste Te gratiam
E „ suscepisse collatam Pallii ex præsumptione ostendas, & de Apostolici vigore Consilii, si „ inobediens fueris comprobatus, ultione dignus „ comproberis.

Hucusque *Gregorii* Epistola ad *Serenum*: Idem verò ad *Gradensem* Patriarcham & alios Episcopos sub eodem constitutos, atque Duci, aliisque iste tunc scripsit. 175

GREGORIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei,

F *Dilectis Filiis* Donato *Patriarchæ*, *Episcopis*, *atque* Marcello *Duci*, *&* *Plebi* Venetiæ, *&* Istriæ.

„ QUamquam ex Ministerio, quod ex Miseratione Divina gerimus, quidquid provide deliberatum peragere absque obstaculo conveniat; Verùm ne frustra judicium egisse videremur, illa cupimus prosequi, quæ „ non ad læsionem cujusquam, sed potius ad Immunitatem respiciant, illa satagere, unde non „ nostra ex potestate concessa supplicia, sed præ-
„ mia

,, mia sperentur. Convenit enim, ut cum alterius Votis paremus, alterius Vota non fraudentur; quia igitur missa Relatione ad Nos à Deo salvata Communitas Vestra petiit contra *Foro Juliensem* Antistitem agentes, quod cupiebat invadere Ditionem *Gradensis* Patriarchæ, sed ut unquam excedere Terminum, vel Jura invadere aliena, sed ea, quæ hactenus possedit, se esse contentum; cui, ut Ecclesiam in præsenti non attentet, ex Auctoritate Apostolica interdiximus, eique consensum ad hanc esse conditionem dilectissimi sciatis, cui denique, nè præsumat excedere, præcipimus, nè ergo injuria quadam, aut dissidio gens eorum insidiando (ut assolet) invadat, pervigiles cavete, potius solliciti de vestra, post Divinum præsidium, cogitare Salute, quia illud non occasione agitur, sed ubi possunt, Deo eis non resistente, Virtuti obtemperare nitantur, optantes de reliquo in Amore Domini nostri *Jesu*
176 ,, *Christi* pollere, & ab omni immunes Adversitate manere. benè valete.

Hæc *Gregorius* oppressorum defensor, ex quibus etiam intelligis adhuc superstitem fuisse *Serenum*, cum malè in Annum Domini DCCXXVI. ejus obitum alii referant: producta autem rursum sunt in Judicium post triennium, cum sederet *Gregorius III.* Quomodo verò Controversia definita fuerit, per eundem *Gregorium II.* ejusque Successorem *Gregorium III. Leo IX. Rom.* Pont. docet in Epistola data omnibus Episcopis *Venetiæ*, & *Istriæ* Provinciæ, cum eadem Altercatio recrudesceret. Quæ Epistola, ut, quæ hoc tempore facta sunt, sciamus, hic describenda est; sic enim se habet.

,, Noverit vestra carissima Nobis in *Christo* Fraternitas, hac in præsenti Indictione VI. Carissimum Confratrem nostrum *Dominicum Gradensem*, immo novæ *Aquilejæ* Patriarcham ad Synodum nostram *Romæ* habitam venisse, & quærimoniam de sua, & *Foro Juliensi* Ecclesia, quam credimus Vos non ignorare, lacrymabiliter coram fecisse; cujus tandem relectis Privilegiis à S. R. & Apostolica Sede concessis, judicio Sanctæ Synodi hoc definitum defuit, ut nova *Aquileja*, totius *Venetiæ*, & *Istriæ* caput, & Metropolis perpetuo haberetur, secundum quod evidentissima nostrorum Prædecessorum adstruebant Privilegia. *Foro Juliensis* vero Antistes tantummodo finibus *Longobardorum* fuisset contentus juxta Privilegia *Gregorii II.* & Retractationem III. &c.

Vendicabat autem illa tanquàm Debita *Foro Juliensis* Episcopus, eo quod idem, & Veteris *Aquilejæ* esset Patriarcha: ità enim, ut alias dictum est, idem *F. Juliensis* Episcopus æquè Patriarcha dicebatur *Aquilejensis*, & *Foro Juliensis*: Sic igitur subjectos voluerunt ambo *Gregorii* Episcopo *Foro Juliensi* esse tantum *Longobardos*, eos intelligens, qui sub Ducis *F. Juliensis* Ditione erant; sed de bonis invasis Ecclesiæ *Gradensis* ab Episcopo *Foro Juliensi*, hæc accipe à *Gregorio* ejus Successore ex Epistola Scripta ad *Callistum*, *Sereni* Successorem, his verbis.

177 GREGORIUS,

Servus Servorum Dei,

Callisto, *&c.*

,, JAM triennium evolutum prædecessoris Nostri tempore. *Et infra.* Cognovimus enim, quod aviditate devictus ausu illicito perva-

A ,, seris possessiones, quæ centenaria, & mansiones nuncupantur, pertinentes Monasterio S. D. Genitricis sito in Insula *Barbana*, quod prisco, & longo tempore Sancta jure possidet *Gradensis* Ecclesia, & ejus hactenus fuerat Ditionis; quod (quia aliena nulli licet invadere; præcipuè Sacerdotibus, quia contra Deum est) præcipimus B. *Petri* Apostolorum Principis Auctoritate, cui à Domino, ac Salvatore Nostro, solvendi, atque ligandi in Cœlo, Terraque potestas concessa est, ut ea, quæ pervadere contra Legem ausus est, in præsenti cum Juribus suis pertinentibus *Gradensi* Patriarchæ,
B ,, &c.

Legerunt ne hæc nostræ Civitatis gloriæ æmuli? sed si non liceat ipsis voluminoso in Auctore conspicere; perpendant fide locum adductum; ecce deprehendent Patriarcham *Aquilejensem*, dictum etiam *F. Juliensem*, eo quod resederit in Nostra Civitate, quin & non tantum pro Residentia, quam ob unam, eandemque Insulam servatam sibi, jam unus idem, & dicebatur, & erat *Aquilejæ* Veteris, & *Fori Julii* Patriarcha.

Dices, *F. Juliensem* Patriarcham ob id dictum, quod à Provincia, non a Civitate, Nomen acceperit: nullius pretii hæc objectio est. Audi *Baronium*
C eodem Tomo IX. sub Anno Salutis DCCXXIX. quid tibi respondeat. ,, Porrò etsi idem Patriarcha *Aquilejensis* diceretur pariter, & *Foro Juliensis*, eò quod apud eam Civitatem habitationem delegisset ,, Civitatem nominat, non Provinciam, 178
nam & ridiculum sanè judicaret Sapientissimus Cardinalis *F. Juliensis* Patriarchæ Nomen à Provinciæ *F. Julii* incolatu manasse, cum & *Aquileja* F. J. Civitas existat. Extimulas ad plura huc convehenda? accipe igitur, quæ *Baronius* insuper de Nostro proprio Episcopo subdidit. *Tamèn constat* (pondus accipe Verbi) *FORUM JULIUM peculiarem suum habuisse Episcopum*, *adversum*
D *quem idem* Callistus *turbas excitavit.*

Sed revertamur ad RACHIM, in quo, inito statim *Italiæ* Regno, pacis studium, & Ecclesiarum Patrocinium emicuit. Ut Jus sanctissimè à Subditis coleretur, vocatis ex *Europa* præcipui Nominis, & Authoritatis Viris Consultis legem promulgat. Habent illæ proëmium: ,,Quoniam gloriosissimus, & præcelsus *Rhotaris* hujus *Longobardorum* Gentis Princeps, sibi, Deo inspirante, leges inseruit, atque innovavit, ut omnes contentiones, & dissensiones malorum Regali studio resecaret. Et quidem statuit, ut cuncti Successores ejus, quæ sibi Deo inspirante, aspera, &
E ,, dura cognoscerent, &c. ,,

GREGORIUS III. *Zachariam*, Natione *Græcum*, mitissimi ingenii, miræque suavitatis, & gratiæ, in *Romano* Pontificatu Successorem suscepit; Hic, tam lætis *Rachis* nostri Dominatus exordiis brevi tota *Italia* vulgatis, suam in id operam detulit, & industriam, ut Regem omnigenæ sibi charitatis, & comitatis officiis devinciret: Itàque, ut ipsum auditu tantummodo, & fama notum amicitiæ fœdere redderet cariorem, Legationem ad ipsum splendidissimam destinavit, quà inter utrumque pacis stabilirentur Articuli. Ita *Anastasius* Bibliothecarius. ,, Ad quem (ad *Rachim*
F ,, scilicet) Legationem ipse Beatissimus Pont. misit, & continuo ob reverentiam Principis Apostolorum, & ejus precibus Rex inclinatus XX. Annorum spatio inita pace, Universus *Italiæ* quievit Populus. ,,

Verum, qua occasione Rex ipse, Catholicus, pius, atque pacificus, in atrocissimum mox Bellum conjecit *Italiam*, ignoro. Vicennalis pacis sancita rescindens, Arma capit, exponit militem, 179
Provinciam *Pentapolitanam*, & *Romanum* Ducatum invadit. Ea res quo minus erat in spe, eo majorem

majorem Sanctissimo Pont. *Zachariæ* tristitiam attulit, & dolorem. Sed permisit Deus, inquit *Baronius*, Regem Justitiæ, atque Religionis amantissimum ita delinquere, ut ex pœnitentia in sublimiorem in Cœlis gradum gloriæ sublimaret. Quomodo autem acciderint ista, ex *Anastasio Bibliothecario* in medium adducimus, qui ait : *istis autem temporibus*, Rachis Longobardorum *Rex*, *ad capiendam Civitatem* Perusinam, *sicut cætera* Pentapolis *oppida*, *vehementi profectus est cum indignatione*, *quam etiam circumdans fortiter expugnabat: Hoc audiens Sanctiss. PP.* Zacharias, *continuo spe Divina fretus*, *assumptis aliquantis ex suo Clero optimatibus*, *quantocyus ad eamdem pervenit Civitatem*, *impensisque eidem Regi pluribus muneribus*, *atque oppido eum deprecans*, *opitulante Domino*, *obsidionem ipsius Civitatis amovit* : *Sigonius* elegantissime ad *Rachim* orantem *Zachariam* exponit; Historiamque prosequitur. „ Interim *Rachis* Rex exemplum Decessoris sui sequutus, ut Regni fines amplificaret, pacis studia, quæ adhuc summa cum laude coluerat, intermisit, ac paratis Armis *Pentapoli* Bellum intulit, atque oppidis ejus plerisque primo adventu captis, demum etiam in Ducatum *Romanum*, Pontificiamque Ditionem trajecit, ac *Perusiam* acri premere obsidione instituit : Imperatore longe remoto, atque omnino à rebus *Italiæ*, ut videbatur, averso, Exarcho vero parum nervorum ad *Ravennæ* fines tuendos, ne dum ad longinquiores protegendos, habente: *Zacharias*, ut serpens adversus se incendium propulsaret, quod Armis non poterat, Auctoritate sibi tentandum existimavit; itaque decoro Optimatum comitatu assumpto, Urbe egressus, *Rachim* in Castris *Perusianis* convenit, ac benigne ab eo acceptus, ita agere cum illo cœpit, ut mirari se magnopere diceret, Regem, Catholicæ fidei Assertorem, & legum, jurisque latorem, inducere Animum potuisse, ut
180 avidius alienas opes appeteret, ac *Christianos* injuria aliqua, præsertim ipse nulla spe lacessitus, afficeret, & præsertim bona S. *Petri* ad eum non pertinentia, violaret. An vero oblitus es, inquit, aut Divinorum Præceptorum, ut tam nefanda audeas, aut pœnas Injustitiæ propositas ita contemnis, ut exiguum Vitæ fructum horrendis, ac perpetuis post mortem cruciatibus anteponas? Hinc latissimum Campum Juris, & Injuriæ humanæ, & pœnarum, præmiorumque Divinorum ingressus, tanta orationis vi, tantaque dicendi copia causam ipsam Dei peregit, ut RACHIS, Religione perfusus, non solum à *Perusiæ* oppugnatione recesserit, sed etiam Oppida *Pentapolis* occupata reddiderit, atque in omni officio fidelem se Pontifici, obsequentemque præstiterit: Inde uterque Domum regressus suo facto plurimum delectatus, Pontifex, quod Auctoritate, & præsentia Religionis rem tantam ex sententia confecisset; *Rachis*, quod Divino oraculo sine ullis præmiis humanis obtemperasset : Vidisti, & admiratus es (exclamat hoc in loco *Baronius*) potentiam Christi Crucis, qui furentes mitiget Reges, & Victores ducat absque Armis sub jugo captivos, & faciat Agri Dominici fidelissimos esse Colonos. Hæc plane Virga illa, de qua prophetice dictum. Virgam Virtutis tuæ emittet Dominus ex *Syon* dominare in medio Inimicorum tuorum, qua *Zacharias* Pontifex illud renovat antiquum Spectaculum *Banajæ*, Filii *Jojadæ*, cum *Ægyptium* hasta potentem Virga tantummodo superavit. „

En Reges tuos amplectere, venerare Duces tuos, ac Principes, Civitas Illustrissima, *Romanis* semper Pontificibus, semper Deo, semper Superis obsequentes, quid tanta Tuorum ornamenta, quis unquam tanta decora conticescet? loquentur Terra, Marique infinita proborum Hominum, & linguarum Doctissimarum oracula; reposita sunt hæc in libro vitæ, ubi nulla tinea corrodet unquam, aut ungues lacerabunt invidiæ: exarantur hæc in libro stylo ferreo, & plumbi lamina, nulla unquam oblivione delenda, Ducum, & Regum *Foro Juliensium* Pietatis facinora, & quidem facinora, quæ majora procul præferre poteris *Alexandri*. Ad Nostros Dominatores oculos converte- 181
re aliquantulum, ne graveris, Pontifex Beatissime, Vide tuorum *Foro Juliensium* gesta, pietatis argumenta percurras, & plenis Benedictionibus tuis amantissimis Filiis Cœlestium Bonorum largitionem infundas. Turbare, non evincere potuit Hostis humani generis iniquissimus; tentavit, superare tamen non valuit mentem, quam averteret à Cultu *Romanæ* Sedis *Foro Julianorum*: agnoscunt extemplo culpam, pœnam non expectaturi, reducuntur ad Gregem, cui unus Pastor, ac verus, in Arce præsidet *Vaticana*; ab hujus obedientia evagari longius nequeunt; Vocem ad se clamantis Pastoris audiunt, quia sunt in electorum ovili conscripti.

Sed illustriora de *Rachi* Nobis *Leo* Hostiensis accommodat : „ Cum ardentissimo ille Divini Amoris impulsu sequente anno, Virorum insignis Sanctitatis æmulatione incensus, statuit Regalem Dignitatem exuere, atque in angustiis Cellæ se se occludere Cœnobiticæ, ut ibi quasi in palæstra quadam æternis rebus, atque Cœlestibus insudaret : noverat jam ipse vana hæc esse apud Nos omnia, & jam dicere incipiebat, satiabor cum apparuerit gloria tua. quid chlamys? quid Diadema? quid sceptra? pondus sunt, quibus Animus à supernarum rerum cognitione retardatur; Debilitant tot blandimentis mundanarum potestatum illecebræ mentem mortalium, ut facile à cursu Vitæ detineamur fortunatissimæ, & solium hic quæramus gloriæ, ac quietis, ubi continui morbi, ubi fortunæ inconstantia, & curæ, atque dolores innumeri. Scenam aperimus, & Reges nos esse dicimus, cum solis amictibus relucemus; *Rachis* Magistrum Crucis audit, fugit purpuram, deponit sceptrum, gressibus ut securioribus, ut liberiori animo Beatitate fruatur. Bene est. Sanctissimis Tyrociniis præclarum iter ingressus ad *Zachariam* contendit. Discipulum se optimum ostensurus, & Auditorem Dogmatum piissimi Præceptoris; quid Pontifex? salutaribus orationibus ad perseverantiam inflammavit; jam excitatus in intimis præcordiis Divinæ charitatis ignis robustioris Auræ flatibus non indiguit; quin instat sacris ordinibus ini- 182
tiari; Votis filii respondit Patris affectus; itaque Clericus factus, & Monastico habitu sumto ex manu Pontificis, *Cassinum* perrexit, ad Vitam sub D. *Benedicti* Legibus traducendam: erat tunc *Petronax* VI. à D. *Benedicto Cassinas* Abbas. „ nam & *Sigonius* : *Cæterum Monasterium* Cassinum, Petronax *Abbas*, *à* Longobardis, *ut diximus*, *inflammatum*, Gregorio II. *&* III. *adjuvantibus instaurare incepit*, *& ad extremum*, Zacharia *Pont. Sedente*, *atque opitulante*, *absolvit*; *quo facto* Zacharias *ipse eo perrexit*; *ac postero ineunte anno*, *Aedem* S. Benedicti *una cum XIII. Archiepiscopis*, *& LXIII. Episcopis consecravit*, *ac sacros Libros multos obtulit*, *& Leges*, *quas ipse D.* Benedictus *sua manu scripserat*, *& pondus panis*, *& mensuram vini*. Privilegia, ac Dignitatem Abbatum *Cassinatium* latè prosequitur *Sigonius*, apud quem videre ea poterunt curiosi; facere tamen non possum, quin Ordinis *Benedictini* præstantiam lectori commendem; illum nempe Ordinem toto Orbe Terrarum nominatissimum, quo non secus, atque in virtutum omnium Aream suæ Incolumitati consulentes Imperatores *Græcorum*, & *Romanorum* quam plures Reges, ac Principes pro-

fugerunt: Hinc sibi Pontifices ad XXX. carpsit Ecclesia, quorum purissimis salutaris sapientiæ Rivulis epotatis pertinaces Hæreticorum, & Schismaticorum Spiritus magnanime, & generose confecit. Hinc supra CC. Purpuratos prodiisse Populi ubique locorum constituti profusis gaudiis conspexere, quorum consilio, quorum Doctrina, & Vitæ integritate *Christiana* Religio respiravit. Hinc duo Archiepiscoporum M. ad V. super X. Episcoporum ab immanissimis Lupis tutandas *Christi* Domini Gregis consurgunt oviculas; Nonne X. & IV. mille Abbatias *Benedictini* Ordinis enumeravit; tritissimis Virtutibus decorati tantam gloriæ segetem Patribus subsequis reliquere, respondent enim vero vivorum exempla. Porro pergit modo felix, quo Divini Numinis filo ducitur Abbas *Hermagoras Basadellus*; Hic ex ea gente natus, quam olim inter *Venetos* Patricios
183 Annales referunt nostri, Vitæ honestate, & incredibili quadam in egenos, & pauperes Comitate jam vivens, victurusque apud Nos quam diutissime, in Cœlis sibi Domicilium excitavit; Huc certè ille suopte miti ingenio spectat; Huc *Basadella* probitas, ubi *Rachim* nostrum est conspicata, sine ignavia, seu cunctatione collimat.

Obstupuit illa ætas sine controversia Regem *Rachim*, solicitudinis, & curarum oblivione captum, panno tenuissimo convelatum, æquum cum aliis vivendi institutum amplecti, Vilia quæque peragere, alacriter Præsulum jussa percipere, quidquid ipsi imponebatur, libenter subire, culturæ, Arborumque insitionibus insudare, manus quondam Triumphales, & aureo Baculo assuetas, ligonibus commodare, irrigare, ne forte Solis ardor decoqueret, plantas; *Adamum* diceres, sed innocuum; *Extat*, scribit Hostiensis, *hodieque prope Monasterium*, *Vinea*, *quæ* Rachisis *appellatur*, *quod ipsam* Rachis *ipse*, *& plantasse*, *& coluisse putetur:* Sic ipse rebus mortalibus proludebat; tum repentino insuper sumendi Religiosi Habitus amore flagrantes Uxor *Thesia*, & *Ratonda* filia, ipso adjuvante, atque permittente Abbate, Monasterium Virginum non longe à *Cassino* propria pecunia ædificarunt, ibique Monastico ornatu sumpto Vitam sanctissimè traduxerunt: Neque sine maximo Contubernio vivebat *Rachis* in Monasterio; *Carolo-Mannum*, *Caroli Marcelli* filium, & *Pipini Franciæ* Regis Fratrem, Monachum non insano consilio factum, sui instituti Comitem habuit; ita duo simul potentissimi Principes ad Asylum salutis properantes, Deo se, cum suis divitiis obtulerunt, & *Rachis* ad Hortos distinguendos, irrigandosque, *Carolo-Mannus* ad pascendas oves destinatur, optimis sanè posteritati datis Devotionis exemplis, quibus animati quamplurimi, vale dicto sæculo, Disciplina Monastica imbuuntur.

Atque signum hoc primum à *Longobardis Italiæ* Regni perfectionis ad exteras Nationes insonuit; cum, ut non multo post; est compertum,
184 *Carolus M. Gallorum* Rex fasces *Longobardicas* abstulisset. Auctores habeo: *Rachis*, post *Aistulphum* Fratrem in venatione apoplexia mortuum (qui *Aistulphus* ipsi in *Italiæ* Regno successit, quique *Ravennam* occupavit, & *Romanum* Ducatum, *Stephano* Pont. ad *Pipinum Gallorum* Regem fugere coacto) pravum Dæmonem insidias in aures ingessisse, ut qui miserat manum ad Aratrum, retro respiceret, ne fieret aptus Regno Dei, sicque egisse, ut ad temporale Regnum oculos, animumque convertret; sed obstitisse è vestigio *Romanum* Pontificem *Stephanum*, qui Ducem *Thusciæ Desiderium*, multa Ecclesiæ spondentem, promovit in Regem.

Anastasius enim cœptam prosequutus Historiam ait: „ Tunc *Desiderius* quidam, Dux *Longobardorum*, qui ab eodem nequissimo *Aistulpho Thusciæ* „ in partes erat directus, audiens præfatum obiisse *Aistulphum*, illico aggregans universam exercitus multitudinem, Regni *Longobardorum* „ arripere visus est fastigium, cujus personam despectui habens *Rachis*, dudum Rex, postmodum „ Monachus, Germanus præfati *Aistulphi*, sed & „ alii plures *Longobardorum* Optimates, cum eo „ eumdem *Desiderium* spernentes, plurimam trans „ *Alpes*, vel cætera *Longobardorum* loca, exercituum multitudinem aggregantes, ad dimicandum contra eum profecti, adsunt; Ad hæc „ præfatus *Desiderius* obnixe præfatum Pont. „ Beatissimum deprecatus est, sibi ferre auxilium, qualiter ipsam Regiam valeret assumere „ Dignitatem, spondens jurejurando omnem „ præfati Pont. adimplere voluntatem: Insuper „ & Reipub. se redditurum professus est Civitates, quæ remanserant, immo & copiam munerum daturum: Tunc idem præcipuus Pastor, „ & bonus Pater, inito consilio cum sæpè facto „ *Fulrado* Venerab. Presbytero, & Abbate, atque Consiliario Christianissimi *Pipini*, *Francorum* Regis, misit suum Germanum, *Paulum* „ scilicet *Diaconum*, atque *Christophorum* Consiliarium, una cum Presbytero *Fulrado*, Partes „ *Thusciæ* ad prædictum *Desiderium*, cum quibus „ loqueretur; confestim per scriptam paginam terribili juramento idem *Desiderius* professus est, 185
„ superius annexam sponsionem adimplere, post „ hæc vero peracta, statim suum missum, id est „ Ven. Presbyterum, *Stephanus* cum Apostolicis exhortatoriis litteris præfato *Rachisi*, vel „ cunctæ *Longobardorum* Genti præmisit, imperans, ut prædictus *Fulradus* veniret cum aliquantis *Francis* in auxilium ipsius *Desiderii*, sed „ & plures exercitus *Romanorum*, si necessitas „ exigeret, in eis disposuit occurrere adjutorium; „ Verum ubi accepit *Rachis* litteras Pontificias, „ nequaquam ulterius ausus est progredi, reveritusque ejus Apostolicam jussionem, relictaque militia, rursum se Deo reddidit, cui se „ spoponderat in Monasterio serviturum „; ecce quod ex verbis *Bibliothecarii*, quamvis ad rerum Mundanarum Aratrum conversum *Rachim* agnovimus, non tamen illis ita fixum, obduratumque colligimus, ut Dei obsequium posthaberet: finis coronat opus. Peccavit *Rachis*, emendavit ille se cito, in Angelum emigravit, cum cæteris documento fuerit ad salutem eamdem. Accipe *Anastasium*, cujus exhortatione etiam cæteri *Longobardi* illum susceperunt in Regem, quem idem *Stephanus* Papa dedisset *Desiderium*. O factum! quos *Rachis* sui erroris fecerat testes, fecit Asseclas Sanctitatis: perge igitur, vocaris ad superos omnimodè *Rachi*; duplo felix, duplo Beate, bis in Arenam descendens, acturus ibi demum triumphum, coronandus in Cœlis, qui legitimè certavisti.

Sigonius mitiora erga *Rachim* verba reliquit, quando nec prosiliisse in Campum, nec corripuisse Arma, sed ira tantum percitum Machinas edocet meditatum. *Aistulphi* morte (inquit) comperta, cum nemo esset, ad quem Regnum jure hæreditario pertineret; *Desiderius*, qui Comes stabuli *Aistulpho* fuerat, tumque Ducatum *Thusciæ* ejusdem beneficio administrabat, ipsum sibi *Longobardis Thusciæ* suffragantibus vindicavit, quod ubi *Rachis* audivit, usque adeo indignatione exarsit, ut Regnum iterum inire, & Monachum exuere voluerit; neque vero, aut ejus Consilii Auctores, aut ad rem gerendam deerant Adjutores, plerisque ad eum ex *Liguria*, *Æmilia*, & *Venetia Longobardis* seditionis gratia confluentibus: His rebus 186
animadversis *Desiderius*, summum non Regni solum, sed Ducatus etiam in timorem adductus, se-

sequenti anno sese ad *Stefanum* Pontificem contulit, atque ei *Faventiam*, *Caballum*, *Ferrariam*que ab *Aistulpho* non restituta se traditurum, & pacem, fœdusque pro ipsius arbitrio restauraturum promisit, si ad suas se partes applicuisset, seque in Regni possessione, aut Auctoritate retinuisset. *Stephanus*, re cum *Fulrado* Abbate communicata, omnia se facturum, quæ ille peteret, demonstravit, ac *Fulrado* ipso, ac *Paulo* Fratre ad eum in *Etruriam* misso, fœdus ex sententia sanxit, *Desiderio*, atque exercitu ejus diris execrationibus, si quando fide decessissent, obstrictis: Deinde per *Stephanum* Presbyt. *Rachisium* monuit, ut in pristino Vitæ instituto mansisse, neque *Desiderium* Regem à se appellatum, sociumque sibi adscitum, ulla ratione sollicitasse vellet, quin etiam *Fulradus* auxiliis *Francorum*, *Romanorum*que stipatus, ad *Desiderium* transiit, & se, si Res essent Armis disceptandæ, ei non defuturum ostendit. Ita, cedente *Rachisio*, *Longobardi* territi Regnum *Desiderio* confirmarunt.

Hostiensi tamen supra cœteros danda est Fides, utpote *Cassinensium* rerum Scriptori Vigilantissimo; Hic nullam prorsus de *Rachis* Resipiscentia mentionem faciens, sic in *Chronicorum Cassin. Cap. VIII.* scribit: *moxque ad hoc D. Benedicti Monasterium eodem Apostolico jubente* (de Pontif. *Zacharia* loquitur, qui nonum tunc annum Pontificatus agebat) *perveniens, ac sub Regulari Magisterio se instituendum tradens, post aliquot in Sancto Religionis proposito, ac Deo placita conversatione, peractos annos, Deo Spiritum reddidit.*

Verum si hoc etiam patraverit *Rachis*, non ita tamen indignationi objecerim Populorum. Agebatur enim de excidio suæ Gentis Imperii, cujus ut subveniret incolumitati, non secus, ac olim alii sui Generis, posteritati exuit Monachum, nec sine Divino aliquo instinctu egisse puto; qui *Desiderium*, futurum acerrimum Hostem Ecclesiæ,
187 prævidebat, eversoremque potestatis *Italicæ*. Equidem hoc uno gaudeo, exultoque, neminem ex Historicis adiisse, qui non commendaverit *Rachim*. Religiosissimum *Baronius* nuncupavit, asseritque, majores suos virtute bellica, humanitate ac pietate conjuncta, & Religione præcessisse. Virum certe omni laude dignum, si Vitam ejus, si mores, si animi integritatem inspicias, *Platina* fuisse tradit, & quidem apud *Bergomensem* (licet in hoc deceptus enormiter *Taurinatium* Principem fatetur) perpetua laude dignum, animo pium, & Religionis amatorem invenio.

ANSELMUS XIII.

IN CIVITATE FORI JULII

DUX.

Electus in Regem *Italiæ Rachis*, Ducem sui loco *Foro Julianis* dedit *Anselmum*. Erat ipse *Gisseltrudis Aistulphi* Regis Uxoris Frater; Cujus Reginæ Religiosissimæ Nomen apud Nos hucusque in *Evangelistario* quodam legi potest. De quo sic *Nicolettus*; *Nella Collegiata Chiesa di* Cividale *sono alcuni doni pretiosi coll'inscrittione de Duchi Donatori, & di Principesse, tra quali si conserva un' antichissimo Evangelistario in lettere Majuscole di color celeste, & vermiglio, leggiadramente descritto coll' una delle coperte d'argento, & con una bellissima effigie di Christo resuscitato, nel qual si vedono i Nomi di* Pietro Duca, *di* Giseltruda, *& di altri infiniti* Longobardi *di Cividale* Foro Giulio, *& Figlioli della sua Chiesa*; post hæc de *Rachi* etiam subdidit: Rachis *diede amplissimi poderi à Vescovati di* Parma, *e di* Modena, *& al Collegio Canonicale della Città del* Friuli, *appresso del quale si vede ancora il Nome di lui nè marmi impresso, & nell' Evangelistario* Longobardo, *tra i più Illustri* Baroni *di quella Natione, illustremente scritto.*

Sed de *Anselmi* Ducatu varii varia conscripsere. 188
Candidus in III. Dominium Civitatis penes Cives ipsos *Foro Julianos* ponit, his verbis: Rosimunda *interim*, Luitprandi *Regis Uxor*, Austriis *Principibus oriunda*, *Viro fato functo*, *hortatu* Ailprandi, *in* Fori Julii *sedem secessit, quæ Generosos Civium animos arduis in Consiliis conspicata, reliquum vitæ sine cura exigens, administrationem omnem ipsis est elargita. Quamobrem Senatus Consulto ad posteritatis memoriam decretum est, oppidi nomine immutato*, Civitatem Austriæ *nuncupari.*

Demisse historiam narrarunt *Canussius*, & *Locatellus*, & quidem quasi ne continentiæ terminos transgrederentur, Rem minime, ut facere debuissent, inculcant. Ille: *Quorum Sedem* Rosimunda *Regina*, Austriæ *oriunda*, *omnium novissima, viduata* Longobardorum *Rege* Luitprando, *moxque per* Aldebrandum *Regno occupato*, *ipso suadente in* Julii *Sedem secessit*; *ubi primum fuit admissa*, *Civium generosæ Nobilitatis conspicata præsentiam, quorum Consilio in difficultatibus utebatur*; *Reliquum Vitæ sibi sine cura proterminans, Ducatus Administrationem Civibus est elargita*; *Patres deinde ex Nobilium frequentia, qui Rempubl. administrarent, definito numero conscribuntur. Ubi primum Senatus haberi cœptus, duplici occasione oblata, S. C. ad posteritatis memoriam decretum est Oppidi nomen immutari, compositumque Nomen ex appellatione Reginæ, & Episcopi Dignitate* Austriæ Civitas *Oppido inditum est*; *ab eademque Denominatione Provincia dicta est* Austria. Locatellus: *Mà io voglio dire cosa, della quale appresso alcuni Scrittori trovo fatta mentione. Dicono, che doppò la morte di* Luitprando, Rosimunda *sua Moglie per conseglio d'* Alprando *successe Duchessa di* Cividale, *& che fù della Casa d'* Austria, *la quale conosciuti i generosi Animi de' Cittadini, nelle maggiori, & più difficili deliberationi, havendosi eletto quello, che gli avanzava di vita, lontana da quelli pensieri, che suole recar seco il reger altrui, diede à loro il libero governo di se stessi*; *per questa cagione dicono i detti Scrittori, che* Cividal *all'hora per determinatione del suo Conseglio, la-* 189
sciato il suo primo Nome, incominciò à chiamarsi Cividal d'Austria.

Verum ex quibusnam Auctoribus prædicta obtinuerit *Locatellus? Pius* fuere, & *Trovamalla*; qui pene non in eamdem tantum sententiam, quam in eadem verba conspirant. Unus *Volffgangus Lazius* Comment. Rom. XII. audacius arrepto calamo, *Candidum*, hosque omnes, in gratiam Dominorum, ridiculam istam de Regina *Rosimunda* fabulam fuisse commentos, indigitat; Ego horum singulorum dicta perpendens, quo me vertam, ignoro. *Rosimundæ* Nomen apud *Longobardicæ* Historicæ Scriptores, præter illam *Gisulphi* invenire difficile, quin *Geltrudam Theudonii Bojaniorum* Ducis filiam à *Luitprando* Rege in Conjugem acceptam asserit *Diaconus*. Sed hæc ingenia delicata fatigent, & torqueant; Rem omnibus exploratissimam, apertissimamque addere peropportunum existimo; avitum videlicet nostræ Civitatis stemma, quod Zonâ condictâ, (Via ne lactea?) Tesseræ rubræ medium secante constat, idem omnino cum illo Augustissimæ, & Sacratissimæ *Austriacæ* Regnantis simul, & Imperantis Domus existere; Reginam insuper venusta forma, & aurea corona spectabilem supra Insignia residere, non sine aliquo certe, vel Historiæ, aut Antiquitatis arcano. Auxit suspicandi opinionem immutatum Civitatis stemma, quod olim Turritam præ se ferebat Civitatem. Atque undenam præsens hæc immutatio, atque conversio? nun-

quam legimus sine aliqua causa unius vel Gentis, vel Regni, vel Civitatis stemma in alterius generis immigrasse sine aliqua nobili causa. Enumera, si potes, Civitatum, Regnorum, seu Familiarum Tesseras, vel apud *Sansovinum*, vel *Petra-Sanctium*, vel *Crescentium*, vel *Morigiam*, vel *Ferrantem della Marra, Guardiæ* Principem, non sine aliqua causa immutatas; nec quidem causa ex Fabulis, & Commentis.

Expostulas post hæc præclare ab *Anselmo* gesta facinora? affert Tibi elegantissime *Nicolettus*: Gisseltrude, *nell'* Evangelistario Longobardo *notata, per*
190 *Nobiltà, per Bellezza, per costumi, Moglie d'* Aistulpho *Rè, ad* Anselmo Longobardo *suo fratello, come si può credere, ottennè la Duchea* Turlana, *nella qual per qualche tempo con grido, secondo alcuni, di guerriero attissimo alla Guerra egli militò al mondo, mà poscia con affetto sempre inchinatissimo alle attioni, & meditationi dello spirito, servì al Cielo: perche nel DCCXLIX. havendo con una spesa veramente da Prencipe eretto un nobilissimo Monasterio, & un commodissimo Hospitale appresso* Fannano, *logo nei Monti di* Modena, *Città illustre, & poscia ivi fatto Abbate di molti Servi di Dio, per alquanti anni spese santamente tutte le hore, finche nel DCCLII. venuto nelle Campagne dell'istessa Città oltre il fiume* Subena *colle mani de Monachi purgando prima il luogo dall'asprezza delle spine, & dall'horrore d'una selvaggia, & inculta apparenza, con più magnificenza, & artificio fabricò l'Abbatio di* Nonantula, *che poi accresciuta di doni, & di possessioni da i Re, per moltitudine de' Padri, oltre mille, per fertilità de poderi numerosi, per ampiezza di Giurisdittione, frà tutte l'altre d'*Italia *fù la più celebre, massimamente, perche il Fondatore, di licenza del Rè, andò à* Roma, *& poscia tornato, ricevuto primo dalla mano sacrosanta del Papa la Veste Monachale, & il Baccolo, egli portò de' Doni eterni, cioè il corpo di S.* Silvestro *dal Seggio Apostolico in dono per testimonio, anzi per premio della sua inchinatione al capo della Chiese, & della Charità verso il prossimo: per la qual egli, non longi dal Monasterio, nella via di* Romagna, *fabricò un'altro Hospitale detto il S.* Ambrogio, *acciò coloro, a quali era grave incommodo il piegar il viaggio à* Nonantula, *quì ricovrandosi havessero sicuro, & commodo albergo.*

Riccobaldus, cum *Sigeberto* in *Chronicis*, nobile illud Monasterium in honorem Apostolorum fuisse constructum ab *Anselmo* est Auctor, *Stephani* III. Pont. Anno III. ipsum autem Monasticam Vitam esse professum, & in Abbatem promotum, atque CC. Monachis præfuisse.

191 PETRUS XIV. IN CIVITATE FORI JULII DUX.

Anselmus ubi Ducatum abdicavit, potestas ad *Petrum Munichis* filium delata est, consilio, judicioque maturum; solus iste ex ea clade, quam *Sclavi Pherdulpho*, & Flori *F. Julianæ* Nobilitatis inflixerant, sospes communi adhuc aura fruebatur. Hunc *Pemmo, Rachis*, Ducis, Regis, & Monachi genitor, è teneris annis apud se manere voluit, quem liberalibus artibus, Bellica & Militari scientia informavit. Virtutum judicium exhibuit non vulgare sub *Aistulpho* Rege, cum *Ravennæ* Exarchatum debilitavit, & frequentissima, ac munitissima Oppida Bellicis Machinis verberata, expugnata tandem in suam fidem, & potestatem adduxit; licet tandem omnia *Pipini Gallorum* Regis adventu in Jus R. E. rediere. Dux subinde creatus, conservando potius, quam augendo Ducatui aptus est visus. Gloriose tamen morti succubuit.

In his Annorum periodis ex *Candidi*, & nonnullorum Auctoritate Templum, atque Cœnobium Virginum Nobilissimarum Ord. D. *Benedicti* in Civitate, quod vulgo *il Monasterio Maggior di Santa Maria in Valle* dicitur, conditum fuisse crediderim: ingenue fateor, exquisitissimis super quam dici potest privilegiis decoratur, ampla Jurisdictione potitur, Reliquiis celeberrimis plurium SS. nobilitatur, opibus, latifundiis, & prædiis locupletatur. Primos tamen invenire fundatores alsit calamus. Nonnulli Matrem, seu Filiam hujusce *Petri, F. Julianorum* Ducis, faciunt; *Candidus* in IV. *Peltrudem* hanc esse dicit, sed *Herpii, Antonii*, & *Marci* Matrem *Nicolettus*, in *Bertoldi* Patriarchæ Vita non secus adjudicat: *Hebbe in opinione la passata età, che questo Monasterio overo da* [1] Herfo, Mano, *&* Antonio *Nobilissimi* Longobardi, *col consenso di* Desiderio, *& d'* [2] Agisulfo, *Rè di quella Natione fosse stato fondato, & sotto l'instituto di S.* Benedetto *accommodato à* Pertude (sic) *loro Madre, Donna di Santissima Vita; ò pure (il che è più credibile) da i Rè* Longobardi, *quali con celeste intentiene levando l'honore all' Inferno, e dando la Gloria al Cielo, accesero i lumi à* Christo, *nella Chiesolla interna, già Tempietto de gl' Idoli, notabile per struttura antica de' Marmi, dove erano sepolte le Ceneri d'una Corte* Romana *valorosamente contra Barbari morta, descritta in parte in un sasso, che fin hoggidì si vede nel pavimento. Si governò per molti anni sotto la protettione Reale; finche caduto il Regno de'* Longobardi *alla Corona di Franza,* Lodovico, *e* Lottario *Imperatori* Francesi, *con speranza d'una sempiterna remuneratione presso Dio, lo posero alla podestà Spirituale di* Massentio *Patriarcha*; & quidem jam aureum illud Diploma repetere non vacat, cum superius illud ostendimus. Verum si *Cæsarum* sensere beneficia Nobilissimæ Moniales istæ, puta *Caroli M. Ottonis, Ludovici*, & *Berengarii*, quorum hic Palatium magnificum, *Gastaldagium* nuncupatum, donavit. Si Summorum Pontific. *Alexandri* IV. ac VI. munificentiam prædicant? non minora tamen commoda à Patriarchis *Aquilejensibus* accepere: *Gottopoldus Popponi* in Patriarchatu *Aquil.* Ecclesiæ substitutus Anno Sal. M.LVIII. quatuor, ut ajunt, *Massaricias* in *Carnia*, datis ad hæc litteris, liberaliter elargitur:
„ Notum sit omnibus præsentibus, & futuris, qualiter ego *Gottopoldus*, Dei Gratia Patriarcha *Aquil.* quatuor *Massaritias* in *Carnia* positas, scilicet in Villa, quæ vocatur *Ampex*, Monasterio Venerabilis Ecclesiæ de *S. Maria de Valle*, quæ est in Civitate *F. Julii*, posita ad servitium illarum Monacharum, quæ ibi serviunt Deo, cum omni jure in perpetuum tradimus, eo tenore, ut illarum quatuor *Massariciarum* impensio non admisceatur reliquo stipendio Monacharum, sed semoto, & singulariter in quatuor Festivitatibus *S. Mariæ* inter illas dividatur. Quod, ut verius à Nobis factum esse credatur, manu nostra sub- 193
„ scripsimus, & signi nostri impressione confirmari jussimus.

„ *Ego Gottopoldus Patriarcha subscripsi.*

„ *Ora pro famulo Sancta Maria tuo.* „

BERTOLDUS itidem ex Duce *Moraviæ*, & Coloniensi Archiepiscopo S. R. I. Electore, Patriarcha *Aquilejensis*, legavit huic Monasterio multa Bona, & præsertim Villam *Præpotti* cum sua Jurisdictione.

Anonymus in Descriptione Civitatis F. Julii: *Hà Giurisdittione il Monasterio Maggiore di* Santa Maria *in Valle in* Prepot, *ove hà mero, & misto Imperio in S.* Guarzo, Cravor, Vernassino, *&* Pichon, *Ville nelle Contrade de* Schiavi, Merso *di sopra, sotto* Stegnan, Usiviz, *&* Raunich *sotto* Vernassin. *Hanno sotto gl'* Austriaci Cosban, Briz-za,

[1] *Herfo; Mano*) Fortè *Herpo, Marco.*
[2] *Agisulfo*) Alibi *Aistulfo.*

za, Vitrignan, *& due altri Loghetti.* Quamobrem, & in Comitia, *Goriciam* convocari assueta, adveniunt Moniales. Tristem abire non desinam, si quis Antistitas, seu Abbatissas hujusce Illustrissimi Cœnobii scire exoptaret. Habeat ergo, quas potui perscrutari, quæ sequuntur.

Villimberca
Mazza
Erardia
Villimberca
Perta
Hellica
Imingarda
Joanna
194 *Lunetta*
Adaletta
Rheilinta Frumentina.
Elisabetha de Portis.
Sophia.
Adaletta.
Joanna de Ragonea.
Ilda.
Sophia.
Thiarda de Civitate Austriæ.
Speronella de Portis.
Catharina.
Beatrix
Beatrix
Elisabetha Frumentina
Rheelinta Frumentina de Cusano
Regina Manzana.
Stella Melsia.
Hieronyma de Nordis.
Blanca Frumentina.
Dianora Bojana.
Laura de Attimis
195 *Aurora Frumentina.*
Dorothea Claricina.
Elisabetha de Portis.
Elisabetha de Nordis.
Æmilia Bojana.
Nicolosa Manzana.
Dorothea Frumentina.
Tranquilla Manzana.
Elisabetha de Brandis.
Paula à Turre.
Joanna Frumentina.

A *Blanca Frumentina*, usque ad primam, quam commemoravimus *Villimbercam*, Magistratus una cum vivendi termino finiebat. Unde postea factum, ut non nullæ ex infra positis bis, aut ter electæ sint in Antistitas.

RHODOGASIUS XV.

IN CIVITATE FORI JULII

DUX.

UT in *Desiderio Longobardorum* desideratum est Regnum, ita plane *Rhodogasium* postremum ex *Longobarda* natione prognatum Ducem experta est *Foro Juliensium* Civitas. Rem ab altiori principio commemorare voluimus.

196 Cum *Paulus I. Romanus* Pontifex, inter vivos adhuc esset, *Desiderius* quoque, *Italiæ* Rex, summa cum integritate, & Religione degebat, nam & cognitum optimè ab omnibus esset censebat, *Pauli* potissimum opera amplissima se dignitate insignitum fuisse. Ædificat in Agro *Brixiano* D. *Benedicti* Cœnobium, quod extructum opibus, & pretiosis muneribus locupletat. Aliud in *Ansilbergæ* Filiæ Virginis gratiam, quæ ibidem professa est *Monasticam* vitam, erexit. *Faventiam*, *Caballum*, atque *Ferrariam* Pontifici tra-

A didit, Regnum egregie, & prope sancte, bonis
quippe operibus semper intentus, administravit.
Ast ubi soluta mortalitate ex hisce Terris *Paulus*
ad superos evolavit, quasi nullum jam ingrato
animo obicem habiturus, tetram infamiæ notam
contraxit, prolapsusque in dedecus, eximia antea-
cta facinora maculavit; nec mirum posthac si, in
Ecclesiam *Romanam* arma convertens, cesserint
illi omnia infeliciter, donec, & ipsum Regnum
omnino excisum deseruerit.

Jam in unum Urbanus Clerus coierat pro nova
electione Pontificis, cum *Desiderius* novandarum
rerum materiam præbuit. Amabat Rex quam-
B plurimum *Totonem Nepesinum* Ducem. Erat huic
Frater *Constantinus* nomine, quem *Desiderius*, vi
etiam, quando promissis, & largitionibus non
poterat, Pontificem deligendum instituit. Ad
iter *Romam* versus accingitur, toto honore fu-
turo fratris erectus, Regisque præsidio. Et
quidem ad omnem nutum, si quid excogitaret
Rex, se paratum facillime testabatur. Igitur ex
Civitate *Nepesina*, aliisque *Tusciæ* locis contractis
copiis, Porta Sancti *Pancratii Romam* ingressus,
Constantinum, nondum Sacris initiatum ordinibus,
Pseudo-Pontificem declaravit. Cogitur inde *Gre-*
gorius, *Portuensis* Episcopus, *Constantinum* inunge-
C re, assistentibus Ceremoniæ *Ciconato*, & *Eusta-*
chio Præsulibus. Audire istud placeat, temera-
rias scilicet *Gregorii* manus ob eam rem exaruisse.
Sed qui illotis, ut inquiunt, pedibus dignitatem
aggreditur, ita ex illa facili negotio, conatuque
dejicitur. *Constantinus*, *Christophori* auctoritate, 197
Magistratum & Insignia abdicat, & *Stephanus*
III. natione *Siculus*, singularis Religionis, &
prudentiæ Vir, omnium suffragiis subrogatur.

Quorsum *Desiderius* dirigeret animum novit
confestim *Italia*. Libidine Imperii ampliandi pro-
pe hæreditaria stimulatus, ad Ecclesiæ Ditiones
anhelat, atque ne sibi studiis, & contentionibus
D opponerent se se *Romani* Pontifices, perpulit *Ro-*
mam, ut flagitiosum exciperet pro Pontifice, ei-
que traderet *Lateranum*. Verum cum hæc omnia
per inanem fiduciam suscepisset, levitate, ac da-
mno abstitit ab iisdem.

Accumulat per summam injuriam alia dehone-
stamenta, mala super addit malis. Mortuo siquidem
Georgio Archiepiscopo *Ravennate*, & in sancti *Apol-*
linaris Classensis ad sepulturam dato; *Michaël*, ejus-
dem Ecclesiæ à secretis, nullis dum sacris imbu-
tus, per *Mauritium Ariminensium* Ducem, & *Deside-*
rium, quos, ut multi, quibus cum ego consen-
tio, *Michaël* ipse pecunia corruperat, sedem oc-
E cupat; Ausi quin etiam sunt Principes isti ad *Ste-*
phanum Pontificem Legatos mittere, qui pecu-
nia subornarent, ut *Michaëlem* Archiepiscopum
confirmaret. At *Stephanus* non modo rejecit mu-
nera, verum etiam edicto sanxit, ut *Michaël*,
nisi sedem relinqueret, quam contra Jus, fasque
occupaverat, Sacris interdicetur. Clerus ad Pon-
tificis imperata cogitata intendens, & summam
imprudentiam *Longobardorum* graviter indignatus,
Leonem Archidiaconum justioribus Comitis in
Archiepiscopalem Thronum evexit.

Hæc inter, *Aquilejensis* etiam Patriarcha, opem
F ferente *Rhodogasio Foro Juliano* Duce, *Gradum*,
non imparem, qua *Desiderius Romam* simul, &
Ravennam turbaverat, seditionem concivit. Stu-
debat *Aquilejensis Istriæ* Episcopos contra præce-
pta Prædecessorum Pontificum à *Gradensi* Eccle-
sia abalienare; quare damna inferre, fultus *Lon-*
gobardorum viribus, Insulæ, & vexare continuo
subditos, in eorum facultates invehi, nullam est
visus opportunitatem amittere. Legati ad Pon-
tificem, sub *Mauritio*, *Galbaio Venetiarum* Princi- 198
pe, destinantur *Gradensis* Patriarcha, *Magnus*
Præsbyter, & *Constantinus* Tribunus. Sed Pon-
tifi-

tificem quarto Pontificatus sui anno abreptum è vivis inveniunt.

Platina Carolum Magnum Francorum Regem ab hoc Pontifice rogatum asserit, ut *Desiderium* admoneret, vellet ab injuriis Ecclesiæ inferendis aliquando cessare; Fecit id *Carolus*, & quidem perdiligenter, retinere tamen hominem in officio Armis non potuit, quod ei, mortuo Fratre, qui secum paribus semper animis biennio regnaverat, multa adire bella necesse fuit. *Aquitanos* enim in potestatem suam redegit, *Vascones* domuit, deinde vero transmissis *Pyrenæis* montibus, fusis, ac fugatis *Saracenis*, usque ad *Betim* Flumen penetravit; Atque hinc *Desiderii* adversus *Carolum* indignatio cœpta, quæ mox ob repudiatam à maritali Thoro Filiam odio prævalente concrevit, exindè ulciscendi ipsius occasionem libenter arripuit. *Berta*, *Carolomanni* Regis uxor, ut sunt ingenia invida fœminarum, *Hildegardæ Caroli M.* Conjugi, ob mariti amplitudinem nimis infensa, cum parum sibi Dignitatis, & filiis relinqueretur in Aula, *Antichii* cujusdam usa consilio, ad *Desiderium* properavit, ejus, si quod ab irato Rege posset, auxilium impetratura; nitebatur ipse *Desiderius*, atque inhianter decertabat, quatenus ipsi *Carolomanni* Filii *Francorum* Regnum assumerent. *Hadrianum*, qui summum Pontificatum inierat, missis oratoribus *Spoletano*, *Tunore*que *Eburæ Regiæ* Ducibus, & *Prandulo Vestiario*, vehementer obsecratur, & rogat, ut in Reges præfatos filios consecraret, quod quidem, ut à novo Pontif. facilius extorqueret, placandæ iræ, & sui purgandi gratia, alios nuper transmiserat Oratores; sic fallere Pontificem satagebat, non enim alio obvelata tendebat hæc pietas, quam quod injunctis *Carolomanni* filiis, & *Caroli* amicitiam ergà *Romanam* Ecclesiam intercluderet, & ipsius Regnum intestinis discordiis implicaret, sicque ipse metu Regis potentissimi liberatus, *Romam*, *Italiam*que
199 subigeret. Verùm, cum id ab *Hadriano* precibus obtinere non posset, ira exæstuans in Exarchatum irrumpit, occupatis undequaque Oppidis, populisque depressis; laceri, & exanimes *Comaclenses*, *Ferrarienses*, & *Faventini* conspecti, imminens *Ravennæ* periculum nunciant *Hadriano*. Enim vero tum Vir Sanctissimus miseratione commotus, & *Desiderii* fraudibus circumventos Ecclesiæ subditos animadvertens, Abbatem SS. *Vincentii*, & *Anastasii Cistersiensis* Ordinis (*Ferdinandum Ughellum Florentinum*, grande illud Sacræ eruditionis compendium Sacer jactat hic locus) una cum tribus Episcopis ad *Desiderium* iter carpere decrevit, si horum forte precibus delinitus Urbes captas Ecclesiæ restitueret; Horum Antistitum tertium *Theodosium* reperi venerandæ Sanctitatis, & sapientiæ *Tiburtinæ* Civitatis Episcopum, & profecto qui Pontificatus munus ea in Urbe celeberrima sustinuere, summis semper Virtutibus, & Meritis effulserunt. Nuper *Innocentius* X. Virtutum vigilantissimus munerator, cujus liberalitati *Romana* Nobilitas, ad Sacros *Magistratus*, ad purpuram elata, infinitas gratias profitetur, *Julio* Cardinali *Roma* Sacri Collegii Decano extremis casibus intercepto; *Tiburtinam* Ecclesiam, quam vivens ille moderabatur, *Marcello Sancta-Crucio*, *Antonii* Cardinalis Nepoti, eidemque Cardinali à se creato, tradidit gubernandam; qui ex amplissima plane Familia procreatus, infracti animi Majestatem, firmitatem Consilii, Vitæ integritatem, ad omnes casus præstantissimæ prudentiæ robur, in pascendis, regendisque populis in se uno abundantissimè collegit, nec miror; grandes Heroas, ac Principes, *Prosperos*, *Scipiones*, *Marcellos*, *Antonios*, Magistros sortitus est: Quid indè si tutissimam Insulam *Tiburtinam* sub tanti cura Principis arbitratur Pontifex Bea-

A tissimus, qui summæ Generis Nobilitati, & verè *Romanæ*, eruditionem, liberalium Artium cognitionem, & singularem quamdam Humanitatem 200 adjunxit.

Diffidit tamen ab errorum tenebris, & immanitate revocare *Desiderium*, *Hadrianus*. Solum igitur in *Gallia Carolum*, veluti suæ spei anchoram, suæque causæ Patronum introspicit. Edoctus ad unguem Christianissimus Rex illatas *Rom.* Pontif. à *Longobardis* injurias, properanter efferbuit, per Legatos *Desiderium* admonet, ut confestim *Romanæ* Ecclesiæ ablata restituat, aliter se brevi sciat in *Italiam* cum exercitu affuturum, ut
B quod spontè nollet, id vi postmodum facere cogeretur. Surdis sunt auribus dicta. Dubium relictum est non modicum scrupulosis Historicis, & mihi placet, an videlicet hæc patrata jam fuerint protervia *Desiderii*, an verò suorum familiarium, vel Consiliariorum instinctu? Certum habeo *Sigualdum*, *F. Juliensem* Patriarcham, eodem Anno, qui fuit DCCLXXII. *Papiæ* summo loco, & summa existimatione apud *Desiderium* immoratum: extat enim Diploma ab illo S. *Juliæ Brixiano* Monasterio tunc indultum.

Utrinquè comparatur exercitus, ex universo *Franciæ* Regno, Viribus, Virisque florentissimo,
C permulti sunt *Romanis* addicti, irritati præcipuè *Desiderii* malis artibus, dolisque, atque in suum Regem contemptu, de pertinacia quid interea? *Platina* enarravit. *Carolus* mira celeritate usus præmissa parte Copiarum, quæ in transitu *Alpium Jovis* Montem occuparet, cum reliquo exercitu per montem *Cassinum* in *Italiam* descendit, fusoque, ac fugato *Desiderio* obviam facto, omnia longè, ac latè populatur, & capit. *Desiderius* vero, desperatis rebus, tanto accepto incommodo, *Papiam* se recepit, Uxore, ac liberis *Veronam* missis. At *Spoletini*, *Reatini*, ac *Longobardi*, qui eas Regiones incolebant, audita *Desiderii* calamitate, *Romam* venientes, se suaque omnia
D *Romani* Pont. fidei commiserunt. *Desiderius* jam Regno spoliatus, non etiam vita, *Lugdunum* cum Uxore, & liberis mittitur exulatum.

Hoc modo *Carolus* memorabili Victoria Regnum *Longobardorum* oppressit, delevitque ab *Alboino* acquisitum, ab *Authari*, *Grimoaldo*, & *Agisulpho* firmatum, Anno postquam *Italiam* primum intraverant, occupaverantque CCVI. CCXIII. sivè CCXIV: neque enim convenit Annorum numerus apud Scriptores, paulo post *Bojorum* etiam Regnum evertitur, *Tassilone*, *Desiderii* Genero, Rege eorum novissimo, & Filio *Dedone*, 201
qui propter *Desiderium* adversus *Carolum* Bellum
E moverant, in Monasterium detrusis; fuit & *Romanum* Imperium, *Nicephorum* inter *Græcorum* Imperatorem, eumdemque *Carolum*, deplumatum. Equidem nec tanti Regni finis caruit prodigiis, atque portentis. Parentarunt prostrato Cadaveri Ecclypsis solis, facta V. Idus Jan. & eodem Mense Eclypsis Lunæ IX. Cal. Feb. Ingens in Oriente, & Septentrione gelu concrevit Pontus, ad C. passuum millia ita obriguit, ut glacies lapides adæquaret; Nix in eam eminuit Altitudem, ut Montis similitudinem præ se ferret. Sanguis de Cœlo profluxit, crebris scintillis, luctantibusque favillis cum horrendo fragore, & multiplici
F serie figurarum conspecta Sydera formidinem non mediocrem mortalibus incusserunt, huc illucque discurrentibus, & ultimum sæculi finem esse credentibus; *in questo modo*, ait Bonifacius, *mancò in* Italia *il Regno* Longobardo, *il quale essendo incominciato sotto* Alboino, *che nel DLXVIII.* (*come fù detto*) *vi venne da* Narsette *invitato*, *& nel DCCLXXIV. finito, continuò CCVI. sotto XXIV. Rè* Longobardi, *i quali, anchorche da molti sono per* Barbari, *&* *Nemici* d'Italia *trattati*: *Nondimeno*,

meno, chi ben considerarà, troverà, che si come da A
principio il Regno loro fù aspro, e rigido, cosi dapoi
ricevuta la Christiana *Religione, fu benigno, & riguardevole, & con giusti leggi da loro fatta rettamente governato, i quali aspramente castigando i furti, le rapine, gli Homicidii, gli Adulterii, e gli altri delitti procurarono, che i* Suddit*i in liberta potessero vivere sicuri: essi fabricorno magnificamente Monasterii, & Chiese, stanze amplissime per i Vescovi nelle Città, & i loro Vescovati arrichirono: Hebbero il Pontifice, & la Chiesa in molta Veneratione, & dà loro molte Illustri Famiglie discesero, che sono state, & sono ancora d'ornamento all'*Italia, *per*
la quale moltissime Terre, Città, parte ruinate ripa- B
rorono, & parte da fondamenti edificarono.

Invisamus nunc amabo captivos in *Gallia Longobardos*, quales in Carceribus, & compedibus
202 Viros? Sed dum singulos de nomine viritim interrogo; quidam ex iis, ut videbatur, prudentia, dignitate, & Doctrina præcellens, dexteram osculo deposcebat; facilè meum animum in Amorem, & Cultum tantæ Urbanitatis impellit. excruciantur intima pro tanti Viri opt. statu, non ita tamen ille tristatur, aut doloris aperit Argumenta: sed summa verborum elegantia sua natalia, Patriam, & facta refert. Ego sum, inquit,
Paulus Warnephridi Filius, Natione *Longobar-* C
dus; *Fori Julii* Civitas Patria mihi contigit, *Diaconus Aquilejensis* E. *Desiderii*, quondam totius Regis *Italiæ*, modo, ab miserum! concaptivi, à Consiliis, & Secretis. Genealogiam retexam meam, & quia sic Tu postulas, paulo superius Narrationis ordinem replicabo. Eo tempore, quo *Longobardorum* Gens de *Pannoniis* in *Italiam* accessit, *Leuphis* meus abavus, ab eodem *Longobardorum* Genere, cum eis pariter adventavit, qui postquam aliquot annos in *Italia* vixit, diem claudens extremum, quinque ex se genitos filios adhuc pueros reliquit, quos Tempestas ista Capti-
vitatis deprehendens omnes ex Castro *F. Juliensi* D
in *Avarum* Patriam exules deduxit, qui cum per multos annos in eadem Regione captivitatis miseriam sustinuissent, & jam ad Virilem pervenissent ætatem, cæteris IV. quorum nomina non retinemus, in captivitatis Angustiis persistentibus, quintus eorum Germanus, nomine *Lupicis*, qui noster posteà proavus extitit; inspirante sibi, ut credimus, Misericordiæ Auctore, Captivitatis jugum abjicere statuit, & ad *Italiam*, ubi Gentem *Longobardorum* residere meminerat, tendere, atque ad libertatis jura studiit repedare; qui cum iter aggressus fugam arripuisset, tantum pharetram,
& Arcum, & aliquantulum cibi propter Viati- E
cum gerens, nesciretque omnino, quo pergeret, ei Lupus adveniens Comes itineris, & Ductor factus est, qui cum antè eum pergeret, & frequenter post se respiceret, & cum stante subsideret, atque cum pergente, præiret; intellexit eum sibi Divinitus datum esse, ut ei iter, quod nesciebat, ostenderet; cumque per aliquot dies per montium solitudines hoc modo pergeret, panis eidem Via-
203 tori, quem exiguum habuerat, omnino defecit, qui cum jejunans iter caperet, & jam fame tabefactus defecisset, tetendit Arcum suum, & eum-
dem Lupum, ut eumdem in cibum sumere posset
interficere sagitta voluit; Sed Lupus ictum fe- F
rientis præcavens ab ejus visione lapsus est: ipse autem, recedente eodem Lupo, nesciens quo pergeret, famis insuper penuria nimium debilis effectus, cum jam de vita desperaret, sese in terram projiciens obdormivit, videtque quemdam Virum in somnis talia sibi verba dicentem: surge, qui dormis, arripe viam in hanc partem, contra quam pedes tenes, illac etenim est *Italia*, ad quam tendis. qui statim surgens, in illam partem, quam in somnis audierat, pergere cœpit; nec mora ad habitaculum Hominum pervenit. Erat enim *Sclavorum* habitatio in illis locis, quem cum una mulier jam vetula vidisset, statim intellexit, eum fugitivum esse, & famis penuria laborare; ducta autem Misericordia super eum, abscondit eum in Domo sua, & secreto paulatim ei victum ministravit, ne si ei panem usque ad saturitatem præberet, ejus Vitam funditus extingueret. Denique sic competenter ei pastum præbuit, quo usque ipse recuperatus Vires accipere potuisset, cumque eum jam validum ad iter faciendum vidisset, datis insuper Cibariis ad quam partem tendere deberet, admonuit, qui post aliquot dies *Italiam* ingressus, ad domum, in qua fuerat ortus, pervenit, quæ ita deserta erat, ut non solum Tectum non haberet, sed etiam Rubis, & sentibus plena esset; quibus ille succisis intra eosdem parietes vastam Urnam reperiens, in hac suam pharetram suspendit, qui postea Consanguineorum, & Amicorum suorum muneribus ditatus, eam Domum reædificavit, & Uxorem duxit; sed nihil de Rebus, quas Genitor suus habuerat, exclusus jam ab aliis, qui eas invaserant longa, & diuturna possessione, conquirere potuit. Iste, ut præmisimus, fuit meus Proavus; Hic genuit Avum meum *Arichim*, *Arichis* vero Patrem *Warnephrid*, hic ex *Theudelinda* conjuge sua genuit me *Paulum*, meumque Germanum *Arichim*, qui nostrum Avum cognomine retulit.

His paucis de Genealogiæ meæ serie delibatis 204
ad meam Adolescentiam accedo: Hanc sub *Flaviano* Præceptore, Viro probo, eodemque Doctissimo transegi, cujus etiam Nepotem *Felicem* ob singularem præstantis scientiæ, & Virtutis opinionem, in tantum *Cunipertus*, *Longobardorum* Rex, dilexit, ut ei Baculum argento, auroque decoratum, inter reliqua suæ largitatis munera, condonarit. In iis lectandis, qui *Romana* potissimum facundia polleret, adhibito solerti studio, & jam palam ornato dicendi genere quam multa professus ad Diaconatum Patriarchatus *Aquilejensis* elatus, Habitum indui Clericalem. Hinc me ad Consilia *Arichis* evocat; fidem servavi Regi per omnia, ita tamen, ut Deo placerem magis, ac potius. Hanc erga cœlites, & Ecclesiam Catholicam mei animi reverentiam, Rex ipse *Desiderius* est contestatus; nihil quod ad *Divini* cultus honorem, & *Romanorum* Pont. Dignitatem pertinet, prætermisi, curavi optime Regis conscientiam gubernari; Atque quoties Bellum tàm periculosum secavi sermonibus! Hæc illius tentamenta non satis mihi conveniebant, omnem lapidem movi, ponebam jacturas famæ, & nomnis æternum probrum; enucleabam adventantium *Gallorum* Vires, *Carolique* Potentiam: oh si dedisset fidem dictis,

& nunc profecto maneres,
Longobarda Domus!

Scripta interim declarant, insulsis nunquam rebus calamum indulsisse, aut dedisse operam obscenis Amoribus Poëtarum, & quoniam *Longobardi* maxima Veneratione S. *Joannis Baptistæ*, *Christi* Domini Præcursoris, memoriam colere consuevere, calore *Apollinis*, & Pietatis incensus, Carmina, ut opinor, ubique vulgata, reliqui.

Ut queant laxis resonare fibris
Mira gestorum Famuli tuorum,
Solve polluti labii reatum
Sancte Joannes, &c.

Aliam mox Oden effudi. 205

Antra Deserti, teneris sub Annis,
Civium Turmas fugiens petisti,
Ne levi saltem maculare vitam
Famine posses.

Illa

Illa quoque mea sunt Carmina:

O nimis felix, meritique celsi,
Nesciens labem nivei pudoris,
Præpotens Martyr, Eremique Cultor,
Maxime vatum.

Hic ego, laudato ipsius ingenio, & probitate summoperè comprobata, dicere non erubui, tanti hæc Carmina ab Ecclesia Catholica æstimari, ut cum illis *Boetii*, *Ambrosii*, *Gregorii*, *Hilarii*, *Sidonii*, & *Fortunati* merito coæquata, publicè tradiderit in Choris, & Divinis officiis Cantioninam; & si aliquam sapiunt ruditatem, profundissimum in se tamen altissimarum rerum continent Spiritum, quippè quæ Divino potius, quam humano Vigore confecta. Hinc velut abstractus in estasim, Futurum aliquando prædixi, sub *Henrico* Imperatore III. *Guidonem* Monachum *Aretinum*, qui sit novam cantandi Rationem per sex primas à se compositi Hymni Syllabas inventurus.

206 *VT queant laxis RE sonare fibris*
MI ra gestorum FA muli tuorum,
SOL ve polluti LA bii reatum
ò Pater alme.

Ad hanc sui ingenii commendationem, parùm visus est intendisse, non sectator gloriæ, sed humilitatis amator; pergit igitur. Beatissimi D. *Benedicti* Vitam, sicuti notum est, Beatissimus Papa *Gregorius* in suis Dialogis suavi sermone composuit, ego quoque pro parvitate Ingenii mei ad tanti Patris Honorem, singula ejus miracula, per singula Disticha elegiaco metro contexui.

Ordiar vnde tuos, Pater ô Benedicte, Triumphos,
Virtutum cumulos ordiar unde tuos?
Euge Beate Pater meritum, qui nomine prodis,
Fulgida lux Cœli euge Beate Pater;
Nursia plaude satis tanto sublimis Alumno
Astra ferens mundo, &c.

Non contentus hæc tantummodo *Benedicti* Animæ Sanctissimæ dedicasse, Hymno quoque ejusdem Apotheosim excolui.

Magno canentis annua
Nunc Benedicto cantica,
Fruamur hujus inclytæ
Festivitatis gaudio, &c.

207 Et quidem hoc Carmen *Paulino* Patriarcha rogante confeci; benè, tunc ego, & *Aquilejensis* Ecclesia mutuâ, parique voluntate labori tuo respondit, quando annua D. *Benedicti* die Sacra utitur inter solemnia.

Alia item, & pedestri, & soluta oratione composui:

De Gente Longobardorum Lib. VI.
Additiones ad Eutropii Historiam Lib. II.
De Gestis Metensium Antistitum Lib. I.
Vitam S. Gregorii M.
Epistolarum plura Volumina.
Vitas Romanorum Pontificum, Cæsarumque.

Hæc mea cura fuit, cum *Desiderius* Rex, omni Adversariorum metu liberatus, declinans à Sponsionibus *Romano* Pont. factis, à *Carolo Magno* Regno dejicitur; & modo *Lugduni* arctissima Custodia maceratur. quod verò ad me, meamque salutem attinet, jam, ut exul ad *Diomedis* releger Insulam, sententia probata est; cum enim meticulosi sint admodum Animi Principum, me ubi *Carolus* ex affectu *Desiderii* parare ipsi insidias audiit à malignis quibusdam Aulicis, ipsius deferor in conspectum; tanquam Majestatis Reo tormenta parantur, minantur lictores extrema, nisi verum faterer. Tum ergo constanter me, & Domini Amicissimum, & fidissimum assevero, atque in eodem arctissimo Devotionis obsequio, quoad viverem, permansurum. Ira succensus *Carolus* imperat incunctanter manus abscindi; sed continuo mutata sententia, memor meæ, si quæ erat,
in Rege consulendo, prudentiæ, ac in scribendis rebus peritiæ, suspirans, inquit, *Ubi tam elegantem Scriptorem reperire poterimus?* atque con-
versus ad proceres, quid de me agendum esse 208
censerent, percunctabatur: illi, eruendos mihi oculos, asserunt, quando litteras adversus tantum Principem percurrere potuerunt; &, *Ubi nàm*, ait ille, *vel quando talem reperiemus Historicum?* tunc omnes, Regis animadversa erga me clementia, suaserunt, me ad *Diomedis* Insulam, ut exilio relegaret. Quo agendum hoc esset, temporis spatium perquirebam; cum subito Regis, Procerumque denunciata ad Carcerem sententia, in Insulam, vix vale dicto, abii; ita me suavissimo privavit aspectu.

Cæterum, quo ipse modo exilium eluserit, *Leo Hostiensis* enarrat. „ Ubi cum aliquot Annos „ exulans duxisset: Homunculus quidam, qui ei „ propter Dominum obsequia præstabat, clam „ illum ex Insula asportans, cùm eo pariter *Beneventum* perrexit; quo viso *Arichis*, qui dicti „ *Desiderii* filiam, *Adelpergam* habebat Uxorem, valde tam ipse, quam eadem ipsius Conjux gavisi sunt, eumque secum in Palatio detinuerunt, quo tempore Utrumque Palatium ejusdem Principis, alterum quidem, quod „ *Beneventi*, & quod *Salerni* alterum, construxerat, idem *Paulus* versibus luculentissimis exornavit. Ejusdem etiam *Adelpergæ* precibus, in „ *Historia Romana*, quam breviter *Eutropius* „ scripserat, plurima hinc inde ex Historiis Ecclesiasticis addidit, duosque præterea libros „ tempore *Juliani Apostatæ*, in quæ ipsam Historiam *Eutropius* terminaverat, usque ad tempora Primi *Justiniani* Imperatoris adjecit; sed „ etiam universas ferè SS. Lectiunculas rythmo „ composuit.

„ Defuncto autem *Rachisi*, mox ad Monasterium hoc *Cassinense* properavit, factusque Monachus, plures posteà vixit annos, rogatus „ quoque ab Abbate ac Fratribus expositionem „ Regulæ S. *Benedicti* perutilem edidit; ubi multa de hujus Monasterii Veteri consuetudine necessario inserit; Nonnulla etiam alia scripta eleganti Stylo conscripsit. Ad hunc præfatus „ *Carolus* Rex, qui eum exilio relegaverat, „ comperto, quod hujus Monasterii factus esset „ Monachus, multum illi gratulatus, affabiles sa-
„ tis, multumque jucundas Epistolas Versibus 209
„ misit, ex quibus hic aliquid inferre placuit; ait „ enim post aliquos versus suam alloquens chartulam:

„ *Hinc celer egrediens facili mea charta volatu*
„ *Per Sylvas, Colles, Urbes quoque præpete cursu,*
„ *Alma Deo cari Benedicti Tecta require.*
„ *Est nam certa quies fessis venientibus illuc.*
„ *Hic olus Hospitibus, pisces, hic panis abundat.*
„ *Lætus Amor, cultus Christi simul omnibus Horis.*
„ *Pax sua, mens humilis, pulchra & Concordia Fratrum;*
„ *Dic Patri, & Sociis cunctis, salvete, valete.*
„ *Colla mei Pauli gaudendo amplecte benigne.*

„ Cui ille similiter Versibus rescribere, & pro „ Visitatione, ac Salutatione sua, & Fratrum „ gratias referre maximas, studuit. „ Hæc *Leo*, qui addit eumdem *Paulum* consenuisse in illo Monasterio, & Longævum ætate in Domino quie-
visse. Ait *Trithemius*, jussu *Caroli M.* ordinasse 210
Historias, & Lectiones per totum Annum singulis Sanctorum Festivitatibus congruentes.

C A R O L U S

Dei fretus Auxilio Rex *Francorum*, & *Longobardorum*, & Patritius *Romanorum*.

Religiosis Lectoribus nostræ Ditioni Subjectis.

„ Cum Nos Divina semper Domi, forisque clementia, sive in Bellorum eventibus, sive Pacis Tranquillitate, custodiat, etsi rependere quicquam ejus beneficiis tenuitas humana non prævalet, quia est inæstimabilis Misericordiæ Deus noster, devotas suæ servituti benigne approbat Voluntates; Igitur, quia Cura Nobis est, ut nostrarum Ecclesiarum ad meliora semper proficiat status, oblitteratam pene majorum nostrorum desidia reparare diligenti studio litterarum satagimus officinam, & ad pernoscenda studia Liberalium Artium, nostro etiam, quam possumus invitamus exemplo, inter quæ jam pridem Universos Veteris, ac Novi Testamenti libros librariorum imperitia depravatos, Deo Nos in omnia adjuvante, examussim correximus, adhærentes præterea memoriæ Ven. *Pipini* Genitoris nostri exemplo, qui totas *Galliarum* Ecclesias *Romanæ* Traditionis suo studio cantibus decoravit; Nos nihilominus solerti eodem curamus intuitu præcipuarum insignire lectionum serie, denique ad nocturnale officium copulatas, quorumdam casso labore, licet recto intuitu, minus tamen idoneo reperimus lectiones; quippe quæ, & sine suorum Auctorum vocabulis essent positæ, & infinitis Vitiorum anfractibus
211 scaterent; non sumus passi nostris diebus in divinis Lectionibus inter sacra Officia inconsonantes perstrepere solœcismos, atque earumdem lectionum in meliorem reformare tramitem, mentem intendimus; Idque opus *Paulo Diacono*, familiari Clericulo nostro, limandum injunximus, scilicet, ut studiose Catholicorum Patrum dicta percurrens, veluti à lectissimis eorum pratis, certos quosque flosculos legeret, & in unum quæ essent utilia, quasi sertum aptaret, qui nostræ Celsitudini parere devote desiderans, Tractatus, atque Sermones diversorum Catholicorum Patrum perlegens, & optima quæque decerpens, in duobus Voluminibus per totius Anni Circulum congruentes cuique Fœstivitati, distincte, & absque vitiis obtulit lectiones, quarum omnino Textum nostra sagacitate perpendentes, nostra eadem Volumina Auctoritate constabilimus, nostræque Religioni in Christi Ecclesiis tradimus ad legendum.„

Meminere hujusce *Diaconi* studii *Sigebertus*, Auctorque Fasciculi Temporum. Ille: *Anno Imperii sui VI.* Carolus *Imperator per manum* Pauli Diaconi *decerpens optima, quæ de scriptis Catholicorum Patrum repererat, lectiones unicuique Festivitati convenientes per circulum Anni legendas, compilari fecit.* Alter: Paulus Diaconus *jussu* Caroli *collegit lectiones cuilibet Festivitati convenientes ex optimis scriptis SS. Patrum.* Porro hæc Carmina in fronte legebantur.

Utere felix
Munere Christi,
Pluribus Annis,
Luxque Decusque,
Magne Tuorum
Carole Princeps,
[2]11 *Atque Togate*
Arbiter Orbis,
Dardanidæque
Gloria Gentis.

Laurentius Surius, Nobilissimi, Sanctissimique *Carthusianorum* Patrum Instituti, quem jam novi-

A mus in *Pii V.* pectore Cardinalem; primus ut mihi videtur, dubitavit de Auctore; sed remittimus, hærentem *Alcuini* studio, ad *Caroli* Verba; & quidem ad plurimas alias scriptiones incubuit *Diaconus* apud *Gallos*. Nam & *Turonensis* Cœnobiiarchæ precibus *Fortunati* celeberrimi Vatis Tumulum carmine decoravit.

Ingenio clarus, sensu celer, ore suavis,
Cujus dulce melos pagina multa canit;
Fortunatus, Apex Vatum, venerabilis actu,
Ausonia genitus, hac tumulatur Humo.
Cujus ab ore Sacro Sanctorum gesta piorum.
Discimus; Hæc monstrant carpere lucis iter.
B *Felix, quod tantis decoraris Gallia Gemmis,*
Lumine de quarum Nox Tibi tetra fugit:
Hos modicos prompsi plebejo carmine Versus,
Ne tuus in Populis Sancte lateret Honos:
Redde Vicem misero, ne Judice spernar ab Æquo.
Eximiis meritis posce Beate, precor.

Porro tantus Vir Huic Civitati ingens attulit 213 ornamentum; nam præterquam quod (Teste *Nicoletto*) ejus insculptum marmore ad æternam Rei memoriam Nomen legebatur, ut ipse *Nicolettus* se vidisse in quodam fragmento narravit.

P A V L V S D I A C . . . .

Elogia insuper promeruit exterorum.

C *Hostiensis* Chronic. *Lib. I. Cap. XVII.* Paulus Diaconus, Aquilejensis, *Regi* Carolo *pro sua prudentia carus admodum, & familiaris factus.*

Platinæ in *Hadriano.* Paulum *quoque* Aquilejensis *Ecclesiæ Diaconum*, Desiderio, *ob Doctrinam, & ingenium admodum carum, secum in* Galliam *ducens libertate donavit, in precioque aliquandiu habuit.*

Candidi in *IV. Cujus ævo* (*de* Paulino *Patriarcha loquitur*) Paulus, Foro Juliensis Longobardis *oriundus*, Aquilejensis Diaconus, Desiderio *Regi admodum charus, quem* Carolus *in* Galliam *ducens libertate donavit, & in pretio habuit.*

D *Bergomensis* Supplem. Chronic. *Lib. X.* Paulus Longobardus *Historicus, &* Aquilejensis *Patriarchatus* Diaconus, *ac* Desiderio *suo familiarissimus, atque carissimus, per hoc tempus & Doctrina, & eloquentia plurimum claruit; quem cum* Carolus M. *cum* Desiderio *suo Rege captivum duxisset, in* Galliam, *postea ob ingenii sui magnitudinem summo loco habuit, ubi cum multo tempore constetisset, postmodum Divina inspirante clementia*, Cassinense *Monasterium ingressus, omne suæ Vitæ tempus maxima cum sanctimonia consummavit: Hic, cum esset eloquentissimus Vir*, Adelpergæ Desiderii *Filiæ, &* Arichis, *ejus Matris, rogatu*, Eutropii *Historiis duos libros addidit; Rogatuque* Caroli, *Vitas, & Festivitates cuilibet SS. Festivitati convenientes, collegit; Hymnos etiam elegantissimos edidit. Multas quoque Epistolas, Humanitatis & succi plenas* Carolo *dedit.*

E

Genebrardi, Chronographiæ III. Paulus Diaco- 214 nus Aquilejensis, *Cancellarius* Desiderii, *simul cum eo à* Carolo *captus, integram Historiam* Longobardorum *Annorum CCV. usque ad Annum* Christi *DCCLXXIII. conscripsit:* Eutropii Romanæ *Historiæ Ecclesiasticam immiscuit; duosque alios libros à* Juliano *ad* Justinianum I. *usque adjecit: senex admodum obiit in* Cassinensi *Cœnobio; & IV.* Paulus Diaconus *jussu* Caroli *Vitas SS. conscripsit, ex quibus* Carolus *unicuique Festo Anni convenientem* F *lectionem, quæ in Ecclesia legeretur, assignavit.*

Messiæ in Carolo M. *Fiorì* Paolo Diacono, *la cui Historia habbiamo molte volte allegata*, Longobardo, *molto per la sua Dottrina già caro à* Desiderio.

Tarchaniotæ *Lib. IX. e se ne menò seco* Poalo Diacono *della Chiesa d'*Aquileja, Longobardo *molto caro per la sua sapienza à Desiderio.*

Tandem vocat occasio, ut ad nostræ Civitatis Ducem *Rhodogasium*, unde cum *Paulo* paululum va-

vagata est, dirigatur oratio. Hunc *Carolus*, cum laudabiliter Vitam traducere cognovisset, removendum à Ducatu nequaquam est arbitratus; Igitur ut *F. Julienses* regeret, peramanter indulsit. Sententiæ nemo non suffragatur. Idem sentit *Sigonius*. „Ducatum inde *Beneventanum Aragiso Desiderii* Regis Genero, *Spoletanum Hildebrando*, *Foro Juliensem Rhodogasio* permisit, antiquo Feudi „Jure erga se, quod erga *Longobardorum* Reges fu„erat, conservato. Quamobrem non possum non dolere, quoties contingit in manus *Pandulphus Collenuccius*; cum suæ *Hist. Neap.* Compendio; ibi enim ille, quasi primioris in *Italia* Ducatus, longeque clarissimi oblitus, duos tantum Duces à *Carolo* confirmatos adducit in medium, *Spoleti*, ac *Beneventi*. Verum frui tranquilla felicitate non licuit *Rhodogasio*, nam *Carolum*, assiduis *Saxoniæ*, *Hispaniæ*que Bellis implicitum considerans, nec facile tueri *Italiam*, Viribus huc, illucque distractis, sollicitat ad defectionem *Tarvisinos*. Moderabatur tunc eam Civitatem *Carolo* pro Rege *Hen-*
215 *ricus Atestinus*. Hic, quod Rex magna semper erga ipsum voluntate comem se, honorificumque præbuerat; ne boni, aut candidi Principis partes in Gentilitiis *Atestinorum* Aquilis viduari viderentur, haud propendet ad *Rhodogasii* postulata: Dux vi iracundiæ ad Ultionem lapsus, per sicarios occidi *Henricum* jussit, ejusque conjugem, una cum septenni ejus puero *Othone* in carcerem detrusit, minime languide casum Principis indoluit *Carolus*; Ducem itaque nova molientem Armis adjudicat vindicandum. Haud dubie intelligens, (ex *Sigonio*) si res hæc impune *Rhodogasio* foret, brevi se totam *Italiam*, gliscentibus in diem defectionibus, amissurum; si fortiter inceptis occurreret, Neminem non ultra in officio permansurum. Ita Natalitiis in *Alsatia* celebratis, cum firmissimo exercitu *Alpes* superavit, ac rectà *F. Julium* ire perrexit; eo cum venisset, mora nulla interposita, quin acie subitò cum Hoste confligeret: Fuso, fugatoque exercitu *Rhodogasius* captus, eo quod Regnum affectarat, ultimo supplicio affectus est; Civitates, quæ defecerant, cum se dederent, facile veniam impetrarunt. *Tarvisium* inde ad Pascha celebrandum profectus, ac Comitibus singulas Civitates administrandas dedit, atque inde se recepit in *Galliam*.

Libet hic sine timore ex prædictis arguere, ac sine crimine suspicari, *Caroli M.* in hanc nostram Civitatem adventum, & ut *Rhodogasii* puniret audaciam, & ut locum, totius fere *Italiæ* propugnaculum, nova XII. Comitum electione firmaret. Hujus autem *Rhodogasii*, *Felicis*que, sui Fratris, ditissimam supellectilem, ac Bona, à *Carolo M.* donata fuisse Ecclesiæ *Aquilejensi*, Diploma Regis *Caroli* testatur, quod apud me exstat, quod incipit. „In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus San„cti. *Carolus* Sereniss. Augustus à Deo corona„tus, Magnus, Pacificus, Imperator *Romano„rum* gubernans Imperium, qui & per miseri„cordiam Dei Rex *Francorum*, & *Longobardo„rum*.„ Datum est autem XI. Kal. Jan. *Aquisgrani*, Anno XI. sui Imperii XLIII. Regni in
216 *Francia*, XXXVII. in *Italia*. Indictione V. vivebat vero tunc Patriarcha *Maxentius* : & quidem, objectionem hinc assumere se validissimam reputant; *Maxentium* nempe ideo Bona hæc *Rhodogasii*, quæ sub hasta locanda jam erant, à *Carolo* pro *Aquilejensi* Ecclesia flagitasse, quia nempe *Aquilejæ*, non in hac nostra Civitate, Patriarchale culmen habebat, incolensque *Aquilejam*, ipsius tantum cultum curabat. Argumenta hæc, ut & alia, prorsus inania; nam & vidimus, *Urbanos*, *Clementes*, *Joannes*, *Gregorios Avenione* residentes in *Gallia*, qui tamen *Laterani* Basilicam, vel flammis, vel vetustate corrosam, suis sumptibus excitasse *Romæ*, suæ videlicet Antiquæ Sedis, Thronique memores; Adducimus Testes, qui supra; sed supra reliquos *Viennia* in *Austria* natum, sine ullius, vel amore, vel odio, Patriarchas in *Austriæ Civitate* viventes numerantem

CALLISTUM REGINALDUM.

Hic ex Stirpe Regum *Longobardorum* fuit, de quo etiam *Anonymus*. „*Sigualdus* (sic eum ap„pellat) sedit Annis XLII. Hic in prædicta habi„tans Civitate (de nostra erat ipsi sermo paulo an„te) eam multipliciter augmentavit.„

S. PAULINUM.

De quo & Cardinalis *Bar.* „*F. Juliensis* Patriar„cha idcirco appellatus reperitur, quod Sedes „*Aquilejensis* FORUM JULIUM esset translata, „de quo nomine *F. Juliensi* in nuper citato loco „hæc leguntur. Hoc Anno *Paulinus* Patriarcha 217
„*Foro Juliensis* obiit.„ Vis quid sit hoc *Forum Julium?* audi Anonymum. „S. *Paulinus* à Glorioso „*Carolo* multa Privilegia obtinuit, & in CIVITA„TE AUSTRIÆ commorans, in Vita multis cla„ruit miraculis, & in morte; cujus Corpus in præ„dicta Civitate cum maximo Triumpho quievit.„ Leguntur in quodam marmore, quod est in nostra Basilica, characteres insculpti.

PAULINUS PATRIARCHA.

Ut quando fidem præbere nolunt Hominibus Homines, saxis loquentibus porrigant.

URBANUM MAXENTIUM.

Qui supra, quique fuit in Synodo *Mantuana*, quem etiam *Candidus* in *Austriæ* Civitate mortem obiisse testatur.

ANDREAM
VENANTIVM
HENDELMARVM
LVPVM
VALBERTVM 218
HENGELBERTVM
FRIDERICVM
LEONEM
URSVM
LVPVM
HENDELFRIDVM
GEORGIVM
SYRVM
RHODOALDVM
JOANNEM
BERTOLDVM
GERARDVM
GREGORIVM de Monte Longo,
NICOLAVM DONATVM.

De *Bertoldo* quid clarius. *Lib. XII. Cap. II.?* (confero me ad *Udinum*) „Quod vocalibus „transpositis *Ptolemæus Idunum* dixit; elevationem „illi tribuens, quam & hodie habet XLV. grad. „XXX. min. Hoc est Municipium, *Bertoldus* „Dux *Moraviæ*, ut Præsul loci primus fertur ex„tulisse, & Sede sua ex CIVITATE AUSTRIÆ „eo translata.„ Accipe *Longobardicis* apud Nos litteris expressum Tumulum *Rhodoaldi*.

...AR-

. . . ARMORE RODOALDI MEMBR' TE-
19 GVNTVR HIC PATRIARCHA NIEN NOBI-
LIS. HIC HVMILIS PACITICVS PASTOR
CVM MODERAMINE VITIS ORNAVIT CLE-
RVM CONSTITVENDO ENORVM ET ON
MARTIRIBVS SANCTIS ARCAM BENE
COMPSIT NOBILIS NITENS ARNTECCE
DEVS IMPLEVIT FAMVLOS NVTRIVIT
VIPPEI ILLOS CONSVLVIT MVLTIS ET
DOCILES DOCVIT DITANS
NEMPE..... INDE VOLANTE DOMINO SIT
OBIIT...... CETIBVS CONSOCIET
ANGELICIS . . . . . PETIMVS

Parcas, si non ita accurate characteres accom-
20 modavimus, nam vix eosdem certe percurrissemus, sed adminiculum, amuletumque hac in re Nobis extitit *Locatellus*. Videtur etiam Frustum marmoris ab introëuntibus in Templi dextrum pavimentum cum hac Epigraphe.

HIC REQVIESCIT
VRSVS PATRIARCHA

TVMVLVS
GREGORII
PATRIARCHÆ.

HIC REQVIESCIT CORPVS PIÆ MEMORIÆ
D. GREGORII DE MONTE LONGO NATIONE
CAMPANI PATRIARCHAE AQVILEJENSIS,
QVI VIRILITER, ET PRVDENTER AQVILIENSEM
ECCLESIAM X. ET VIII. ANNOS REXIT, CVJVS
ANIMA REQVIESCAT IN PACE. AMEN.

Intra vero Templum supra majorem Basilicæ Januam pendet marmoreum mausolæum, marmoreis itidem simulacris ornatum, *Nicolai Donati*, cum hoc Ephitaphio.

21 *HIC decus est Venetum, Donatæ & Gloria Gentis*
Nicoleos Præsul, clara Aquileja tuus:
Jure Sacro, pietate nitens, Virtuteque summa
Moribus, eloquio, Religione, fide,
Lustra decemque duo, & quartum vixerat Annum
Quarta messe cadit, proh dolor! Imperio:

Inde hæc sub Patrii stemmatis orbe legis.

Præsulis hoc Tumulo Venerabilis ossa quiescunt
Nicolai prisca simplicitate senis;
Certior ut fias Donatæ Gloria Gentis,
Et Decus Antiquum Religionis erat.
Justitiæ cultor fuit, & miserator egenis
De quorum meritis nunc tenet Astra; Vale.

Sed quoniam offendes apud hunc Auctorem, vel *Syrum*, vel *Gregorium*, aut alios immutatis, seu confusis potius Nominibus Patriarchas: scias tamen à *Gisulphi* Primi Ducatu in hac nostra Civitate habitasse, sedemque tenuisse Cathedralem, Patriarchas *Aquilejenses*. nam licet omnes norunt *Poponem Aquilejam* primum incolere cœpisse, ibique Patriarchatum, amplissimaque Sacerdotia condidisse; non ita tamen ille Successorum obstare potuit voluntati, jam mortuus, ut in nostræ Civitatis Palatio Patriarchali splendidissimo sacrum non exercerent Magistratum. Constat quippe præter cæteros, quos supra notavimus, *Gerardum*, LIX. ut videre est in *Candido*, Patriarcham, qui post *Poponem* VIII. fuit, in nostra Civitate fato extinctum. Adest Anonymus. Hic fuit de Villa *Præmeriaci* juxta *Civitatem Austriæ* ortus. Apud eamdem plenus bonis operibus migravit ad *Christum*. Somniat hoc *Parthenopæus*, Patriarcharum seriem à *Callisto Utini* commorantium; quam & Sedem Episcopalem constituere non erubuit.

HENRICUS XVI. 222

IN CIVITATE FORI JULII

DUX X.

Ut varios secatus in Rivulos immanis fluvius detumescit suoque in Alveo cogitur quietari; eodem fere modo cum *Rhodogasius* ad rebellandum multo, quam ad bellandum aptior, atque ferocior, justas suæ temeritatis pœnas exsolvit, *F. Juliensem* Ducatum pacifice tunc esse regendum, existimat *Carolus*, si divisus in multos, multorum subderetur arbitrio, sed cum vertente jam Anno, & reflante importuno turbulentorum *Pannoniorum* spiritu, seu rejecta ad scopulos Navis naufragium facere videretur, proram iterum ad rectum Consilii cursum dirigit Rex, & *Forum Julii* ereptum à XII. Comitum potestate Unius *Henrici* curæ commisit. Tempestatem hanc *Hunnicam*, Turbinemque non ignoro, vel excitasse, vel fovisse procul dubio *Græcorum* Cæsarem *Constantinum*; nam *Sigonio* narrante, *Adalgisum*, *Desiderii* quondam Regis *Italiæ* filium, datis auxiliaribus copiis inflammavit ad Bellum. Idem hic Annus, ut novas cum *Græcis* simultates, sic nova Bellorum incendia suscitavit. *Carolus* cum se filiam nuptui daturum *Constantino* Imperatori adhuc Juveni ostendisset, tamen mutato consilio denegavit. Ea Re *Constantinus* vehementer incensus: Itaque, ulciscendi *Caroli* Regis avidus, Bellum inferre *Italiæ* statuit, atque *Adalgisum*, quondam *Italiæ* Regem, qui apud se erat, legatis *Joanne Sacellario*, & *Theodoro* Prætore *Siciliæ* datis, validum eo adducere exercitum jussit; ratus ad Regis antiqui præsentiam *Italiam* ad Arma repente esse consurrecturam; finem expectas periculosi certaminis? fusus, fugatusque exercitus, multi occisi, plures capti sunt, spoliorum quoque ingens parta præda, inter cætera *Adalgisus* ipse in potestatem concessit Regis, atque in tormentis 223
habitus expiravit. Quid ab *Henrico* nostro Duce adversus *Hunnos*? *Addo Viennensis*, eos ab *Henrico* debellatos, atque Thesauris spoliatos, commemorat; „quos idem (inquit) Pio Regi *Carolo* postmodum misit, & ille Deo gratias referens ad memoriam SS. Apostolorum partim inde misit, partim officialibus Regni, & Ecclesiis distribuit.„ Adduntur hisce ab *Addone* narratis aliqua a *Sigonio*. „Prioribus Annis *Carolus Forum Julium* ex „Provincia rursus ad Formulam Ducatus redegerat, ac remotis Comitibus *Henricum* Ducem constituerat; credo, ut *Hunnos*, qui adhuc in Armis erant, aut reprimeret insolentes, aut quiescentes fatigaret. Hic igitur cum *Pipini* Regis „jussu Bellum *Pannoniæ* intulisset; hoc anno exercitu repente in eam Regionem inducto, *Iringum* „eorum Ducem cum aliis Ducibus imparatum oppressit; atque eis occisis *Ringum* eorum Regiam „expilavit, ac Thesaurum longo Annorum intervallo conquisitum *Carolo* misit. Partem per *Angilbertum* Abbatem Summ. Pont. ad limina Apostolorum misit.„

Extitit hic Annus insuper memorabilis, cum camdem hanc nostram Civitatem suo adventu nobilitaverit *Carolus*. Vocaverat Imperatorem Piissimum in *Italiam* horrendum in *Romanum* Pontificem *Leonem*, & immane facinus, ac Sacrilegium ab *Hadriani* Nepotibus scelestis impiisque patratum. Vocaverat, & *Beneventanus* Dux *Grimoaldus*, deficiens à *Francisci* jugo. Vocaverat & *Henrici* nostri Ducis Cædes, ab invidis quibusdam *Caroli* Ducibus illata, quod ille scilicet tot Rebus prospere, fortiterque gestis, primam sibi palmam gloriæ præripere videbatur in *Gallia*. Sed ubinam

nam tentata, confectaque sit immanitas tanta? Sunt qui apud *Tarsatium Liburniæ* oppidum insidiis oppidanorum captum, & occisum, fatentur; *Tarvisinum*, pro *Tarsatica* legunt alii; quidquid tamen, Oppidum illud extiterit, aut Civitas, *Sigonii* consideranda verba sunt. *Procedente jam* (ait) *Autumno*, *Alpes una cum Pipino Rege trajecit*, *atque in* Italiam *digressus*, *recto itinere in* Liburniam *prope-*
224 *ravit: ibi Nex* Henrici, *merito sumpto de* Tarsatiensibus *supplicio vindicata. Ladolachus* Dux *Foro Juliensibus* datus; & *Foro* inde *Julio Ravennam* petiit, ac diebus ibi VII. in apparatu Belli *Beneventani* explicando consumptis, *Anconam* pervenit: invisere vel placuit *Cæsari* Religiosissimo Sanctissimum *Paulinum*, qui & ante Patriarchalem Dignitatem munera, & Donationes quamplures est meritus. Neque vero credas, *Carolum* nondum fuisse Imperatorem, cum ad *Forum Julium* accessit; nam secundo sui Imperii Anno (sunt &, qui asserunt) III. *Paulinus* post XXII. sui Patriarchatus Annum in Beatissimos cœtus mentium æternarum assumitur; & *datum*, inquit Sigonius, *Ladolachum Foro Juliensibus* Ducem, non renunciatum, non electum, non designatum, non missum, aut quovis alio loquendi genere, quasi ipse jam *Ladolachus*, ipseque *Carolus* in præsentia adfuissent.

Interim ut & numerum non ignores Ducum, qui in nostra sunt Civitate morati; post
Henricum XVI. fuere
XVII. *Ladolachus*.
XVIII. *Baldericus*.
XIX. *Berengarius* I. Rex, & Imperator.
XX. *Berengarius* II.
XXI. *Henricus* I. *Bavariæ* Dux.
XXII. *Henricus* II. *Bavariæ* Dux, Rex *Italiæ*.

Habes igitur Duces XXII. a *Gisulpho* numeratos in Civitate *Fori Julii*, supremum in totam Provinciam *Julii* exercuisse Dominium.

Hinc Inclyta *Venetorum* Civitas post *Aquilejensis* Urbis excidium, non injuria, ut superius attingimus, Patriam agnovisse videtur *Carniam*; invitavit illa ex *Carnia* stirpes apprime Nobiles, & Ingenuas *Armariam*, *Barbazzolanam*, *Aulipatam*, *Borzenam*, *Carzacanevam*, *Constantinam*, *Mazzamanam*, *Nicoleam*, *Olduinam*, *Pepam*, *Piesam*, *Pianigham*, *Lunanam*, *Juliam*, *Raymundam*, *Bolanam*, *Luceam*,
225 *Fortunatam*, *Ursam*, *Magamorniam*, *Protham*, *Thomæam*, *Bredadam*, *Baldam*, *Malachiam*, *Isepoldam*, *Alimpatam*, *Merulam*, *Bronzenam*, *Pinam*; Verum quasnam Regiones non feliciter occuparunt gestorum fama tesseræ, quæ sequuntur, Senatorum, ac Principum? De *Contarena* Sermo, deque *Delphina*, *Gradonica*, *Barbara*, & *Priola*. Numerat harum prima *Venetiarum* Principes V. quorum in medio sine invidia *Andreas* enituit, cujus & opibus, & consilio, innumeris cladibus afflictata libertas, nutansque penè Respubl. respiravit, qua de re tantorum non immemor beneficiorum D. *Marci* Senatus munificentia ad omnes dignitates evexit posteros *Contarenos*: Equidem *Andream* in præsentia *Contarenum* Procuratoria donavit chlamyde, misit ad Regem *Poloniæ* potentissimum extra ordinem Oratorem, apud quem splendidissima Legatione perfunctus Eques efficitur, Decem-virum non semel creavit, libens, laudansque in Comitiis dicentem audit. Habet & nunc *Carnia Utini* Præsidem *Petrum* ex *Contarena* Familia, qui majorum suorum generositatem sectatus, Patriæ præturam moderatur, & regit. non desiderantur in ipso, aut prudentiæ Vis, aut Comitatis officia omnimodè perhumana, aut domestici cultus apparatus planè magnificus. *Delphinos* legimus tutum quondam *Ariona* littus in proximum transfretasse, sunt hæc Symbola *Delphinæ* Prosapiæ, conspicua sunt ingeniorum ma-

A gnanimorum præludia; Patriam cujus, & malis oppressam, quà Armis, quà præsidiis salvam, & sospitem reddidere. Cernimus *Laurentium* ex *Patavino* Magistratu ad trium *Græciæ* Insularum Imperium festinasse, & nunc *Dalmatiæ*, *Albaniæ*que Proconsulem *Thraces* infestissimos conculcantem; adest in Regum Senatu *Nicolai* gravissimi Senatoris Filius *Joannes*, maximi quidem nominis, & prudentiæ, in quo dixerim sine timore *Joannes* Atavos illos, ac Patruos recuperasse *Palladis* majestatem; quorum unus Princeps, alter innumeris legationibus ad Principes habitis celeberrimus, ad Purpuram extollitur *Vaticanam*. VI.
B ex *Gradonica Veneti* Principes procreati *Marci Gradonici*, Patriarchæ nostri omnium Virtutum genere ornatissimi, nomen, & gloriam cumu- 226
larunt. *Barbaros* Barbarorum Victores *Hadriatici* Regina Maris inspexit *Franciscos*, *Zaccharias*, *Hermolaos*, *Antonios MM. Antonios*, grandes domi, forisque Animas *Italia*, *Hispania*, *Germania*, *Gallia*, quin & ipsa *Otthomanæ* Tyrannidis claustra admirantur, & prædicant; & cessit hoc insuper *Barbarorum* Fortunæ, quod propriis sub tectis *Pallas* modo *Nania* conquiescat; Hic *Baptista* ille est Eques *Joannis* Equitis, & D. *Marci* Procuratoris Filius, summus in litteris,
C in eloquentia summus, consultor uberrimus, Dignus, qui post sapientissimum *Aloysium* Equitem *Contarenum* facta conscribat, quorum assiduæ incolumitati desudat. *Priolos Venetiis* si quæsieris? En tibi sese efferunt Principes *Hieronymus*, *Laurentius*, & *Antonius*, Heroës præter egregiam corporis formam, multa liberalitate, & clementi, mitique ingenio; inter hujusce Familiæ Dictatores *Franciscus* primis in subselliis collocatur, qui *Cypri* opulentissimo Regno firmo præsidio firmato, Populorum Animos in *Venetorum* obsequio stabilivit; colit, tradentibus hæc nobis litteris, *Carnia* in munitissima *Palmæ* Arce Generalem
D Præfectum *Aloysium*, cum ejusdem Filium *Hieronymum*, *Patavinæ* Cathedralis Ecclesiæ Archidiaconum, Sacræ *Romanæ* Rotæ Auditorem, hilaris amplectitur Civitas Sacerdotalis, & Regia; Hujus Virtus summa in expectatione, dum esset *Innocentio* X. Pontifici, *Petro Otthobono* jam in Purpuratos adscito, XII. Rotæ Auditoribus copulavit: Quantus sit *Priolus*, ex hoc arguas, *Otthobono* illi sufficitur, qui tam absolutè, tamque exactè in politioribus Artibus eruditus, fons est, & ut verius dicam, omnium Disciplinarum, omnium Virtutum Oceanus, & quidem nihil mihi dubitationis relinquitur, quin, *Hieronyme*, eximiis a-
E nimi Dotibus, & prærogativis excellens summum illud, atque altissimum culmen obtineas, quo & Decessor tuus Laudatissimus *Otthobonus*, & Patrui tui *Laurentius Venetiarum* Patriarcha, & *Matthæus*, gradibus meritorum Insignibus pervenere. Recensere has nunc prosapias licuit, quando ex hisce Dignitas, atque præstantia *Carnorum* dignoscitur Regionis; gaudere siquidem hæc po- 227
terit tot Heroibus, propriis veluti liberis, & partibus non vulgaribus, genuit illa profecto, & proles alias *Venetis*, claras suorum gloria, claras sua; *Vendramenas*, *Trivisanas*, *Gussonas*. Qui ex *Andrea* Venetiarum Principe Filios, Filiasque quam
F plurimas non tam opibus effluentes, quam Virtute, & moribus præstantes in *Vendramina* non admiretur Prosapia? plura etiam, & numero, & conditione præclara germina protulit *Trivisana*; inter Patrum amplexus animam *M. Antonius* Princeps integerrimus efflat, cujus Pater innumeris Legationibus prosperè, ac splendide gestis, omnium linguas promeruit laudatrices. Sed in *Leone Gussone* invenit omnia generositas, quæ ad *Marciam* Dignitatem, quæ ad Christianissimæ Reipubl. ornamenta spectant. Decus, & tutamen,

men in Armis ostentat *Ragusius*, jam calamus indicem meditatur, sed leonum catuli matrum uteros stimulant, & exarant unguibus festinantes ad lucem; qui hæc? *Vincentius Gussonus* Eques, ac Templi *Marcii* Procurator, *Andreæ* Equitis Filius, ingenio generoso, & volucri quodam præclare gestorum igne contendit, omnium Virtutes, omnium merita reseravit in se. *Romanorum* Pontificum, Cæsarum, Regum, Aulæ vel designatum, vel expeditum prædicant Oratorem, nunc consilii VI. Virum pro salute Patriæ desudantem *Adria Herculem* repræsentat; Hoc semper gloriosiorem longè, quod non spolium, ut ille, sed cor Leonis gestat, & Animum.

Volventi hæc eximium decus addidit *Otthobona* Familia, Altrix illa, nutrixque gloriosa Virorum singularis fortitudinis, singularis prudentiæ, sanctimoniæ singularis; nam etiam hanc ex *F. Julii* derivasse argumenta omnino sincera servant nostræ Civitatis Archivia, *Conradum Bojanum* Equitem, & *Christophorum Otthobonum* IV. Januarii MCCCCIX. Provisorem electos. Habent Nobilissimi *de Portis*, quo glorientur, ex se natas *Ottobonis* Matrimonio conjunxisse. Lætatur vero præ cæteris *Aquileja*, cum *Otthobono* nobilitatur Antistite, cujus anteà Regimen hilaris susce-

A pit *Antenor*. Numismata contrectavimus argentea, *Aquila*, nec fere à dissimili stemmate, quo 228 nunc Eminentissimus S. R. E. Cardinalis *Otthobonus*, ejusque majores, & Fratres utuntur. Tangimus Principem aversis Auribus laudes proprias audientem. Dicam ego tamen, ad Christianæ Reipubl. munera obeunda ita accessit, ut gravitate Judicii consummatæ Prudentiæ Senatoribus æquaretur. Hinc generosæ munificentiæ maturitate ab *Innocentio X.* in Senatum legitur, qui ut in omnibus, quæ obierat anteà prudenter, & fortiter se gesserat, ita in summum locum vocatus, incredibili quadam gubernandi ratione foret B excellens: respondet Votis optimus *Otthobonus*, dum optimè Pontifici, optimé *Christianæ* Reipublicæ satisfecit.

Quod superest scias, testorque Superos, me hæc omnia cum sinceritate continuo scribere fuisse aggressum; opinionibus potius aliorum inhærere ideo visus sum, ne in scopulos malignorum inciderem; ità tamen eorum sententias amplector, ut non blandiar. Dentatum in assertis ne credas: afferas ampliora, adducas illis Doctores, & dabo Dexteram. id unquam assequi, nec consequi poteris

FINIS.

INDEX
NOMINUM ET RERUM NOTABILIORUM.

B.


C.

Con-

Forum

Nicolet-

FINIS.





JOANNIS CANDIDI,

Juris-Consulti,

COMMENTARIORUM AQUILEJENSIUM,

LIBRI OCTO,

Quibus tum Descriptio hujus felicissimæ Regionis, tum Historia rerum Ecclesiasticarum Seculariumque in ea gestarum copiosissimè sunt absolutæ.

Editio Novissima, Auctior, Nitidior atque Emendatior.





LUGDUNI BATAVORUM,
Sumptibus PETRI VANDER AA,
Bibliopolæ, & Typographi Academiæ atque Civitatis.

TYPOGRAPHUS LECTORI BENEVOLO.

Isto tibi hic Commentariorum JOANNIS CANDIDI, Aquilejensium *libris octo comprehensorum celeberrimum tractatum, qui omnium de* Italicis *Antiquitatibus & rebus gestis conscriptarum Historiarum decus & ornamentum summum ab erudito mundo judicatus est, multus ergo in eo conatu semper fui, ut hujus rarissimi pariter ac æstimatissimi operis compos fierem, & cum multas mendas incuria typographi in editione per Alexandrum de Bindonia anno* MDXXI. Venetiis *impressa irrepsisse vidi, quæ hujus elegantissimi operis intellectui plurimo impedimento fuere; operæ pretium duxi, insignem eum tractatum, hac incuria, quoad fieri potuit, emendata, typis nitidioribus recudi curare; cui novæ Editioni quoque omnium rerum notabiliorum indicem annexui, paginas etiam dictæ Editionis de anno* MDXXI. *si forte apud alium quendam autorem ejus allegatio obvenerit, in marginibus hujus novæ Editionis, ad omne tædium & molestiam præcidendam simul expressi. Cæterum fruere ex animo, & vale.*

AMPLISSIMO CARDINALI ET PATRIARCHÆ AQUILEJENSI, DOMINICO GRIMANO, JOANNES CANDIDUS, *JURECONSULTUS Salutem.*

Historiarum Scriptores; qui post diuturna studia res gestas æterna dignas memoria legendas posteris tradidere, eximium inter mortales locum vendicasse non immerito existimandi sunt: Nihil enim edaci omnium morti obsistere magis videtur, quam præclara eorum monimenta, quibus ab orbis initio gesta ante oculos exponuntur, perinde ac si rebus ipsis interfuissemus. Iis tam ad privatas, quam ad publicas actiones ita examussim instruimur, ut nostrum omnium instituta, Reifamiliaris administrationem, Civitatis Regimen, Imperii Moderationes calleamus. Tot namque ac tam varii privatorum casus, Militum, Ducum, ac Principum actus se undique offerunt, ut pace & bello, domi forisque alienis experimentis sapientiores indies efficiamur, velutique in tabella quadam depicta opportuna exempla jucundissime colligentes, & præsentia laude aliorum ardentius excitati magnanime peragamus, & futura prudentissime consideremus, ac si sæculorum plurium ætatem impleverimus. Historiam igitur testem temporum, Lucem veritatis, Vitam memoriæ, Magistram vitæ, Nuntiam vetustatis, totis viribus amplectamur, quæ neque hominum, neque cœli injuria perit, sicuti omnia mortalium manu opereque facta. Hinc summi viri, & qui in excelsissimo humani generis fastigio collocantur non dedignati sunt historias scribere: Ex quibus non minus fere laudis adepti fuere, quam ex gestarum rerum magnitudine. Quorum præcipui (ut cæteros taceam) habentur *L. Lucullus*, *Asinius Pollio*, *Fabius* cognomento *Pictor*, *Aulus Albinus*,

nus, *Cornelius Nepos*, *C. Cæsar*, *Octavius*, *Augustus*, *Claudius*, *Hadrianus*, *Pius* Pontifex atque plerique. Ego vero vix levem literarum umbram assecutus cum innumerabiles *Aquilejæ* Res memoratu dignas, non tam deplorando excidio quam temporum infelicitate pene deperditas indigne ferrem patriam miseratus, cujus dulci amore natura omnes trahimur, eas non ideo contexui, ut aliquid nominis compararem, sed ut concisas atque involutas colligerem, vestigiisque omnibus indagatas dolans clarissimum aliquem excitarem, ut condigno celebratæ præconio nec tenues nec ignobiles tandem reviviscant. Cui autem nostros dicarem labores? Tu in primis amplissime Cardinalis occurristi, qui in sublimi Patriarchatus *Aquilejensis* Solio constitutus hanc tuam Regionem sub tuo sacro patrocinio suscepisti, ut quæ Patriarchis compluribus illustrissimis ornata fuit; tuis quoque felicissimis auspiciis amplificetur: Sub cujus sapientiæ præsidio veluti tutela prorsus inviolata, etiam commentarii nostri vulgi temeritatem contemnent, si modo nostræ (ut ille ait) nugæ tibi esse aliquid videbuntur. Tanta enim Dignitate, Authoritateque polles, ut prætermissa nunc illa tua generosissima *Grimana* prosapia non solum Philosophorum ac Theologorum nostri temporis cunctis applaudentibus Principatum obtineas, priscis proculdubio scriptoribus adnumerandus; verum & in sacrosancta *Romana* Ecclesia veluti quidam adamantinus cardo nulli secundus post Pontificem maximum habearis: Adeo ut jam tantum possis, quantum velis: tantum velis, quantum quisque recte sentiens in te sperat. Opus itaque nostrum qualecunque est, qua soles reliqua virtutum munera, hilari fronte accipies, nec aspernaberis, cum altiora interdum studia intermittes, præter *Forojuliensium* tibi deditissimorum res, multa ad Ecclesiæ tuæ Decus & Antistitum legere: Quod si forte amplitudini tuæ placuerit, mihi certe semper erit. Quicquid laboris impendi longe vel hoc solo jucundissimum. ESTO FELIX.

DOMINICUS,

Episcopus Portuensis S. R. E. Cardinalis, Sancti Marci Patriarcha Aquilejensis,

JOANNI CANDIDO,

Jureconsulto in Domino Dilecto, Salutem.



Ommentariorum Aquilejensis *historiæ libros octo per te scriptos, quibus animi gratitudinem erga nos, & patriam* Forojuliensem *ostendisti, nomini etiam nostro dicatos jamdudum abs te missos accepimus, & ex magna parte perlegimus: Gravioribus autem aliis occupati rebus nondum perspicere potuimus opus illud nobis admodum gratum, propterea quod non solum docte & erudite compositum est, sed etiam ita rerum gestarum veritatem continere videtur, ut nullum vel officiosum figmentum admittat: Et quemadmodum doctrinæ tuæ sinceritas vitæ accessit, ita etiam scribendi cultus & ornatus in differenda veritate non defuit. Et profecto multum patria* Forojuliensis *tibi, (si grata esse volet) debebit, multum Ecclesia* Aquilejensis, *quas ita illustrasti, ut non amplius situ & carie obducta in tenebris jaceant, sed quasi in edito loco positæ ab omnibus conspiciantur: Nos etiam ubi & quando usu venerit, & occasionem nacti fuerimus, tibi liberisque tuis benefaciendi; ita exhibebimus erga te liberosque tuos; ut memores laborum pro communi utilitate Reipublicæ Christianæ præstitorum fuisse merito judicemur, præcipue in his rebus, quæ ad cumulum tuorum honoris & commodi accedere posse intellexerimus.*

Vale in Domino *Cenetæ* 13. Aprilis M.D.XX.

JA-

JACOBI COMITIS PURLILIARUM,
Ad Conterraneos Epistola,
DE HISTORIÆ AQUILEJENSIS JOANNIS CANDIDI JURECONSULTI LAUDIBUS.



Um *Joannis Candidi* viri in omni scientiarum genere eruditi elengantissimum illud de Historia *Aquilejensi* opus iterum atque iterum perlegissem, ingenti certe animi lætitia, quam lingua explicare nequeo, affectus fui, ut hujusce viri diligenti opera, studio, ac singulari doctrina patria nostra ab interitu ad vitam, ab tenebris ad lucem, post multa sæcula tandem Deo juvante vindicata fuerit, nullum de illa, quod felici patriæ contingere possit, in opere suo laudis genus prætermittendo; quo magis ejus nomen per universum celebretur orbem, ut nonnullos etiam ab ipsis ultimis terrarum partibus fore arbitrer, qui videndi eam, & habitandi magno, cum opus illud perlegerint, desiderio tenebuntur. Hic mihi *Ciceronis* & *Livii* eloquentiam dari exoptarem, ut possem tam scriptoris, quam Historiæ egregias laudes ex merito proferre, quæ majores profecto existunt, quam animo concipere, nedum calamo narrare queam, præstabo tamen grati animi officium, si conterraneum nostrum & ejus historiam, quantum in me fuerit, verbis extollam, nec vinci in hac re minus gloriosum mihi judicabo, quam vincere, & hoc genus victoriæ inter clarissimas existimabo, nec tamen in hac re me historiæ censorem haberi volo, quum non me fugit, majorem in eo, quam in historico omnium rerum scientiam requiri, doctissimi nempe *Varronis* hoc munus esset, & non *Jacobi*, subibo tamen onus infirmis humeris meis certe grave. Præcipuam in historia tradidere scriptores laudem esse ipsius veritatem, quam ita amplexus est historicus noster in hoc, ut omnia quæ monumentis mandaverit, ex veridicis rerum gestarum scriptoribus omnino acceperit, ne pulcherrimum opus, & in æternum pene conditum mendacio aliquo macularet, & cicatricosum redderet, ut ex ejus opere, quibus moribus, quanta fide fuerit author facile conjectari liceret, tot annorum gesta, & a quibus, quibusve sub Principibus, versante omnia fortuna acta sint, tam brevi volumine complectitur, ut alter *Sallustius* historiæ brevitate, sententiarum gravitate, cultu orationis & haberi & dici possit. Situm patriæ, oppida omnia, & flumina brevi oratione perstringit, publica & privata, domestica & externa, summa brevitate tam pace quam bello comprehendit gesta. *Utinæ* quoque & *Venetiarum* urbium originem non prætermittit, quibus ex causis, quibusve authoribus & conditæ & auctæ in tantam magnitudinem pervenerint. In hoc quoque opere aëris clementia, *Cereris*, & *Bacchi* abundantia & excellentia: nec non *Aquilejæ* laudes, *Rufini*, *Chromatii*, & *Galli* trium clarissimorum virorum continentur. Corpora & nomina sanctorum, quibus huic patriæ maxime gloriari licet, & quorum auxilio præcipue fovetur, in historia sua refert. Et denique nihil prætermittit, quod ad patriæ decus & laudem spectare videatur, ex quo tamen huic viro debemus, ut nullo officii genere parem illi gratiam pro meritis reddere nos posse existimem: Verum hoc saltem possumus colere & observare talem hunc, qualem patria nostra per multa sæcula (ut remur) non est visura.

GREGORII AMASÆI,
Poëtæ, Oratoris, Jureconsulti, ac Philosophi insignis,
Ad suos Forojulienses Epistola,
DE GLORIÆ CUPIDITATE, DEQUE AQUILEJENSIUM COMMENTARIORUM COMMENDATIONE.



Um nihil sit in rerum natura ab imo ad summum cognitionis capax, quod cupidine gloriæ non tangatur, adeo ut non solum humani animi rationem splendore suo excitet, cujus amore mortales (ut a Diotima *fatidica* Socrates *didicit) argumento desideratæ immortalitatis extrema omnia subeant: Verumetiam brutorum sensum innata quadam generositate permoveat, quo tam in Leonibus, Aquilis, Delphinis præstantioribus animantibus dignoscitur, quam in formicis apibus, apibus, aliisque inferioribus, quinimmo (si credere dignum est) intelligentias ipsas pertingat: Siquidem vera sunt, quæ a priscis authoribus* Ægyptiis, Hebræis, Græcis, Latinis*que recensentur: A quibus propterea bellum in cœlo gestum fuisse memoratur: Cum*

 Ophi-

EPISTOLÆ LAUDATORIÆ.

Ophionius *Dux angelorum exercitus a mente Divina ob solam gloriam rebellantis excelsa altitonantis justitia cum suis sectatoribus fuerit ad inferos deturbatus: ubi adhuc superbia fons & radix malorum omnium vigeat: unde continuo invidia oriatur: qua succensus idem fraudibus suis primos parentes ex supremo felicitatis culmine ad infimum calamitatis detruserit: Cumque honor & fama præcipua sint in humanorum operum intentione ac fine, perinde ac si unusquisque suapte natura ad ea trahatur, veluti hac re una perfectissimo rerum omnium Deo tanquam ultimo termino maxime accedat, qui celsitudine sua eminentissimum gradum obtineat necesse est, & sublimitatis & venerationis. Mirum profecto est cur mortalium plurimi tum famam ipsam floccifacere præ se ferant, tum alios ejus rei studiosos subsannent, tanquam inter se contraria subnectentes, videlicet, quod maximi faciunt, contemnere simulantes, an fortasse id agunt ut quod assequi posse minime sperant aliis invideant? an vero ut aliorum obtrectationes subterfugientes, ac invidiam quæ honoris fulgore accenditur, tali dissimulatione placantes, id ipsum, quod tantopere negligere videntur, tutius consequantur? an postremo, quum tanquam belluæ ad terrena prostrati, sordidisque cupiditatibus obnoxii immortalis animi excellentia destituta caduci corporis voluptatibus immergantur: præque ipsis tanquam asini ad lyram nil egregii sentientes veterno consopiti intabescant? quod sane ingenuis viris, ac naturali probitate, morumque institutione præstantibus contra evenit: qui vera bona in virtute merito collocantes, ab eaque potissimum dependentes; ejus tamen præconia præsenti vitæ notiora honorem ac gloriam veluti scopum continuo intuentur, ac jugi studio prosequuntur, cum sint ab omni turpitudine alieni: quin etiam improbi velint vel sola verecundia a vitiis deterriti occultius peccent, quemadmodum boni ad recte agendum acrius inflammantur, quibus omnibus* Plato *diversis in locis, potissimum vero in epistola ad* Dionysium Siciliæ Tyrannum, *plane his verbis subscribit.* Cuncta vero hæc ideo dixi, ut illud ostenderem, quod etiam cum mortui fuerimus de nobis homines non silebunt, quocirca non est negligendum a nobis; sed curandum temporis subsequentis, fit enim natura quadam ut ignavissimi homines nihil curent, quæ sit de ipsis futura opinio, probatissimi autem viri cuncta faciant, quo in futuris sæculis bene de se loquentes homines audiant, quam ego conjecturam facio esse aliquem sensum iis, qui mortui sunt rerum nostrarum: quum optimi animi sic forte divinant; deterrimi autem nequaquam: validiora vero sunt divinorum virorum præsagia quam aliorum; *& reliquam ibidem, quod quidem adeo verum est, ut idem sub persona tamen* Socratis in Phædro, *scriptores fama immortales diis æquare minime dubitarit, inquiens.* Quid vero si orator quispiam aut Rex eam nactus sit facultatem ut quemadmodum Lycurgus aut Solon aut Darius immortalis in civitate scriptor haberi possit, an non & ipse æqualem se Deo adhuc viventem existimat? & posteri monimenta ejus considerantes de illo similiter judicant. *Quibus sane* Plinius Cæcilius *applaudit de pari cupiditate gloriæ, tam* Rufi *cupientis quam* Frontini *vetantis sibi monimentum extrui, minime contemnenda subjiciens.* Omnes ego; qui magnum aliquid memorandumque fecerunt, non modo venia verum etiam laude dignissimos judico, si immortalitatem, quam meruere; sectantur: Victurique nominis famam supremis etiam titulis propagare nituntur. *Et in calce ita concludens,* Meo quidem judicio neuter culpandus est: Quorum uterque ad gloriam pari cupiditate, diverso itinere contendit: alter dum expetit debitos titulos; alter dum mavult videri contempsisse. *Quo fit ut ea potissimum de causa cuncta florescant, quum omnes fere, si non ex veris, ex opinatis saltem meritis cupiunt commendari: Hinc igitur civitates primum politicis institutis ac lepidioribus moribus excultæ, hic liberales omnes artes inventæ plurimum enituere, præque cæteris (ut de aliis taceam) Poëtica, Oratoria, Historia, Jurisperitia, Philosophia, quinetiam Musica, Gymnastica, Pictura, Architectura, Res Militaris. Quibus potissimum dediti totius orbis Principes viri præclarissimis rebus bello paceque gestis a præstantissimis Poëtis atque Historicis celebrati tanquam Dii, immortali præconio in omnem vivunt posteritatem: quoque diutius perdurat eorum nomen, tanto indies fiunt venerabiliores, magisque temporum longinquitate ac locorum amplitudine, quam dum viverent dignoscuntur: a vatibus quidem tametsi Divino quodam furore decantati, ab Historicis tamen veridicis credibilius illustrati, quorum proculdubio testimoniis siquid unquam inventum dictum aut factum memoratu dignum fuit posteritati prorsus innotuit: absque iis autem etiam maxima quæque sordibus obruta, ac tenebris obsita jacuere, perinde ac si nunquam gesta fuissent: unde illæ in primis gentes illustres emicuere, quæ luculentissimos sunt sortitæ scriptores, quibus aliæ carentes ne sibi ipsis sat cognitæ, nisi cum obiter alienis monimentis inseruntur, tanta cœcitate obducuntur, qui Poetarum, Historicorumve, præconiis caruere, quod tametsi jampridem* Aquilejensi *regioni evenerit, quæ in commune tantum celebrata; paucos omnino peculiares scriptores sortita est, sicuti complura* Italiæ *loca, Authores ipsos ea tempestate ad se attrahente* Roma *rerum domina. At nuper e gremio suo* Joannem Candidum *Jureconsultum genere, moribus, facundia candidissimum excitavit: Qui quamvis juris peritiæ professione polleret, animadvertens tamen in ea nil hactenus ab aliis intentatum relictum esse, in hæc amæniora divertit, sciens profecto ambas germanas esse, sibique oratoriam sororem tertiam vendicare. Verum (si fas sit loqui) Historia ipsa juris peritia longe patentior, ut pote quæ sub se bonam portionem ejus sanctionum contineat: quæ nisi annalium fide comprobarentur; nusquam rata manerent: Sed cum Principum Rescriptis, aut Prudentum Responsis, ac Decretalibus Epistolis confirmentur, quorum authoritas temporum certitudine roboratur, necessario amplioris sororis adminiculo indiget, ejusque veritati plurimum se debere fatetur, quemadmodum etiam aliæ pene omnes activæ disciplinæ: Quandoquidem potissimum historica fide consistant, veluti ipsa in primis Medicina experimentorum longi temporis observantia comperta, tam simplicium quarumque rerum quam incidentium morborum medicaminumque diversitate, scribentium sola authoritate posterorum tradita credulitati. Et quod plus est non alibi quam radicibus ipsius religionum fundamenta innitantur. Cujus veritate negata reliqua omnia Theologorum commenta illico corruant, cum ab ipso mundi primordio ad Diluvium* Noë, *Patriarcham* Abraham, Mosenque *Legislatorem*, David, Salomonem, *aliosque prophetas usque ad Christi adventum, mortem, resurrectionem, ascensionem; atque futurum judicium donec inquam erit tempus ejus solius veritate cuncta contineantur: Quæ postremo omnium cum ipsa fide ac spe duabus virtutibus Theologicis interibit, sola charitate superstite. Quamobrem cum* Candidus *ipse hac una potissimum de propria patria optime merendum censeret, præsertim cum post* Romanam *civitatem* Aquileja *primas Italiæ partes obtineret, cujus etiam cognatione lætaretur: siquidem* Albæ longæ *ac* Patavio *coæva ab ipsis* Trojanis *pari modo condita fuerit, ab initio repetens ex omni (quantum fieri potuit) vetustate undequaque collegit: Recentiorumque volumina perscrutatus sedularum more apum suavissimo eloquentiæ melle octo libris sua alvearia refersit, nihil intactum dimittendo, quod ad præclara omnium temporum gesta pertineret, nec non situs habitusque locorum, & quod tota ferat regio graphice describendo, adjectis insuper eximiis moribus institutisque* Romanorum *gravitatem* Venetorum*que suorum elegantiam redolentibus, insertis præterea complurium virorum elogiis omnigena sanctitate ac disciplina illustrium: quibus omnibus mediusfidius, livore etiam consentiente,* Forumjulium *ipsum usque adeo condecoratum est; ut nulli prorsus* Italiæ *regioni cedat, quo quidem nectareo stylo & viventibus & posteris amorem patriæ infundens alios ad majora elucubranda incitaret: delicatioribus satis ostendens, quantum sollicitudo ignaviæ, ac studium desidiæ præstet. Cum ipse alioqui & prosapiæ nobilitate ab antiquissimis Co-*

Comitibus Castro campi *agri* Tridentini *oriundus sit*: & Aquilejensi *ac* Utinati *stemmate inter Primarios possit merito gloriari. Præcipue vero cum divitiis Cæsareoque rursus Comitatu ac sacris legibus excultus sit*: *Cui profecto quantum nos omnes* Forojulienses *viventes posterique perpetuo devincti simus*; *unusquisque historia ipsa perlecta facillime dijudicabit. Valete, neque propriis laudibus invidete.*

Datum *Utinæ* M.D.XIX. septimo Kalend. Novembris.

CARMEN IN LAUDEM AUCTORIS.

Arserit Attilicis Aquileja colonia quondam
Romulidum flammis, funditus occiderit.
Primaque Barbariæ properantis in Itala regna
Continuo fuerit faucibus exposita?
Sive Gothi ruerent, seu Pannones, Avares, Hunni,
Seu Longobardo colla premente jugo:
Quin & Turca ferox, mox & Germanica bella
Ignibus & telis omnia miscuerint:
Tot potuere quidem vires, tot damna, tot hostes
Has regionis opes, hoc laniare decus:
Et velut Hippolyti dispergere viscera passim
Amplius anguigero non animanda Deo:
Inventus tamen est propriæ telluris alumnus,
Qui patriæ potuit ferre misertus opem.
Et tanquam lacerum corpus collegit in unum
Dispersa e variis hæc monumenta locis.
Membra ligat membris, & pristina redditur illi
Forma decens, nullis debita funeribus.
Vivet in hac ipsis invitis hostibus, & jam
Nulla inimica timet spicula, nulla necis.
Sat senio, mortique datum: Rediviva resurgit;
Vendicat hanc nigris Candidus e tenebris.

FRANCISCUS PORTIUS, *Utinensis.*

SYNOPSIS LIBRORUM COMMENTARIORUM AQUILEJENSIUM,

Quibus hoc Opus summatim describitur.

raria *actioni* Estensi *commissa*: *Factiones Guelphæ & Gibellinæ*: Friderici *epistola ad Principes Christianos contra Pontificem*: Utinæ *illustratio*, Ferraria *a Patriarcha pro Pontifice contra* Fridericum *capta*, Parma Friderici *obsidione liberata*: *Bellum cum* Carinthiis *&* Noritianis *Principibus*, *& pax*: *Digressio accommoda de* Othochari Boëmi *Regis gestis in* Italia, Pannonia, Prussiaque, *& quo pacto ridicule a* Rudolpho *Imperatore delusus fuerit*: Raymundi *Patriarchæ fœdus & pax cum* Noritianis *Comitibus*, *&* Gerardo Caminate, *mox post victoriam de* Istria *cum* Venetis: *Urbs* Utinæ *multarum nobilium familiarum conspiratione amplificata*, *atque ædificiis & vectigalibus exculta.* 35

LIBER SEXTUS.

Utinatis *urbis celebritas*: *Patriarcharum deinceps gesta usque ad* Bertrandum: *Seditiones intestinæ ac bella externa* Carinthiorum, Noritianorum, *ac* Ricardi Caminatis Utinatum *maxime auspiciis oppressa*: *Sedes Apostolica in* Galliam *translata*: *Favor* Joannis *Pontificis pro* Guelphis *contra* Gibellinos: Dantes *poëta* Florentia *extorris* Utinæ *susceptus*, *dein* Veronæ: Benedicti *duodecimi Pontificis ac* Ludovici Bajoarii *Imperatoris dissidia*, *unde evenit ut Pontificali authoritate invito Imperatore* Vicecomites Mediolani, Scaligeri Veronæ, Gonzagæ Mantuæ, Carrarii Patavii, Estenses Ferrariæ *dominio potirentur*: *Contra vero aspirante Imperatore* Viterbii, Arimini, Pisauri, Phani, Urbini, Calii, Fabriani, Matelicæ, *Sancti* Severini, Camerini, Montismelonis, Cingoli, Esii, Ravennæ, Forolivii, Cesennæ, Faventiæ, *diversi Reguli constituti sint*: *Itinerarium Divi* Odorici Forojuliensis; *qui universam pene* Asiam *præsertim vero remotissimas* Scythiæ Indiæque *partes peragravit.* 47

LIBER SEPTIMUS.

Bertrandi *Patriarchæ gesta*: Forijulii *in quinque regiones divisio*: *plura oppida ab* Utinatibus *aut eversa aut in deditionem recepta*: *Proceres centum & septuaginta a* Bertrando *ad res* Aquilejensis *fisci recognoscendas allecti*: *Digressio de* Carinthii *Ducis creatione lepidissima*: Bertrandi *cædes*, *quam* Nicolaus *Patriarcha acerrime ultus est*: *Monasteria ædesque sacræ* Utinæ *variis in locis extructæ*: Ludovici *Patriarchæ gesta in* Forojulienses *quosdam*: Utinensium *contra nonnulla castella victoria*: *Clades eis ab Japidibus illata*, Marquardi *Patriarchæ gesta*. *Bellum inter* Venetos *Januensesque ac utrorumque fœderatos multiplex*: *Collegium* Forojuliensibus *Scholasticis Patavii a* Pileo Pratensi *Cardinale erectum*: Philippus Alenconius *ab* Utinatibus *superatus*, *dein pacatus*: Joannes Moravus *Patriarcha ab* Utinatibus *ejectus*, *postea restitutus*; *postremo ejus cædes*; *cui* Antonius Pancerinus *successit*, *quo tempore schisma duorum Pontificum emersit*, *ab altero quorum alius Patriarcha erectus est*. *Bellum rursus intestinum interventu* Austriorum *Ducum sedatum*, *quibus* Utinates *se suaque omnia permisere*: *Adventus* Sigismundi Pannonum *Regis in* Italiam; *& ab eo gesta in* Venetos: Venetorum *gesta in* Forojulii *expeditione* Ludovico Techio *Patriarcha excedente*: Utinæ *&* Istriæ *deditio*: Hernesti Noritiani *Comitis a* Venetis *recognitio*, *& quomodo* Tecchius *reversus a* Venetis *repulsus est.* 54

LIBER OCTAVUS.

Laudes Venetorum: Tarvisium *ab ipsis* Carrariensi *adeptum*: Vicentiæ, Veronæ, Patavii, *cæterarumque urbium deditio*: *Quo tempore insignes quidam* Forojulienses *tam literis quam armis floruere*: Ludovici *Patriarchæ gesta*: *Ejusdem cum* Venetis *circa* Forumjulium *fœdus*: Maumethis *Turcarum Regis complura in Christianos gesta*: *Præcipue depopulationes quatuor* deplorandæ in *Forojulienses*: Patriarchæ quatuor *connumerantur adjectis compluribus* Forojuliensibus *viris claris*: Forumjulium *bello*, *terræmotu*, *peste*, *fame*, *ac seditionibus attritum*: *Bellum a* Venetis *&* Gallorum *Rege cum* Maximiliano *Imperatore gestum*, *& multa inde secuta*: *Fœdus* Europæ *Principum in* Venetos; *dein bellum sævissimum subsecutum*: *Gesta subinde in* Forojulio: *Funestissima* Dionysiis *diebus in* Forojulienses *nobiles cædes patrata*: *Authorum cædis dira judicio Dei admirabilis mors*: Utinensium *deditio* Germanis *per proditionem facta*: *Recuperatio ejusdem repentina*: Marianum Germanis *proditum*, *ac postea a* Venetis *frustra oppugnatum*: Monsfalco *eisdem* Germanis *deditus*: Utinensium *secunda deditio diffugientibus* Sacilum *e præsidio* Venetis, *quos reliqua regio imitata est*, *moxque pariter cum ipsa urbe* Liviano *suppetias ferente in ditionem* Venetorum *reversa*: Osopii *oppugnatio*: *Agrestes* Mutiani *plus centum a* Germanis *excæcati*: Mariani *secunda incassum oppugnatio*: Porpetii, Strasoldique *incendium*: Victurii Veneti *legati ab hostibus captivitas*, *necnon* Christophori Frangipanis *a* Venetis: *Belli quies*, *dum inter* Maximilianum *&* Pannonios *Reges nuptiæ contrahuntur*: Thadæi Ulpi *Præfecti Exercitus* Veneti *captivitas & liberatio*: *Gesta obiter sociali bello in* Cisalpina *&* Veneta *Regione*: Veronæ *obsidio*: *Pax inter Reges*: *Induciæ cum* Venetis, *restituta* Verona: Utinæ *a* Jacobo Cornelio *Præfide tum suffragiorum confirmatione*, *tum arcis novæ erectione illustratio*: *Selymi interea Turcarum Imperatoris admirandæ victoriæ in* Asia, Africaque: *Quibus exceptis Christiani Principes ad communem concordiam excitati*, *inducias quinquennales promulgarunt.* 70

FINIS.



JOANNIS CANDIDI,
JURISCONSULTI,
COMMENTARIORUM AQUILEJENSIUM
LIBER PRIMUS.



ag. I. CARNORUM Regio, quæ *Venetiæ* olim finibus includebatur: ab *Aquileja* Metropoli, cum opes hujus urbis invaluissent, multis post annis *Aquilejensis* nuncupata est: mox *Forumjulium*. Qui supra *Hemonam Alpes* incolunt nomen *Carnicum* adhuc retinent. Hanc *Veneti* patriam, originis præcipuæ non obliti, memorant. *Italiæ* extrema pars ab ortu *Istriam* & *Japidios* montes: a septentrione, & occasu *Vindelicas* & *Noricas Alpes* spectat: A meridie *mari Adriatico* alluitur: unde molliter per plana in colles montesque assurgit, quibus instar Theatri veluti muro vallata viam a *Sontio* amne *Tarvisium* tendentem inprimis explicat: Cætera *Alpes* obstruunt, ut non facile nisi portubus, aut vallibus, aut sublimioribus montium verticibus aditus pateat. Portus habet præcipuos, *Timavum* antiquum *Italiæ* terminum ex *Timavo*: *Pontianum* ex fontibus *Montisfalconis*: *Sdobbium*, quem *Sdobba* amnis efficit. Ii tres sinum *Tergestinum* prospiciunt: *Sontium* ex *Sontio* flumine, ubi littus excurrit, prominetque specie cubitali: *Primerium*, quem efficiunt *Tilius* atque alii confluentes: *Gradensem* ex canali aureo, qui paulo supra, *Nyson*, superiusque, *Natisa* dicitur: *Aquilejensem*, qui fit ex *Amphora* navigabili alveo: *Busium* ex *Alsa* fluvio, in quem *Nucerius* labitur, & ex eo per transversum ad *Insulam Servianam* tenditur, quam *Rovedula*, *Alsa*, & *Marianicæ* paludes faciunt, & ex ea ad *Amphoram*: *Portum divi Andreæ* ex *Zelina*: *Lunianum* ex *Mutiano* & *Torniano*, ad quem confluit etiam *Anasus*. Inde Marianicarum lacunarum eruptio: *Tiliaventæum* ex *Tiliavento*: *Basilicum* ex *Liguniana*: *Caprulanum* ex *Lemate*: *Portum divæ Margaritæ* ex aquis *Liquentiæ* & *Lematis*: *Liquentium* ex *Liquentia*, in quam influit *Naoncellius*: *Portum Plavis* ex *Plavi*, in cujus ostio *Equiliana* fit *Insula*, stagnis a continente divisa, ubi *Equilium* & *Jesulum* solo æquata. Distant autem ipsa fluviorum ostia, a *Gradatis aquis* ad *Natisæ* ostium stadiis XL. Ad *Luniani* portum CXL. Ad *Tiliaventi* XL. Ad *Basilicas* plus duplo: Ad *Lematis*. XL. Ad *Liquentiæ* tantundem. Ad *Plavim* quatuor & XL. supra centum. Viæ, quibus iter Barbaris in *Italiam* patet, Veruca *Montisfalconis* ex *Istris*, *Noritia* longe latissima ex *Liburnis*, *Tauriscis*, & *Noricis*: *Tulminia* ex *Japidia*: *Clusia* ex *Forovibio*, *Villaccum* vocant, & ex *Carnunto*: *Montis Crucis* a *Julio Cæsare* accessibilis via facta, idque ex antiquissimis literis medio ferme montis ascensu præcipiti saxo excisis constat, & *Julia* modo *Zelia* Verba sunt:

C. JULIUS CÆSAR VIAM INVIAM SOLERT. S. ET IMPENDIO ROTAB. REDD.

Per quam unam ex tribus legionibus (ut infra dicetur) in *Helvetios* transmisit: *Botistania* ex *Vindelicis*: *Canselia* supra *Pulcinicum* ex *Rhœtis*. Hæc omnes

A præter *Noriciam*, qua Barbarorum ingentes copiæ magno nostro malo semper irrupere, parva manu custodiuntur: Nam reliquos aditus natura ingeniaque hominum facile muniere, Regio est soli fertilitate, aquarum ubertate, cœli temperie nobilis, omni afflatu noxio carens: Lata planities montibus cingitur. Hinc crebræ sylvæ cum montibus ipsis attolluntur, has inter, pingues excultique colles. Sub his per latus omne, vineæ porriguntur arborum comparibus ordinibus, ac vitibus inter se junctis & in sublime evectis ad festæ celebritatis speciem, quasi coronis quibusdam redimitæ. Inde (I. V. Regionis præconia.)

B campi prataque florida perennibus rivis teneras semper herbas alunt: magnam capies voluptatem, si hanc amœnissimam Regionem ex edito prospexeris, ex qua nec minora quidem commoda emolumentaque percipiuntur. Hinc enim præter varia venationis aucupii, piscationisque oblectamenta, frugum laudatissimarum, carnium cujusque generis, piscium marinorum & fluvialium, pomorum suavissimorum copia ad usum delitiasque opportuna, vini proventus tantus ut a *Germanis* in suas, ac in remotissimas nationes magno sumptu exportentur: *Itali* hoc in- (Vinum.)

C ter generosa extollunt. *Livia Augusti* LXXXII. annos vitæ vino nostro *Pucino*, ut scribit *Plinius*, retulit acceptos non aquoso: Gignitur in sinu *Adriatici maris* non procul a *Timavo* fonte, saxeo colle maritimo afflatu paucas coquente amphoras, nec aliud aptius medicamentum judicatur: Hoc esse crediderim quod *Græci* celebrantes miris laudibus *Pictanon* appellarunt ex *Adriatico* sinu: Cujus vini præstantia tanta est, ut in diuturna sæcula perdurans suavitate sua omnem superet liquorem, id etiam comprobante *Friderico tertio* Imperatore, cum in extremo senio *Aquilejam* invisens *Duinum* se contu-

D lisset, ubi tanquam divinum nectar id genus vini annorum centum admiratus ex saxeo antro educi jussit, quod quidem finitimis ægrotantibus impertientes præsentaneum remedium experti sunt, unde quotannis erogatum musto pretiosissimo reponunt. Nec desunt ad pleraque medicamina saluberrima fontes calidi, quorum his verbis meminit *Plinius*, contra *Timavum* amnem Insula parva in mari est cum fontibus calidis. Qui pariter cum æstu maris crescunt minuunturque. Ii nunc *Balnea Montisfalconis* ex vicinitate loci vocantur, quamquam ubi (Fontes calidi.)

E olim insula, modo aquarum alluvionibus continens sit, unde haud procul in littore scopulus *Belfortis* arcis ruderibus vepribusque obductus apparet. Juxtaque hos est *Timavus* amnis, quem *Strabo Possidonium* secutus subire terras tradit, deinde stadiis circiter centum triginta pluribus ostiis in mare erumpere, quod nisi de eruptionibus e monte intelligamus, falsum est, solo enim ostio in mare devolvitur ex imis saxi radicibus aquam pluribus oribus eructans pluvioso tempore uberiorem, adeo ut cœlo sudo rarioribus erumpat. Inde in unum eadem confluunt alveum, navigabile flumen efficiunt: Hinc a poetis interdum plura, ut *Virgilius* novem, mo- (*Belfortis.*) (*Timavus.*)

do pauciora, ut *Martialis* septem, ora celebrantur, ponentibus certum numerum pro incerto, ipso etiam *Servio* asserente: quod locum ipsum inspectantibus manifestius constat: Ejusque amnis fontes uno duntaxat excepto salsas habere aquas *Polybius* author, quod hodie nusquam apparet, quamvis in ostio maritimo ut cætera flumina salsedinem sapiat: Locum insuper ipsum ait *Maris fontem*, & *Matrem* ab indigenis dici. Hunc *Plinius* juxta *Istrorum* agrum ponit, alibique *Aquilejensem* appellat, Et *Virgilius Japidium*, quoniam *Japidiam* ab *Aquileja* disterminat, idemque sequitur *Martialis* & *Claudianus*, Quam sententiam & *Mela* complexus est. Ex quibus deprehenditur error nonnullorum existimantium *Timavum* esse fluvium, quem nostri temporis homines *Brentam* vocitant, qui a priscis *Medoacus*, eoque nomine & *Bacchilio*, e *Vicentinis* defluens montibus, dicitur. Nam ostia *Padi Plinius* scribens hæc ait, proximum portum facit *Brondolum*: Sicut *Edronem Medoaci* duo ex *Fossa Clodia*. Nec debet quemquam *Martialis* in diversum carmen trahere appellantis *Euganeum Timavum*, cum *Veneti* iidem sint qui olim *Euganei*, in quibus *Timavus Aquilejensis* est. Ii namque cum prius *Euganei* a generis nobilitate dicerentur, ab *Henetis Paphlagonibus* superati victorum more servato in gentem nomenque imperantium concessere, nolim tamen quempiam supine adeo falli, ut solos *Patavinos Euganeos* putet. Quandoquidem *Euganeorum* civitas est etiam *Verona*, quorum quatuor & triginta oppida enumerat *Cato*, author *Plinius*, ipso quoque *Livio Patavino* id attestante (ut alios priscos idem sentientes prætercam) quorum quidem Regio absque dubio *Venetia* dicitur, Terminique constituuntur ab oriente *Timavus*, ab occasu *Mintius*, aut (ut alii latius extendentes) *Abdua*: Hinc qui *Patavinum* credidere *Timavum* decepti sunt locorum imperitia, authoritatem forsitan *Lucani* secuti, qui non tanquam chorographus, sed poetico more parti attribuit, quod universæ Regioni *Maro* solita brevitate peritioribus innuens. Montibus etiam *Forojuliensibus* Larices, quibus *Virruvio* teste, nulla ligna in ædificiis longissimi ævi aptiora, neque enim teredine vixque igni aut aqua absumuntur, præter alia navalis, fabrilis, ac igniarii usus copiose adeo insunt, ut iis incolæ, *Venetiæ*, magna insuper *Italiæ* pars affatim abundet, in hisque ut nihil ad ædificandi materiam desit, (Nam laterculos, calcem harenam fossitiam, fluvialemque large præbet Regio) Lapides albi, nigri, rubri, *Venetique* coloris, indeficientibus lapidicinis exciduntur: quos haud difficulter ad opera extruenda convectant. Argillaque in effingendis vasis *Utinæ* præsertim tam miræ tenuitatis firmitatisque ut elaborantibus ingeniis locus in fictilium claritatem transierit, *Plinii* verba sunt, retinent hanc nobilitatem & *Arretium* in *Italia*, & Calicum tantum *Surrentum*, *Asta Polentia*, in *Hispania* & *Saguntum*: habent & *Trallis* opera sua, & *Utina* in *Italia*, quoniam & sic nobilitantur gentes & per terras mariaque portantur: Quamvis indigenarum inertia per hæc tempora tanta defecerit celebritas, externis ipsum adhuc figlinum experimento extollentibus. Sunt & abstrusorum metallorum felices divitiæ: in *Hydria* namque apud *Tulminum* ætate nostra argentum vivum, quod alibi parce inveniri ajunt, abunde adeo effluit, ut in *Hispaniam*, unde ad nos convehebatur, ne dum passim per *Italiam* transferatur. Argenti & ferri inexhaustæ venæ e monte *Primesio* supra *Juliam* subfodiuntur: Ærisque e *Monte Crucis*, ubi arx *Turonis* nunc solo æquata impendebat. Et plumbi vis ingens ex *Ebrontio*. Apud priscos autem tradit *Strabo Polybium* scriptum reliquisse suis temporibus aurifodinas in *Tauriscis Noricis*, maximeque juxta *Aquilejam* inveniri, adeo natura optimas, ut quum a superficie terræ duos ad pedes so-

2. **Brentam.** **Veneti. Euganei.** **Larices.** **Lapides.** **Argilla.** **Argentum vivum.** **Argentum. Ferrum. Æs. Plumbum.** **Aurifodinæ.**

A lum detraxeris, fossile confestim aurum invenias: fossam autem non ultra pedes XV. esse aurum ipsum partim per se purum ad fabæ magnitudinem octava tantum parte decocta: partim minoris indigere digestionis longeque utilissimæ, ipsas fuisse in *Monte Medeæ* non longe ab *Aquileja* tam ex cavernis conjicitur late concavis, quam ex rerum fama, cui standum est ubi certam derogat vetustas fidem. Quibus e locis nocte ambiguas voces & quasi magicos strepitus exaudiri ajunt *Medeæ Jasonem* secutæ artes arguentes. In alendis autem equis & mulis ob innoxios saltus & pabula montana palustriaque fæ-
B cundissima sicuti nostrorum secordia jure carpitur, ita priscorum industria laudabatur, quæ apud illos summo in honore fuerat ab illorum imitatione, qui ad creandos ex equabus mulos studium agitabant. *Dionysius* quoque *Siciliæ* Tyrannus hinc alendorum semen equorum constituit, quos ad equestre certamen alebat: adeo ut per *Græcos* equinæ prolis *Venetæ* nobilitas emanarit: & ad longa tempora propago ipsa famam vendicarit, quamvis apud *Henetos* in *Paphlagonia* ipsam prius fuisse legamus. Duo adhuc Luci monstrantur alter *Junoni Argivæ*, Alter *Dianæ Ætoliæ* dicati nemora divæ *Margaritæ* & *Egeldrudis* vocantur: in quibus asserunt feras ita
C mansuescere ut cervi lupis aggregentur, adventantiumque hominum eas manus demulcentes pati, quod si quas canes insectentur, ubi huc confugerint ab insectatione cessare. Fama est celebrem admodum fuisse quempiam, qui in faciendis vadimoniis studio non mediocri teneretur, qua ex re & hominum jocis carperetur, is igitur in venatores fertur incidisse qui irretitum haberent lupum, & illis per jocum rogitantibus vellet ne pro lupo vadem se constituere ut illata ab eo damna persolveret. Sic e retibus belluam dimissuros fide jubere sese confessus est: Emissum deinde lupum per magnum equarum armentum cursum agitantem nullo notatum cauterio
D ad fidejussoris stabulum adduxisse, eum recepta gratia equabus lupi notam inussisse, & inde lupiferas nominasse velocitate magis quam pulchritudine præstantes: Successores & signum & nomen equarum generi servasse, utque solis stirps ipsa legitime perduraret fæminam nullam alienare consuevisse: Equinam hinc præcipuæ celebritatis progeniem extitisse fabularum pene omnium inventores *Græci* commenti sunt. Hac locorum rerumque opportunitate adducti *Germani*, *Pannones*, *Illyrici* multæque gentes istud universæ *Italiæ* emporium undique patens frequentabant, unde etiam *Strabo Aquileja*, inquit, *Adriatico* sinui proxima a *Romanis* condita est incum-
E bentibus imposita Barbaris. Ad eam flumine adverso onerariis navigatur navibus per *Natisonem* fluvium plus stadiis LX. Gentes ad *Istrum Illyricæ* ad ipsum subvehuntur emporium, convectant ii res sane maritimas, vinum ligneis doliis, quod plaustris imponunt. Illi autem mancipia, pecora, pelles. Extra *Italiæ* fines *Aquileja* est, flumine non ab *Alpibus* descendente disterminatur, per quod sursum navigatur stadiis mille & ducentis ad urbem usque *Noreiam*, Ubi. GN. *Carbo* collatis adversus *Cimbros* signis, re infecta discessit, quod tamen falsum esse certior aure arbiter oculus demonstrat, neque enim *Aquileja*
F extra *Venetiæ* fines est, cum *Istriæ* contermina a *Timavo* initium sumens manifesto sit *Venetiæ* caput: Ni *Strabonem* tutantes diceremus mendosum esse contextum, sicuti complures apud eundem loci, ubi namque *extra*, legendum fortasse facili lapsu vocum *intra*: nusquam insuper extat in hac Regione flumen, quo sursum navigari ultra *Alpes* possit usque *Noreiam*: quandoquidem a maritimis lacunis adversis fluminibus navigantes vix ad ducenta stadia usque quaque conscendant, cum adversum natura sursum versus ultra *Alpes* navigari minime possit. Hinc

2. v. **Mons Medeæ.** **Equi.** **Lucus Junonis: & Dianæ.** **De quodam qui pro lupo vadatus ab eo postea generosarum æquarum armento remuneratus est.** **Commercia externorum cum Aquilejensibus.** **Contra Strabonem.**

Hinc enim tanto impetu flumina torrentesque devolvuntur, ut nullis alveis contenta per agros irrumpant: inde non ab *Alpium* jugis in contrarium per *Tauriscos*, quorum oppidum *Noreia*, in *Germaniam* defluant: quare nolim quempiam tanti viri authoritate decipi, neque veritati fidem abrogari, cum etiam sæpenumero inter geographos veteres: dum alios alii castigant, maximæ controversiæ insurgant. Nec sane mirandum, cum ut plurimum de his scribant, quæ nusquam viderint: Atque ideo interdum errent, se ipsos libentissime correcturi, si modo veritas innotesceret. Non itaque mirum si *Trojani*, *Romani*, *Galli*, *Longobardi*, cæterique commutatis sedibus ad has incolendas confluxere tot exciti muneribus atque deliciis, quibus tam feræ quam homines mansuescant: Hinc *Martialis* omni carens suspicione *Hispani* generis in gloriam suam alioqui effusissimi florente *Roma* optat senectam degere his locis.

Æmula Bajanis Altini littora villis,
Et Phaëthontæi conscia sylva rogi,
Quæque Antenoreo Dryadum pulcherrima Fauno
Nupsit ad Euganeos sola puella lacus.
Et tu Lædeo felix Aquileja Timavo,
Hic ubi septenas Cyllarus hausit aquas,
Vos eritis nostræ portus requiesque senectæ,
Si juris fuerint otia nostra sui.

Ambitum habet regio millium CCLXX. In qua sunt urbes, oppida, & castella, *Aquileja* Colonia florentissimæ quondam urbis tenue vestigium, valetudine nunc habitantium infamis, quæ olim (ut tradit *Vitruvius*) incredibilem ea ratione salubritatem habebat, quod in paludibus constituta secundum mare inter Septentrionem & Orientem spectabat, hæque paludes excelsiores, quam littus maritimum prominebant: fossis enim ductis fit aquæ exitus ad littus, & ex mari tempestatibus aucto, in paludes redundantia motionibus concitatur, amarisque commixtionibus non patitur bestiarum palustrium genera ibi nasci, quæque de superioribus locis natando proxime littus perveniunt, inconsueta salsitudine necantur. Nunc insidentes paludes profluentes exitus per fossas non habent, ideo stando putrescunt, & humores graves pestilentesque emittunt: sequitur ab ea *Gradus*, cui proxima est parva saltus Insula, *Barbanam* vocant. Terram ejus affirmant non minus quam *Ebusitanæ* apud *Baleares* serpentis omne genus fugare, adeo ut in eandem illati statim moriantur: *Monsfalco*: *Arx divi Joannis Chersii* deleta, nunc *Phanum*, quod olim *Diomedis* templum memorabile fuisse, tam ex ruderibus quam ex Antistitum Annalibus constat, cui, cum insignes adhiberentur honores, candidus equus immolabatur. *Noritia*: *Farra* modo eversa, ex qua *Farenses* Comites vetusti *Noritianorum* Principum authores: *Lucinium* solo æquatum: *Gradisca* a *Venetis* condita: *Mosa* diruta: *Cormon*: *Braithanum* disjectum: *Drusum* vepribus hederarumque complexu obductum: *Gramolianum* concisum: *Ungrispachum*: *Vipulcianum*: *Saciletum* subversum: *Strasoldum*: *Rosacium* vini præstantia *Falerno* æmulum, cænobio *Benedicti* celebre: *Mantianum* nobilium pomorum ferax, nam & *Hispani* vernaculo vocabulo in commune omnia mala vocant *Mantiana*: *Butrium* deletum: *Utina* nunc Metropolis: *Julium Castrum* modo *Civitas Austriæ*, quam *Natyso* prærupto & confragoso alveo intersecat, supereminente ponte *Italicorum* pulcherrimo: *Zuchula* solo æquata; *Grorumbergum* & *Gruspergum* extincta: *Antrum* intercisum: *Portæ Plytianæ* vetustissimæ munitionis incumbentibus Barbaris oppositæ: *Tulminium*: *Sophimbergum* humi prostratum: *Zucchum*: *Cucanea* incendio absumpta: *Pertistanium*: *Atempsum*: *Savorganum* excisum: *Nemas*, cujus vix extat vesti-

A gium: *Cergneum*: *Tricesimum*: *Luceriacum*: *Ca-*
strum paganum: *Fons bonus*: *Coloretium*: *Casiacum*:
Tercentum: *Prampergum*: *Artena*: *Rivistanium* de-
solatum: *Glemona*: *Ventionum*: *Tulmetium*: *Ju-*
lium olim urbs, nunc parvus vicus: *Mosium*: *Clu-*
sia: *Moscardum* torrenti ejusdem nominis miræ ra- *Moscardum.*
pacitatis proximum, cujus alveo saxa instar dolio-
rum præcipiti gurgite rotantur, modo in summo
extantia, mox sese ad imum deprimentia: *Invili-*
num complanatum: *Legium*: *Subclivium*: *Luincium*:
Nonta & multarum in *Carnis* arcium reliquiæ, ubi
guttur incolis, aquarum, quæ potantur, vicio
adeo intumescit, ut mamillas plerumque excedant:
B *Botistanium*: *Ampitium*: *Arx plebis*: *Comelicum*: &
Venasium, ii quinque *Cadubrinorum* vici: *Cicelanum*
ruinis obrutum: *Cavatium* lacui ejusdem nominis Lacus *Ca-*
duorum millium & quingentorum passuum ambitus *vacius.*
incubans, Ex quo amnis *Melo* parvus *Tiliavento* in- *Melo* amnis.
fertur: *Osopium*: *Bravolinum* concisum: *Susannium*,
& *Vendejum* eversa: *Melsium*: *Pyræ*: *Capriacum*:
Celiacum: *Ragonea*: *Sanctus Daniel*, a quo non Lacus *San-*
longe alius est lacus minoris tamen ambitus: *Tri-* *cti Danie-*
canum: *Faganea*: *Villalta*: *Morucium*: *Braciacum*: *lis.*
Gruanum: & *Castelenum* deleta: *Spilagallum* nudum
hodie soli nomen: *Porpetium*: *Marsianum*: *Maria-*
num: *Laticiana*: *Varmum*: *Amadrysium*: *Belgra-*
dum: *Flambrum* excisum: *Quadrivium*: *Prisinium*:
C *Areæ*: *Stirpeum*: *Castellutium* dirutum: Hæc
Tiliavento discreta *Aquilejensi* Diœcesi pertinent,
ulteriora *Concordiensi*: *Concordia* Colonia civitas e- *Concor-*
versa: *Portusgruarius*. Quem *Lemas* amnis perfluit, *dia. Por-*
regionis ob *Venetarum Germanicarumque* mercium *tusgrua-*
illuc convectationem semiemporium: *Abbatia Sub-* *rius.*
aquensis: *Fratta*: *Cordivatum*: *Sextium*: *Sanctus*
Vitus: *Sbrojavacca*: *Servarolum*: *Prodolonum*: *Val-*
vasonum: *Spilimbergum*: *Pintianum*: *Castrum Ray-*
mundum solo æquatum: *Flavonia* vepribus obsita:
Neocastrum: *Metunum*: *Topium*: *Solimbergum*: *Ma-*
niacum, ubi olim *Celinates*: *Phanum* cui monte ar- *Celinates.*
D duo inexpugnabilis arx *Micæ* impendet: *Mons re-*
galis: *Pulcinicum*: *Campa Avianum*: *Sanctus Pau-*
lus: *Crudignanum*, *Sacilum* loci amœnitate inter- *Sacilum.*
fluaque liquentia elegans: *Cavolanum* eversum: *To-*
palicum dirutum: *Brugnaria*: *Purliliæ*: *Prata* solo
æquata: *Praturlonum* intercisum: *Actianum* dele-
tum: *Portus Naonis*: *Turris*: *Zopola*: *Cusanum*: *Pa-*
nigaleæ: *Meta*: *Sanctus Stenus*: *Laurentiana*: *Por-*
tus Buffaletus: *Metuna*: *Fratrina*: sunt & Pagi cir- Pagi. M.
citer mille & quingenti: Amnes celebres: *Tima-* D. Amnes
vus ex finibus *Japidiæ* ortus, qui non longe a fon- celebres,
tibus progressus in proximum cuniculum, quasi *Timavus* fl.
E manu factum præcipitatur, atque ita absorptus diu
per subterraneos meatus labitur, haud proculque a
mari vivo saxo pluribus fontibus erumpit, conti-
nuoque navigabili fluvio in mare evolvitur: de quo
plura supra diximus. *Sdobba Montisfalconis* agro *Sdobba* fl.
scatens: *Sontius* ex *Alpibus* juxta *Japidiam*, eam *Sontius* fl.
Cranium & *Carniolam* vocant, fluens, qui primum
a Septentrione ad Occasum Brumalem per abrupta
loca præceps labitur, inde per *Plytianam* vallem
decurrit, mox in confragosas angustias rursus deje-
ctus prope *Caporetum* ponte longitudinis pedum Pons me-
LX. unoque fornice utramque fluminis ripam am- morabilis
F plexus jungitur, hinc elapsus mitius decurrit. *Tul-* *Tulminia* fl.
miniam juxta arcem ejusdem nominis, & ab ea non
longe *Hydriam* argenti vivi fodinis nobilem accipit: *Hydria* fl.
in *Sonciacam* deinde vallem, *Roncinam* vocant, pro-
greditur: Demum in aperta descendens haud pro-
cul a *Gradisca Vipavum* recipit: unde auctus gra-
viori agmine defluit: Pauloque supra *Aquilejam Na-*
tysoni connexus miti alveo in mare erumpit, quam-
obrem haud immerito crediderim apud priscos so-
lum, *Natysonis* sublato, *Sontii* nomen perstitisse,
quandoquidem ut plurimum influentia mari flumi-

na censeantur cum alioqui recentiores utriusque meminerint: Oritur autem *Natyso* in Alpibus post juga *Ventieni* ad occasum solstitialem, atque stadia circiter octoginta decurrit, mox ad Brumalem occasum flexus, *Civitatemque Austriam* secans ad ortum vergit, ab ea demum post centum & viginti stadia *Sontio* miscetur. *Tiluis* deinde ac *Natisa* per *Aquilejam* labens. *Alsa* & *Nucerius* iis proximis *Aquilejæ* locis compluribus fontibus orta. *Zelina* quæ nascitur ex paludibus *Castelionæis*. *Mutianus*, & *Tornianus* supra *Mutianas* paludes orti uno ostio mari illabuntur. *Varmus* antiqui præsentisque nominis. *Tiliaventum minus*, quod *Stellam* vocant, olim *Anasum*, per *Palaciolum* pagum labitur, magnarum navium capax, paulum infra quadrivium ex *Tiliaventi majoris* aquis terra mersis scaturiens, quod antiquitus ex majori altero digressum alveo *Varmum* amnem Authore *Plinio* accipiebat, qui hodie (ut fit) longo ævo minori obstructo alveo in *Tiliaventum majus* ingreditur. *Tiliaventum majus* (prisci enim utrumque prodidere) post *Butim*, *Decanum* *Fellem*que ubi *Alpium* angustias evasit, *Hydram* accipit ortam in *Glemonensi* agro, inde *Arginum* inferiusque *Varmum* navigabili colligens fluvio in mare delabitur, septingenta quinquaginta dimensum stadia ab ipso fonte, qui *Carnicis* in montanis supra *Furnium* pagum e monte *Mauro* oritur: Ubi fons mirus est, in quo lignum dejectum saxeo cortice obducitur, virgultaque & folia immersa lapidescunt: Non longoque intervallo *Plavis* e monte *Sellio* prosilit: Hunc *Silim* e montibus *Tarvisanis* prodeuntem fuisse, antiquus in eundem alveus derivans, quo nunc haud multum supra *Tarvisium* ex subterraneis *Plavis* aquis emergit, satis clare demonstrat, nomenque *Sellii*, a quo oritur, forte indicat, quamquam recentiores nonnulli *Plavim* ante *Anasum* nuncupatum falso dicunt, ut alia pleraque a regionis peritis facile deprehenduntur: absurdissimum enim est credere *Plinium* a *Tiliaventi* ad *Plavis* sub vocabulo *Anasi* nominationem transiliisse, tot intermediis omissis fluminibus: Sed *Plinii* verba illa: *Tiliaventum majus minusque*: ita legenda & intelligenda arbitror, ut *Tiliaventum* minus, proprio nomine diceretur *Anasus*, ex adverso cujus montis dorso juxta *Tobliacum* vicum *Athesis* & *Dravus* prodeunt: quibus quatuor celeberrimis fluminibus in diversas terrarum plagas labentibus plane colligitur locus climatis nostri altissimus veluti reliquorum vertex: Hinc enim *Tiliaventum* & *Plavis* ab occasu solstitiali ad meridiem fluit: Illinc *Dravus* in orientem: & *Athesis* ad occidentem deflectitur. *Liguniana* brevi cursu in paludes *Caprulanas* effundens. *Lemas* apud priscos *Romatus*; *Portusque Romatinus Portum Gruarium* intersecans. *Naoncellius*, quo *Portus Nao* abluitur, proximis rivulis profluens. *Liquentia* incredibilis lenitatis, ita ut passim fere in utram partem labatur vix judicari possit, cujus ortus est non longe a *Pulcinico* tribus uberrimis fontibus eodem ferme loco scatentibus, *Plinius* eam *Opiterginis* montibus nasci scribit, tractum illum latius extendens. Torrentes vero discriminosi ex *Alpibus* præcipiti cursu in planitiem ob imbres ac nivium liquefactiones excrescentes, ut alios non magni nominis præteream, *Turrus* ex *Tarcentinis*. *Moscardus* ex *Juliis*. *Felles* ex *Pontevianis* montibus decurrentes. *Metuna* e Metuno. Et *Celina* e *Monte Regali*, hi duo tam vasti incrementi ut ad mille & amplius passus patentem alveum nonnunquam inundatione rapidissima impleant. In cujus *Celinæ* ore ad radices montium deducitur amnis cum inscriptione.

Tiluis Fl. Natisa Fl. Alsa Fl. Nucerius Fl. Zelina Fl. Mutianus Fl. Tornianus Fl. Varmus Fl. Tiliaventum minus Tiliaventum majus Fl. Butis Fl. Decanus Fl. Hydra Fl. Arginus Fl.

Fons mirus.

Plavis Fl.

Contra putantes *Plavim* esse *Anasum.*

Athesis Fl. Dravus Fl.

Liguniana Fl. Lemas Fl. Portus Romatinus. Naoncellius Fl. Liquentia Fl.

Torrentum nomina.

Turrus Moscardus Felles. Metuna. Celina.

Aliæ res memorandæ subnectuntur.

CAPTIVA HOC TRAHITUR CELINA CORNU. ET FESSA IN FLUVIUM CADIT NAONEM, FOMENTA VENETIS DATURA FLAMMIS, PRÆFECTO GABRIELE
A GRADONICO. MXIIID. ID. DECE.

Scripturus itaque *Forojuliensium* res brevi compendio omittam, ante *Aquilejam* conditam monimenta, quorum propter edacem temporum vetustatem, ut non satis vera, sic parva haberi potuit notitia. In *Venetis* enim ut tradit *Plinius Utina* & *Celina* interiere: Et ab *Aquileja* ad XII. lapidem deletum oppidum etiam invito Senatu a *M. Claudio Marcello*, *Piso* author. Apud *Celinam*, a qua & torrens *Celina*, ubi *Maniacum* est, & multa in hanc diem extant antiquitatum vestigia, inter cætera obæsum marmor inscriptum.

Celina monumenta pervetusta

B C. HOSTILIUS ET. L. EGNATIUS VEITOR QUINTÆ DECIMÆ LEGIONIS TRIBUNI. PRO. S. P. Q. R. CUM BARBARIS DIMICANTES PARITER OCCISI HEIC PARITER JACENT SINGULARE POSTERIS EXEMPLUM ET CHARITATIS ET FORTITUDINIS CELINENSES. XXL. DIES ATRATI LUXERUNT.

Et aliud:

C.VERGINIO SUAVISSIMO FILIOLO RARÆ PULCHRITUDINIS ET LEPIDITATIS ADOLESCENTULO AB AQUILEJANIS MILITIBUS PRÆSSO DE PONTE LA-
C PSO COLLISO ATQUE MISERABILITER EXTINCTO. C. VERGINIUS LEGATUS. L. POSTHUMII DICTATORIS ET LOLIA. L. FILIA DILECTISS. CONJUX INFELICISSIMI PARENTES POSUERE.

Deque *Aquileja Italiæ* urbe insigni dicam, quam nonnulli ab *Aquilio Iliensi* cum *Ænea* & *Antenore* profugo conditam appellatamque asserunt: alii ab *Aquila Romanorum* insigni, quoad hæc usque tempora, coloris tamen aurei usa est, cujusmodi etiam *Cyrus* maximus *Persarum* Rex, ut memorat *Xenophon*. Multi ab aquis irriguis denominatam malunt, rivis ibidem *Alsæ*: *Natisæ*, & confluentium undique ex-
D silientibus, per quos in singulos nautæ cimbulis vicos discurrebant, ut olim *Ravennæ*, modo *Venetiis*, in amphoram navigabilem alveum derivantes. Hanc liberam fuisse civitatem, societateque cum *Romanis* junctam paulo ante secundum bellum *Punicum M. Claudii Marcelli* auspiciis constat, qui primus trans *Padum Romana* signa trajecit, atque *Insubres* & *Istros* vicit, tulisseque auxilium *Romanis* postea hoc versu testatur *Silius*.

Aquilejæ origo.

Nec non cum Venetis Aquileja superfurit armis.

Quamvis antea quoque *Romani Aquilejensibus* non defuerint, cum *Galli Transalpini* cum duodecim
E millibus armatorum iis locis consedere, qui licet sine populatione aut bello locum non procul ab *Aquileja* oppidum condendo cœperint, increpiti tamen a Senatu sunt, legatis trans *Alpes* missis. Quibus responsum est, neque profectos ex authoritate gentis, nequid in *Italia* fecerint se scire. Incumbentibus autem Barbaris Senatusconsulto decretum est, Coloniam *Latinam Aquilejam* deduci, prohibentibus *Istris*: quam tamen tres viri deduxerunt *P. Cornelius Scipio Nasica*, *C. Flaminius*, *L. Manlius Acidinus* anno (ut scribit *Livius*) quo *Celtiberi*, qui XXXV. millia hominum comparaverant, a *Q. Ful-*
F *vio Flacco* Provinciam obtinente apud *Eburiam* oppidum cæsi captique sunt. Tria millia peditum sunt deducta, quibus data quinquagena jugera, centurionibus centena, centena quadragena equites acceperunt, qui solum omne per agros partiti, ex ipsorum cognomine villis nomina imposuere, sicut ex diversis *Romanorum* nominibus pagos hodieque appellari dignoscimus, ut *Antonianum*: *Claudianum*: *Servianum*: *Basilianum*: *Papyrianum*: *Horatianum*: *Cassianum*: *Julianum*: *Tiberianum*: *Laberianum*: *Flaminianum*: *Mutianum*: *Ticianum*: *Gellianum*: *Actianum*: *Terentianum*: *Rutilianum*: *Cassinianum*: *Sa-*

Colonia Latina Aquilejam deducta.

Pagi ex diversis Romanorum nominibus

Sabinianum: *Saluſtianum*: *Trebellianum*: *Firmilianum*; *Graccianum*: *Magianum*: *Valerianum*: *Marſianum*: *Manlianum*: *Marianum*: *Tullianum*: *Varianum*: *Vellejum*: *Flavianum*, ubi extat monumentum adhuc. Q. CECILII FLAVIANI: *Priſcianum*: *Aurelianum*: *Galerianum*: *Gajum*: *Cornelianum*: *Druſium*: *Aurelianum*. Et reliqui fere omnes ſeu à nominibus, ſeu a locis *Romanis* derivantur, ut *Puteoli*: *Campus Formianus*: *Campus Martius*: *Tuſculanum*: *Romanum*: *Tibur*: quorum nomina nonnulla ex imperito aliquantulum vulgi ſermone corrupta ſunt: Verumque adeo eſt, quod diximus, ut omnia pene alia *Romanorum* vetuſtatem non redolentia, aut ab illuſtribus *Italiæ* locis denominationem acceperint ut *Brixia*: *Papia*: *Placentia*: aut ab externis ut *Gothia*: *Baveria*: *Sclavonicum*: Aut a brutis ut *Caprilia*, *Edilia*, *Caballia*: Aut ab arboribus ut *Populetum*, *Meſpiletum*, *Carpinetum*, & hujuſmodi plura, ne ſigillatim minima quæque enumerem. *Aquilejenſes* itaque una cum *Romanis* univerſam regionem incolentes eam certatim tam cultam, tam ornatam, tam ſplendidam reddidere, ut omni ex parte florentiſſima agris, vineis, hortis, viridariis, & pulcherrimis ædificiis niteret: Unde hodie præter innumerabilia *Aquilejæ* reperta paſſim effodiantur marmora atque emblemata vermiculata: apud *Priſinium*, *Faganeam*, & *Vendejum* extant columnæ, craſſitudine exciſis literis in honorem *Auguſti* celebres; *Concordiæque* præcipue. In *Portu Gruario*. In agro *Montisfalconis*, in *Civitate Auſtriæ*, *Utinæ*, *Glemonæ*, *Julii*, *Roſacii*, & *Puteolis*, multa viſuntur monumenta: Ea cum legentis votum non expleant conſulto omiſi. Epigramma tamen quod *Aquis Gradatis* candidiſſimo expreſſum marmore *Najadi* ad fontem quieſcenti inſcriptum eſt non injucundum appoſui:

Hujus nympha loci ſacri cuſtodia fontis
Dormio, dum blanda ſentio murmur aquæ.
Parce meum quiſquis tangis cava marmora ſomnum
Rumpere, ſive bibas ſive lavere, tace.

Hæc demum *Julio Cæſare* authore, ubi ſæpe commorabatur, uti etiam *Cicero in Vatinium* meminit, a gente *Julia Forijulii* nomen accepit, ex qua præſentiens *Cæſar Helvetios* per agrum *Sequanorum* & *Heduorum* iter in *Santones* facere conari, dimiſſo *T. Labieno* ad lacum *Lemmanum* tres hiemantes legiones ex hybernis eduxit, cum quibus ad flumen *Ararim* magnam eorum partem attrivit. *Julium* inſuper *Carnicum* olim urbs: Et *Julium Caſtrum* nunc *Civitas Auſtriæ*, a *Julio Cæſare* cognominata, & *Utinæ*, (quam *Plinius* ait interiiſſe,) arx ab eodem inſtaurata *Julis* appellata eſt. Ubi multa antiquitatum veſtigia. Hanc *Hunnorum* Rex *Attila* durante *Aquilejæ* obſidione auxit, militari opere in altiorem aucto tumulo. Sunt qui oppidum non *Utinam* ſed *Udinum* ab *Udinis*, de quibus *Plinius*, *ab introitu dextro mucronem ipſum ſaucium tenent Udini Scytarum populus*: vel ab *Hunnis Hunnium*, quibus etiam *Attila* imperabat, denominatam dicant. Sed hi ſane pervertunt, ut etiam in pleriſque, priſca recentioraque *Utinæ* monumenta, quæ forte ipſi vetuſtatem *Aquilejæ* ſicco pede recenſentes ignorarunt. Apud enim antiquiſſimos, & poſt *Attilam Utina* vel *Utinum* ſemper legitur. *Octavius* præterea *Auguſtus*, ut inquit *Suetonius*, cum reliqua bella per legatos adminiſtraverit, *Pannonicis* atque *Germanicis* intentus, ut non longe abeſſet, *Ravennam* vel *Mediolanum* vel *Aquilejam*, uſque ab Urbe progreſſus eſt: Ubi nonnunquam cum uxore, civitatis decore allectus, octo menſes permanſit: qui & murum pulcherrimum ſtruxit: Is longitudine duorum millium paſſuum geminus extat, in quo marmor erat, *Virginio Benedicti* hodie appoſitum, iis literis exciſis.

CÆSAR AUGUSTUS AQUILEJENSIUM RESTITUTOR ET CONDITOR VIAM QUOQUE GEMINAM A PORTA USQUE AD PONTEM PER TIRONES JUVENTUTIS NOVÆ ITALÆ SUÆ DELECTUS POSTERIORIS LONGI TEMPORIS LABE CORRUPTAM MUNIVIT ATQUE RESTITUIT.

In qua, ut ſcribit *Joſephus*, idem audito *Herode* filiiſque tulit ſententiam. Et *Julia Tiberii* conjunx eum comitata, hic abortu facto, puerum amiſit. Tanto præterea eſt *Auguſtus Aquilejenſes* amore complexus, ut prius jure *Latii* donatos civitatis *Romanæ* munere ornaverit: Cujus auſpiciis, urbs adeo crevit, ut *Secunda Roma* appellata, quaſi proximum ſuburbanum a Cæſaribus frequentaretur, Amphitheatrum enim magnificentiſſimum, complura excelſæ magnitudinis templa, mœnia amplitudinis mirificæ, ædes ditiſſimorum civium innumeræ, omnia demum urbis loca venuſtiſſima conſpicientes etiam *Romanos* in admirationem trahebant, ut non immerito *Rufus Sextus* & *Auſonius* poëta *Aquilejam* carminibus celebraverint, tradunt eam ambitum habuiſſe duodecim millium paſſuum: nonnulli ut *Belinenſis* XVIII. millium: Id ex ruderibus mœnium facile adhuc palam datur intelligi, in qua cenſa fuerunt aliquando civium capita centum atque XXX. millia. Ex hac præterea civitate illuſtri uſque *Bononiam* & inde *Romam* ſtrata erat via militaris lata & recta, de qua *Strabo*: *Eodem in conſulatu M. Lepidus & C. Flaminius collegæ victores Ligurum ſtravere, hic quidem Flaminiam e Roma, Thuſciam, & Umbriam uſque Ariminum: alter reliquam porro uſque Bononiam, & ex ea in Aquilejam prope Alpium radices, ducto per gyrum circa paludes opere.* Via nunc Alta dicitur, & ubi per gyrum opus ductum *Revoltus* eſt pagus: Erat & via, quæ ex *Aquileja* juxta prædium magnum *Triceſimum* tendebat, hanc tamen florentem regionem *Japodes* inſtante *Auguſti* bello, natio ferox, quæ ultra Alpes incolit, nonnunquam excurrentes deprædati ſunt, ut etiam *Appianus* in *Illyrico* meminit: Quibus ferme diebus apud *Auguſtum Cornelius Gallus Aquilejenſis* poëta floruit, qui & ſi humili fortuna natus, ob virtutes fuit eidem gratiſſimus, primuſque *Ægypti* Præfectus *Heroum* urbem quæ defecerat cum paucis recepit: rurſus cum in *Thebaide* ſeditio exorta eſſet, propter tributa, facile eam compoſuit, ex qua multos obeliſcos, conchas peregrini marmoris, ſtatuas æreas & marmoreas, pluraque pretioſa *Romam* detulit: *Ægypti* enim Metropolis *Thebæ* longitudine octuaginta ſtadiorum, centum portas habens divitiis maximis affluebat, ubi in obeliſcis quibuſdam literæ erant Regum illorum potentiam declarantes. In ſuſpicione deinde conjurationis Senatui traditus Senatuſconſulto ad necem compulſus eſt, quem tamen ſcribit *Euſebius* anno ætatis XLIII. propria manu interemptum: *Vergilio* adeo amicus, ut Georgicorum quartum a medio ad finem in ejus laudem compoſuerit, quem poſtea jubente *Cæſare* in *Ariſtæi* fabulam commutavit: *Diomedes* hunc *Tibullo* & *Propertio* adjungit: *Euphorionem* in *Latinum* tranſtulit, & libris quatuor amorem ſuum in *Cytherida*, quam Lycorim appellat, complexus eſt. De quo canitur:

Gallus & Heſperiis, & Gallus notus Eois;
Et ſua cum Gallo nota Lycoris erit.

Aquilejenſes jure civitatis *Romanæ* donati.

Aquileia ſecunda Roma.

Aquilejæ ambitus.

Aquilejenſium civium capita cenſa.

Via militaris.

Japodes.

Cornelius Gallus poëta.

LIBER SECUNDUS.



Christus.

IMPERANTE *Augusto Cæsare* anno secundo & quadragesimo ejus Imperii, civilibus exterisque bellis quiescentibus, ortus est humanæ salutis author Christus Dei Filius: qui Evangelicæ veritatis dogmate patefacto, in omnem terram ad propagandum divinum ejus verbum misit Apostolos. Ex quibus collegæ multi ut Christianorum undique augeretur numerus prodiere. Fundata igitur *Antiochena* Ecclesia, in qua primum novellæ gentis sacrum nomen auditum est, *Romanaque* constituta, *Aquilejensis* fundamenta jacturus Apostolorum Princeps *Petrus Marcum* Evangelistam *Aquilejam* misit, qui cum sanctam doctrinam per manus acceptam in *Aquilejenses* diffunderet, complures ad fidem convertit, aliquotque annos commoratus Evangelium ibi scripsit, quod ejus exaratum manu in *Aquilejensi* templo tamdiu permansit, donec *Veneti* ipsum, *Forojulio* in potestatem adjecto, habuere, depositum erat tunc apud *Aquilejenses Benedicti Virgines*: Id ubi ab oratoribus *Forojuliensibus* ad deditionem faciundam profectis *Thomas Mocenicus* Princeps accepit, Præsulem Divi *Barnabæ* ut *Venetias* transferetur, eo misit. Redeunti Antistes *Venetus* supplicatione decreta occurrit, mutilatumque chartis, quas in *Pannoniam Sigismundus* Cæsar exportaverat, in Æde ejusdem Divi pientissime collocavit. Affirmant in ablatione Mirum contigisse, Requisitum perturbati canonici aræ cum imposuissent, *Dardanus* præter collegii votum erubescentibus aliis, raptim abstulit, *Venetis* tradens, statimque illi manus exaruere, sibique carnes mordicus discerpens paulopost obiit: Quod quidem contemptæ religionis temeritati, veluti *Ozæ* indigno arcam fœderis non impune attrectanti potius tribuendum est, quam credatur Divi judicio indignantis factum, sub cujus felici tutela imperium *Venetum* mari terraque florentissimum omnibus gentibus frequenti cultu celebratur.

Marcus Evangelista primus *Aquilejensis* Antistes. Evangelium *Aquilejæ* scriptum, *Venetias* postea translatum. Mirum.

Inde ad *Petrum* rediens *Hermagoram Aquilejensem* virum clarum *Romam* duxit, ubi ab Apostolo Protopræsul *Italiæ* creatus velamen sacramenti Pontificatusque Baculum, quem veneratur adhuc *Aquileja*, suscepit: in patriam reversus *Aquilejensem* Ecclesiam composuit: *Tergestinæ* civitati Antistitem Diaconumque sicut & in plerisque aliis, constituit: *Syrum Aquilejensem* Episcopum *Ticinensem* consecravit: ipsumque cum *Juventio Aquileiensi Ticinum* direxit: Jam *Veronam* pervenerat, ubi quædam Matrona nobilis divino afflata spiritu ingredientem agnovit, & ad pedes provoluta filio, quem unicum habuerat, se tunc orbatam maxime deplorabat, dum autem puer sanctissimi viri precibus ad vitam restitutus esset, admirata mater cum familia multisque sacrum baptisma suscepit, Hoc si conterraneus & pene coævus matronæ illius *Plinius* vidisset, non tam fœde blaterasset Deum nec mortales immortalitate donare nec revocare defunctos posse.

Hermagoras Aquilejensis secundus *Antistes* & ejus gesta. *Syrus Aquilejensis. Juventius.* Mirum.

Ticinium ingressus futuram urbis celebritatem *Aquilejæ*que excidium nullo ævo instaurandæ prædixit. *Merlinus* quamvis ille *Britannus* vates, quem ajunt ex incubo & Regis filia monacha natum, asseruerit, *Aquilejam* ad priscam aliquando magnitudinem *Morandi Carinthii* Ducis cura instauratum iri. Vaticinium tamen *Syri* videmus: hoc *Merlini* nescio an sit sperandum: immortalis enim Dei erit cuncta non nisi summa providentia

Vaticinium in *Ticinium* & *Aquilejam*. *Merlinus* Vates.

A disponere, qui universa librat & concludit, solusque novit omnia antequam fiant. Ecclesiasticas ceremonias ibi constituens *Juventium* & *Pompejum* Diaconos: *Chrysantum* & *Fortunatum* sacerdotes instituit, civitatique recte vivendi disciplinam tradidit. quam postea *Epiphanius* Episcopus *Aquileja* oriundus institutionibus sacris illustravit: cui *Gundubadus Burgundionum* Princeps sex *Mediolanensium* millia captivorum, quos *Odoacris* & *Theodorici Ostrogothorum* Regis bello in *Insubria* ceperat, non alia ratione, quam ob solam illius sanctimoniam, ut in patriam illæsi restituerentur, condonavit. Illinc *Syrus Ticinenses*, *Brixienses*, & *Laudenses*: hinc *Hermagoras Aquilejenses* sanctissimis operibus ad Christum evocavit.

Juventius. Pompejus. Chrysantus. Fortunatus. Epiphanius. Gundubadus Burgundus.

B His irritati gentilium sacerdotes *Sevastum* pro *Nerone* Præsidem *Aquilejensem* excitarunt, ut in *Hermagoram* animadverteret. Quamobrem eum asperrimis cæsum flagellis, candentique ferro exustum in carcerem conjecit: hunc sacro inibi coruscantem fulgore, inenarrabilique odoris suavitate fragrantem admiratus *Pontianus Aquilejensis* custos cum uxore liberis familiaque Christi cultum suscepit, quamplurimis catervatim in ejus sententiam confluentibus, e quibus *Gregorius Aquilejensis* Senator liberato ab illusionibus Dæmonum filio.

Sevastus persecutor. *Hermagoræ* Mirum. *Pontianus.*

C *Alexandræ* præterea luminibus orbatæ ejusdem opera visus restituitur: quibus est rebus effectum ut *Sevastus Hermagoræ*, dum per viginti annos *Aquilejensem* Ecclesiam rexisset, & *Fortunato* Diacono cervices abscidi jusserit IV. Idus Julias: nec tamen ob imminentem sanioris populi tumultum publice. Cum his *Tecla* & *Herasma*, *Valentiniani Aquilejensis* nobilissimi, Christum colentis filiæ: *Euphemia* & *Dorothea* ex altero fratre *Valentio* gentili infecto insania, quas frustra prius pater impius turri secus *Natisam* concluserat, ad martyrium præmissæ sunt.

Gregorius. Alexandra. Mirum. Martyrium *Hermagoræ* & *Fortunati.* *Tecla. Herasma. Euphemia. Dorothea.*

D Cadavera martyrum *Pontianus* & *Gregorius* cum *Alexandra* in ejus agello extra mœnia sepelivere: quæ adhuc in *Aquilejensi* æde summa cum veneratione servantur. Non omittam quod in *Venetorum* annalibus legitur ipsos *Petro Urseolo* Duce sub *Hermagoræ* vexillum, quod primum *Venetos* gestasse constat a *Gradensi* antistite acceptum, universam *Dalmatiæ* oram excurrisse, ejusque felicissimis auspiciis *Parentium*, *Polam* multaque alia *Istriæ* oppida, sub ipsorum imperium concessisse. Cujus etiam divi meritis *Aquilejensis* regio instituto solenni pro infantibus sacrificio, quod hodieque servatur, a vexatione Dæmonum liberata

Hermagoræ vexillum *Venetis* Propitium. Sacrificium pro infantibus.

E creditur. Iis annis *Vespasianus* in *Judæos* bella gerens a militibus *Mœsiaci* exercitus apud *Aquilejam* Cæsar acclamatur, postquam illis in auxilium *Othonis* jam iter ingressis nuntiatum est eundem a *Vitellio* victum, ac vim vitæ suæ intulisse, nihilosecius *Aquilejam* usque perseverarunt quasi rumori minus crederent, ibi per occasionem ac licentiam omni rapinarum genere grassati, quum timerent ne sibi reversis reddenda ratio ac subeunda pœna esset, consilium inierunt eligendi creandique Imperatoris: declararunt itaque *Vespasianum Flavium*, qui e *Hierosolymis* superveniens miro omnium favore exceptus

Vespasianus Cæsar.

F est. *Hermagoræ* successit *Helarus Aquilejensis* tertius Antistes eximiæ pietatis & innocentiæ: qui cum multos ad fidem convertisset a *Beronio* Præside *Aquilejensi* sub *Domitiano* Principe id imprimis *Monaphante* sacerdote excitante *Aquilejæ* cum *Taciano* Archidiacono suo, *Dionysio*, *Largo* & *Felice* anno institutionis XX. insignitus est martyrio. 17. Kl. April. Huic *Chrysogonus* surrogatus decennio præfuit. Deinde *Theodorus* anno XI. sub *Agone* Præside *Aquilejensi* martyr. Post quem *Chrysocomas* sextus Antistes

Helarus Aquiliensis III. Antistes & alii martyres. *Tacianus, Dionysius, Largus, Felix, Chrysogonus* IV. *Theodorus* V. *Chrysocomas* VI. Antistites.

A stes anno uno. *Agapetus* annis tredecim. *Pius* tunc *Aquilejensis* patre *Rufino* undecimus Ecclesiæ *Romanæ* Pontifex erat: hic cum multæ doctrinæ, summæ justitiæ, miræque religionis esset, plura ad Christianorum decus sancivit. Versatus cum *Hermete*, libro pastoris nomine inscripto, Angelum inserit suadere, Pascha die dominico celebrari: constituitque, ne hæreticus quispiam ex Judæorum hæresi susciperetur, *Praxedis* precibus Thermas novati in vico patricii in honorem sororis ejus divæ *Pudentianæ* dedicavit, multaque dona obtulit: instituit etiam, *Gratiano* teste, si quis Ecclesiæ prædia temere occupasset, sacrilegii pœna puniretur: eademque lege sacras ædes vastantes atrocesque sacerdotibus injurias inferentes damnavit: Et ne virgo ulla sacro velamine consecraretur nisi XXV. annorum esset ætatis, & id in Epiphaniæ die fieret: in illos quoque pœnam sancivit qui negligenter Christi sanguinem attrectassent. Defunctus demum apud *Petri* corpus in *Vaticano* sepelitur quinto idus Julii: *Pastor* quoque frater ejus ob vitæ sanctimoniam inter divos relatus *Aquilejensem* civitatem decoravit. In qua his diebus *Galenus* medicus ab *Antonino Pio* Cæsare ad fratrem in expeditione *Germanica* ægrotantem missus audiens illum jam convaluisse hyeme commoratus libros, ut idem attestatur, de Crisi, de Criticis diebus & de prognosticis eleganter composuit. Hanc tamen inclytam civitatem *Maximinus Thrax* a militibus Imperator declaratus Senatui admodum infestus conatus est diversis cladibus afficere, cum enim *Gordiani* senioris interitum, Africæque defectionem, & *Romani* populi cum militibus Prætorianis seditiones intellexisset, profectionem in *Italiam* e *Germania* cum maximo exercitu edixit, qui postea ad *Italiæ* urbem *Æmam* pervenit in extrema planicie ad *Alpium* radices sitam non longe ab oppido *Postæma*: ubi *Maximilianus* Episcopus martyrium passus est. Cujus corpus in æde *Piranensi* veneratur. Eam autem urbem non *Æmam* sed *Æmonam* aliud oppidum *Capitolinus* appellat, castrametatumque *Maximinum* in campo inter eam & *Artenam* dicit, cui sententiæ locorum nomina adhuc vigentia adstipulantur. Inventa urbe vacua incolis lætatus est existimans idem cæteros quoque facturos: sed ubi rescivit *Aquilejenses* portas occlusisse, *Pannoniorum* acies, quæ præiverant, acriter murum oppugnasse, sæpiusque in cassum id conatos recedere, iratus ipsis, quasi non strenue præliatis, cum reliquo exercitu acceleravit, sperans se confestim urbe potiturum. *Aquilejenses* vero populo abundantes (ut erat ingens ejus urbis magnitudo: quibus tunc etiam aucta erat multitudo confluentibus illuc ex oppidis & agris) clausis portis noctem diemque universi pro muro stantes hostem fortissime propulsabant. Duces erant summa potestate duo Consulares viri lecti a Senatu *Crispinus* ac *Menephilus*: qui nihil omiserunt, quo minus necessaria cuncta importarentur, adeo ut diuturnior quoque sustineri oppugnatio potuerit: erat item in urbe magna aquarum abundantia partim ex puteis frequentibus, partim e fluvio præterfluente, iis intra urbem constitutis *Maximinus* statuit mittere legatos, qui suaderent sibi portas reserari: quibus cum misit etiam tribunum quendam *Aquilejensem* civem: cujus filii & uxor omnisque familia intra mœnia erant conclusi, quos *Crispinus* jussit nec auditos reverti, hortatusque summo studio *Aquilejenses* ut in fide, præsertim quod in Reipublicæ *Romanæ* participatum asciti essent, permanerent, victoriam certam eis promittens, quam & haruspicum responso, & oraculo patrii eorum Dei (*Belem* indigenæ vocant *Apollinem* interpretantes, cujus etiam speciem pro urbe ipsa pugnantem milites vidisse affirmabant) brevi futuram liquido cernerent, at ipse furens magis ubi ad fluvium pervenit lapide XII. ab urbe inveniens eum maximo latoque alveo defluentem, pontemque (quod opus pulcherrimum Imperatores lapide quadrato construxerant) ab *Aquilejensibus* ruptum, multa oblonga dolia bina serie arctissimis vinculis connexa utriusque ripæ arboribus alligari fecit: his superinjectæ crates virgultis & sabulo instratæ facillimum exercitui transitum præbuere. Cumque admotis urbi machinamentis genus oppugnationis nullum prætermitteretur plurima certamina edebantur. Primis diebus par fuit utrimque fortuna pugnæ, deinde mora injecta minus minusque erat alacer exercitus: contra *Aquilejenses* sic milites despiciebant, ut etiam jocarentur in eos, ac in 8. ipsum *Maximinum*, quibus iratus, cum in hostes effundere iram non liceret, plurimos ex suis extremo supplicio affecit: quo factum est ut iratiorem militem reddiderit: *Aquilejenses* præterea omnibus rebus abundabant, exercitus egenus sub aperto cœlo solem atque imbres tolerabat, nihilque alimenti importabatur, obsessis *Italiæ* itineribus *Romanorum* diligentia: rumor quoque erat esse universum in armis populum *Romanum* in cædem *Maximini* conjuratum, quare desperantes milites, dum sub tentorio quiescit, sub medium ferme diem ad ipsum contendunt, detractisque imaginibus de signis militaribus, prodeuntem ut ipsos alloqueretur, cum filio formosissimo, quem Cæsarem appellaverat, Præfectoque Prætorio, ac charissimis quibusque, tertio Imperii anno obtruncant, capitaque *Aquilejensibus* demonstrarunt, statimque commeatus fame laborantibus exhibitus est: sunt qui dicant *Maximinum* & filium ea obsidione a *Pupieno* interfectos: projectis cadaveribus confestim, Imperatorum capita *Romam* mittunt, quæ postquam in urbem infixa lanceis omnibus conspicienda prætulerunt, quasi securim cervici imminentem excussissent, nullus fuit qui non lætabundus supra quam dici possit existeret. Scribit *Capitolinus* nuntium, qui ex *Aquileja* ad significandam *Maximini* mortem *Romam* missus fuerat, tanto impetu mutatis apud *Ravennam* equis cucurrisse, ut quarta die *Romam* venerit, quod ævo tamen nostro minus admirandum est, cum ad nos ex urbe magni literæ momenti octo & quadraginta horarum spatio perferantur, quot enim ex diebus tota via constat, totidem equi ac viri aptissimi distinguntur ad singulorum dierum iter faciendum, quos neque vis nivium, neque imber neque cibus ac potus, neque nox distinet, quin propositum cursum celerrime conficiant, quorum cursorum primus mandata tradit secundo, secundus item tertio, & ita deinceps illa in alium atque alium pertranseunt. Interea *Maximus Ravennam* profectus *Aquilejam* pervenit: quem *Aquilejenses* reseratis portis ovantes excepere. Ad illum *Italiæ* civitates externæque legatos misere, fausta, felicia, prosperaque omnia acclamantes. Idem subnectit *Capitolinus Maximinum* procerum corpore fuisse, adeo ut octo pedum & prope semis esset: pedesque tam ingentes habuisse, ut postea in proverbium cesserit, cum de ineptis longisque hominum pedibus loquimur, *Maximini* caligam requirit: calciamentum ejus Regium quidam in luco inter *Aquilejam Artiam*que posuerunt: tantæ bibacitatis fuit, ut vini amphoram una cæna biberet. Ferunt in obsidione *Aquilejensi* mulieres magnanimas, cum nervi, aut funes ad intendendos arcus defuissent, præsectis crinibus effecisse, mallentes deformato ad tempus capite libere vivere cum maritis, quam hosti integro decore servire, unde in honorem matronarum *Aquilejensium* templum *Veneri calvæ* Senatus dicavit. In hac civitate non multos post annos *Claudio secundo* Imperatore, superatis apud *Syrmium Gothis*, mortuo,

Maximinus cum filio a suis militibus obtruncatur.

Maximus.

Maximini caliga.

Aquilejensium Matronarum facinus.

Templum Veneris Calvæ.

Quin-

Quintilius frater Claudii Cæsaris. Tacitus Imperator.

A *Quintilius* frater a Senatu *Augustus* declaratus decimo septimo Imperii die, dum se imparem *Valentiniano* cognoscit, & fidei militum parum crederet, venas sibi solvit. Post quem deducto *Aureliano Tacitus*, cum miles ad Senatum, Senatus ad militem prærogativam eligendi Principis deferret a patribus militari consensu victis tanta lætitia declaratus est,
8.v. ut post faustissimas acclamationes *Aquilejensibus* in hanc formam scripserit,

Libertas Antiquissima *Aquileja*.

Senatus amplissimus Aquilejensibus salutem dicit: Ut estis liberi, & semper fuistis, lætari nos credimus, creandi Principis judicium ad Senatum rediit, simul etiam præfecturæ urbanæ appellatio decreta est.

Charus Imp. *Aquilejensis.*

B Huic *Charus* post *Probum* avo *Aquilejensi*, ut *Vopiscus* tradit, oriundus successit, qui susceptum imperium non improbe administrans multa adjecit, coactis enim copiis in *Mesopotamiam* contendit: indeque in Persas progrediens *Nisibim* & *Ctesiphontem* cepit, verum quum castra ad *Tigrim* posuisset fulmine ictus secundo Imperii anno concidit. *Fortunatus* deinde octavus Antistes *Aquilejensem* Ecclesiam quatuordecim annis rexit. *Valerianus* annis decem & octo: & *Benedictus* annis XV. Indeque ad *Quirinum* usque *Diocletiano* imperante decima in Christianos persecutio fuit. *Quirinum* ipsum *Philippi* Cæsaris filium fuisse tradunt, primi ex *Romanis* Imperatoribus Christiani, qui cum *Laureacensis* Antistes creatus mox *Aquilejensis* Christi fidem promulgasset, ab impiis in *Pannoniam* catenis tractus lapidique alligatus in *Danubium* projectus est, ubi divino numine super aquam natans multos recte de *Deo* sentire persuasit, constantiorque factus demum martyrium passus est, reliquias *Budæ* nunc pientissime venerantur.

Fortunatus VIII. Antistes. *Valerianus* IX. Antistes. *Benedictus* X. Antistes. *Quirinus* XI. Antistes. Mirum.

C Ardebat indies magis magisque *Diocletiani* in Christianos rabies, qua commoti *Dulcius* Præses, & *Sisinius* legatus *Cantium*, *Cantianum*, & *Cantianillam* ad *Aquas Gradatas Aquilejæ* proximas cum *Protho* pædagogo XVIII. Kalend. Julii capite mulctarunt, pretiosiorem supplicio lauream imponentes, quam alii unquam *Anitiæ* gentis ipsorum martyrum progenitores Illustrissimi exoptaverint, è quibus *Carinum* Cæsarem prodiisse nullumque aut rarum ex his *Hieronymus* memorat, qui non meruerit Consulatum: corpora *Zenus* sacerdos *Aquilejæ* condidit. Per id tempus *Chrysogonus* Christum colens *Romæ* in carceribus erat, hunc *Anastasia Publii* patricii *Romani* conjunx simulachra contemnens plebejam induta vestem frequentius cum inviseret, in suspicionem viri incidit, qui cum accuratius custodiri illam mandasset, ne se interim absente aliquid moliretur, illa ad *Chrysogonum* literas dedit, quem etiam defuncto *Publio Aquilejam* usque secuta est, cum *Diocletianus* ibidem agens eundem ob nobilitatem generis reliquis Christianis in custodia necatis, ad se advocasset, ubi cum nec a Cæsare ad falsum cultum allici potuisset, ad *Aquas Gradatas* securi percussus est VIII. Kalend. Decembris. Cadaver in mare projectum, ubi parva *Saltus* est Insula a *Zoilo* sacerdote cum capite divinitus conjuncto summa cum veneratione collocatum est. tres ibi sorores *Aquilejenses* virgines morabantur *Agape*, *Chrysonia* & *Irene*, quas per quietem *Zoilo* postera nocte *Chrysogonus* nuntiavit intra dies novem martyrium passuras, nec eventus defuit, adductæ proxima luce ad *Diocletianum*, cum neque pollicitationibus neque minis averti a Christi cultu possent, *Dulcio* Præsidi traditæ sunt, ut si persisterent, sæva eas morte afficeret: Is forma irretitus pudicitiam attentans, velut æthiops factus est nigerrimus: ideoque a suis non cognitus extra Prætorium ejicitur ac verberatur, quibus visis alter *Sisinius* Legatus arte id contigisse magica ratus, *Agapem* & *Chrysoniam* imperavit vivas haud cunctanter exuri, quæ licet expiraverint immaculatis corporibus integris vestibus rogo invectæ sunt IV. Nonas

Cantius, Cantianus, Cantianilla, Prothus. Zenus. Chrysogonus. Anastasia. Mirum. *Agape, Chrysonia, Irene. Dulcii eventus.* Mirum.

Apriles: *Irene* autem legato mandante ad lupanar 9.
tracta divinitus in proximi montis vertice collocata est, quam idem quoque illusus sagittis jussit transfigi: defunctas *Anastasia* quas nunquam viventes deseruerat honorifice reposuit. *Prothi* vero & *Chrysogoni* in *Ædicula Prothi* villæ *Cantianæ* agri *Montisfalconis* adhuc marmorea conditoria duo sunt: uni inscriptum est,

HIC JACET CORPUS SANCTISSIMI PROTHI.

Alteri,

HIC JACET CORPUS SANCTISSIMI CHRYSOGONI.

Anastasia. Felix. Fortunatus.

Cæterum *Anastasiæ* cineres in æde *Sextiensi* marmoreo sepulchro conditi religiose custodiuntur, hanc *Lucilius* Præses cum inedia carceri macerandam nequicquam censuisset, divinis enim vescebatur dapibus, vivam pyra erecta cremari mandavit, quæ cum exureretur eo fuit habitu oris ut superante lætitia dolores, ridentis etiam speciem præbuerit. *Felix* quoque & *Fortunatus* fratres prope *Aquilejam* orti, dum similiter constantissimo animo Christum colerent *Euphemio* Præsidi ab *Apamio* delati, postquam eisdem fervens oleum non nocuit, abscissi capitis laurea extra *Aquilejam* insigniti sunt pridie Idus Majas: corpora post *Aquilejense* excidium in *Phano Clodiensi* translata venerantur: celebrantur & *Cyria* atque *Musca Aquilejenses* virgines martyrium passæ XV. Kalend. Jun. Et *Maxima* apud *Julium Castrum* XVI. Kal. Junii, *Justusque Aquilejæ* sub *Magnetio* orientis Præfecto, ac *Euphemio Aquilejensi* Præside quarto Nonas Novembris, quorum omnium pio cruore pro Christi fide effuso tantum patria gloriari potest, quantum cœlestia terrenis, æterna caducis præstant: Et quamquam hæc impiis pene incredibilia videantur, nihil tamen est quod divini amoris præsidio munitis difficile sit, qui dolores etiam gravissimos & cruciatus summos aspernantes ipsam mortem horrendam non secus ac dulces voluptates amplexantur: si enim *Mutio Scevolæ* pulchrum visum fuit pro republica manum igni admovere. *Q. Curtio* se in specum intrepide conjicere: *Deciis* in fulgentes hostium gladios perituris statim irruere: non alia ratione quam ut gloriam istam orbis vanam assequerentur: quid non experiri ac perpeti haud dubia hi spe divinitatis inflammati pro æterno cœli triumpho debebant? *Fortunatus* inde Afer duodecimus Antistes *Aquilejensem* Ecclesiam rexit annis XX. Qui in Evangelia eleganter scripsit: *Liberium* Pontificem in concilio *Mediolanensi* damnatum *Felice* suffecto in exilium pergentem, ut cum *Arrianis* sentiret hortatus est: quare per *Constantium* Cæsarem ea labe infectum ab exilio in Pontificatum revocatus Catholicos adeo persecutus est, ut vix superesset locus ad latendum: propterea *Athanasius Alexandrinus* Episcopus *Nazianzeni* præconio celebratus, cum ex concilio *Laodicensi* in *Arrianos* constituto superioribus annis rediisset, *Aquilejam Cassiodoro* teste venit, à qua mox aufugiens, diu delituit, donec *Valente* imperante post multa exhausta mala migravit in cœlum. Per id tempus *Constantius* Cæsar apud *Gallos* a *Constantino secundo* natu majore lacessitus bello, cum inconsulte adversus fratrem apud *Aquilejam* dimicasset interfectus est, projectusque non longe in *Alsam* fluvium. Non multisque interjectis annis apud eandem *Theodosius Maximum* Tyrannum obtruncavit: postquam ille contra juramenti fidem ab exercitu in *Britannia* Imperator creatus *Gratianum* occidentis Imperatorem militibus infestum interfecerat, fratremque ejus *Valentinianum Augustum Galliis* expulerat. Tunc igitur *Theodosius* Imperium omne *Romanum* suscipiens, cum antea in 9.v.
oriente annis sex *Gratiano* vivente imperasset, sese adversus *Maximum* instruxit, qui tum magnis copiis

Cyria, Musca, Maxima. Fortunatus XII. Antistes. Persecutio Arrianorum. Athanasius. Constantius Imperator interfectus. Theodosius Imperator Maximus Tyrannus.

A piis *Aquilejæ* insidebat, *Andragatio* ejus Legato summam belli administrante: Is cum ingenti militum apparatu omnes *Alpium* & fluminum aditus communisset, dum navali expeditione incautum hostem prævenire parat, eadem quæ obstruxerat claustra sponte deseruit: Ita *Theodosius* nemine sentiente *Alpes* penetravit, atque *Aquilejam* improvisus adveniens magnum hostem *Maximum* sine prælio aut sanguine cepit ac trucidavit, *Victorem*que filium intra infantis annos a *Maximo* patre Augustum declaratum necavit, quorum interitum multo ante *Divum Martinum* Episcopum prædixisse ferunt.

Vaticinium divi Martini.

B Quibus ferme diebus iis locis *Synagoga Judæorum*, & *Lucus Valentinianorum*, quia monachos Christianos vexaverant, incensa fuere: ea cum *Theodosii* jussu per Antistitem *Aquilejensem* veluti facti authorem instauranda essent, *Ambrosius* Archiepiscopus *Mediolanensis* indignitate rei perculsus ad Imperatorem profectus est, ipsumque adeo commovit, ut non solum ea omnia tanquam rite in Orthodoxæ fidei hostes facta approbaverit, sed etiam *Aquilejense* Templum multis muneribus ornaverit, quod demum invisens cum ipso religiosissime veneratus est, obiter *Utinam* quoque profectus.

Synagoga Judæorum. Lucus Valentinianorum incensa. Ambrosius.

C Sedit postmodum in *Aquilejensi* Patriarchatu annis XVIII. *Chromatius Aquilejæ* ortus ex his, quod potuimus colligere, tertius decimus Antistes, quia quis successerit *Quirino* & per plura tempora aliis ob multiplices Ecclesiæ persecutiones non extat memoria: multa enim hominum interitu & oblivione posteritatis oblita & extincta sunt: hic ad *Hieronymum* oppido *Stridone Aquilejensi* Ecclesiæ subjecto oriundum, in qua etiam sacro Baptismate insignitus est, multas epistolas scripsit, & accepit, librariosque ejus quam liberalissime sustinuit ac fovit.

Chromatius XIII. Antistes. Hieronymus.

D Cujus tempore *Rufinus Aquilejensis* floruit: de quo *Genadius Massiliensis* præter *Hieronymum* sic scribit. *Rufinus Aquilejensis* presbyter non minima pars Ecclesiæ doctorum, & in transferendo e *Græco* in *Latinum* elegans ingenium habuit, denique maximam partem *Græcorum* Bibliothecæ *Latinæ* exhibuit, *Basilii S. Cæsariensis Capadociæ* Episcopi, *Gregorii Nazianzeni* eloquentissimi hominis, *Clementis Romani* cognitionum libros, *Eusebii Cæsariensis Palestinæ* Ecclesiasticam historiam, *Sexti* sententias, *Evagrii* sententias, *Pamphili* martyris adversus *Mathematicos*, horum omnium præmissis quæcunque prologis *Latinis* leguntur a *Rufino* interpretata sunt, quæ sine prologo ab alio translata, qui prologum facere noluit, *Origenis* autem non omnia, quia & *Hieronymus* transtulit quædam, quæ suo prologo discernuntur, proprio autem labore imo gratia Dei & dono exposuit idem *Rufinus* Symbolum, ut ex ejus comparatione alii nihil exposuisse credantur, disseruit & benedictionem *Jacob* super patriarchas triplici sensu, historico, morali, & mystico: scripsit epistolas ad timorem Dei hortatorias multas, inter quas plane nitent illæ, quas ad *Probam* dedit: historiæ autem Ecclesiasticæ, quam ab *Eusebio* scriptam, & ab illo diximus interpretatam addidit x. & xi. librum. Sed & obtrectatori opusculorum suorum respondit duobus voluminibus arguens & convincens se Dei intuitu & Ecclesiæ utilitate auxiliante domino ingenium agitavisse: illum vero æmulationis stimulo incitatum ad obloquium stylum vertisse.

Rufinus Aquilejensis.

10. Floruit & *Paulus Concordiensis* doctrina & sanctitate præcipuus: cujus *Hieronymus* meminit de *Tertulliano* scribens, vidi ego inquit *Paulum* quendam *Concordiæ*, quod oppidum *Italiæ* est, qui se beati *Cypriani* notarium cum ipse admodum adolescens esset *Romæ* vidisse diceret, referretque *Cyprianum* nunquam absque *Tertulliani* lectione unam diem præteriisse.

Paulus Concordiensis.

Niceas præterea *Hypodiacon*, & *Chrysogonus* Monachus *Aquilejensis*, quem idem *Hieronymus* adeo dilexit, ut in epistolis affirmaverit ipsius nomen semper in ore habere, his quoque diebus floruerunt.

Niceas. Chrysogonus.

Chromatio successit *Augustinus* quartus decimus *Aquilejensis* Antistes, qui Ecclesiam rexit annis XIX. *Adelphus* quintus decimus, novem. *Maximus*, XX. *Januarius*, octo. *Secundus* decimus octavus, annis tribus: quorum gesta idem qui corpora contexit tumulus & obruit.

Augustinus XIV. Antistes. Adelphus XV. Maximus XVI. Januarius XVII. Secundus XVIII.

Hactenus *Aquileja* cunctaque *Italia* gentium victrix opibus, militia literisque floruit, sed deinceps (ut est omnium rerum vicissitudo) Illa eadem in fœdam Barbariem dilapsa ab eo decore declinavit, tantæque magnitudinis mox oblita infelix victis hostibus ad prædam patuit irruente *Alarico Gothorum* Rege ex *Scythia*, qui cum ducentis hominum millibus *Italiam* ingressus hanc præsertim regionem rapinis & incendiis involvit: quo audito *Honorius* Cæsar *Stiliconem Vandilum* e *Byzantio* cum copiis misit, qui per *Aquilejensem* ac *Patavinum* agrum delatus in *Ravennatem* transiens, ubi nunc *Ferraria*, occurrentem *Alaricum* pluribus affecit cladibus, in *Galliam*que compulit: reversus denuo instar torrentis cuncta secum rapiens *Romam* rerum pulcherrimam orbisque dominam obsedit, quam fame post annum absumptam cepit, diripuit, & incendit anno ejusdem conditæ centesimo & sexagesimo quarto supra millesimum: a Christi ortu duodecimo & quadringentesimo Kal. Aprilis.

Deploratio interitus Italiæ.

LIBER TERTIUS.



HIC Status rerum *Italicarum* erat, cum Barbari conspirantes ad internecionem affecti Imperii, audaciamque inde sumentes permagnas undique copias compararunt, diversaque loca cædibus, direptionibus & incendiis passim vastantes attriverunt. In se ipsos denique convertentes arma multis præliis commissis *Hunni Scythica* gens superiores effecti ad occupandum occidentale Imperium animum erexere: quorum Rex *Attila* vir bellicosissimus interfecto *Bleda* patrueli & *Regni* consorte cum unicus existeret, adjectis ad suos innumeris militibus ex *Marcomannis* hodie *Moravis*, *Quadis*, F *Suevis*, *Herulis*, *Turclintiis*, *Rugiis*, *Gethis*, quos partim *Transylvanos* nominant: Et *Valacchis* olim *Flaccis* appellatis a Duce *Flacco Romano*, exin longo tempore (ut fit) corrupto vocabulo *Valacchi* dicti, sermo adhuc genti *Romanus* est, quamvis magna ex parte mutatus, & homini *Italico* vix intelligibilis: Regibus quoque *Valamyro Ostrogothorum*, & *Hardarico Gepidarum* nunc *Polonorum*, quos alii *Sarmatas* vocant: *Directinaro* & *Victimaro* Regulis quingentorum millium explevit exercitum: in qua multitudine pauci pro numero pedites erant: ubi facilius proposi-

Attila apparatus. Gethi. Flacci. Io. V.

Attende fallaciam. *Attilæ.*

tum assequeretur non minus astu quam armis certare decernens Legatos *Romam* ad *Valentinianum* præmisit, qui benigne eum alloquentes nuntiarent exercitum in *Vesegothos* parasse, quibus in *Gallia* præerat *Theodoricus*, gentemque omnium ac privatim *Hunnorum* hostem instituisse delere, seque cum *Romanis* fœdus initurum, vires & consilia communicaturum, quocunque res aut discrimen vocaret: Legatos alios simili mandato ad *Theodoricum* misit in *Gallias*, ut separatim postea eos aggrediens facilius utrumque superaret. Trajecto *Danubio* per mediam *Germaniam* ad *Rhenum* se convertit, tam severa disciplina militem coercendo in gratiam nationum, ut omnibus mirum videretur tam ingentem diversarum gentium exercitum nihil penitus injuriæ cuiquam intulisse, & in *Galliam* transiens *Rhemos* expugnavit: inde *Aurelianum* se contulit: quo tamen progrederetur ulterius ab obsidione discessit. *Valentinianus* vero (& scite quidem) Legatis minime credens: neque enim si hostes sint ad eorum arbitrium aliquid facere aut dissimulare debemus, quia quicquid illos adjuvat nobis semper officit, & quicquid nobis prodest adversariis nocet: neque etiam si amici essent, quia permittendum non est cujusquam Principatum in tantum crescere, ut eidem postmodum contemptis sociis, quæ collibuerint, omnium injuria perficere liceat, *Aëtium* itaque Patricium gente *Mœsium* rei militaris peritissimum cum copiis illico in *Galliam* misit, ut conatus *Attilæ* illic retunderentur: cum *Aëtio* convenere *Meroveus Francorum* Rex, & *Alanorum Singibalus*, & cum his Duce *Theodorico Vesegothi*, *Saxones*, *Riparioli*, *Britones*, & *Lambriones*, quibus dum *Gundicarius Burgundionum* Princeps vellet se conjungere, *Attila* celerrime præveniens ipsum & copias delevit: quæ res *Romanos*, *Francos*, & *Vesegothos* circumspectiores reddidit, ut omnia adversus *Attilam* præpararent, pervenerat jam ad *Cathelaunicos campos Tolosæ* apud *Alverniam* subjectos, qui centum longitudine leucis, & latitudine LXX. ut *Gallis* mos est metiri, feruntur, eo loci cum adesset hostis tot fortissimarum nationum auxiliis instructus, appareretque ad id deventum esse, ut uno prælio totius belli fortuna penderet, converso in *Aëtium* animo, qui heroica quadam virtute armis conspicuus cæteris præstabat, etiam cum suorum strage pugnare constituit, non tamen prius suos in aciem eduxit, quam Sol vergeret ad occasum, ut si vinci contingeret nox prælium dirimeret, secutusque est consilium eventus rei, nox enim viribus totis accensum prælium diremit, parum tamen præsidii fuisset, nisi se ad castra curribus munita recepissent: actum esset tunc de *Attila*, si aut munitiones longe abfuissent, aut cum aggredi nocte sine oppugnantium confusione potuissent: ajunt eo in prælio ad centum & octuaginta hominum millia cecidisse, nullo inclinante aciem aut cædente: in quo *Theodoricus* equis collisus interiit. *Attila* ubi tantam suorum stragem animadvertit, novas copias primis adjecturus in *Pannoniam* rediit: ibique instaurato exercitu ad priorem ferme magnitudinem per *Noricos* & *Rhætos* in *Italiam* se convertit iræ ac minarum plenus, existimans *Vesegothos Romanis* non affuturos ut *Romani* illis affuere: eaque ratione *Italia* facilius potiturum: ad quam expeditionem quum equum *Attila* ascendisset corvus ab ortu Solis advolans dextrum ipsius humerum prope insedit, statimque sic in sublime elatus est, ut cerni non posset: eoque omine supra modum lætatus est, cum autem per exploratores nuntia-

Apparatus *Valentiniani* Imperatoris in *Attilam.*

Prælium commissum in *Cathelaunicis* campis.

Strages. *Theodorici Gothorum* regis interitus. *Attilæ* reditus in *Pannoniam*, indeque instaurato exercitu reversio in Italiam. 11. Prodigium.

A retur *Valentiniani* copias ingentes in *Italiæ* angustiis transitum eum prohibituras, convertit se in *Illyricum*, ac *Dalmatiam* & *Tragurium*, *Seniam*, *Sibinicum*, *Jadram*, *Polam*, *Parentium*, *Æmonam* expugnavit ac diripuit, versusque iterum in *Italia* occurrentem *Romanorum* exercitum prope *Tergestinum* sinum vicit ac delevit: & tandem *Aquilejam* maximo impetu aggressus est, quam cum expugnare non posset, obsedit, perseverante vero obsidione *Attila* muros plerumque circuibat solus, mutatis vestimentis expugnationi opportuniora designans: itaque cum solitudo & silentium invitassent aliquando ut muro

B succederet, incidit in armatos, qui longe venientem conspicati propere elapsi per cloacam sub mœnibus ductam in insidiis expectabant, ignari tamen eum Regem esse, sed cupiebant exquirere per tormenta ab hostium exploratore, quid consilii in exercitu, quæve capiendæ urbis spes esset, exorti igitur subito *Attilam* circumsistunt, & dum vivum capere nituntur abstinent a vulneribus: at ille cui fuga interclusa, defendendique sui a multis non erat facultas, prærupta foveæ sic occupavit, ut tergo tutus cum adversis rem gereret, sed ut vidit negligen-

C ter ab hoste impetum fieri magna vi & clamore prosiliens duos obtruncat, viaque sibi ferro patefacta suburbani cujusdam maceriem saltu superavit, celerique fuga ad suos se recepit. Dum oppugnaretur *Aquileja*, *Tarvisium* authore *Helviando* Antistite in potestatem *Attilæ* devenit. *Veronaque* sponte ad suasionem *Diterici* Imperium ejus secuta est, inserunt nonnulli deliramenta quædam *Menapi* & *Orici*, quos cum *Attila* in campis, ubi nunc *Mereti* pagus est, dimicasse affirmant, atque ex ipso eventu pugnæ loco nomen inditum esse: hæc tanquam aniles fabulas prætermittenda duximus, ne historiæ veri-

D tatem mendaciis deturpemus. Interim *Utinati* in urbe ab *Aquileja* sexdecim millibus passuum in medio campestris regionis sita ob loci opportunitatem ab *Attila* collis ingens effossa & superinjecta terra, veluti specula quædam ampliatur, cujus prospectus in universum agrum extenditur, in quo arcem *Julidem* a militibus *Julii Cæsaris* conditam communivit, ut si re infecta ab *Aquileja* humanæ necessitates discedere coegissent eam munitionem post se relinqueret, veluti liberi regressus pignus ac subsidium, si quid præter spem sibi in *Italia* contigisset. Cumque jam triennium

E obsedisset *Aquilejam*, & jam prope tumultum ac seditionem res erat indignantibus vociferantibusque militibus minime ferendum se bellicosissimarum nationum domitores in cursu victoriæ circa unius urbis mœnia cum foveis ac turribus consenescere. Nec in stationibus modo hæc, sed passim per exercitum in concionis magnitudinem ex omnibus locis ut referentium exquirentiumque turbas fortuna congregabat, cum inspecta Ciconia, quæ pullos ex arcis culmine, in quo nidum fecerat, asportabat, capiendæ urbis spem ingessit: asseverante *Attila* futurorum

F præscias aves jam jam casuram urbem relinquere: Quidam autem narrant laborantes fame cives, statuas tanquam custodes in mœnibus disposuisse, ac *Gradum* migrasse, neque intellectam fraudem, nisi postquam ciconiæ securæ super eas consederunt: sed prima verior: moxque omni oppugnandarum urbium apparatu murum aggressus tanto ardore obsequentes milites habuit, cum ipse armis hortationeque insignis prægrederetur, ut quæ triennio se defenderat trium horarum spatio civitas caperetur: direpta a militibus præda in omnes sævitum est, propterea

Gesta *Attilæ* in *Illyricos* & *Dalmatas.*

Obsidio *Aquilejæ.*

Periculum *Attilæ* & Magnanimitas.

Tarvisium. Verona.

Utina urbs colle aucto ab *Attila* communita.

Aquileja quomodo capta. Ciconiæ secedentis præsagium.

11. V.

quilejæ ersio.

ga optimatum di-orumque Graden-o Insu-n.

ugnæ emorale facins.

pterea quod tam obstinate contenderant: traduntur cæsa illic supra septem & triginta hominum millia: Viri nobiles & Matronæ cum pueris quamplurimæ, navigia ascendentes pretiosis rebus onusti, ad *Gradensem Insulam* aufugere, oppidum *Gradense* condentes. Fuit in civitate *Dugna* mulier forma & divitiis insignis, quæ ubi hostes per omnia fæda & immania victoria abutentes vidit, vitam potius suo scelere, quam alieno pudicitiam amissura, domesticam turrim præterfluenti *Natisæ* imminentem conscendit, obvolutoque capite in subjectum gurgitem se præcipitavit.

noriæ emorale facis

Dum alia, quam *Belinensis Honoriam* memorat, non minus formæ ac pudicitiæ laude venerabilis abduceretur, mariti sepulchro in quod forte inciderat procubuit, flebilique lamentatione illud complexa conjugis suavissimi nomen sæpius vocans nunquam ab eo divelli potuit, donec ab impio milite gladio trajecta, hac re quoque non infelix, quo voluit loco relicta est. Furentes autem Barbari injecto undique igne *Aquilejensem* civitatem rebus omnibus florentem nulli maximarum *Roma* excepta cedentem, tandem ad extremum exitium deduxere.

Deploratio interitus vitatum maxima-um.

Sic admirabilis *Babylon*: sic ambæ *Thebæ*: sic superba *Carthago*: sic clarissimæ orientis *Hierosolymæ*: sic alma *Roma* incendio absumptæ aliquando interiere: *Iliumque* ingens totius *Asiæ* columen adeo extinctum est, ut dubium sit quo in loco tanta gloria fuerit. Et quoniam nihil firmum sub sole, ac modo unius imperium florescit, hinc alterius excidium deploratur, hinc contra, urbes, nationes, regna omnia non secus ac hominis fortunam variari demumque interire necesse est: sive quod rerum ille summus opifex ita statuerit, ut nihil ætati obsisteret, nihil permaneret, sive quod causarum vis latentium mortalitati omnia devoverit: cujus fortunæ ludibrium liquido in *Aquilejensi* excidio conspicitur, hujus enim maximæ urbis interitus fuit alterius augustissimæ *Venetiarum* civitatis origo & initium:

Venetiarum origo.

Cujus jacta fuisse prima fundamenta constat anno a Christi ortu sexto & quinquagesimo post quadringentesimum septimo Kalend. Aprilis: quamquam alii anno primo & vigesimo nondum *Aquileja* eversa malint: in quam omnes *Aquilejensium* opes, cæterarumque ab *Attila* eversarum urbium congestæ sunt, ut non immerito *Venetiarum* nomen sumpserit, quæ totius regionis *Venetæ* reliquias ab excidio reportavit.

Concordiæ captivitas destructio que.

Lucius Annius Verus.

Digressus inde *Attila* ad *Concordiensem* civitatem contendit: apud quam *Lucius Annius Verus*, quem ad imperii partem *Marcus Antonius Verus* propinquus asciverat, cum ex eadem *Altinum* proficisceretur, & cum fratre in vehiculo sederet, subito sanguinis ictu extinctus est.

Janus Concordiæ regulus.

Regebat per id tempus eam urbem Regulus quidam *Janus* nomine, is audito *Aquilejæ* excidio ratus hostem non multo post affuturum, *Ariadnam* conjugem cum pretiosa gaza in proximas maris Insulas præmisit, ipse urbis præsidio esse voluit, quæ ab hoste ferocissimo brevi capta & incendio absumpta est,

Caprulæ a Concordiensibus conditæ. Altinum: Patavium aliæque urbes eversæ.

Concordiensibus multis ad *Caprularum* paludes, ubi *Caprulas* condiderunt fugientibus: mox *Altinum*, *Patavium*, aliasque complures civitates captas prope funditus delevit.

12. Egregium facinus militaris disciplinæ ipsius Attilæ.

Venerunt ad eum, dum ab *Aquileja Concordiam* peteret, medio ferme itinere circulatores plerique ætate ac viribus integris spe mercedis illecti, qui per infestos enses nudi miris flexibus agilem saltationem coram ipso cum exhibuissent, cæteris ludicro exhilaratis cum admiratione, *Attila* ægre ferens tam robusta corpora, & quæ omnia militiæ decora implere possent, circumforaneo

A mendicabulo adulterari: Iuvenes ad se vocat, armarique fecit, tum armatus ipse saltuque in equum receptus imitari se jubet, quod cum armis insueti efficere non possent, rursus provocavit sagittando: Sed cum neque arcum tendere neque sagittas nemo applicare scirent, tamdiu tenuissimo victui macerandos tradidit, quoad cibum longissimo intervallo propositum sagitta contingerent, & armati in equum dextra levaque tam facile quam paulo ante nudi per gladios insilirent, ususque est postea illis fortissimis Commilitonibus ad pleraque difficilia obeunda.

Marullus Calaber poëta.

Venit ad eum quoque *Marullus Calaber* poëta com-

B positumque in adulationem carmen recitavit: In quo ubi *Attila* per interpretem agnovit se Deum & Divina stirpe ortum vanissime prædicari, aspernatus sacrilegam adulationem vix se ab authore temperans carmen exuri jussit, *Macedonem Alexandrum* imitatus, qui *Aristobulo* histo-

Aristobulus.

riam de suis rebus gestis sibi inter navigandum recitanti, ubi homo adulator multa supra veritatem affinxerat, ereptum manibus librum in *Hydaspem* fluvium demersit, & tu inquiens ô *Aristobule* eodem fueras pacto præcipitandus, qui isto modo solus pro me depugnas, quique vel jaculo ipso interficis elephantos.

Daphitis poëtæ maledici interitus.

Contra *Daphiti* poëtæ contigit, quem dicunt in *Thorace*

C *Magnesiæ* monte cruci affixum fuisse, propterea quod Reges versibus incessuerit: Huic detractionis aculeus exitio fuit, illis adulatio imprudens discrimen: Media igitur via tamquam tutior a poëtis magna audentibus observanda est, a quibus tamen omnibus historici abhorreant, apud quos mera gestarum rerum traditio placet.

Veritas præcipue historicis præferenda.

Si quid enim gratiæ vel offensæ addiderint, suum jam nomen historia non retinebit: Quamquam non ignoremus rudes plerumque mendaciis suaviter pasci, quibus veluti ex oculis laborantibus lux molesta, obscuritas grata est: Quare laudan-

Pescennii Imperatoris in vatem se celebrantem sapienter dictum.

D dus est *Pescennius Niger* Imperator cui cum vates quidam Panegyricum recitare vellet, dixit ei, scribe laudes *Marii*, vel *Hannibalis*, vel alicujus Ducis optimi vita functi, & quid ille fecerit, dic, ut eum nos imitemur: Nam viventes laudare irrisio est, maxime Imperatores, a quibus speratur, qui timentur, qui præstare publice possunt, qui necare, qui proscribere, se autem vivum placere velle, mortuum etiam laudari.

Leo Pontifex Attilæ persuasit ut pacatus ab Italia discederet,

Cum deinde *Attila* de civitatis *Romanæ* excidio cogitaret, occurrit *Leo* Pontifex hortante *Valentiniano*, circa *Mintii* & *Padi* con-

E fluentem, qui potestate facta dicendi, positis Pontificalibus ornamentis squalore & sorde obsitus eloquentissimis verbis persuadet *Alarici* exemplo, qui statim Dei judicio post captam urbem mortuus est, ne ultra progrediatur, pacemque inter ferrum & ignes *Italiæ* impetravit. Ferunt ea causa inprimis motum *Attilam* ut illi obsequeretur, quod ad colloquium congressus videre visus est duos viros strictis gladiis capiti suo imminere, eidem mortem minitantes, nisi Pontificis dicto obediens esset, *Petrus* & *Paulus* Apostoli fuisse crediti sunt.

Mirum.

Honoria.

Inde movens in *Noricum*, ubi

F nunc *Bajoaria* & *Austria* est, rediit, quem *Honoria Valentiniani* Imperatoris soror per eunuchum pellexit ut se cupientissimam in uxorem precibus ac minis a fratre extorqueret, quod ille multis modis intentavit, impetrassetque nisi fuisset morte interceptus: 12. v.

Ildicone. Attilæ mors.

Ildicone enim præter alias multas uxores traducta, cum post nuptiale convivium hausto inmodice vino supinus obdormivisset, sanguis per nares erumpens vitalem eidem spiritum interclusit, subitoque extinctus est.

Attilæ descriptio.

Ferunt *Attilam* statura corporis fuisse infra me-

diocrem, pectore lato, capite grandiore, minutis oculis, rara barba, canis aspersum, simo naso, tetro colore, sermo huic horridus & minax, ac propter barbaram pronunciationem auribus gravis, incessu quoque adeo gestuosus & compositus, ut vel exinde superbissimi animi contraxerit infamiam, vestitu splendidissimo utebatur, supplicibus facilis, receptorum in fidem defensor, inexorabilis in devictos, pecuniarum contemptor, moliendis efficiendisque rebus mira in eo dexteritas & velocitas, & in subeundis periculis admirabilis audacia. Hoc tempore *Niceta* decimus nonus *Aquilejensis* Antistes fuit, quem asserunt quidam dum religiosissime Ecclesiam annis duobus & viginti rexisset ab *Attilanis* militibus in direptione urbis interfectum, sed post excidium supervixisse eum epistola *Leonis* Pontificis constat: post hunc *Marcellinus* vigesimus sedit annis octo & viginti, Imperante *Zenone Romano* Principe, qui cum intellexisset in *Italia* per magnas externarum gentium copias ob terrorem *Attilæ* nuper a *Valentiniano* comparatas, posteaque contra *Vandalos* adjunctas, & ad *Augustulum* quendam *Romanum* Imperii nomen detulisse, ac deinde ipso deposito, quia tertiam agrorum partem exercitui tradere noluit, *Odoacrem Herulorum* Regem in Ducem assumpsisse: habens etiam *Vesegothorum* suspectam potentiam, qui per superiora *Thraciæ* loca vexare jam cæperant vicinas regiones, quo se ac finitimos eorundem metu liberaret, & ab injustis oppressoribus civitates vindicaret, *Theodoricum* ipsorum Ducem excitavit: qui *Gothos* cum conjugibus per *Illyricum* aliasque regiones ducens *Italiam* petiit, ac primo juxta *Soncium* flumen, quod non longe ab *Aquileja* labitur, castrametatus, dumque plurimis, quæ eo loco habentur, pascuis fatigata aliquantulum ex itineris longitudine jumenta reficeret, occurrens ei magnis cum copiis *Odoacer* prælium iniit, in quo post acerrimam pugnam victores *Gothi Odoacris* Duces profligarunt: ipsumque circumstantibus urbibus captis tandem *Ravennæ* obsederunt, quem die secunda postquam hortatu *Joannis* episcopi deditionem fecit cum filio adolescente contra fœdera interfecerunt. Interim *Montisfalconis* oppidum in *Forojulio* non longe a *Timavo Theodoricus* condidit. Post *Marcellianum Marcellinus* primus & vigesimus in Sede Patriarchali instituitur: Quam rexit annis quindecim: Hic eversam *Ædem Aquilejensem Attilano* excidio summa ope restituit. Successit deinde *Stephanus* secundus & vigesimus Patriarcha, qui cum *Arrianis* in Synodo *Nicena* damnatis sentire nolens multa pro fide *Theodorico Italiæ* Rege *Arrianorum* labe infecto Catholicos crudelissime insectante passus est: Annoque duodecimo institutionis decessit. *Macedonius* tertius & vigesimus post *Stephanum* sedit annis sex & viginti. Qua tempestate *Gothi* Imperium *Italiæ*, *Siciliæ*, ac *Dalmatiæ* occupaverant, qui mortuo *Theodorico* septem & triginta annis Regno potito, ipsiusque loco *Amalasuntha* filia cum *Athalarico* ex ea nepote suffectis, ac defuncto deinde *Athalarico*, qui per decennium cum matre imperavit, cum *Amalasuntha Theodati* dolo fuerit apud lacum *Vulsinium* interfecta, ideoque non multum a seditione aberant: Id *Justinianus* Imperator cum resciviſset, (ad quem post *Zenonem*, *Anastasium* & *Justinum* Imperium devenerat) tempus idoneum liberandæ *Italiæ* ratus, *Belisarium* cum copiis in *Italiam* misit, eamque ab eorum tyrannide pene liberavit: Sed rebus in contrarium versis, post multa prælia, cædes, direptiones, & incendia *Narses Ju-*

Niceta XIX. Antistes. — *Marcellinus* XX. Antistes. — *Zeno* Imperator. — *Theodoricus* Rex *Gothorum*. — Victoria *Gothorum*. *Odoacer* *Ravenna* obsidetur interficiturque. — *Montisfalconis* oppidum. — *Marcellinus* XXI. Antistes. — *Stephanus* XXII. Antistes. — *Macedonius* XXIII. Antistes. — *Gothi*. — *Justinianus* Imperator. 13. — *Belisarius*. — *Narses*.

A *stiniani* Dux coacto *Hunnorum*, *Gepidarum*, *Thracum*, & *Græcorum* exercitu, quantum vix alii simul omnes hoc bello adduxerant, quibus cum etiam *Longobardorum* supra quinque millia pugnacissimorum hominum *Alboyno* Rege concedente, & *Herulorum* quinque millia susceperat, e *Constantinopoli Aquilejam* pervenit, inde *Ravennam* profectus missis *Longobardis* ad *Brisellum*: Ubi *Totila Gothorum* Dux occurrens injecta pugna interfectus est, *Romam* perrexit, quam haud difficulter recuperavit: In *Gothosque* contendens, ipsos apud *Nuceriam* interempto *Theja* eorum

B Duce suffecto strenue dimicante attrivit. Qua re animo & viribus fracti ad *Narsetem* oratoribus missis impetrarunt, ut, ipsis ac rebus salvis, *Italia* excederent: Sicque *Ostrogothorum* nomen cum per duos & septuaginta annos in *Italia* imperassent cum Regno interiit, *Vesegothis* in *Hispaniam* profectis, ad hosque *Aragoniam* prosapiam & *Hispani* & *Pius* Pontifex referunt: Quæ quam potens sublimisque effulserit, ne in longissimam Regum seriem incidam satis sit epitaphii *Ferdinandi* Regis invictissimi, dum hæc proderem fato functi, inscriptione conclusisse.

FERDINANDUS JOAN. F. ARAGONIUS, NAVARICUS, SICULUS, INDICUS, BALEARICUS, AFRICANUS, PARTHENOPÆUS, IDUMEUS, ET HISPANIARUM REX, JUSTITIA, PIETATE, RELIGIONE CLARUS, ARMIS MAGNUS, CONSILIO MAJOR, FELICITATE MAXIMUS, CUM DE CÆTERIS TRIUMPHASSET OMNIBUS, A MORTE TANTUM VICTUS HIC SITUS EST. VIXIT ANNIS LXIV. MENSIBUS X. DIEBUS XII. OBIIT. XI. KAL. FEBRUARII ANNO CHRISTIFERÆ SALUTIS MD. XVI.

C *Narses* vero, qui per

D decem & septem annos *Italiam* pacatam reddiderat, & *Aquilejam* ab *Attila* excisam instauraverat, mortuo *Justiniano*, & *Justino* instituto, cum ex tam præclare gestis obtrectatorum injuria in simultates *Sophiæ Augustæ* incidisset (Virtus enim semper invidiam parit) *Alboynum Longobardorum* Regem accersiit, qui relicta *Pannonia* cum *Longobardis*, adjectis etiam viginti millibus *Saxonum* cum liberis & conjugibus per *Forumjulium* in *Italiam* ingressus est: *Sisulphum*que nepotem primum *Forojuliensi* regioni Ducem præfecit, strator erat Regius, quem *Longobardi Marphais* appellant, *Pharas*, quod eadem

E lingua delectos viros sonat, in exercitu diversarum gentium ut *Forumjulium* incolerent, selegit: Quo fit, ut non mirum videatur, si natio *Forojuliensis* tot hominum generibus adaucta varium ac multiplex habeat idioma, *Latino*, *Gallico*, *Hispano*, *Illyrico* ac *Germanico* deserviens: Sermo quidem gravis; ad consequendas & proferendas alias linguas ob peculiares accentus valde accommodas: Immutatum aliquantum vides a *Romano Forojulienſe* idioma tot Barbaris immixtum; non tamen ideo censeas inversos mores, disciplinam-

F que illam *Italicam* immutatam: Ad clementia enim accolarum ingenia omnis illa, cum qua venerant, mansuefacta est feritas. Et sicut in frugibus pecudibusque non tantum semina ad servandam indolem valent; quantum terræ cœlique proprietas sub quo aluntur, mutat, ita miti cœlo mutata est illa gentium ferocitas. Concessit & *Gisulpho* Rex generosarum equarum gregem; quibus priscam illam nobilium equorum alendorum, ut libro primo ostendimus; industriam pene restituit: Interim *Paulinus* quartus & vigesimus Antistes defuncto *Macedonio* successit:

Totila interitus. — *Theja*. — *Gothorum* interitus. — *Ferdinandi* epitaphium. — *Aquileja* a *Narsete* instaurata. — *Alboynus Longobardorum* Rex in *Italia* accersitus. — *Sisulphus* Dux primus *Forijulii*. — Idioma *Forijuliense*. — 13. v. *Paulinus* XXIV. Antistes.

sit: Qui cum *Felice Tarvisino* Episcopo furentem *Alboynum* suis reliquisque *Italis* mitiorem reddidit: Cum in tanta rerum perturbatione alias de *Italico* nomine actum esset, thesaurosque *Aquilejensis* Ecclesiæ irruentium metu *Longobardorum* ad *Insulam Gradensem* exportavit, *Aquilejam* ipsam *Novam* appellans. Ubi anno undecimo Pontificatus moritur.

robinus xv. ntistes.

Huic successit *Probinus* quintus & vigesimus Patriarcha, qui apud *Gradum* anno uno vixit.

Helyas xvi. Patriarcha.

Eidemque *Helyas* sextus & vigesimus, qui sedit annis duobus & viginti, substituitur: Hic cum initio hæretica *Manichæorum* pravitate infectus esset tria decreta *Chalcedonensis* concilii abnegans ad sanius consilium conversus *Pelagio* Pontifice *Romano* suadente errorem agnovit; Synodum viginti Episcoporum consentiente *Pelagio* habuit:

radensis letropolis. *enetiæ* nstituta Cathedra *Marci* Evangelistæ.

Gradensem Ecclesiam Metropolim *Venetiæ* constituit: ad quem *Heraclius* Imperator cathedram, qua *Alexandriæ Marcus* Evangelista præsederat, ut juxta *Hermagoræ* corpus reponeretur transmisit; Vidimus illam in Sacrario *Gradensi* laceram ebore consertam; ibique Dominicæ crucis partem non parvam.

everus xvii. Patriarcha.

Helyæ suffectus est *Severus* septimus & vigesimus, quem *Smaragdus* Patricius *Gradum* profectus cum *Joanne Parentino Severo* atque *Vindemio* Episcopis *Ravennam* duxit, ipsosque *Manichæis* & *Joanni* Episcopo *Ravennati*; qui a tempore *Vigilii* Pontificis a *Romana* Ecclesia desciverat, assentire compulit: Sed post annum dum *Byzantium Smaragdus* reversus esset *Severus* resipiscens in Synodo *Marianensi* revocavit errorem: In quo interfuerunt Episcopi *Petrus Altinas*, *Ingenuus Sabionensis*, *Angelus Tridentinus*, *Junior Veronensis*, *Rusticus Tarvisinus*, *Fontejus Feltrias*, *Angelus Asilius*, *Laurentius Bellunensis*, *Maxentius Juliensis*, & *Hadrianus Polensis*: & recta per annos quindecim Ecclesia sanctissime obiit.

rrichis.

Per id tempus *Arrichis Gisulphi Forojuliensis* Ducis patruelis: qui ejusdem filios educaverat, *Zothoni Beneventano* Duci fato functo ab *Agisulpho Longobardorum* Rege suffectus est, ad quem sæpe *Gregorius* Pontifex epistolas dedit: Longæ tunc erant simultates inter *Gisulphum*, & *Grimoaldum Tridentinum* Ducem hortatu demum *Agisulphi* sopitæ.

oannes xviii. atriarcha.

Quibus ferme diebus *Sisulphus* & *Agisulphus* mortuo *Severo* antistite *Joannem Aquilejensem* Patriarcham octavum & vigesimum, qui vixit annis duodecim, creavere, *Candidiano* apud *Gradum* a *Gregorio Romano* Pontifice, & post eum *Epiphanio* instituto.

chisma nter Patriarchas.

Quo factum est ut in *Aquilejensi* Ecclesia grave Schisma emerserit. Aliudque gravius subito detrimentum exortum est.

ancannus *annonum* ex Forojulium trivit. *homilda.*

Cancannus enim *Pannonum* Rex *Justiniani secundi Constantinopolitani* Imperatoris socer copioso *Forumjulium* exercitu ingressus *Gisulphum* Ducem cum *Longobardis* & *Forojuliensibus* apud *Noriciam* occurrentem interfecit reliquis pene deletis. Cujus uxor *Rhomilda* cum *Tassone*, *Cacchone*, *Rhodoaldo*, & *Grimoaldo* filiis superstitibusque *Longobardis* in *Juliense* oppidum se recepit, communitis *Cormone*, *Nemasi*, *Osopio*, *Artena*, *Reuma*, *Glemona*, & *Ibilino*: Eam insecutus *Cathanus*, postquam igni ac ferro regionem attrivit, oppido copias admovit: Sed ipsa e mœnibus prospiciens cum *Regem* decora facie, *Flavo* crispantique capillo, atque armis conspicuum vidisset circumequitantem, ut situm & loci na-

14. turam specularetur, amore statim exarsit:

vitas *ustria* in- *nditur.*

Nec verita est eundem admonere, ut si se in uxorem ducat, evestigio civitatem tradituram. Accepta itaque per dolum fide in suam suorumque perniciem reseravit: Quod mox furens hostis diripuit, exustisque tectis igni injecto dum mulieres ac parvuli *Longobardi* in campo sacro sorte dividuntur, cæterique puberes obtruncantur *Tasso*, *Caccho*, *Rhodoaldus* & *Grimoaldus* pueri fortissimi ascensis equis salutem sibi fuga consulunt: subsecuti *Pannones*, reliquis celeri evadentibus fuga, *Grimoaldum* capiunt,

Grimoaldi facinus.

qui fœde abduci ægre ferens, ut turpitudinem captivitatis virtute deleret, semotum ab equitum ala hostem gladio ab eo intrepide erepto confodit, velocissimeque ad fratres reversus est.

Rhomilda militibus prostituta palo infigitur.

Cæterum *Rhomildam* unica nocte admittens militibus passim prostituendam tradidit, diuque illusam palo affixit, tali asserens proditricem marito condignam.

Appa & *Gayla* admirandæ pudicitiæ exemplum.

Appa & *Gayla* ducesque aliæ ejus filiæ adultæ virgines omnium oculos ob eximiam formam virginalemque verecundiam in se converterant, quæ, ne polluerentur, crudos sub fascia pullos inter mammas posuerunt, ut calore putrefactæ carnes fœtore infecto accedentes propellerent. Sic servato castitatis decore puellæ, tot militum lascivientium improbas evadentes manus, memorandum virginibus exemplum præstitere. Harum una *Germanico* regi: Altera *Bajoario* Principi collocata est.

Tasso & *Caccho* secundi Duces.

Tasso & *Caccho* perempto patre *Forojulienses* Duces creantur: quos *Gregorius Romanus* Patritius per simulationem colloquii blanditiis allectos *Opitergii* nil adversi verentes obtruncavit:

Grasulphus III. Dux

iis suffectus *Grasulphus* patruus: Cujus Imperium nepotes alii *Rhodoaldus* & *Grimoaldus* detestantes ad *Arrichim Beneventanum* ducem non infauste migrarunt: Defuncto enim *Arrichi*, *Ajoneque* filio apud *Sipontum* ab *Illyricis* in ejus victoria insigni occiso, principes *Beneventani* declarati sunt.

Rhotaris Rex *Longobardorum.* *Opitergii* eversio. *Magnus* Episcopus. *Heraclea* urbs.

Rhotaris autem *Longobardorum* Rex *Gregorii* facinus in *Tassonem* & *Cacchonem* inultum non relinquens, *Opitergium* diruit, cujus Episcopus *Magnus* ad stagna confugiens *Severi* Pontificis *Heracliique* Imperatoris decreto *Heracleam* urbem condidit sinistris tamen auspiciis: post centum enim & quinquaginta annos ab stirpe eversa est.

Martianus Patriarcha XXIX.

Martianus nonus & vigesimus interim annis tribus, ac *Felix* trigesimus annis quatuordecim Patriarchatum *Aquilejensem* rexere.

Ago Dux IV.

Mortuo *Grasulpho Forojuliensi* Duce *Ago* Ducatum suscepit: A quo domus *Agonia* illustris.

Lupus Dux V.

Eidemque *Lupus* re & nomine *Forojuliensium* Dux successit, qui *Gradense* oppidum ducto a continente aggere ingressus, *Aquilejensis* Ecclesiæ thesauros abstulit. Huic *Grimoaldus Longobardorum* Rex *Beneventum* ad filium proficiscens *Etruriam* & *Emiliæ* civitates cum *Citrapadanis* commendavit: Qui cum audisset *Constantium* Cæsarem apud *Beneventum* omnia hostiliter agere putans *Grimoaldum* periturum Regnum affectavit: Id intelligens *Grimoaldus*, in eum *Cathanum Pannonum* Regem excitavit: Quamobrem *Lupus* in *Forojulium* reversus est, commissoque cum *Pannonibus* prælio, primo die victoriam obtinuit; Rebus postmodum in contrarium versis, interfectus est, residuo copiarum ad munitiora castella se recipiente: quæ cum *Cathanus* expugnare non posset, regionem rapinis ferroque fædavit: ea ratione jussus excedere, cum recusasset *Grimoaldus* delectum undique habuit:

Stratagema.

In eumque profecturus ut astu terrorem hostibus incuteret, gentes diversis instructas armis varia per signa oratoribus *Pannonum* ostendit, ut quasi novæ jugiter supervenissent copiæ, majores apparere viderentur: Quibus falso exceptis territus non exspectatis ho-

stibus in *Pannoniam* abiit. 14. v.

Varnefrius Dux VI.

Lupo Duci *Varnefrius* filius seu *Arnephitis*; ut alii ipsum appellant, successit, qui *Grimoaldi* metu a *Carnuntis* & *Dal-*

matis auxiliares copias ducens apud *Nemas* consedit: Ubi a *Forojuliensibus* in eum irruentibus cæsus est. *Opitergini* eum secuti evestigio profugi ad *Cenetenses Tarvisinosque* migrarunt. Constitutus deinde a *Grimoaldo* Rege *Vectaris* septimus *Forojuliensium* Dux, prius *Vicentiæ* Comes *Carnuntorum* quinque millia, qui apud *Julienſe* oppidum in *Ambrosio* ad *Natisonis* pontem castrametati fuerunt, collatis signis delevit. *Vectari Laudaris* successit, post eumque *Rhodoaldus*, quo absente, *Forumjulium* occupavit *Auffrith* Regulus *Reumæ*: oppidum est *Tiliavento* ea parte incubans, qua amnis monte proximo & colle *Pintiani* coarctatur, id lingua *Celtica* vadum sonat: In *Compertum*que Regem progrediens *Veronæ* captus ab eodem erutis oculis in exilium missus est. *Forojulio* postea *Rhodoaldi* frater *Addo* per annum & menses septem præfuit. Regente *Aquilejensem* Ecclesiam *Joanne* Patriarcha primo & trigesimo, qui sedit annis decem. *Petro* annis tredecim. Et *Serenio* anno uno. Quo tempore Synodus ob imperitiam fidei *Aquilejæ* celebratur. *Addoni* fato functo *Pherdulphus* surrogatus est Dux decimus: qui cum Præfectum virum nobilem inter *Sclavos*, *Sculdayn* dicunt, injuriis provocasset, quia prædones *Forojuliensium* greges proximos abigentes non recuperasset, eidem deinde factus obviam quam consonum tibi est inquit nomen *Hargayth*, quod ab harga ignaviam vocant deductum re ipsa noscitur, iis excandescens, dum postea *Sclavorum* copiæ in summo montis vertice, quem *Pherdulphus* cum *Forojuliensi* exercitu circuibat, consedissent, non immemor injuriarum (ut est tenax plerumque ipsarum memoria) eundem palam compellat, ut quem ignavum appellaverat nunc in hostile agmen intrepide irrupturum sequatur, citatoque cursu collem subiit: hunc *Pherdulphus* pudore suffusus cum reliqua multitudine sublato clamore secutus est. *Sclavi* autem acerrime se tuentes lapidibus magis quam armis quampluri mos præcipites ad ima depellentes dejectis equis obruerunt: Quo prælio *Forojuliensis* pene omnis nobilitas cum ipsis concidit: *Munichi Longobardo Petri Forojuliensium*, & *Ursi Cenetensium* Ducum patre, qui fortissime dimicavit, cum paucis evadente. *Pherdulpho Corvulus* successit, qui *Luithprando Longobardorum* Regi pergratus in quorumdam procerum simultatem usque adeo incidit, ut Regi insinuaverint, in ejus necem Regnumque occupandum conspirasse, literas insuper fictas ad indicium ostendentes, iis cum rex aures adhibuisset animo fluctuans, nilque aliud vestigans, ac si pro explorato scelus omne constitisset, oculos crudeliter *Corvulo* erui jussit: Quod quam leviter constituerit eventus parum post docuit, orto enim gravi inter calumniatores dissidio, ex iis unus impetrata errati venia fraudem ex composito patratam adeo Regi clare prodidit, ut sola reorum confessio deesset, verum ne imprudenter, ut prius, captos omnes quæstioni adhibuit; reque reorum ore comperta eosdem variis excruciatos tormentis necari mandavit; *Pemonique Corvuli* jam extincti nepoti *Forojuliensem* Ducatum adjectis multis muneribus tradidit sese de injuria patruo illata excusans: quam sit igitur barbarum
15. temere accusantibus credere, quamque barbarius in accusatos indiscussa criminis causa plectere, hinc quoque sumi potest exemplum. *Pemon* itaque duodecimus Dux suffectus superstites proximo prælio interemptorum liberos summa pietate & educavit simul cum suis & instituit, uxorem habuit *Rachbertam*, quam tametsi illibera-

Vectaris Dux VII. *Laudaris Dux VIII.* *Rhodoaldus Dux IX.* *Auffrith. Reuma.* *Addo.* *Joannes XXXI. Patriarcha.* *Petrus XXXII. Patriarcha.* *Serenius XXXIII. Patriarcha.* *Pherdulphus Dux decimus.* *Forojuliensis nobilitas pene extincta.* *Corvulus Dux XI.* *Pemon Dux XII.*

A lem facie mirum in modum adamavit, mores ostendens in conjuge non formam probari oportere, ex qua mox illi *Rathchis*, *Rathchait*, & *Astulphus* spectatæ indolis nati sunt: Hic *Sclavos* in *Forumjulium* irruentes cæsis pene omnibus magna felicitate superavit. *Serenio* antistiti *Calistus* quartus & trigesimus successit, qui ægre ferens in *Cormone* Patriarchas non ut par erat commorari, cum ab *Helya* ad id tempus Patriarcharum sedes fuisset, ad *Julienſe Castrum* frequens ac ditissimum, quod *Forojulienses* Duces plerumque incolebant, se transtulit, *Amatore Julienſi*
B Episcopo expulso: Quem post *Maxentium* primum *Julienſem* Episcopum & post *Fidentium Longobardi* Duces constituerant: Quamobrem *Pemon* Dux *Calistum* cæpit, inque *arce Pucina* custodiendum tradidit: Cujus indignitate rei perturbatus *Luithprandus* Rex Ducatum *Pemoni* abstulit, *Rathchisium* filium Ducem declarans, in compliceisque delicti animadvertens multos necavit. Suscepto principatu *Rathchisius Sclavos* in *Japidia* tumultuantes maximis afflixit cladibus: *Thrasemundum Spoletanum* Ducatum occupantem jussu *Luithprandi* expulit: *Provocanum*que alterum *Spoletani* Ducis *Longobardum* superavit: Hic
C demum defuncto Regi surrogatus est *Hiprando*, quem in regni consortem *Luithprandus* patruus asciverat, a proceribus ea præsertim de causa summoto, quod impositi diadematis die lanceam gestans *Cuculus* in summitatem devolavit, ignaviæque augurium querula voce edidit. *Italiæ* postmodum tranquillitati studens pacem *Romanis* in XX. annos concessit: Quamvis eam fregerit *Perusium* obsidens, ad quem *Zacharias* Pontifex profectus ejus mentem mutavit, adeo ut *Ticinum* reversus *Haystulphum* fratrem sibi successorem elegerit; ipse cum filiis uxoreque *Romam* petens Monachus institutus fuerit: perstititque
D donec *Haystulpho* defuncto *Desiderius* Dux *Etruriæ Longobardus* copiarum Præfectus arma corripuit Regnum invasurus, in quem abjecto monachi habitu *Longobardos* excitavit: A *Gregorio* tamen Pontifice conciliatus *Desiderio* Regnum dimisit. *Rosimunda* interim *Luithprandi* Regis uxor *Austriis* Principibus oriunda, viro fato functo, hortatu *Hirprandi* in *Forijulii* sedem successit: Quæ generosos civium mores arduis in consiliis conspicata, reliquum vitæ sibi sine cura exigens administrationem omnem ipsis est elargita: Quamobrem Senatusconsulto ad
E posteritatis memoriam decretum est oppidi nomine immutato *Civitatem Austriam* nuncupari: Quæ tametsi ab *Attila* primum, dein a *Theodorico Gothorum* Rege, ac postmodum a *Cathano Pannonum* Principe eversa fuerit: Postremo tamen restituta adhuc frequens civibus perstat, quorum sex & quinquaginta nobiles familias superesse colligit *Canusius* ex his unus in libello de patriæ restitutione: Præcipui vero hodie memorantur *Bojani* ex quibus *Fridericum* Patriarcham, & *Beniveniam* sanctitate illustrem agnoscimus: *Nordii*, factionis suæ Principes e foro *Cornelii*
F ejecti, Ecclesiasticis dignitatibus & juris civilis scientia non minus post ejectionem quam ante militia clari: *Frumentini*: *Galli*: *Portæi*: *Manzarii*: *Brandii*: *Claracini*: *Comites*: *Pupii*: *Cottæ*: *Saloni*: Templa præterea, cœnobia: publicæ privatæque ædes celebritatem indicant, ubi multa visuntur antiquitatum monimenta, 15. V.
Romanæ coloniæ delicias præ se ferentia: De qua nec illud prætermittendum est prædium esse sub ipsum oppidum *Hæbreis* in sepulturam sejunctim addictum, quod a diluvii desolatione præcipuum sibi summa religione constituere, ibi nam-

Calistus XXXIV. Patriarcha. *Rathchisius Dux XIII.* *Prodigium cuculi.* *Rosimunda.* *Julii Castri in Civitatis Austriæ nomen immutatum.*

namque in epitaphiis vetustissimum omnium legitur solenni saxo Hebraice excisum, quod duo millium annorum sæculis ante ortum Christi humatum hominem eodem loco indicat extitisse. *Calistus* autem e carcere eductus, postquam *Basilicam* in *Civitate Austria* pulcherrimam condidit, anno XL. Pontificatus obiit. *Siginaldo Longobardo* e Regio *Grimoaldi* genere v. & xxx. Patriarcha suffecto: Qui sedit annis duobus & quinquaginta: Quibus ferme annis *Desiderius Longobardorum* Rex, dum plura damna Ecclesiæ *Romanæ* præter majorum institutum intulisset, nonnullasque civitates eripuisset: nolens etiam *Hadriani* Pontificis & *Caroli Gallorum* Regis monitis obtemperare, ab ipso *Carolo* victus est, postquam idem collecto ingenti exercitu, præmissa copiarum parte, quæ in transitu *Alpium* Jovis montem occuparet, cum reliquis superatis *Alpibus Vercellensem* agrum ingressus cum ipso *Desiderio* occurrente prælium iniit, in quo pluribus cæsis *Longobardos* profligatos in urbe *Ticinensi* obsedit, qua per deditionem post sex menses accepta *Desiderium* cum uxore, *Adalgiso* filio, atque aliis in *Galliam* transmisit: Atque ita *Desiderius* seipsum, uxorem, ac liberos, & regnum nobilissimum, quod per annos ducentos & quatuor sub duobus & viginti Regibus floruit, quodque Adamante munitum prædicabat anno

[Left margin: ...aldus ...archa v. ...erius Lon... ...rdorum ...s a ...lo. ...gobar... ...m Re... interi...]

A

Christi septingentesimo septuagesimo quarto, amittens, omnibus qui in rebus prosperis temere insolescunt ex sua vita & fortunæ immutatione exemplum parum speciosum præbuit. *Rhuodgausum* deinde quartumdecimum *Forojuliensem* Ducem novas res molientem per *Rolandum Nepotem* limitis *Britannici* Præfectum bellicosissimum hominem adempto Principatu expulit. *Henricum*que *Gallum* Ducem *Forojuliensem* instituit, qui *Forojulienses* a *Bajoariis* vexatos *Ringo Bajoario* interfecto liberavit: Quique idem postmodum, *Tarsianorum* fraude civitatem *Tarsiam* in *Liburnia* maritimam incolentium, peremptus est: Qua re animadversa *Carolus* per *Maguntiacum Noricos* atque *Istriam* in *Forumjulium* veniens *Tarsianos* pœna affecit. *Cadholum*que Ducem *Forojuliensem* suffecit. Cui *Baldricus* Dux successit: Hic *Eginaldo* teste *Luidoettum* tyrannum inferioris *Pannoniæ* legatum; qui a *Ludovico Caroli* filio Imperatore desciverat, dum *Carnuntum* cum copiis appulisset, ut in *Italiam* progrederetur, parva delectorum manu occurrens, juxta *Dravum* fudit ac fugavit: *Carnuntis* & *Japidiis* in deditionem receptis: Sed quum in concilio *Aquensi* ignavia eidem *Hispanicis* in rebus impacta esset, direptamque a *Bulgaris* provinciam sua culpa objiceretur, Ducatu pulsus est ejus ditione inter quatuor Comites divisa.

[Right margin: *Rhuodgausus* XIV. Dux. *Rolandus.* *Henricus Gallus* Dux XV. *Cadholus Gallus* Dux XVI. *Baldricus Gallus* Dux XVII.]

B

C

16.

LIBER QUARTUS.



CAROLUS cognomento *Magnus* devicto *Longobardorum* Regno, cum non sine divina ope, virtute plusquam heroica bella gereret, post innumerabiles victorias *Pipino* filio *Italiæ* Rege decreto, Imperator Augustus a *Leone* tertio Pontifice, quem in Sedem a seditiosis urbe pulsum restituerat, applaudente populo *Romano* consecratus est. Quumque Christianum nomen faustissimis ubique auspiciis extulisset infestos fortissime hostes oppugnans, templa, ædes sacras, & monasteria maximis sumptibus, amplis ditata prædiis, multis in locis construxit. Fama viri tanti felicissime toto orbe vulgata, allectus *Paulinus* sextus & trigesimus Patriarcha ad eum accurrit *Aquilejensis* Ecclesiæ ac regionis ferme interitum deplorans, a quo clementissime exceptus munificentissima retulit privilegia. Eidem enim multos pagos & jurisdictiones in *Forojulio*, in *Istris*, & *Noricis* concessit, quæ a *Ludovico*, *Lothario*, altero *Carolo*, *Berengario*, *Othone*, *Friderico* primo, *Othone* quarto, aliisque compluribus Imperatoribus ac Regibus amplissime roborata sunt: Tabulisque testamenti (ut scribit in ejus vita *Eginaldus*) triennio ante obitum exaratis, thesauri suppellectilisque Regiæ trientem *Aquilejensi* Ecclesiæ attribuit, cum *Romana*, *Mediolanensi*, *Ravennate*, *Gradensi*, *Coloniensi*, *Maguntiaca*, *Invanensi* seu *Salzpurgensi*, *Trevirensi*, *Senonensi*, *Vesontiensi*, *Lugdunensi*, *Rhothomagensi*, *Remensi*, *Arelatensi*, *Viennensi*, *Darantasia*, *Ebrodunensi*, *Burdegallensi*, *Turonensi*, & *Bituricensi* communicandam, quas pientissime *Ludovicus* filius inviolabiles observari curavit. Approbavit & jurisdictiones, quas in constructione *Forijulii* monasteriorum, unius *Sextio* oppido monachis *Benedicti*, alterius in *Ripa Salti*

[Left margin: *Paulinus* Patriarcha XXXVI. Beneficia *Aquilejensi* Ecclesiæ a *Carolo* collata. Fundatio *Sextiensis* Abbatiæ]

D

ipsorum matri *Piltrudæ* & virginibus *Herphius*, *Antonius*, & *Marcus Desiderii* Regis & *Adalgisi* consensu, elargiti sunt, sacris postmodum *Lotharii*, *Berengarii*, *Othonis*, ac *Ludovici*, quæ nos integra vidimus, confirmatas monumentis. Et quoniam sanctæ *Aquilejensis* Ecclesiæ incidimus in sermonem, perjucundum erit aliqua hic privilegia summorum Pontificum subtexere: qui beatissimo *Petro* adhærentis Ecclesiæ Patriarchatum ut esset caput & Metropolis super omnes *Italiæ* Ecclesias declararunt: Et sicut *Aquilejensis* civitas *secunda Roma* appellata est, pari modo ut ipsius sancta Ecclesia in cunctis fidei rebus Vicaria & secunda esset post *Romanam* sedem statuerunt. *Leonis* octavi omissis antiquioribus privilegium ex Archetypo inserui.

[Right margin: & monasterii in *Ripa Salti.*]

E

LEO *Episcopus servorum Dei reverendissimo ac sanctissimo confratri nostro Rodoaldo sanctæ Aquilejensis Ecclesiæ Patriarchæ. Si pastores ovium solem geluque pro gregis sui custodia die ac nocte ferre contenti sunt, & ut nequa ex eis aut errando pereat, aut ferinis laniata morsibus rapiatur, oculis semper vigilantibus circumspectant; Quanto nos sudore quantaque cura debemus esse pervigiles, qui pastores animarum dicimur, attendamus, & susceptum officium exhibere erga custodiam dominicarum ovium non cessemus, ne in die divini examinis pro desidia nostra ante summum pastorem negligentiæ reatus excruciet, unde modo honoris reverentia sublimiores inter cæteros judicamur, Pallium autem fraternitati vestræ ex more ad missarum solemnia celebranda transmisimus: Quo tibi non aliter, Ecclesiæ tuæ privilegiis in suo statu manentibus, uti concedimus, quam prædecessores decessoresque tuos usos esse incognitum non habetis: Cujus quoniam indumenti honor modesta actuum vivacitate servandus est: Hortamur ut & morum tuorum ornamenta conveniant, quatenus authore Deo recte utrobique possis esse conspicuus: Itaque vita tua filiis tuis sit regula in ipsa siqua fortitudo illis injecta est dirigantur, in ea quod imitentur aspiciant, in ipsa semper consi-*

[Right margin: Privilegium *Leonis* Pontificis. 16. v.]

F

considerando proficiant, ut tuum post Deum videatur esse bene quod vixerint: Cor ergo neque prospera, quæ temporaliter blandiuntur, extollant, neque adversa dejiciant: Sed quicquid illud fuerit virtute patientiæ devincatur: Nullum apud te locum odia, nullum favor indiscretus inveniat: Destrictum mali cognoscant: Insontem apud te suggestio mala non faciat: Nocentem gratia non excuset, remissum te delinquentibus non ostendas, ne quod ultus non fueris perpetrari permittas, sit in te & boni pastoris dulcedo, sit & judicis severa districtio: Unum scilicet quod innocenter viventes foveat, aliud quod inquietos ferocientes a feritate compescat: Sed quoniam nonnunquam præpositorum zelus, dum districtus malorum vult vindex existere, transit in crudelitatem correptio, iram judicio refræna, & censura disciplinæ sic utere ut & culpas ferias, & a dilectione personarum, quas corrigis, non recedas, misericordem te ut virtus patitur pauperibus exhibe, oppressis defensio tua subveniat: opprimentibus modesta correptio contradicat: Nullius faciem contra justitiam accipias: Nullum quærentem justa despicias: Custodia te æquitatis extollat, ut nec divitem potentia sua aliquod apud vos extra viam suadeat rationis audere, nec pauperem de re sua faciat humilitas desperare, quatenus Deo miserante talis possis existere, qualem sacra lectio præcipit dicens oportet Episcopum irreprehensibilem esse. Sed his omnibus uti salubriter poteris, si magistram charitatem habueris, quam qui secutus fuerit a recto aliquando tramite non recedit: Et ecce fratrum charissime inter multa alia ista sunt sacerdotii, ista sunt pallii, quæ si studiose servaveris, quod foris accepisse ostenderis, intus habes. Et ut omnibus pateat Christianis quanta te charitate diligamus ob amorem beati Marci Evangelistæ pastoris nostri gloriosissimi Petri Apostolorum Principis discipuli, qui vestræ præsedit cathedræ, renovamus vobis per præsens privilegium illud antiquum sanctissimo Hermagoræ beati Marci Evangelistæ successori a beatissimo Petro contraditum: Verum peccatis nostris promerentibus a paganorum sævitia concrematum, volumus scilicet & Apostolica authoritate jubemus, ut inter omnes Italicas Ecclesiarum Dei Sedes prima post Romanam Aquilejensis, cujus Deo authore praees, habeatur. Sed & hoc in augmentum & decorem Ecclesiæ vestræ concedimus, ut dum volente Deo vos vestrique successores ab hac luce migrari contigerit, non liceat quempiam ex aliena Ecclesia præponi, sed ex proprio sinu tam clerici quam laici eligant, quem legaliter sibi pastorem constituant. Fidelis est Deus qui nunquam deficere patietur, ne in Aquilejensis Ecclesiæ cœtu talis possit inveniri, qui merito cæteris Episcopatus dignitate possit præponi. Sancta Trinitas fraternitatem vestram gratiæ suæ protectione circumdet

17. *cumdet: atque ita in timoris sui via nos dirigat: ut post vitæ hujus amaritudinem ad æternam simul pervenire dulcedinem mereamur. Datum in sacratissima æde Petri Apostoli. Idibus Decembr. Anno Pontificatus Leonis primo. Imperante Othone anno secundo.*

Suffraganei Episcopi *Aquilejensis* Patriarchatus.

Patriarchatus autem *Aquilejensis* suffraganeos habet Episcopos *Tridentinum*, *Veronensem*, *Patavinum*, *Vicentinum*, *Tarvisinum*, *Concordiensem*, *Cenetensem*, *Feltriatem*, *Bellunensem*, *Parentinum*, *Polensem*, *Tergestinum*, *Petenensem*, *Justinopolitanum*, *Emonensem*, ad *Savumque* usque extenditur. Habebat & *Mantuanum*, atque *Comensem*. Erant & alii ætate tamen nostra extincti Episcopi, *Caravaciensis*, *Ebrociensis*, nunc vicus apud *Cadubrium* adhuc nomen retinet, ubi multa antiquitatum vestigia visuntur, *Tiborniensis* diœceseos modo *Tergestinæ*: *Juliensis*: Est & Episcopus *Labacensis* in gratiam *Friderici Austrii*

Labacensis Episcopus

A Cæsaris creatus. Eam urbem *Lubianam* vocant a palude proxima sumpto vocabulo, quam *Strabo Lugæam* appellat: Hanc scribit *Pius* Pontifex in *Europa* olim dictam *Nauportum*, ad quem *Argonautas* ferunt asportantes vellus aureum a *Colchis*, & *Medeam* prodita patris Regia *Jasonem* secutam. Ex *mari Pontico* per *Istrum* in *Savum* adverso navigantes flumine concessisse, ne in *Bosphori* angustiis interciperentur: Et ex *Hauporto* per montes humeris trajectam navim non procul a *Tergeste* in *Adriaticum* invexisse. Habebat & olim Primatum *Gradensem*, modo *Venetias* translatum, ut suo loco dicetur, cui *Castellanus*, *Jesulanus*, *Caprulanus*, *Torcellanus*, *Clodiensis*, & *Civitatis Novæ* Episcopi suberant.

Lubiana. Argonautæ. *Gradensis* primas.

B *Paulinus* igitur Antistes (ut eo revertar unde digressus sum) proximo *Civitati Austriæ* pago ortus virtutibus ac vitæ sanctimonia adeo illustris habitus est, ut quem viventem tamquam e cœlo missum omnes admirabantur, defunctum post annos quindecim in eadem pro cœlite frequenti concursu in dies quoque nostros celebrent. Cujus ævo *Paulus Forojuliensis Longobardis* oriundus *Aquilejensis* Diacon *Desiderio* Regi ob ingenium & doctrinam admodum charus fuit, quem *Carolus* in *Galliam* ducens libertate donavit, in

Paulus Diacon Historicus.

C pretioque aliquamdiu habuit. Verum quum postea comperisset hominem *Desiderii* libertatem quærere, eundem in *Diomedis Insulam*, ea est contra *Apulum* littus, *Sanctæ Mariæ* Tremitis dicunt, relegavit. Unde post aliquot annos aufugiens, & ad *Arrachim* perveniens rogatu *Adalpergæ Desiderii* filiæ, & *Arrachis* uxoris *Eutropio* libros addidit usque ad sua tempora, *Longobardorum*que historiam diligentissime perscripsit: Mortua deinde *Arrachi Casinense* Cœnobium ingressus reliquum vitæ sanctissime peragens sæpe ad *Carolum* Regem literas elegantes dedit, ab

D eodemque non injucundas accepit. A quo etiam *Laberiani* Pagi, *Lavarianum* vocant, munere donatus est: Cujus privilegii exemplar quamvis Barbarum subjeci.

Laberianus pagus Paulo Diaconi donatus a *Carolo*.

CAROLUS *Dei gratia Rex Francorum & Longobardorum ac patricius Romanorum omnibus Episcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, Gastaldis, vel omnibus fidelibus nostris præsentibus & futuris. Merito quidem a nobis sublevantur qui nostris fideliter obsequiis famulantur, & ideo si petitiones eorum pro quibus nostras pulsaverint aures, ad effectum perducimus, regiam consuetudinem exercemus, atque illorum animum nobis deservien-*

E *di amplius provocamus. Igitur notum sit omnium vestrorum magnitudini, qualiter cedimus atque donamus a nobis viro valde venerabili Paulo artis grammaticæ magistro res & facultates, quæ fuerunt quam Vualdandi filii quam Immoni de Lavariano,* 17. v.
cum omni integritate & soliditate sua id est tam terris, domibus, ædificiis, acolabiis, mancipiis, casis, masericiis: cum servis & Aldionibus, vineis, sylvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus mobilibus, & immobilibus, omnia & ex omnibus, quantumcunque prædictus Vualdandus ibi aut alibi habere visus fuerit, tam ex domo regum &

F *ducum, seu de comparato, aut quolibet detracto, prædicto Paulo a die præsenti tradimus atque cedimus perpetualiter ad possidendum, ita ut ab hac die prædictus Paulus & successores quinto ordine teneat atque possideat, & quicquid exinde facere voluerit liberum in omnibus habeat arbitrium. Præcipientes ergo jubemus ut nullus quilibet de fidelibus aut successoribus nostris prædicto Paulo de jam dictis rebus ullo unquam tempore inquietare, aut calumniam generare præsumat, sed omni tempore ex dono largitatis nostræ ipsas res jure proprietario valeat possidere fir-*

firmissimo, & *manu propria subtus eam decrevimus roborare, ac de annulo nostro jussimus sigillari. Datum* XV. *Kalend. Julii anno decimo Regni nostri e Loreja civitate in Dei nomine feliciter.*

Bellum Caroli in Venetos.

Indictum erat tunc grave a *Carolo* in *Venetos* bellum, præsertim quod contra fœdera, ut neutrius essent, *Constantinopolitano* magis quam *Romano* Imperio hæsissent, cujus Imperium *Pipinus* filius *Italiæ* Rex secutus *Aquilejenses*, *Heraclianos*, & *Equilinos* rem *Venetam* tuentes, magno impetu invasit, qui, tum locorum tenuitate diffisi, neque mœnibus neque natura muniti, *Venetias* cum liberis & uxoribus commigrarunt. Ab his potentior civitas facta mirabile incrementum habuit: Institutumque deinceps Reipublicæ administrandæ optimum accepit. Præcipui ex *Aquileja* nobiles consilio atque opibus clari gentem suam generosa propagine extulerunt. *Luniani*, *Julii*, *Raymundi*, *Bolani*, *Pepini*, *Gradonici*, *Nicolei*, *Lucæi*, *Omniboni*, *Fortunati*, *Ursi*, *Magamorni*, *Prothi*, *Barbuli*, *Gisi*, *Thomæi*, *Bredani*, *Gausoni*, *Balbi*, *Malachii*, *Iselgoli*, *Alimpati*, *Moruli*, *Gradaloni*, *Burselli*, *Delphinici*, *Blonzeni*, e *Concordia Pini*, *Constantini*, *Cuppi*, *Contarenis* inde etiam ab eversione *Attilana* profectis. Interea *Niceta* Patricius a *Nicephoro* Imperatore *Byzantio* cum classe *Venetias* missus applicuit: Ubi *Pipinus* Rex, accepta ingenti clade, *canali Orphano*, *Flexuosum* vocabant; nomen dedit. Orbitatem suorum passus, quam tumens *Venetis* inferre tentaverat, ut plerumque barbaris contigit, qui victores sæpenumero primo impetu *Italiam* infestantes extitere, mox cæsi cadaverum acervos reliquerunt: Id sive divino numine permittente, quod natura rerum parens eos extra montes constituerit, ut a virtutum altrice longeque terrarum pulcherrima *Italia* abstinerent: Seu quod vis eorundem, experimento deprehensa, sicut primo aggressu major quam virorum est, ita sequens minor, quam fœminarum: *Alpina* enim corpora humente cœlo educata, cum habeant simile quid nivibus suis, calore pugnæ statim sudorem emittunt, & levi motu, quasi calefaciente Sole laxantur. Quæ cum ita sint, non ab re fuit hæc commemorasse, ne forte nostri ejusmodi rerum ignari vanas ac frequentes eorum vexationes facile pertimescant, sed certi, quam leviter, quamque nullo negotio post primos impetus, siquis eis obstiterit, ea gens infringatur, & corruat, omnem potius fortunæ eventum experiri malint, quam aliquid necessarium, ut eisdem cedant, prætermittere.

Nomina Venetarum familiarum Aquileja oriundarum.

Clades Canalis Orphani. Cur plerumque externi in Italiam irruentes postremo attriti sint.

Defuncto *Paulino Urbanus* septimus & trigesimus Patriarcha sedit annis quinque. Eidem *Maxentius* successit. Ad cujus suasionem curante *Lothario Eugenius* secundus Pontifex concilium *Mantuæ* statuit: In quo *Gradensis Insula Aquilejensi* Ecclesiæ adjudicata est, *Venerio*, qui falso Patriarchatus nomine utebatur, deposito. Hic ex templi ruderibus prisci patrii *Belis* Dei monasterium *Benedicti* monachis *Belinense Aquilejæ* extruxit: Quod demum ob aëris inclementiam prorsus destitutum *Gregorius* XI. Pontifex *Cœnobio Utinati divorum Orivasii* & *Prothasii* ejusdem ordinis annexuit, prædia reditusque pari jure concedens: Cujus quidem privilegium postea *Urbanus* & *Bonifacius* latissime comprobarunt: quamquam perfidia eorum, qui Reipublicæ administrationem invaserant, omnia, ut pleraque alia, inversa sint, sibi ipsis magnam eorum partem impietate solita vendicantibus: Reliquum vero perinde ac neglectum, Canonicorum *Aquilejensium* collegium sibi *Nico-*

Urbanus Patriarcha XXXVII.

18.

Maxentius Patriarcha XXXVIII. *Gradensis* insula *Aquilejensi* adjudicata. *Belinensis* monasterii constructio & eversio.

A *lai* quinti Pontificis collatione asciverit, sic fere raptores publici, dum propriis nimium invigilant, communia parvifacientes evertunt: Cum autem in Patriarchatu annis XV. vixisset, in *Civitate Austria* moritur. Huic suffectus *Andreas* nonus & trigesimus Patriarcha: Qui cum in Synodo septem & quadraginta Episcoporum, a *Leone* quarto Pontifice celebrata, plebis *Gradensis* restitutionem assecutus esset, anno decimo Pontificatus moriens *Aquilejæ* sepelitur. *Venantius* quadragesimus Antistes post eum sedit annis tredecim. *Hendelmarius* dein primus & quadragesimus Cæsareo etiam rescripto *Gradensis Insulæ* ditione a *Ludovico* secundo insignitus, annis uno & viginti. *Lupus* secundus & quadragesimus, annis tribus. Huic *Valperthus* tertius & quaquadragesimus successit: Qui cum a *Carolo* secundo, cum quo *Romam* ad *Joannem* octavum Pontificem ad Imperii sceptrum accipiendum cum delectis proceribus *Forojuliensibus* profectus fuerat, amplissima privilegia retulisset, anno sexto ac vigesimo institutionis in *Civitate Forojuliensi* obiit. Posthunc *Fridericus* quartus & quadragesimus sedit annis tribus & quinquaginta, rei militaris gloria & generis splendore præcellens. Qui cum res *Italæ*, *Carolo* tertio imperante ob Regni dissidium, magno in discrimine essent *Hunnis* ex *Scythia* in *Pannoniam* delatis, indeque pulsis *Gepidis* & *Pannonibus* jam *Forojuliensem* regionem hostiliter ingressis, ita restitit, ut hostibus victis *Italiam* pacatam reddiderit, quod sepulchro *Aquilejæ* excisum inferius testatur epitaphium.

Andreas Patriarcha XXXIX.

Venantius Patriarcha XL.

Hendelmarius Patriarcha XLI.

Lupus Patriarcha XLII.

Valperthus Patriarcha XLIII.

Fridericus Patriarcha XLIV. qui *Italiam* ab ingruentibus barbaris liberavit.

CONDITUR INTERIUS NITIDO HOC PATRIARCHA SEPULCHRO,
PRÆCLARUM NOMEN CUI FRIDERICUS ERAT,
PANNONIÆ RABIEM MAGNA VIRTUTE REPRESSIT,
ET PACEM AFFLICTÆ CONTULIT ITALIÆ:
EGREGIUS PASTOR MITIS DUM PASCERET AGNOS,
SEMPER UTRIQUE GREGI PABULA LÆTA DEDIT:
ANNOSÆ ÆTATIS POST CURSUM IN LUCE QUIESCIT,
ET CUMULATA CAPIT PRÆMIA PRO MERITIS.

Pacatamque conservasset, ni aliæ de Imperio dissensiones emersissent: Quibus *Ludovicus* tertius a *Berengario Forojuliensi* Duce, magna apud *Veronam* strage superatus, est captus. Indeque *Berengarius* bellicis artibus clarissimus primus in *Italia* sibi Imperium a *Transalpinis* revocavit: Qui etiam *Guidonem Spoletanum* Ducem, a nonnullis *Longobardis Italiæ* Regem declaratum, insigni prælio apud *Ætruscos* vicit: *Ambrosium*que Comitem *Bergomatem*, quem etiam primum hostem habuerat, capto *Bergomo*, suspendio sustulit: Quamquam alii *Arnulpho*, qui cum *Berengario* fœdus inierat, ascribant. *Venetis* insuper, Rempublicam administrante *Petro Baduario* primus argenteæ pecuniæ signandæ munus contulit: Cum deinde *Joanne Dandulo* Principe aureus nummus percussus fuerit. Interim *Pannones* in *Italiam* transeuntes *Berengarium* cum quindecim armatorum millibus in *Forojulio* occurrentem bello victum fugaverunt, *Tarvisium* expugnatum diripientes, & in *Venetos* ducentes, *Civitatem Novam* incederunt: *Equilium*, *Caput aggeris*, *Clodiam*que populati sunt: Et in *Rivum altum* irrumpere conati plures dies absumpsere: Victoriam postremo non sperantes in agrum *Patavinum* con-

Devicto *Ludovico* IV. *Gallorum* Imperatore, *Berengarius Forojuliensis* Imperator effectus est.

Signandæ pecuniæ authoritas *Venetis* a 18. V. *Berengario* tradita.

Pannonum victoria in *Berengarium*.

cessere: Quo ex loco accepta pecunia & obsidibus a *Berengario* *Italia* excesserunt. Cum multa demum *Berengarius* privilegia *Aquilejensi* Ecclesiæ concessisset, nono anno quo Imperii fasces suscepit, moritur. Ejus loco alter *Berengarius Forojuliensis* electus annis quatuor imperavit: Qui *Ludovicum Bosonis Burgundi* Principis filium per *Taurinos Saltus Italiam* ingressum superavit: Captumque ea conditione dimisit, ut nunquam deinceps *Italiam* ingrederetur: Quamvis iterum contempto jurejurando per *Tridentinos* descendens *Veronam* ceperit: ubi a *Berengario* captus excæcatusque abire permissus est: Sunt qui scribant a *Rudolpho Burgundo* apud *Veronam* superatum *Berengarium*, ac Imperio tribus annis potitum esse. Magna tunc erat inter *Italos*, *Germanos* & *Gallos* de Imperio concertatio: unde & gravissima bella orta sunt, nec extincta sine multorum interitu provinciarumque calamitate: Annitebantur tamen *Romani Italique* Imperii nomen apud suos retinere, obstantibus Barbaris: Quamvis Duce & authore tam præclari facinoris indigerent, extinctis non solum illis fulgentissimis luminibus, quæ *Italiam* qoondam per orbem illustrarunt: Verum etiam sublato & exciso illo egregio seminario, unde tam generosæ radices pullulabant. Interea *Leo* quintus, & quadragesimus Patriarcha sedit annis duobus, & viginti, qui pro libertate Ecclesiastica certans a *Rodaldo Longobardo*, dum in deligendo Imperatore multæ essent controversiæ, interfectus est. *Urso* in ejus locum sexto & quadragesimo instituto: Qui cum plurima pro Ecclesia gessisset anno tertio & quadragesimo Pontificatus in *Civitate Austria* decessit: *Lupus* deinde sedit annis novem. *Hendelfredus* octavus & quadragesimus annis tribus & viginti. Cui *Berengarius* secundus, & *Otho* primus privilegia multa concessere, ardente adhuc tumultu bellico in *Italia*: *Pannones* enim, tunc etiam hostili manu *Salardo* Duce *Italiam* ingressi, omnem fere oram *Transpadanam* occupaverant. Defuncto *Berengario* secundo, apud *Pannones*, sive (ut alii volunt) apud *Bajoarios*, *Berengarius* tertius primi *Berengarii* ex filia nepos Dux *Forojuliensis* in *Italiam* venit, ad quem mittens *Hugo Arelatensis* Comes, qui prius ab *Italis* vocatus fuerat, pacem pepigit ea lege ut se *Italia* excedente *Lotharius* filius & *Berengarius Italiæ* Reges æquo jure omnia administrarent. Interim *Henricus Bajoarius* Princeps, *Aquileja* capta, *Pannones Italiam* invasuros, apudque *Justinopolim* progredi molientes duobus gravissimis præliis superatos in *Pannoniam* repulit, inde agrum omnem ab *Aquileja* usque *Ticinum* populatus, a *Berengario* cum copiis occurrente, *Italia* pulsus est in *Austriam* se recipiens, nec deinceps reversus est. Potitus autem *Italia Berengarius* Imperio etiam, defuncto *Lothario* secundo, potitur, cujus uxorem *Alundam*, ne cui nuberet *Ticinum*que urbem dotalem traderet, in *Garda Veronensi* oppido in carcerem conjecit. Et se Imperatorem appellans *Albertum* filium *Italiæ*

Berengarius II. *Forojuliensis*, Imperator suffectus.

Concertatio de Imperio.

Leo Patriarcha XLV.

Ursus Patriarcha XLVI.

Lupus Patriarcha XLVII.

Hendelfredus Patriarcha XLVIII.

Berengarius III. *Forojuliensis* Imperator ejusque gesta.

A Regem nuncupavit: annisque undecim imperavit. *Agapetus* vero secundus Pontifex *Italiæ*que proceres cognita *Berengarii* superbia, quod omnia sibi contra jus fasque vendicaret, *Othonem Germaniæ* Regem vocant, qui per *Forumjulium* cum quinquaginta millibus hominum ingressus, dejectis statim e Regno *Berengario* & *Alberto*, *Alundam* carcere eductam in uxorem accepit, ex qua *Othonem* filium suscepit. *Otho* autem victor hac moderatione usus est, ut *Berengario* & *Alberto* gubernandæ *Cisalpinæ Galliæ* (*Aquileja* & *Verona* exceptis) arbitrium permiserit, compositis inter *Berengarium* & Pontificem
B rebus. Sed quum postea *Berengarius* & *Albertus* ira succensi *Othonem Canusii* Comitem (qui monasterium *Subaquense* in *Forojulio* erexit, multaque prædia *Sextiensi* tradidit) quod *Alundam* liberaverit, eo in oppido tres annos obsedissent, intellecta ipsorum tyrannide, *Otho* Imperator iterum in *Italiam* contra eos descendit: Quos tandem victos *Albertum Constantinopolim*, *Berengarium* in *Austriam* relegavit: Qui demum in *Franconia* apud nobilem *Basilicam Bamburgensem* ad *Pognitium* amnem obiit, ibique sepultus est. Hoc modo Imperium a *Gallis*, & *Longobardis Forojuliensibus*, ad *Othonem* translatum in *Germa-*
C *niam* transiit, Anno Christi noningentesimo sexagesimo secundo, ubi & hactenus remansit: Idque præsertim ob decretum *Gregorii* quinti Pontificis natione *Saxonis* contigit: Qui consensu *Othonis* tertii, ut diutius apud *Germanos* summa potestas remaneret, anno subinde Christi millesimo ac secundo statuit, solis *Germanis* liceret Principem deligere, qui *Cæsar* & *Romanorum* Rex appellatus tum Imperator & Augustus haberetur, si eum *Romanus* Pontifex confirmasset. *Germani* autem deligentes Imperatorem; sunt Archiepiscopus *Maguntinus* Cancellarius Germaniæ:
D Archiepiscopus *Coloniensis* Cancellarius *Italiæ*: Archiepiscopus *Treverensis* Cancellarius *Galliæ*: Marchio *Brandeburgensis* post electionem a Cubiculo minister: Dux *Saxonum* Ensifer: *Comes Rheni* Dapifer: & Rex *Boëmus* Pincerna additus: Qui in *Milarene Treverensis* Diœceseos conveniunt ad electionis diem statuendam: Ubi demum fit electio. *Rodaldus* interea nonus & quadragesimus Patriarcha non inultum *Rodaldi* facinus relinquens, a quo diximus *Leonem* Antistitem interfectum, bona omnia inter *Liquentiam* & *Plavim* ab *Othone* impetravit, cui prius *Uti-*
E *natem* urbem, *Faganeam*, *Gruanium*, *Bugam*, & *Braitanum* condonaverat. Annoque Pontificatus secundo & quadragesimo obiit. Ejus loco instituto *Joanne* quinquagesimo Patriarcha, qui quum vetustioribus Imperatorum privilegiis *Aquilejensi* Ecclesiæ concessis novo *Othonis* tertii decreto liberius frueretur, adjecto *Siliniano*, dimidioque *Noriciæ* oppido, deposito etiam *Ursone Othonis Urseoli Venetorum* Principis fratre falsum sibi *Gradensis* Patriarchatus nomen vendicante, anno decimo nono vitam cum morte
F commutavit.

19. *Agapetus* Pontifex. *Otho Germaniæ* Rex.

Otho Canusii Comes.

Imperium in *Germaniam* translatum.

Electores Imperii & observationes eorundem.

Rodaldus Patriarcha XLIX.

Joannes Patriarcha L.

LIBER QUINTUS.



Quilejensem Ecclesiam sacratissimo martyrum sanguine, illustrique clarissimorum virorum sacerdotio decoratam, multis Pontificum & Imperatorum privilegiis insignitam superioribus libris accurate (ut vires nostræ tulerunt) ostendimus: Quam veluti capite diminutam, pluribus incommodis affectam ac pene labentem conspicatus *Conradus* Cæsar ne tam sanctæ dignitas Ecclesiæ adversantium oppressione fordesce-

Conradi Imperatoris beneficentia in *Aquilejensem* Ecclesiam. 19. V.

desceret, *Constantini Magni* vestigia secutus: Qui *Romano* Pontifici almam urbem, aliasque *Italiæ* civitates condonavit, ut quemadmodum ipsa Imperii gloria & potentia longe illustrata coruscat, sic & *Aquilejensis* Sedes Cæsaream liberalitatem sentiens ditionis majestate ad honorem Dei gloriaretur. Sed utinam hæ tantæ divitiæ in pias causas erogandæ talem conservent decorem, qualem jam Sacer martyrum cruor, ac sacerdotum paupertas acquisivit. *Poponi* itaque primo & quinquagesimo Patriarchæ Ducatum *Forojuliensem* ac Marchionatum *Istriæ* cum innumeris prædiis tradidit: Ex quibus quotannis centum & amplius aureorum millia percipi solebant: Eidemque monetæ aureæ & argenteæ cudendæ jus tribuit. Qui *Aquilejensem* illico civitatem solo æquatam muro sepsit: Templum sumptuosissimum cum admiranda turri sanctissimæ virgini Tutelari Divæ extruxit, in eo quinquaginta sacerdotes, ut assidue divinis adsisterent, instituens: Quibus præter prius concessa *Melaretum*, *Palmatam*, *Sylavum*, *Ronchium*, *Ronchetium*, *Castellionum*, *Marianum*, *Carolinum*, Sanctum *Georgium* Pagos *Forijulii* non ignobiles tribuit: Inque foro *Aquilejensi* officinas triginta, & in *Portu Pyri* viginti: Juxtaque templum ædes Regio more amplissimas erexit: *Virginium* quoque *Benedicti* a solo extructum ditavit. Utque ferventius religionem augeret in dedicatione templi *Conradum* invitavit: Qui cum duobus Cardinalibus Episcopisque viginti, & immenso Ducum Comitum ac procerum cœtu interfuit: in qua *Joannes* XIX. Pontifex sacra corpora *Marci* Pontificis & *Quirini* Episcopi, non tamen illius *Philippi* Cæsaris filii, quem *Budæ* diximus esse, solenniter transmisit: Patriarcham Episcopis viginti præficiens: Quoque dignitate fulgeret illustriori, Imperator sibi ac successoribus locum in Throno inter Canonicos constituit: Cui Cæsareus vicarius hodieque præest. *Popone* etiam curante in conciliis *Romæ* & *Ravennæ* celebratis *Gradensis Ecclesia Aquilejensi* addicta est, deposito *Ursone*, cujus oppidum *Gradense*, *Venetorum* præsidio munitum, cepit ac demolitus est: Ab eoque thesauros *Aquilejenses Longobardorum* metu delatos exportavit. *Conradum* itidem in *Venetos* irritavit: *Adalperthumque Carinthium* Ducem in agro *Aquilejensi* tributa extorquentem repulit: *Noritianis* Comitibus ut suffragatores *Aquilejensis* Ecclesiæ sint multum fisci addidit. Nec politicas institutiones omittens conventum universæ regionis (parlamentum vocant) cum Nomenclatura Antistitum, Urbanorum, Castellanorumque decrevit: Quæ constituta hodieque servantur: Quamquam eadem, veluti indigesta extemporaneéque invulgata, corrigere instituisset, ut pro locorum viribus unusquisque suffragia daret, seu loca parva a mediocribus, & mediocria a magnis distinguendo, ut olim Lyciis mos erat, qui, cum tres & viginti urbes apud eos essent, in commune collegium ex qualibet civitate conveniebant, id decernentes quod pars maxima comprobasset: Maximarum civitatum quælibet tria suffragia ferebat, mediæ duo, cæteræ unum, parique modo munera subibant: Seu tot calculos cuilibet dando, quot equos in militia præstare sunt obnoxii: Neque enim consentaneum videtur ut tenuioris fortunæ municipia, quæ parum aut nihil in commune conferunt, idem jus in calculis habeant sicuti magnæ urbes. Asserunt quidam illum, ut acerbo & pertinaci inge-
20. nio fuisset, ita parum honesto mortis genere, non multo post *Gradensium* cladem, extinctum: Sed alii æstiment, cum præclara ejus viri gesta fe-

Popon Patriarcha LI. — *...us monetæ cudendæ. Templum virgini extructum cum ditissima turri. Collegium sacerdotum cum suis redditibus institutum.* — *Virginium Benedicti. Dedicatio templi.* — *Patriarcha Episcopis XX. præfectus. Statio vicarii Imperatoris. Gradensis Ecclesia Aquilejensi adjudicata.* — *Instituta Politica.*

A liciter usque ad exitum viderint. Archigrammatæus seu Cancellarius (hanc enim dictionem latinitate donavit *Flavius Vopiscus*) fuit *Conradi* Cæsaris, nulli apud eundem authoritate secundus: Cujus mox auspiciis ad *Aquilejensem* Pontificatum evectus post annum quintum & vigesimum senio confectus obiit. Cujus tumulo inscriptum est epitaphium *Aquilejæ*.

POST CINERES QUOD HABET MU-
ROS AQUILEJA, QUOD INGENS
STAT TEMPLUM, TURRIS CELSA
QUOD ASTRA PETIT.
B QUOD DOS AMPLA DATUR CONRA-
DO A CÆSARE, ET ÆRA
SUB PATRIARCHALI CUDERE POS-
SE NOTA.
DEBENTUR CUNCTA HÆC ILLI, QUI
CLAUDITUR ARCHA HAC,
POPO, SACERDOTES HUIC DATE
THURA, FUIT.

Poponis mors & epitaphium.

Illustratam a *Popone Aquilejensem* Ecclesiam *Eberardo* extincto, qui post eum sedit annis quinque, *Gothopoldus* tertius & quinquagesimus Patriarcha mirifice tutatus est: Ab *Alexandro* enim secundo *Gradense oppidum* obtinuit: Cui *Henricus* quoque Cæsar Ducatum *Forojuliensem* atque
C *Istriæ* Marchionatum eo jure confirmavit, ut Imperii membrum nobilissimum censeretur: Cum alioqui Ecclesiasticorum authoritatem subvertere statuisset: Ideoque a *Gregorio* septimo Pontifice sacris atque omni Regia administratione interdictus est. Huic maxime inflammatus *Henricus*, suggerente id etiam *Hugone Candido Tridentino* Cardinale Sancti *Clementis*, & *Theobaldo* Archiepiscopo *Mediolanensi*, ac plerisque *Cisalpinis*, habito Episcoporum conventu in eum, *Gilbertum Ravennatem* Archiepiscopum Pontificem creavit *Clementem* appellans: Qua ex re magnæ cædes, direptiones & incendia subsecuta
D sunt. Structo autem Cœnobio atque æde Protomartyris prope *Aquilejam* post annos decem & septem institutionis Antistes *Aquilejæ* moritur, ut insculpti monumento testantur versiculi, formis quidem literarum latinis, sed nihil minus quam latini, quos quia lutulente fluunt, ut illa ferebat ætas, prætereundos existimavi. Ejus loco suffectus *Ravongerius* sedit annis quatuor: Ac deinde *Sygeardus* quintus & quinquagesimus annis novem: Cui *Henricus* quartus *Japidiam* adjecit. Post *Henricum*, qui annis sex,
E & post *Fridericum*, qui anno uno sedit, gestis obscuri ambo, *Vodarlicus* octavus & quinquagesimus successit, qui *Paschalem* secundum Pontificem & Cardinales captos cum *Henrico* quarto conciliavit: Quos ideo Cæsar ipse ceperat, quia Episcopos suos comprobare noluerant, exhibito prius ipsi Pontifici omni officii genere: Cum idem *Henricus* ipsum ad *Soractis* montem Antistiti custodiendum dimisisset, ut inde cum copiis discessurus urbem oppugnaret: Quamobrem multa ab ipsis in gratiam concordiæ obtinuit. Reversus in *Forumjulium Ædem divi Joannis* juxta *Timavum* ex ruderibus, memorabilis apud pri-
F scos, *Diomedis* templi erexit, eidem a flumine *Ponchæo* ad villam *Catinæ* prædia cuncta concedens. Anno demum duodetrigesimo Pontificatus excessit, *Gerardo* Antistite nono & quinquagesimo suffecto, qui ob incredibilem vitæ sanctimoniam ad Patriarchatum communi voto evectus est: At is ut erat modestissimus se indignum arbitratus aliquamdiu renuit, populo acrius incumbente, ne divino numini adversari videretur onus ea potissimum ratione suscepit, ut opes quascunque pauperibus atque ædibus sacris in-

Eberardus Patriarcha LII. — *Gothopoldus Patriarcha LIII.* — *Schisma Pontificum.* — *Cœnobium Sancti Stephani prope Aquilejam.* — *Ravongerius Patriarcha LIV.* — *Sygeardus Patriarcha LV.* — *Henricus Patriarcha LVI.* — *Fridericus Patriarcha LVII.* — *Vodarlicus Patriarcha LVIII.* — *Henricus Cæsar quartus.* — *Templum divi Joannis juxta Timavum.* — *Gerardus Patriarcha LIX.*

staurandis impenderet: Spem omnium rei eventu superavit, eoque se compulit, ut dum egentibus opem fert, ipse egentissimus alioqui affluens
20. v. nullo de se consilio habito per annos Pontificatus duodecim necessariis etiam ad victum indigeret: *Primeriacam villulam*, in qua natus erat, *Civitati Austriæ* proximam frequentans, non ut *Vespasianus* Cæsar Cosanam suam, causam esse statuens, cur eum locum omnibus anteponeret, quod illic primum vagiisset, nil quicquam in eo immutari passus, nequid oculorum consuetudini deperiret, sed ut humilium casulas parentum agnoscens generis inopiæque memor ab honorum ostentamentis divitiarumque illecebris nullo suffarcinatus auro Christum pauperem secutus sese promptius abdicaret. Quantum *Gerardus* sanctitate polluit, tantum *Peregrinus* successor magnitudine animi & consilio: Quippe qui *Honorium* secundum apparatu splendido *Aquilejæ* excepit, ubi cum Pontifex intellexisset *Boëmundum Apuliæ* Ducem, cui *Hierosolymitano* bello Principatus *Antiochenus* adjudicatus fuerat, decessisse, *Raymundum Guielmi* Ducis *Austrii* filium, qui gener defuncti erat, ibi præsentem, in ejus locum Principem declaravit. Cum *Lothario* deinde *Peregrinus* profectus magnis copiis *Innocentium* secundum *Romam* ducente, quam *Anacletus* Antipapa occupaverat, multa privilegia obtinuit: moxque secundo & trigesimo anno institutionis obiit. *Gothofredo* e Regio genere surrogato, qui cum adversus *Tarvisinos* infestum magis, quam grave bellum gessisset anno duodecimo excessit, cui *Vodarlicus* secundus & sexagesimus Antistes successit *Friderici* primi cognomento *Barbarussæ* necessarius Ducatu *Forojuliensi*, Marchionatu *Istriæ*, & Comitatu *Japidiæ* ab eodem quoque insignitus, oppidis ac prædiis inter *Plavim* & *Liquentiam*, *montemque Silicis Patavini* agri adjectis, cui postmodum idem Cæsar in *Syriam* ad bellum proficiscens, postquam cum *Alexandro* tertio Pontifice ac *Venetis* pacatus est, *Italiæ* curam demandavit. Quibus ferme diebus *Chezelinus* Comes *Chezeli* cognominis, ab insigni quod ea gens nobilis *Germana* gestat *Chezil* vocant, *Latini* catum, prole carens arcem *Alpibus Carnicis* ea via subsidentem, qua per *Clusiam* in *Carnuntum* tenditur, Monachis *Benedicti*, ut eo loci monasterium divi *Galli* construeretur, cum amplissima proventuum accessione approbante *Friderico* tradidit, quod & *Gregorius* nonus Pontifex in perpetuum sanxit ac præstitit. Ejusdemque ordinis Cœnobitanis *Meynardus Noritianus* Comes aliud *Rosacii* monasterium erexit & ditavit. Qua etiam tempestate concedente id *Gervino Concordiensi* Episcopo *Portugruarienses* oppidi sui prima jecerunt fundamenta, dum autem *Vodarlicus Gradensem Insulam Veneto* munitam præsidio cepisset, paulum ibi commoratus cum XII. Canonicis aliisque plerisque ex *Forojuliensibus* nobilioribus *Vitalis Michaelis* Ducis subito accessu captus est, *Venetias*que delatus, mox iis conditionibus dimissus.

Peregrinus Patriarcha LX.

Gothofredus Patriarcha LXI.

Vodarlicus Patriarcha LXII.

Friderici Barbarussæ beneficia *Aquilejensi* Ecclesiæ collata.

Fundatio abbatiæ *Mosacensis.*

Fundatio Abbatiæ *Rosaciensis.*

Portus Gruarius conditus.

Fœdera inter Patriarcham *Venetos*que.

Ut quotannis taurum cum XII. *suibus die victoriæ Venetias mitteret, qui frequenti spectaculo in foro truncarentur; simulque castella quædam tabulata ferreis hastis a Principe & Senatu concuterentur:* Quæ omnia quasi annui ludi *Dionysiis* diebus in victoriæ memoriam magnifico apparatu *Venetiis* hodieque celebrantur, senio demum confectus anno vigesimo naturæ satisfecit: Cujus epitaphium *Aquilejæ* legitur literato quidem in saxo, sed illiteratissimum, quod si hic caneretur deruditum potius quam eruditum videretur, ejus modulis *Asinino* more in idem

Canannui ludicri qui *Venetiis* quotannis tempore carnisprivii celebrantur tauro suibusque truncatis.

A semper se flectentibus: Sed ignoscendum est illi ætati: Crebræ enim barbarorum incursiones, imo longæva in *Italia* permansio inve- 21.
cta barbarie latinitatem pene sustulerant, ut superius etiam deploratum est. In demortui locum suffectus *Peregrinus* secundus cum *Henrico Dandulo Venetorum* Duce fœdere vinctus *Tarvisinos* direptionibus & incendiis *Forumjulium* assidue vexantes propulit: Ad illos plerique *Forojulienses* confugerant, ex quibus præcipua nobilitas *Tarvisina Gradum majorem* appellant, prodiit, ipsos intra mœnia compulsos diu obsedit: Nec voto
B capiendæ urbis concidisset, ni fata illum anno quartodecimo Pontificatus rapuissent. Huic *Volcherius* successit. Cui *Otho* quartus & *Fridericus* secundus superiorum privilegia confirmarunt: Pulsoque ab *Istria Ludovico Bajoario* Duce in Marchionatum a *Friderico* secundo restitutus est: Cum *Petro Ziano Venetorum* Principe *Forojulienses* infestante fœdus sanxit, ut quotannis ex penu *Aquilejensi* panes duodecim sextarii singuli præter porcos duci *Veneto* persolvantur: Apud quem magna postmodum authoritate polluit. Ejusque suasu pax inter *Venetos*, *Patavinos* & *Tarvisinos* inita est, bello inter ipsos levissima ex cau-
C sa exorto: *Tarvisini* enim florentes, quum ludis se oblectarent castellum media in urbe pillibus murorum loco munitum virginibus trahendum tradiderunt: Adolescentes nobiles arcem oppugnabant, missilia, quibus utrinque utebantur, poma aurea (quæ a posteris arantia, ab *Arantia* post *Phliunte Achajæ* oppido, ea ut creditur, ratione appellata, quod *Hercules* mala Hesperidum *Arantiam* primo tulerit) atque alia id genus in pilarum speciem destinaverant, & quum ad loci oppugnationem omnium oculi intenti essent, *Veneti* primum in castellum irrumpentes signa erant illaturi, quod cum *Patavini*
D quidam conspexissent *Vexillum* divi *Marci* a signifero raptum turpiter fregerunt, illicoque ad arma concursum, fuissetque non sine cruore dimicatum, nisi ludorum præfecti certamen diremissent: *Patavini* postea *Tarvisinis* in socios assumptis *Bebianam* turrim abducta præda adorti sunt: *Veneti* vero duplici injuria irritati sumptis armis circa turrim hostes fuderunt: Ex quibus quadringentos captos *Venetias* mittunt: Quos tamen inviolatos hortatu *Volcherii* dimiserunt. Quum autem antistes annis sexdecim Sedi præfuisset, obiit. Fertur ipsum tantæ fuisse sancti-
E tis, ut post mortem marmoreæ archæ operculum, in qua ejus corpus *Aquilejæ* conditum fuerat, divinitus nullo adminiculo fultum aliquamdiu in aëre pependerit, nunc modice uno tantum angulo hæret. Quamvis idem ab *Othone* quarto Legatus *Italiæ* constitutus *Mediolanenses*, *Brixienses*, *Placentinos* & *Cremonenses* ad Imperatorem contra Pontificem diverterit. Huic surrogatus *Bertoldus* Archiepiscopus *Coloniensis* Ducis *Moraviæ* filius, & Reginæ *Pannonis* frater, ex qua *Helisabeth Ludovici Hassiæ* Comitis, Lanthgravium vocant, conjunx inter divos relata, orta
F est. Qui cum apud *Fridericum* secundum honoris & fidei causa veneraretur illius imprimis partes secutus est, qui *Friderico* avo infestior nihil ad deprimendam Pontificiam potentiam omisit. Ea ratione ab *Honorio* tertio & *Gregorio* nono Anathemate notatus & Imperio privatus *Ecelinum* cognomento *Romanum*, *Romano* in oppido *Tarvisini* agri ortum contra *Citrapadanas* civitates animavit, datis eidem copiis in *Forojulio* existentibus: Qui acceptis etiam auxiliariis militibus a *Bertoldo* Patriarcha *Tarvisium*, *Patavium*, *Vicentiam*, *Veronam*, & *Brixiam* in potestatem re-

Peregrinus Patriarcha LXIII.

Tarvisina nobilitas præcipue ex *Forojulio* oriunda.

Volcherius Patriarcha LXIV.

Fœdus cum *Venetis*.

Bellum inter *Venetos*, *Tarvisinos* & *Patavinos.*

Ludicrum *Tarvisii.*

Arantia.

Mirum.

Bertoldus Patriarcha LXV.

Digressio ab instituto. *Friderici* Imperatoris impia in Pontificem gesta.

redegit, in *Mediolanenses*que contendens a *Mar-*
21. v. *tino Turriano* collatis signis superatus illato vulnere paulopost apud *Soncinum* obiit. Civitatibus statim in libertatem erectis Duce *Gregorio Montelongo*, qui *Bertoldo* in Patriarchatu successit, capta etiam *Ferraria*, quæ a Pontifice ad Imperatorem defecit, *Actione*que *Estensi*, qui bello interfuerat, Ecclesiæ nomine gubernanda commissa. *Pisis*que agens *Fridericus* tumultuantem *Italiam* cum conspexisset ignorans qui partes suas, quive Pontificis sequerentur, civitates in duas factiones tum primum divisit: Qui enim Pontifici favebant *Guelphi*, quive Imperatori, *Gibellini* appellabantur, primi apud *Pistorienses*, cum Cancellarii Pantiaticos ejecissent, auditi sunt, cum alteri quidam nomine *Guelphus*, alteri *Gibellus Teutonici* fratres aspirarent: Unde tantæ pernicici nomina indita sunt: *Florentini* præterea nobiles suos *Pisanis Gibellinarum* partium faventes in exilium ejiciunt: pellunt & *Guelphos* vicissim ab urbe *Arretini* & *Senenses*: Horum exempla multæ *Italiæ* civitates secutæ bellum plusquam civile inter se comiscere, quod diutius apud nos quoque non sine magno regionis incommodo insedit atque inveteravit, adeo ex parvis sæpe magnarum momenta rerum pendent. Et quum innumera damna Pontifici intulisset, *Gregorius* concilium apud *Lateranum* indixit, in quo de ipso abrogando ratio haberetur: Verum Imperator terra marique vias præclusit, & quosdam Antistites captos adjuvantibus *Pisanis* non longo a portu *Pisano* mari immersit: hancque ad Principes Christianos epistolam dedit.

[Origo factionum *Guelphæ* & *Gibellinæ*.]

[Epistola *Friderici* ad Principes Christianos contra Pontificem.]

Illos describit felices antiquitas, quibus ex alieno præstatur cautela periculo: Status namque sequens formatur ex principio præcedentis, & ut impressionem cera recipit ex sigillo, sic humanæ vitæ formatur mortalitas ab exemplo: hanc utinam felicitatem nostra serenitas pergustasset, & cautelæ solertiam vobis ô Christiani Reges & Principes reliquissent: Porro qui Clerici censentur pauperum eleemosynis impinguati filios opprimunt: ipsique nostrorum filii subditorum paternæ conditionis obliti nec Imperatorem nec Regem aliqua veneratione dignantur habere, quotiens per Apostolicos ordinantur: Quod autem ex conculcationibus nostris innuitur ex Innocentii Papæ quarti præsumptione probatur, qui vocata Synodo (ut asserit) generali contra nos non vocatos nec super aliqua fraude vel pravitate convictos ausus est sententiam depositionis statuere: Quam præter omnium Regum enorme præjudicium non poterat stabilire, quod enim vobis & singulis singularum regionum a facie tanti Principis sacerdotum timendum non superest, si nos ex Principum electione solenni approbatione totius Ecclesiæ ac fidei Christianæ religione viventium, Imperiali Diademate divinitus insignitos, & alia regna nobilia magnifice gubernantes, ille deponendos aggreditur: Cujus quod ad Imperiale Diadema non interest aliquid exercere rigoris, etiamsi causæ legitimæ probarentur: Verum quod sacerdotalis sic infestat abusio potestatis, & a summo nos conatur præcipitare deorsum, nec primi sumus, nec ultimi: Et hoc quidem vos facitis obedientes religionem simulantibus: Sanctitatem quorum superat ambitio, quod totus mundus defluat in os suum, ô si nostræ credulitati simplicitas ascribatur, & Pharisæorum fermenta, quod est hypocrysis, juxta sententiam Salvatoris sibi curarit attendere quod illius curiæ turpitudines exercere possetis, quas honestas & pudor prohibet nos effari, sane reditus copiosi, quibus ex plurimorum depauperatione Regnorum ditantur, quemadmodum
22. *ipsi nostis, ipsos insanire faciunt, & apud nos Christiani mendicant, ut apud eos patareni mendicent. Ibi domos vestras obstruitis, ut illic adversariorum oppida construatis, sic de nostris eleemosynis tales Christi pauperes sustentantur, qui beneficii compensatione, qua saltem ingratitudinis exhibitione nobis se præbeant obnoxios: Quia quanto manus eis extenditis liberaliores; tanto non solum manus, sed etiam cubitos avidius apprehendunt, suo vos laqueo detinentes, ut aviculam, quæ quanto ad evasionem nititur fortius, tanto fortius alligatur. Hæc vobis ad præsens curavimus mittere insufficienter exprimentes votum nostrum, cætera vero secretius intimanda decernimus, videlicet in quos usus divitias pauperum expendit prodigalitas avarorum: Quid super Imperatore comperimus eligendo nisi pax, quam per magnos mediatores intendimus, interim per vos & Ecclesia saltem superficialiter reformetur, quod de Regum communibus specialibusque negotiis disponere intendimus, quod super insulis Oceani fuerit ordinatum, quod contra Principes universos quibusdam conciliis, qui nos, qui nonnullos haberemus ibidem familiares & subditos, licet clandestine latere non possint, illa curia machinatur, quos omnes tot viribus, tot virorum insidiis, quos habet institutos ad bellum in hoc ipso jure quod instat, qui nunc nos opprimunt nos opprimere speramus, quicquid autem fideles nostri latores præsentium vobis retulerint certe credatis, ac etiam sicut sanctus jurasset firmissimum habeatis: Nec propter hoc quod a vobis petimus negligatur, quod propter in nos latam Papalem sententiam depositionis nostræ magnanimitas majestatis minuatur. Habemus etiam conscientiæ puritatem, ac per consequens Deum, cujus testimonium invocamus, quia semper fuit nostræ voluntatis intentio clericos cujuscunque religionis ad hoc inducere, & præcipue maximos, ut tales perseverarent in fide, quales fuerunt in Ecclesia primitiva Apostolicam vitam ducentes, & humilitatem divinam imitantes: Tales namque clerici solebant Angelos intueri, miraculis coruscare, ægros curare, mortuos suscitare, & sanctitate non armis Principes subjugare: At isti sæculo dediti & inebriati deliciis Deum postponunt, quorum ex affluentia divitiarum religio suffocatur: Talibus subtrahite nocentes divitias, quibus damnabiliter honorantur, opus est charitatis, ad hoc vos Principes una nobiscum, ut cuncta superflua deponentes modicis rebus contenti Deo serviant omnem debetis diligentiam adhibere.*

Abstulerunt me veluti de spatio *Forijulii* res Antistitis immixtæ cum *Friderico*, non quia ipsas operæ pretium esset perscribere, sed quia causæ fuerunt indignationis Pontificis cum *Bertoldo*: Qui cum ea ratione diras Pontificias incurrisset deprecantibus *Austriis* & *Carinthiis* Ducibus *Romam* cum eisdem profectus ab *Innocentio* quarto veniam meruit. Reversus demum *Utinam*, cum *Tarvisinis* suadente *Hugone Hostiensi* Episcopo Pontificioque Legato pacem iniit, restitutis in patrias sedes *Friderico* & *Artuico Capriacis*: *Henrico Villatæo*: *Dietrico Fontebono*, *Artuico Strasso*, *Rudolpho Suurignaco*, *Conrado* & *Artuico* Castellariis, *Clegnardo* & *Leonardo Xonembergiis*, *Jacobo Budrio*, & *Halderico Pulcenico*: Qui Patriarchæ Imperium detrectantes ad *Tarvisinos* civitate donati desciverant. Et ad ornandum *Utinatem* urbem, quam assidue incolebat, conversus, eam quinque regionibus distinxit: Templum *Divi Odorici* extruxit, in quo custodem & octo canonicos instituit: *Utinenses* incompositos ad quatuor & viginti viros, ut in comitiis Reipu- 22. v.
blicæ negotia decernerent, redegit: Ex quibus duodecim nobiles artem incolentes, & duodecim e foro constituit: *Aquilejensem* civitatem rude-

[Excusatio digressionis, regressioque ad proposita. *Bertoldi* gesta.]

[Pax inita cum *Tarvisinis*.]

[*Utinensis* urbis cultus. Templum Divi *Odorici*.]

[Consilium *Utinense*.]

Societas cum *Aquilejensi*, prærogativæque communicatæ.

deribus obsitam, atque aëre corruptam quod aquæ putrefactæ interclusis alveis infestas paludes noxium virus effundentes fecerant, cum *Utinati* adeo conjunxit, ut utriusque censeretur civis qui alterius esset, ac deinceps utrique communibus privilegiis gauderent, quod quidem jure factum *Butrius* quoque scripsit: Ideoque in obsignatorio *Utinensis* reipublicæ adhuc excisum legitur: *Est Aquilejensis fides hæc urbs Utinensis*: Quo factum est ut postea successores omnes veluti in eam translata sede *Utinatem* civitatem præcipue excoluerint. Et quum multa bona in *Carnunto*, & *Japidia* tam ipse quam parentes *Aquilejensi* Ecclesiæ condonaverint anno tertio & vigesimo Pontificatus *Aquilejæ* moritur. *Gregorio Montelongo* viro potius militari ejus loco instituto, qui cum Pontificius *Bononiæ* Legatus esset, *Ferrariam*, quæ ad Imperatorem desciverat, *Salinguerra* viro fortissimo eam acerrime aliquamdiu defendente, vi cepit: Nec eo desistens *Parmam* cum Pontificiis sociorumque copiis contendit: Quam *Fridericus* coacto ex tota fere *Italia* exercitu ad sexaginta millia hominum jam biennio obsederat, castris instar urbis vallo & fossa hac mente munitis, ut direpta & eversa civitate, in quam magnum conceperat odium, eo loci, ubi stativa habuerat, nummosque conflarat *Victorinos* appellatos, *Victoriam* urbem conderet: Imperatoremque nil tale metuentem egredientibus etiam *Parmensibus* obsessis fudit, ejusque tentoriis potitus fugavit: In quibus coronam maximi pretii & vasa aurea magni ponderis amisisse fertur. Ob hæc tam præclara gesta *Innocentius* quartus eidem *Aquilejensem* Patriarchatum fato functo *Bertoldo* contulit: Qui *Civitatem Austriam* ingressus multa militaria signa ex victoriis reportata in æde sacra in trophæi specimen appendit, Ratus quod *Alexandrum* Regem dixisse ferunt, ex hostium spoliis longe præstantiorem esse templorum ornatum, quam qui ex Smaragdo & Sardoniche: neque id absonum censendum puto si de Christiani nominis hostium spoliis intellexerimus. Cum *Carinthiis* deinde Ducibus & *Noritianis* Comitibus *Aquilejensem* ditionem infestantibus bella gessit, disjecto tunc *Noritiano* ponte pulcherrimo: Citra quem *Leonardus Noritianus* Comes ævo nostro munitissimam turrim ponti imminentem extruxit. Incaute demum *Rosacii* thoro incubans ab *Alberto Noritiano* Comite capitur: Interfecto interim apud *Montem Medeæ* per *Albertum Concordiensi* Episcopo ejus Legato, nudisque pedibus *Noritiam* perductus est, ubi compositæ sunt controversiæ: De quibus in Archivo *Aquilejensi* inter cætera cavetur *Lucinium* & *Cormonem* dirui, ipsumque *Albertum* Comitem cum vexillis duodecim instituit. Anno autem decimo octavo in *Civitate Austria* decedens juxta *Paulini* tumulum sepelitur. *Philippus Carnunti* Dux *Gregorio* defuncto in Antistitem electus est, quem *Gregorius* decimus confirmare noluit, verum omnium consensu eidem administratio sub Præfecturæ titulo demandata fuit: Atque Sedes annis quatuor vacavit. Interim *Civitas Austriæ* a *Joanne Zuchulæo*, *Friderico Pitiano*, nonnullisque aliis capta est: Ipsos introducente per portam Dominicam *Joanne Portæo Civitatensi*: Ditissimi cujusque bona continuo direptarunt: 23. Adversantibus partim captis, partim in exilium ejectis: Sed non multo deinde ab *Othochari Boemi* Regis præfecto, ad id cum exercitu in *Italiam* misso recepta civitas, sumptoque in *Portæum* supplicio in pristinam libertatem sub præfati *Othochari* patrocinio restituta est. Cui superioribus annis *Gregorius Montelongus* Patriarcha feudum

Gregorius Montelongus Patriarcha LXVI. *Ferraria* capta. *Parma* obsidione *Friderici* liberata.

Bellum cum *Carinthiis* & *Noritianis* Principibus, paxque deinde.

Philippus Carinthiæ Dux.

Civitas Austriæ capta atque direpta: dein restituta.

Digressio.

A *Boemica* lingua Selchan, Latina architriclinii munus, quod *Austrius* dux *Fridericus* habuerat, contulit, juramentum Regio nomine exhibente *Bruno Olomucensi* Episcopo. Is *Othocharus Boemiæ* Rex quintus fuit, qui (ut *Pius* Pontifex in *Boemica* tradit) cum Imperium a *Vinceslao* fratre ex mari *Baltheo* suscepisset, ab *Ulrico Carinthio* Principe virili sobole carente *Carinthiam*, *Marchiam Sclavonicam* & *Portum Naonis* emit: Cui se insuper *Veronenses*, *Feltriates*, *Tarvisini* & multi *Forojulienses* subjecere: ea potentia fretus bellum *Pannonibus* indixit, commissoque prælio victor ingentem prædam reportavit: *Stiriam*que provinciam olim *Valeriam* illis ademit: In *Prussia*que, quam veteres *Hulmergiam* vocavere, superatis *Tartaris* urbem *Cunispergiam* condidit: Majora facturus, ni *Rudolphus Habsburgi* Comes Imperator electus, qui ejusdem *Othochari* Præfectus aulæ fuerat, vires repressisset: ipsum enim ab *Austria* & *Carnunto* cæterisque proximis *Italiæ* provinciis dejiciens ad dimittendum Ecclesiæ *Aquilejensi*, quæ in *Carnunto* & *Istria* occupaverat, compulit. Sed dum Imperator eundem in verba jurare majorum more exposceret, id superbo Regi gravius visum tamquam dominus ex servo fieret, exoriuntur novæ lites, exin bellum indicitur: Cumque jam duo exercitus ad mille passus proximi convenissent, veritus *Othocharus Rudolphi* potentiam injustamque belli causam animo volvens legatos mittit, qui se juraturos dicant, si modo intra tentorium Imperiale honoris sui causa *Rudolphus* velit, accepit conditionem Imperator: Suggestus in tentorio sublimis paratur, ibique aureum solium eminentiori loco erigitur: *Rudolphus* Diademate & Imperialibus insignibus conspicuus considentibus Electoribus Imperii cæteris proceribus circumstantibus advenientem Regem sedens exspectat: Ille cum paucis Regni sui optimatibus ingressus conscenso suggestu ad pedes Imperatoris genua flectit, admotisque sacrosanctis jurejurando se adigit: Interea Tentorium arte compositum a summo ad imum in quatuor proscissum partes decidit, Regemque, ut erat in alto loco ad Imperatoris genua supplex, videndum exercitibus præbuit: Stabant circum armatæ acies rei exitum exspectantes, sed quam læti *Teutones* gloriosum Imperatorem intuebantur, tam mœsti tristesque *Boemi* Regis sui vecordiam atque ignaviam excipiebant. Sed redeo unde digressus sum. Vacante *Aquilejensi* Sede *Gregorius* decimus *Raymundum Turrianum* Episcopum *Comensem* Patriarcham creavit. Qui prudentia, fortitudine & munificentia insignis in *Forumjulium* profectus bello jam & fame attritum ab omnibus non secus ac quoddam salutare sidus vel unicus patriæ parens exceptus est: Quinquaginta auratis militibus comitatus, præcedentibus sexcentis viris equestribus desultorios equos singulis, & centum Cathaphractis quatuor alios habentibus. Subsequebantur ante Principem sexaginta *Mediolanenses* patricii adolescentes non minus formæ decore, quam pretiosissimo vestium ornatu, equisque pulcherrimis visendi: Voces variæ cum lætitia & gaudio resonabant undique: Tantam exspectationem vicit felix rerum successus: Ubertatem enim statim conquisito commeatu induxit: Fœdus cum *Noritianis* Comitibus percussit: Cum *Gerardo Caminate* hortatu *Adalgerii Villaltæi* Episcopi *Feltriatis* recepto *Sacilo* pacem composuit: *Venetis* nonnulla *Istriæ* oppida occupantibus, grave bellum indixit, quod per annos duodecim gessit: qui quum *Andream Basilium* cum classe ad expugnandam *Justinopolim* misissent: In qua vali-

Othocharus Rex *Boemiæ* ejusque gesta in *Italia*, *Pannonia*, *Prussiaque*.

Othocharus a *Rudolpho* Imperatore repressus.

Astutum facinus *Rudolphi* Imperatoris *Othocharum* ridicule decipientis.

Regressio. *Raymundus* Patriarcha LXVII.

Fœdus cum *Noritianis* Comitibus. 23. v.

Pax cum *Gerardo Caminate*.

Bellum cum *Venetis* victoria & pax.

validum præsidium Antistes posuerat, eaque ratione frustra oppugnaretur: Missoque demum *Marco Cornelio* cum majori classe, & *Marino Mauroceno* cum copiis à continente urbem vi cepissent, *Raymundus* viribus non animo fractus ad *Rudolphum* Imperatorem de bello consulturus accessit, a quo adjutus multas ipsis clades redactis in potestatem oppidis intulit: *Tergestinos*que fugatis obsidentibus, pluribus cæsis obsidione liberavit, deleta eorum arce *Romania* nuper ad *Tergestinorum* injuriam condita. In ea expeditione *Gerardus Lanceus* homo non parvi nominis, qui *Venetis* militabat, perfidiæ convictus, quoniam de præsidio tradendo cum *Forojuliensibus* egerat, machinamento impositus in Antistitis castra ejectus est. Ferunt ad sex & triginta millia hominum tunc in *Forojuliensibus* castris fuisse. Paceque non multo post cum *Raymundo* per *Thomam Quirinum*, *Petrum Basilium*, *Petrum Zenum*, & *Rogerium Maurocenum* oratores *Venetos* firmata: Quum ex tota *Italia* civilibus seditionibus fluctuante complures nobiles familiæ & tunc & antea profugæ eidem tamquam communi omnium parenti adhæsissent, singulas non secus ac filios ad amplificandam urbem *Utinatem* hortatus, comiter igitur *Mediolanenses* suos extorres excepit *Parentionios*, *Raudenses*, *Cassinates*, *Brugnos* seu *Ottacinos*, *Lissonos*, *Bernardigios*: Nec minus e *Roma Capita ferri*, & *Gajetanos*: E *Florentia*, a qua omnes fere nobiles pulsi erant, *Bardos*, *Ptolemæos*, *Nerlos*, *Cavalcantes*, *Pantianos*, *Bombenos*, *Cataldinos*, *Nanos*, *Rabattos*, *Pyrensium*, *Michaelis*, *Castri Pagani* equitis, & *Noritianorum* progenitores *Melargios*, *Soldonerios*, *Rudolphos*, *Certaldos*, *Giacetos*, *Marchisinos*, *Brunaleschos*, *Albertos*, *Strotios*, *Gerardinos*, *Maninos*, *Vannos*: Quique etiam *Civitatem Austriam* & *Glemonam* incoluere *Bocchos*, *Pinos*, & *Francischinios*: E *Luca Maroelos*: E *Gallia Todeschinos*: E *Parma Baldanos*: E *Cremona Gubertinos*, & *Giroldos*: E *Verona Monticolos*, & *Bredos*: E *Tridento Candidos*, everso eorum castro campo, unde familia nostra Comitatus dignitate ornata est: E *Mantua Passerinos*, & *Finettos*: E *Regio Ravanos*: E *Senis Picolomineos*, & *Tingos belli montis*: Qui omnes non multo temporis intervallo advenerunt: Ex quibus usque adeo populus *Utinensis* nobilitate, divitiis, ac multitudine coaluit, conspirantibus ad commune Reipublicæ bonum compluribus indigenis familiis urbana nobilitate insignibus: ut primus civitatis mœnium ambitus non fuerit capax, quare suburbia muro altero stadiorum quadraginta cingenda statuit: Portis duodecim cum speciosissimis turribus erectis: Quamvis multi & improbe quidem operibus sua imposuerint nomina, non veriti deletis veri authoris signis aliena vel pingere vel sculpere: Portarum autem nomina sunt *Aquilejensis*, *Cussiniana*, *Cæsia*, *Gracciana*, *Poscollia*, *Cascaniana*, *Villaltæa*, *Lazara*, *Quirina*, nunc *Emonia*, *Civitatensis*, *Bona*, & *Ronchia*. Quibus quidem portis duodecim (ut illas duas murorum alas omittam) quibus cætera suburbia a *Gracciano Poscollioque*, duabus insuper intermediis portis, altera *Divæ Mariæ*, altera *Sancti*
24. *Spiritus*, excluduntur. Sex aliæ interiores (cor urbis appellant) eisdem cognomines viis militaribus correspondent, duodecim ferme stadiorum ambitu celebriora loca includentes, vetustioremque imaginem præferentes, qua arce in medio collis erecta in anguloque relicta ab ejusdem radicibus per gyrum ducto opere antiquum oppidum communiunt, quam-

Gerardus proditionis reus.

Diversis ex urbibus excepti nobiles *Utinam* incoluere.

Ambitus *Utinæ* auctus ejusdemque succincta descriptio. Portæ *Utinæ* XII.

A quam adhuc arctioris muri prisci municipii vestigia extent dimidio angustiora, cujus tres solummodo portas fuisse compertum est, unam in fori veteris vertice, alteram in calce, tertiam haud procul a foro novo, juxta eam, quæ hodie extat, *Poscolliam*. Sic versat suas fortuna vices, omniumque rerum exordia a tenui augentur, consistunt deciduntque ac sæpenumero diis bene juvantibus rursus emergunt, sic *Utinati* urbi contigisse credendum est, ut quæ *Aquileja* florente interierat, rursus collabente instaurata sit. In quam quidem deducuntur haud pro-
B cul ex *Turro* amni alvei duo, qui suburbia perbelle a summo ad imum bifariam intersecantes interioremque ambitum amænissimis gurgitibus munientes, limpidissima aqua universæ civitatis jucunditati commoditatique deserviunt. Adjacet præterea ab ortu radicibus collis ab arcis tergo latissimus campus, amplitudinis ferme jugerum triginta, nundinarum spectaculorumque usibus nunc deputatus, viridarium olim Principum. Ab occasu autem arcisque fronte forum vetus annectitur in longum instar circi protensum altrinsecus ad tertiam quartamque contignationem ædibus porticatis prominentibus, unde e specu-
C lis veluti quibusdam mœnianis equestria interdum certamina despiciuntur: In imo cujus quadrato lapide *Basilica juris* dicundi celeberrima erigitur, cum conspicuo e regione nobilium foro: Cui cominus accedit *Forum novum* forma quadrata undique consimilibus ædibus circumseptum, mercimoniis accommodum, ubi tamen pedestria ludicra Dionysiaque quotannis tamquam in theatro festivitate maxima celebrantur. Reliqua *brevitatis* gratia silentio præterii, quibus tam templorum cœnobiorum privatorumque donorum præstantia quam viarum rectitudine latitudineque conspicua, accedente præsertim incomparabili aë-
D ris temperie, *Forijulii* caput merito fit duplici jurisdictione illustre, *Aquilejensis* videlicet Patriarchatus consessu, ac clarissima *Venetorum Prætura*. Sed fortuna felicitatis noverca, quæ amarum quoddam humanis interserit semper negotiis maximum detrimentum superinduxit Vicecomitibus *Mediolanense* dominium pulsis *Turrianis* occupantibus: Quos cum *Raymundus* restituere vellet collecto ingenti exercitu factionis suæ *Utinensium*que præcipue in agrum *Mediolanensem* profectus est, quibus obviam Vicecomites facti cum *Mediolanensium* sociorumque
E copiis apud *Gorgontiolam* & *Vafrum* æquo Marte concertarunt, donec superveniente novo militum auxilio *Raymundus* mille & quingentis ex suis desideratis superatus est. Reversusque *Utinam* cum omnem fere populum lachrymis effusum offendisset, in solatium superstitum *Utinati* Reipublicæ confestim vectigalia omnia civitatis, ut essent pacis ornamenta, & belli subsidia concessit. Puteos quinque mirifica passuum quinquaginta altitudine ære suo ad urbis commodum vetustate collapsos instauravit: Unde æstivo tempore gelidissimæ saluberrimæque
F aquæ hauriuntur. *Tulmerinum* deinde oppidum sane frequens in montanis *Carnis* mœnibus ornavit. In gratiamque Civitatensium *Zuchulam Spilimbergensium* arcem juxta civitatem *Austriam* solo æquavit. *Monasteria* duo *Divi Francisci*, unum *Utinæ*, alterum in *Civitate Austria* magnificentissime extruxit. *Fulcherio Zuchulæo* e *Spilimbergia* familia Episcopo *Concordiensi* ad ejus exemplum alterum in *Portugruario* amplis prædiis ditatum erigente. Et quum per quinque & viginti annos *Forumjulium* rexisset, jam gravis senio e vivis recessit, anno

Pulcher discursus vicissitudinis fortunæ.

Vectigalia *Utinæ*.

Putæi *Utinenses*.

Tulmerinum mœnibus munitum.

Zuchulæ arcis eversio.

Monasteria 24. V. Divi *Francisci* extructa.


Fulcherius Zuchulaus Episcopus *Concordiensis*.

Raymundi mors.

Primeria sancta.

no Christi ducentesimo nonagesimo octavo supra millesimum: Quo tempore *Primeria* A *Forojuliensis* sanctitate insignis multis miraculis decedens apud *Sextienses* floruit.

LIBER SEXTUS.



Utinensem urbem populo, divitiis, ac mœnibus auctam *Raymundi* successores deinceps incolentes perbrevi mirum in modum florentissimam reddidere, Regia namque plerique stirpe oriundi ac Principes non Patriarchatus opes tantum centum & quinquaginta mille aureos ex annuis reditibus excedentes, sed & Principatus tributa magnanime inter Aulicos & cives effundebant: eis munera, magistratus, sacerdotia conferentes, tenuioresque multiplicibus largitionibus foventes. Hinc suffraganei Episcopi summo studio, magno ornatu certatim aulam frequentantes cæteros ad nobiliorem cultum splendidissimo exemplo excitabant: In tantumque honoris fastigium *Aquilejensem* rempublicam extulere, ut ad Antistites Pontificum, Imperatorum, Regum ac Principum oratores gravia pertractantes negotia mitterentur, velutique alter *Romanus* Pontifex veneraretur. Inde *Utina* in dies magis magisque ditabatur, permultisque incolis viris ornatissimis præstabat: ubi nonnunquam præter Antistites ac Jureconsultos centum aurati Equites *Forojulienses* non sine majoris spe incrementi lætabundi commorabantur, quod non vanum duraturi sceptri argumentum existimabant. Firmissimum enim longe Imperium est, quo obedientes opulentique cives gaudent. Pollebat jam inter celebratissimas *Italiæ* civitates, cum in *Raymundi* locum electus fuit *Conradus* Dux *Poloniæ*: Hunc *Bonifacius* octavus Pontifex, qui dare regna & auferre, pellere homines, ac reducere pro libidine conabatur, in Patriarchatu confirmare noluit, eundem *Petro Gero* Archiepiscopo *Capuano* in gratiam conferens, qui cum anno uno mensibus decem vixisset *Utinæ* decedens in arcis sacra æde sepelitur. Post *Petrum Octobonus* Episcopus *Patavinus* institutus est Patriarcha nonus & sexagesimus, qui aulæ communiendæ studio divitibus semel stipendium imposuit, pauperibus liberatis: Satis enim eos pendere censuit, si liberos educent. Ortæ tunc erant exitiales discordiæ inter *Forojulienses*, quibus regio fere omnis bellico tumultu æstuabat: Nec minus a *Carinthiis* Ducibus, *Noritianis* Comitibus, & *Ricardo Caminensi* vexabatur: *Venetis* quoque *Istriam* infestantibus: iis tot intestinis externisque bellis minime consternatus coactis copiis eos omnes intra limites continuit: Oratores *Manfredum Purliliensem* Comitem, qui anno sequenti præturam gessit *Mediolanensem*, ac *Henricum Prampergium* equitem, ad *Benedictum* Pontificem pro componendis *Venetis* cum *Carinthiis* Ducibus misit. *Caminensis* interea capto *Sacilo Spilintergum* obsedit: Cum eo erant *Ferrariensis* Marchio, *Noritianus*, *Ortimburgius*, *Steniciberegius*, & *Collaltæi* Comites, multi *Forojulienses*, *Tarvisini*, *Feltriates*, & *Bellunenses*, *Valteroque* demum *Spilimbergo* equite in fœdus accepto soluta obsidione *Utinam* contendit: Cumque in suburbium *Graccianum* per *Nicolaum Albutium Utinatem* complicibus adjuvantibus inductus esset, *Utinates* sumptis propere armis per

Patriarchalis aulæ celebritas.

Conradus Dux *Poloniæ*.

Petrus Gerus Patriarcha LXI IX.

Octobonus Patriarcha LXIX.

Seditiones intestinæ ac externa bella oppressa.

Ricardi Caminatis expeditio in Patriarcham qui tamen devictus est.

25.

primam portam in suburbium egressi cum *Ricardo* certamen acre ineunt: cædes ingens utrinque editur, dubiusque pugnæ eventus erat, ni supervenientibus ex *Civitate Austria* ad signum fumi auxiliaribus copiis hostes cessissent: Eo B prælio *Valterus* non ignave sese protegens concidit, *Ricardus*que ruente equo præceps in terram datus parum absfuit, quin caperetur, hunc eques qui raptim desiliit in equum subjecit, ipse cum pedes æquare cursu fugientes non posset equites, ab insequentibus confossus periit: Cæsi sunt hostes quingenti, capti equites centum triginta, & trecenti pedites, quos miro plausu in urbem *Utinenses* deduxere. Hac victoria elatus *Octobonus* cum *Utinensibus* nulla injecta mora *Butriense* municipium natura præsidio & commeatu communitum minimo negotio cepit ac diruit, *Porpetium* & pleraque loca *Henrico Prampergio* Equite capite mulctato feliciter expugnavit: C *Sacilum* recuperavit: Cum *Venetis* bella gessit *Joanne Zeno* Legato adversante, cum quibus post sex menses pacatus est. Anno tamen sequenti reversus *Ricardus* instaurato exercitu cum *Noritiano* Comite multa incendia, indecorasque direptiones exercuit, a quibus graviter *Octobonus* abhorrens jam senex & æger dum ad Pontificem proficisceretur in *Arquario Placentini* agri anno tertio decimo animam efflavit: Cum *Clemens* quintus Sacrosanctum Senatum in *Gallias* transtulisset, ubi etiam ad quatuor & septuaginta annos remansit, D magno cum Christianorum incommodo potissimum urbis *Romæ*, cujus templa magna ex parte ob solitudinem corruere, absentibus his ad quos restituere pertinebat. *Octobono Castonus Turrianus*, *Mediolanensis* Archiepiscopus a *Joanne* Secundo & vigesimo Pontifice suffectus est, qui cum *Guelphis* faveret conspicatus Vicecomites *Gibellinos* Duce *Matheo* Vicecomite *Mediolanensi* urbe pulsis *Turrianis* potitos, hunc in Patriarcham *Aquilejensem* promovit, ut ejus auxilio *Turriani* facilius cum cæteris *Guelphis* restitui possent: Adeoque Pontifex in *Gibellinos* exarsit, ut E *Ludovicum Bajoarium* Imperatorem & Vicecomites sacris interdixerit, & *Carolum Valesii* Comitem *Gallorum* Regis *Philippi* filium in *Italiam* induxerit, qui *Guelphis*, *Roberti Neapolitani* Regis discessu oppressis, præsidio esset, & his potissimum, qui apud *Vercellas* cum *Turrianis* erant urbis ditione potitis: Ac subinde *Joannem Ursinum* excitavit, qui *Florentinos* & *Guelphos* omnes in *Ludovicum Bajoarium* confirmaret jam Alpes magnis cum exercitibus transeuntem. Sed sicut Pontificis in *Gibellinos* votum irritum fuit, ita & *Castono* Patriarchatus, cum enim in *Forumjulium* proficisceretur, quo F *Muschinum* fratrem locumtenentem præmiserat, dum *Alpes* transiret non longe a *Florentia* equo excussus crure fracto in eandem urbem delatus octavo mense institutionis periit, ibidem in sacello divi *Joannis Baptistæ* marmoreo sepulchro conditus. Pontifex autem audita morte *Castoni*, ne quid amisisse *Guelphi* viderentur *Paganum Turrianum* Episcopum *Patavinum* Patriarcham surrogavit, apud quem *Dantes Aligerius* poëta insignis *Gibellinos* secutus a *Florentinis Guelphis* urbe pulsus per annum *Utinæ* summo favore commoratus est: Inde ad *Canem Grandem Veronensium* Regulum digressus,

Victoria *Utinensium*.

Eversio *Butrii*.

Clemens V. Pontifex.

Castonus Patriarcha LXX.

Paganus Patriarcha LXXI.

25. V.

Dantes poëta.

sus, cujus ope, quamvis frustra, persæpe in patriam redire conatus est. Qua tempestate tota fere *Italia* armis ardebat dissidentibus *Benedicto* Pontifice duodecimo in *Galliis* agente, & *Ludovico Bajoario* Imperatore diris Ecclesiasticis notato, qui relicta *Italia* in *Germaniam* abiit. Hac ratione unusquisque quantumvis parvus rapere ex alieno conabatur: Hinc *Scaligeri* non contenti *Veronæ Brixiæ Bergomi* Principatu *Parmam* adimere *Rubeis* conabantur, illinc *Gonzagæ Regium*, *Estenses Mutinam*, *Florentini Lucam* infestabant: Cumque *Mastini Scalæ* potentia crevisset, qui *Parmam*, *Lucam*, & *Patavium* dedente *Ubertino Carrario* in potestatem redegerat: Ad tantum dominium exstinguendum omnes pene *Italiæ* Principes & populi conjurarunt: Privatim *Veneti* & *Luchinus* Vicecomes: Cinxerant *Veronam* obsidione *Veneti Gonzaga Estensis*que, dum *Luchinus* alio exercitu *Brixiam* & *Bergomum* in potestatem compulit, at cum timerent ne dum potentiam unius exstinguere parant alterius augerent, pacem hac conditione cum *Mastino* ineunt, ut omisso *Patavio Carrariensibus*, dimissaque *Brixia* & *Bergomo* Vicecomiti, ipse *Veronam*, *Vicentiam*, *Parmam*, *Lucam*que retineret. Pontifex autem suo jure (ut ipse dicebat) usus quod vacante Imperio omnis ejus potestas in ipsum recideret tanquam Jesu Christi superni Regis unicum in terris vices gerentem, veritus ne ab aliquo externo *Italia* invaderetur, *Luchinum* Vicecomitem, *Joannem*que ejus fratrem Archiepiscopum *Mediolanensem Mediolani* urbiumque, quas possidebant, Legatos perpetuos instituit: Eandem quoque potestatem *Mastino Scaligero Veronæ* & *Vicentiæ*: *Philippino Gonzagæ Mantuæ* & *Regii*: *Albertino Carrario Patavii*: *Obizoni Estensi Ferrariæ Mutinæ* & *Argentæ* tribuit. *Bajoarius* vero Imperator contra vicissim ut par pari redderet in ditione Ecclesiastica similes legatos Imperiali decreto sanxit: Nam *Joannem ex Vico* urbis præfectum *Viterbii*: *Galeottum Malatestam Armini*, *Pisauri Phani*: *Antonium Phaletranum Urbini*: *Nolphum* & *Galassium* fratres *Calii*: *Alegrettum Clavellum Fabriani*: *Bulgarutrum Matelicæ*: *Ismedutium* Sancti *Severini*: *Gentilem Varraneum Camerini*: *Michaelem Montis Melonis*: *Pongonium Cingoli*, *quod Piceni* oppidum a. T. *Labieno* constitutum, suaque pecunia exædificatum scribit *Cæsar*: *Nicolaum Boscarettum Esii*: *Guidonem Polentanum Ravennæ*: *Franciscum* & *Sinebaldum Forojulii* & *Cesennæ*: *Joannem Manfredum Faventiæ*, quamquam ex his quidam loca ipsi partim vi, partim benivolentia civium adepti ante fuissent: Nec defuere interim exercitus in *Forojulio* descendentibus *Austriis* & *Carinthiis* Ducibus, ut amicis oppressis opem ferrent. Magnæ tum erat apud *Paganum* authoritatis *Jacobus Fonsbonus* militaris disciplinæ præstantia clari tota *Italia* nominis, quem legimus in *Florentinis* annalibus, dum *Florentia* a *Castrutio Castracane Lucensium* & *Pisanorum* Tyranno urgeretur, cum trecentis equis cathaphractis ac levis armaturæ *Forojuliensibus* non sine ingenti *Castrutii* clade mercede accersitum: Quo Duce & *Castrutii* potentiam compescuere, & *Senenses* prælio civili concurrentes ob duorum e familia *Ptolemæa* necem a *Salimbenis* patratam eo ad ipsos misso ab armis servavere. Hinc tamen postmodum stipendio fraudatus ad *Castrutium* magno illorum dispendio
26. honestissimis conditionibus transivit: A *Pagano* deinde evocatus, ut cum eo contra *Matthæum* Vicecomitem proficisceretur, multa eidem damna intulit, *Galeatium*que *Placentinum* Regu-

Benedicti XII. Pontificis & Ludovici Imperat. dissidia.
Scaligeri.
Gonzagæ.
Estenses.
Diversi reguli constituti.
Jacobus Fonsbonus.

A lum nomine Vicecomitis *Cremam* obsidentem ab obsidione repulit. In tanto rerum tumultu *Odoricus* ordinis minoritani *Portus Naonis* in oppido *Forojuliensi* natus sanctitate insignis effulsit, qui ut plures ad fidem Christi alliceret tanquam alter *Ulysses* orbem terrarum non sine maximo labore pervagatus est. Declinare hic plus justo ab rerum ordine juvat, ut viri nostri memorabilis itinerarium non omittam, quo legentes forte fessi in hæc velut diverticula amœna secederent. Is postquam *Europam* fere omnem peragravit per *Pontum Euxinum* in *Trapezuntem* vetustam admo-
B dum civitatem a *Græcis* in extremo *Ponticæ* oræ conditam se contulit, *Persarum*, *Medorum*, multarumque gentium emporium: Ubi vidisse scribit hominem ex oppido *Zancha* trium ab eo dierum itineris quatuor mille perdices ampliusque volitantes ad Imperatorem ducere, ex quibus pro libito accipiebat, reliquis quiescenti circumsilientibus. Hinc in *Armeniam* Majorem transiens *Achercam* urbem olim magnam nunc pene a *Scythis* eversam divertit: Cui mons impendet altissimus, indigenæ *Arath*, alii *Agam* vocant, ubi cum diluvium subsedit *Archam Noë* primum hæsisse sacra quoque tradit historia, ex eoque
C *Phasis* & *Lycus* in mare *Ponticum*, *Cyrus* & *Araxes* in *Caspium*, *Euphrates* & *Tygris* in *Persicum* exeuntes emergunt. Inde vicenis a *Babylone* diebus ad urbem *Tauris* permeavit, juxta eam mons est nativi salis, in quo lapidicinarum modo cæditur renascens, ut in *Indis Oromenus*. Ab eo ad *Suthaniam* Regis æstiva agentis sedem decem dierum iter. Supputantur autem *Herodoti* testimonio in singulos itineris dies ducena stadia, diei vero & noctis navigatio quadraginta supra mille: Quamquam jureconsulti non absque ratione aliter censeant, vicena enim millia passuum in singulos dies dinumerant. Inde ad orientem con-
D versus multis diebus ad civitatem appulit *Chaysan*, in qua Reges magos convenisse affirmant, cum ad adorandum Christum in *Bethlem* cum muneribus profecti sunt. In urbem postea magnam *Gesthin* contendit, harenis proximam, solitudines ipsas esse *Palmyrenas* opinor, *Petram* oppidum & *Felicem Arabiam* pertingentes. Inde *Comum* perrexit, ubi non longe *Mithridates* a militibus *Luculli* captus, dumque prædæ aurei cumuli ex confossa consulto sarcina fluentis avidissime intenderent neglectus evasit ad *Tygranem* confugiens. Inde varias percurrens urbes *Jop Persarum* extremum oppidum divertit man-
E na nobile, ubi forum negotiaque fœminæ, viri pensa ac domos curant. A *Perside* transiisse memorat in *Chaldæam*, quamquam vero similius est iter facientem in *Indiam* per *Carmaniam* potius quam per *Chaldæam* ivisse, breviori scilicet via: quoniam *Chaldæa* longe seposita dextrorsum ad *Mare Rubrum* vergit, ideoque *Carmaniam* mallim quam *Chaldæam* legere. Inde per *Ichtyophagos*, *Oros*, & *Gedrosios*, ad *Mare Indicum* progressus *Ornes* celeberrimum emporium vidit, *Taxilla* forte civitas est intra *Indum* atque *Hydaspem* maxima, ubi navigia sunt sine ferro clavis li-
F gneis cordulisque ea (ut creditur) ratione contexta quod juxta *Indum*, per quem navigatur, mons est naturæ, ut ferrum omne teneat, a quo non longe alius est, ut omne idem respuat, itaque si sunt clavi in calciamento vestigia ferunt avelli in altero, non posse in altero sisti. Post hæc octo & viginti diebus mari vectus *Tonam* petiit civitatem *Pori* olim Regis, qui cum *Alexandro* conflixit: Sita est ultra *Hydaspem* quatuor in latitudinem stadia diffusum, profundo alveo nusquam vada aperiens, eo in loco *Alexander*,

Digressio in itinerarium Divi Odorici Forojuliensis qui universam pene Asiam peragravit.
Trapezus.
Mirum.
Acherea.
Arath.
Archa Noe.
Phasis fluvius.
Lycus fluvius.
Cyrus fluvius.
Araxes fluvius.
Euphrates fluvius.
Tygris fluvius.
Tauris urbs.
Oromenus mons.
Suthania.
Supputatio itineris diei.
Chaysa urbs.
Gesthis urbs.
Palmyrena solitudines
Comus urbs.
Jop oppidum.
Mos.
Chaldæa.
Carmania.
Ornes emporium Indiæ.
Mirum.
26. v.
Tona urbs.
Hydaspis fluvius.

unde ad trajiciendum flumen moverat urbem condidit, aliamque ubi pugnatum: Primam *Nicæam* a victoria parta, alteram *Bucephaliam* in memoriam *Bucephali* equi ibi exanimati appellavit,

Nicæa, Bucephalia urbes.
Mos.

Incolæ ignem, ſerpentes, & arbores vice numinis colunt: Regio ſublimes *Leones*, prægrandes Simias, Noctuas ad Columbarum, & Mures ad Canum magnitudinem fert: In qua ſicut & in reliqua *India* animantes tam quadru pedes quam volucres multo ſunt aliis grandiores præterquam equi, nam ab illis vincuntur, qui ſunt in *Nyſeo Medicæ* regionis agro.

Martyres.

In hac profide Chriſti martyrium paſſos narrat *Thomam Tolentinatem*, *Jacobum Patavinum*, *Demetrium* & *Petrum Senenſes* minoritanos, quorum oſſa veneranda colligens in *Palumbum*, ubi naſcitur *Zinziber*, ac deinde in *Zaythum* claras urbes conceſſit:

Palumbum, Zaythum urbes.

Eo loci piperis nemus dierum decem & octo itineris: Ibi ſunt flumina crocodilos generantia *Aceſines*, *Hydraothes*, atque *Hyphaſis*, duoque oppida *Flandrina* & *Zinglia* perpetuis inter ſe præliis diſceptantia:

Aceſines fluvius. *Hydraothes* fluvius. *Flandrina, Zinglia* oppida.
Mirum.
Mos.

Bovem adorant, cujus lotio proceres faciem abluunt, adorant & monſtrum, ejus pars ſuperior homo, inferior bos: Huic ſæpe filios nefandiſſimis ſacrificiis immolantes ſuperſtitioſiſſimi homines mactant: Cum maritis uxores juſtis funeribus confectis una cremantur, vino abſtinent viri, mulieres abutuntur, hæ caput & genas tondent, illi crines barbamque nutriunt. Hinc decem dierum iter eſt ad regnum *Moabar*, ubi corpus *Thomæ* Apoſtoli veneratur, per quem *Medi*, *Perſæ*, *Hircani*, & *Bactriani* Chriſtianæ fidei ſacramenta acceperunt:

Moabar Regnum. *Thomas* Apoſtol.
Mos.

In quo ſimulachrum inſtar *Coloſſi* aureum adoratur, delubroque lacus ineſt, in quem peregrinantes aurum vel argentum aut gemmas projiciunt: tantoque nonnunquam furoris œſtro concitantur, ut multi in gratiam ſibi mortem conſciſcant, ea ratione defuncti pro Divis habentur. Inde verſus meridiem quinquaginta dierum noctiumque velifico navium curſu ad Inſulam *Lamorin* penetravit, ubi amiſſo Arctico Polus Antarcticus inſpicitur:

Lamoris Inſula. Polus Antarcticus.

Id & *Nearchus*, cui *Alexander* navigationem ab *Indi* oſtio per Oceanum ad *Perſicum Mare* demandavit, dum *Indiam* prætervéheretur obſervaſſe ſcribit: Variantes enim umbras ſtellaſque antea ſemper ſublimes alias omnino abſconditas eſſe, alias juxta terram exortas extemplo occidere conſpexit: Quod ætateque noſtra diligentius *Luſitanis* compertum eſt:

Mos.

Incolæ nudi ob ſolis ferventiam incedunt: Mulieres habent communes, humanis corporibus veſcuntur, Auri, Camphoræ, Aloes, rerumque ad victum fortunata. In proxima *Sulmothra* Inſula candente ferro in ſignum nobilitatis inuruntur. Huic accedit Regnum *Boterigum*. Inde ad Inſulam *Javam* ambitus ter mille millium delatus eſt, in hac Cubebe, Camphora, Melagetæ Myſticæ nuces vulgo muſcatæ, & multa aromata naſcuntur, omniumque vino excepto affluens: Regem habet cui ſeptem inſularum Reguli parent: Huic Regia eſt gradibus aureis & argenteis alternis inſignis, parietibus ac laquearibus cum heroum hiſtoriis margaritis auroque ornata.

Sulmothra Inſula. *Boterigum* Regnum. *Java* Inſula.

Non procul eſt Inſula *Panthema*, in qua nonnullæ farinam & liquorem dulcem arbores, aliæque præſentaneum venenum ferunt. Eſt & ad meridiem mare, in quo nihil ſupernatat: Lacum eſſe quemdam vaſtum in ſpeciem ſinus maris ſcribit *Megaſthenes* ultra

Panthema Inſula. *Mare mortuum.* Mirum.

27. *Hyphaſim* amnem a *Silla* flumine per *Indicos Sileorum* fines derivantem, nullam quantælibet levitatis rem ſuſtinere: nihilque in eo innatari, nec ipſum navigari poſſe, ſed mergi omnia ad pro-

A fundum, cunctiſque rebus infirmiorem eſſe & aquam habere ſpeciem aëris. Mirum ſcribit de Arundinibus, quarum aliquæ adeo proceræ efferuntur, ut quinquaginta paſſus excedant, aliæ radicibus humi repentes in mille & amplius protrahuntur: iis domos tegunt, & vela navibus explicant, navigiaque è ſingulis earum internodiis fiunt, in quibus lapides magnæ virtutis reperiuntur.

Mirum de arundinibus.

Hinc multorum dierum remigio navigavit Regnum *Zappa*, ubi elephantum quatuordecim millia Rex alit: Ad littus certis ſtatiſque diebus piſces innumeri accedentes ſe triduo piſcantibus exhibent, poſt hos & aliud

Zappa Regnum.
Mirum.

B piſcium genus, & deinde aliud: Ibique teſtudines inſtar orbiculati fornicis magnæ conſpiciuntur, quarum ſuperficie familias habitantium contegunt: ædes qui opulentiſſimi ex iis ſunt extruunt oſſibus piſcium, fores latioribus faciunt, tecta grandioribus coſtis contignant. Adnavigavit & *Nicuneram*, ubi Rex Inſulæ torquem carbunculo fulgentiſſimo pedem excedente, ac trecentis pollicari craſſitudine margaritis inſignem geſtat, cæteri nudi incedentes bove aureo vel argenteo in ſignum ſimulachri quod adorant frontem ornant.

Nicunera Inſula.
Mos.

Hinc ad *Sillam* duorum millium milliarium ambitu acceſſit: In qua lacus eſt gemmarum ſerpentumque ferax.

Silla Inſula.

C Ad Inſulam dein *Candinam* evectus ab inhumano ritu abhorruit, quo patres filiorum, filii patrum, conjugeſque cadavera epulis abſumunt: Dum enim a ſacerdotibus, quibus fidem adhibent, ægrotos perituros intelligunt nulla interjecta mora eos necant, laniata corpora ſuprema pietatis officia exhibentes cum agnatis epulantur: quod etiam apud *Pordæos Indiæ* populos *Herodotus*, apudque *Eſſedones Scythas*, *Pomponius* & *Solinus* obſervari tradidere.

Candina Inſula.
Mos.

Et dum ulterius progredi nollet omiſſa navigatione ad meridiem, in qua ab incolis percepiſſe ait innumeras inſulas eſſe

D per Oceanum in Orientem ad ſuperiorem *Indiam* ſe convertit: In hac duo millia inſignium oppidorum ampliuſque enumerantur: Nec mirum videri debet: *Alexandri* enim magni comites in eo tractu *Indiæ*, quem ſubegerant, quindecim millium oppidorum fuiſſe, *Indiam*que tertiam partem eſſe terrarum omnium ſcripſiſſe author *Plinius*: In qua gentes duodeviginti centumque *Megaſthenes* apud *Indicos* Reges commoratus prodidit: Multitudo innumera, propterea quod *Indi* prope gentium ſoli nunquam armis emigravere fines.

India ſuperior.

In *Ceuſcalam* deinde urbem amni

E interfluo xxx. milliariis a mari conveniens incolas vidit viperinis carnibus inter exquiſitiores veſci: Inde oppidum *Zathon* profectus Cœnobio minoritano oſſa martyrum quæ præſcripſimus ſapientiſſime repoſuit: Hic inter multa Gentilium monaſteria præcipuum eſſe tradit, in quo ter mille divino cultui addicti undecim ſimulachrorum millibus immanis magnitudinis, paucis exceptis horis ſine prætermiſſione ſacrificant.

Ceuſcula urbs.
Mos.
Zathon oppid.

Hinc ad Maritimam urbem *Fuzam* xxx. milliarium ambitu ſe conferens gallos gallinaſque ingentes lanam pro pennas albiſſimam habentes conſpe-

Fuza urbs.
Mirum.

F xit, octoque ſupra decem dierum itinere admiratus eſt pulchrum naturæ variantis opus, homines animaliaque nigerrima in una cujuſdam montis parte, in altera omnia ejus generis candidiſſima inde multorum dierum ſpatio *Canſajam* tranſgreſſus, ambitu centum milliarium, ſita eſt ut *Venetiarum* civitas in lacunis, quas maximus amnis influens late effundit. 27. v.

Canſaja urbs.

Inde ad octo milliaria ſunt & aliæ urbes magnæ. Ab hac ſex dierum itinere *Cilemphe* quadraginta milliarium circuitu diſtat: In qua trecenti & ſexaginta pon-

Cilemphe urbs.

Dotalajus fluvius. Regio Pigmæorum. Tachara urbs. pontes quadrati lapidis eminent. Inde flumen *Dotalajum* trajecit, quod ubi anguſtiſſimum, ſeptem continet milliaria, per regionem *Pigmæorum* labitur, quos a gruibus infeſtari *Homerus* prodidit: Horum civitas *Tachara* ſalubri cœlo ſemperque vernante montibus extremis *Indiæ* ab Aquilone oppoſitis ſita. Nec iſta quoque a vero cenſenda ſunt aliena, cum apud priſcos etiam tantæ urbium & fluminum vaſtitates legantur: Palimbotra urbs. Civitatum enim *Indiæ Palimbotram* maximam in terra preſſiorum ad concurſum *Gangis* & *Eranoboæ* utrumque latus, qua præſertim in longitudine protenditur, octogenum ſtadiorum, latitudo ejus quinum denum, ſeptingentas & quinas denas turres mœnibus ſtructas, portas quatuor & ſexaginta habuiſſe tradit *Arrianus*. Ganges fluvius. Amnes vero plures quam in reliqua *Aſia*, quorum *Ganges* ubi minimus eſt centum ſtadiorum, ſed multis in locis tam late campos fluitante alveo inundet, ut nec tellus nec ubi extent clivi conſpici Indus flumen. Eranoboas fluvius. poſſit: *Indus* etiam & *Eranoboas* tertius magnitudine *Nilo* ac *Hiſtro* conjunctis aquis majores: octo denique & quinquaginta navigabilia flumina enumerat *Megaſthenes*: Quomodo autem nunc vocentur, quæ antiquitus produntur, difficile eſſet perveſtigare, immutatis omnibus fere nominibus, deletiſque plurimis civitatibus, atque aliis conditis. Longo deinde itinere civitati Janzay urbs. *Janzay* applicans oppidum in ſummo fluminis Menzun. inviſit *Menzun*. Inde pluribus diebus in civitaBenzina urbs. tem *Benzinam* ſuper fluvium *Caramoram* ſe recepit, Caramora flu. qui *Cathajum* interfluit: perque non paucas percurrens regiones appulit ad urbem *Suzumatam* Suzumata urbs. ſerici copia memorandam. Progreſſus eſt poſtmodum in *Cathajum* ad civitatem *Canbelechiam* Canbelech urbs. quadraginta milliarium ambitu, ubi Canis ille Magnus (ſic enim Imperatorem appellant) Canis Imperator Magnus. regiam duobus & xxx. ſtadiis amplam incolit: Cujus periſtylium quatuor & viginti columnis aureis ornatur: Areaque phengite lapide ſtrata fornicem habet Octogonum auro gemmiſque contextum ſerpentibus aureis per angulos prominentibus, ex quibus potus regius defertur, juxtaque ipſos plura ſunt vaſa aurea, ut omnes pro libito bibant. Multaque de Rege, de proceribus, de ejus Imperio, & exercitus ordine Mirum. ſcribit, quæ longum hic eſſet recenſere: Chartis pecuniarum loco obſignatis in regno utuntur, quod in duodecim Principatus dividunt. Magna profecto facta eſt morum mutatio ab his, quos antiqui prodiderunt, qui *Scythas* ferme omnes paſtorales eſſe affirmarunt, & propemodum intractabiles, nec horrida ſeptentrionis ora eos admittit mores, quibus vel *Græcia* olim claruit,

A vel *Italia* nunc floret. At certe *Cathajum* ipſum, quod tantopere laudant, minus ſeptentrionale eſt quam pictura demonſtrat: nam quicquid ultra *Jaxartem* colitur (ſi *Ptolemæo* fides) ultra ſeptimum clima protenditur, & parallelum tranſcendit, qui deſcribitur per *Boriſthenem* fluvium, quem Neper accolæ vocant: Boriſthenes flu. Niſi reſpondeat aliquis *Magni Canis* Imperium & ultra & citra *Jaxartem* extendi, ac *Gordianos*, *Bactrianos* & alias gentes uſque ad *Indiæ* atque *Ariæ* montes comprehendere. *Cathajo* divertens in meridiem quinquaginta dierum itinere per multas tranſiens civitates Regis *Præſtani* pervenit in *Chayſam* amB plitudine copiaque rerum regionem inſignem: Chayſa Regio. In qua frequentiſſime habitatur, adeo ut oppidum egredientes alterius portas proſpiciant: Hic naſcitur Reubarbarum. 28. Inde ad Regnum *Thiboch* fertiliſſimum iter direxit: Thiboch Regnum. ubi commoratur Pontifex ſtatuens ſpectantia ad eorum ſacerdotium. Scripſit hæc vir ſanctus accurate & obteſtatus eſt ſeveriſſima & quæ oculis perluſtraverat tradidiſſe, quamvis plura tranſcripſerim quam credant multi, non enim affirmare auſim, de quibus dubito, nec ſubducere quæ accepi: Ex ingenio ſuo quiſque demat vel addat fidem. Hæc tamen omnia *Joannis Mandevillæ Britannici* equitis, & C *Marci Pauli Veneti* libris concordant, quibus viri egregii dum ea loca peragraſſent Itineraria apposuere. Et reverſus in patriam vix & ægre a ſuis cognitus adeo ei immutata facies erat, inculta barba, corpuſque totum propter aſſiduos longiſſimi itineris labores illuvie ſqualidum & incurvatum, cum vitam ſanctiſſimam tranſegiſſet, *Utinæ* decedens multis miraculis claruit: ob quæ *Utinenſes*, *Forojulienſes*, exterique ipſius corpus ſacrum ab illo tempore veneratiſſime coluere: Cujus frequentia permotus *Paganus* Patriarcha eidem ſepulchrum Alabaſtriti marmoris ſpecioD ſum aræ ſub ipſius *Odorici* nomen in æde Divi *Franciſci Utinati* ſumptuoſe extruxit: Juſſitque *Meliorantio* Canonico *Utinenſi* & *Mapheo Caſſino* ut miracula exacte perquiſita ſcriptis mandarent: *Guidoni Candido* Epiſcopo *Mutinenſi* negotium dans ut apud Pontificem curaret ipſum catalogo Sanctorum aſcribi. Quod tamen morte præreptus non effecit, iis diebus *Paganus Vallem Iſtriæ* oppidum cœpit, ad quod recuperandum *Veneti* protinus *Juſtinianum* è gente *Juſtiniana* cum exercitu, & *Andream Michaëlem Arbenſem* Comitem cum claſſe in *Iſtriam* miſere, cum quiE bus paulopoſt Antiſtes reſtituto caſtello pacem iniit, & cum annis tredecim in Patriarchatu vixiſſet ſeptuageſimo exactoque anno è vita deceſſit.

LIBER SEPTIMUS.



Uti Civitates ac reſpublicas ab initio recte conſtituere, conſtitutas in ampliorem fortunam & opes evehere ſtudent, eos curare id imprimis decet, ut diis ſuperiſque ſuus exhibeatur honos. Neque enim juſtius aliquibus impenditur, quam quibus omnia debemus: Et id denique Imperium amplum diuturnumque ſemper floruit, quod religione Deorum ac pietate ornatum fuit: Dominus namque eſt omnium rerum ac miſerator Deus, eaque quæ geruntur ejus

geruntur ditione atque numine: Iſque optime de genere hominum meretur: & qualis quiſque ſit intuetur, piorumque & impiorum habet rationem: adeoque placere Deo religionem *AuF guſtinus* affirmat, ut in falſa quoque religioſos ſit miſeratus: hic *Apollinea* oracula, multaque apud Ethnicos *Sibyllarum* & vatum admiranda: Hac ratione *Moſes Hebreæ* legis lator, *Lycurgus*, & *Solon Græcarum*, ac *Pompilius Romanarum* cerimoniarum inſtitutores populos ad quæcunque myſtica Dei ſacra excitarunt: Quibus omnia ferme donec rite ſancteque cœleſtem opem implorarunt ex ſententia ſucceſſere: Ad perficienBertrandus Patriarcha LXXII. dum igitur *Utinæ* apparatum præcipuus *Bertrandus* Antiſtes divinitus affuit, ædes ſacras, cœno-

J. Candidus. D 2 bia,

bia, & xenodochia erigens, collapsa instaurans, divinumque cultum adeo excitans, ut jam civitas universa unicum esse religionis collegium
28. v. appareret. Ita enim comparatum est, ut qualescunque summi viri fuerint, talis sit quoque reliqua civitas, quæ sicut cupiditatibus Principum infici solet tota, sic emendari & corrigi continentia. Claris fuit natalibus oppido Divi *Genasii Caturcensis* Diœceseos, qui cum utroque jureconsultissimus annis decem & septem supremo causarum auditorio præfuisset a *Joanne* secundo & xx. Pontifice secundus & septuagesimus Patriarcha creatus est. Vir omni virtutum genere præstans, cujus cætera gesta quoniam ipsemet epistola ad *Guielmum* Decanum *Aquilejensem* memorat, non aliter quam per insertionem in hanc sententiam tradam.

Epistola Divi *Bertrandi* de ejus gestis.

Dum Aquilejensis Ecclesiæ legibus tuendis publicæque libertati servandæ invigilamus, nullos unquam etiam gravissimos labores impensasve subterfugimus, a Comitissa enim Noritiana Sacilum quadringentis marchis redemimus: Metunam, quam Ricardus Caminensis occupaverat, recuperavimus: Avianum & Turrim a Purlilienfibus Comitibus non modica pecunia recepimus: Castella Istriæ nonnulla numeratis Comitissæ prædictæ Marchis quadringentis quinquaginta habuimus: Nec te latet quot labores & sumptus bello, quod cum Venetis gessimus, impendimus: Quibus cum post multas victorias Divina ope partas curante Concordiensi Episcopo eo jure in arbitros ivimus, ut interim Propola, Valle, Ignano, quotannis Marchas CCXXV. *numorum Aquilejensium, quæque Pagano promiserant Antistiti persolvant: Inducias cum Caminate, qui te Legato bellum Aquilejensi Ecclesiæ redintegraverat, fecimus. Ubi vero nobis e Labaro revertentibus, qui magno procerum cætu Othonem Ducem Austri m convenimus, nuntiatum est Ricardum cum exercitu prædabundum in Forumjulium pervenisse, passimque ibi diripi atque incendi villas, coactis copiis ad sanctum Vitum appulimus, dein in hostem contendimus, habitaque de ipso victoria insigni, mærore obrutus sine prole virili obiit, ejus bonis Fisco Aquilejensi devolutis: Non expedit Noritianum Comitem victum recensere, postquam ejus copiis interceptis Bravolinum eversimus: Ventionumque in potestatem redegimus: Rebus Aquilejensibus compositis Carolum Cæsarem Aquilejæ apparatu splendido excepimus: Bartholomæo Tirolensi Comiti & Joanni ejus fratri: Episcopoque Tridentino, quos per mensem cum septingentis equis suscepimus, Fiscalia antiqua contulimus, cum autem Noritianus Comes adjuvantibus Comitibus Corictanæ Insulæ, Veglam vocant, Georgium divinum vectigalem nostrum aggressus esset, mox factis cum eo induciis in agrum nostrum hostiliter contenderit: Nos nostris, auxiliaribusque Caroli & Joannis copiis Cormonem tendimus, diebus ibi decem commorati: Inde castra Noritiæ sacratissima Nativitatis nocte admovimus: Hinc direptis hostibus recedentes Belgradum & Laticianam cepimus: Quibus est rebus effectum ut Comes inducias annuas postulaverit, nosque ei concesserimus. Sed quam inexhaustam pecuniæ vim effudimus optime noscis, quingentis ampliusque aureis quotidie impensis. Ter Venetiis fuimus, ut Veneti suis locis contenti bona Aquilejensis Ecclesiæ dimitterent: Cavolanum ditioni nostræ adjecimus: Franciscum Villaltæum Paterno judicio adversantem compescuimus: Sed & quadraginta diebus Pintianum obsedimus, ut in Manfredum complicesque miserandæ necis Francisci Pintianuli & Soncini graviter (ut par erat) animadverteremus: Post Inducias Noritianum Comitem Forumjulium ingressum repulimus, copiis no*
29. *stris partim apud Mantianum, partim apud Laticianam divisis, quindecim aureorum millia tribus mensibus impendimus: Jussu Pontificis anno insequenti ad Pannonum Regem magnis sumptibus accessimus, quos Paulinus Tabellarius noster fando coram ostendet, pluraque in recuperatione Cadubrii contulimus: Filiumque Bajoarii in nos irrumpentem fudimus: Viginti millia aureorum pro Octobono Patriarcha Pontifici persolvimus: Archam marmoream, in qua recondi patronorum nostrorum reliquiæ debeant, cum cruce capiteque argenteis, atque apicem Campanariæ Turris Aquilejensis exstruximus: Sacellum ædis maximæ Utinensis ascendit ad quadringentas marchas: Virginium Nicolai, in quo viginti sanctimoniales clausimus, a solo cum opportuna prædiorum accessione ereximus: Castellum Raymundum latronum specum munitissimum sumpto de prædonibus supplicio igni absumpsimus, conciliis duobus celebratis multas leges Ecclesiasticæ libertatis edidimus: Varmæis castellum Varmum, quod Hermagoras Turrianus occupaverat, restituimus: Clusiam arcem, nunc ideo Bertrandam, & Moscardam miro studio a fundamentis exædificavimus.*

Hactenus ex Divi epistola: Cui haud ab re subnectendum censuimus, quam apte *Forumjulium* in quinque regiones distinxerit, ita *Veneto* exigente bello, quo facilius sub suis quisque Ducibus in arma coirent, cujus exemplum *Utinam* nostra tempestate servatum esset, ut neque alienæ regiones indignis subjicerentur, neque perfidiæ unius universi committerentur: Proculdubio enim ab omni bellico furore illæsi fuissemus. Prima igitur Regio *Aquilejæ* urbi decreta, cui *Montisfalconis* agrum adjecit, & quicquid à *Via alta* ad *Tiliaventum* protenditur: Huicque præfecit *Nicolaum Castellium* cum *Henrico Strasoldio*, & *Pallea Varmæo*. Secunda *Utinensis*, continens quicquid citra *Tu rum*, *Judrium*, *Viam altam*, *Coloretum*, *Melsum*, & sanctum *Danielem*, *Tiliaventum*que comprehenditur, præfectusque *Fridericus Savorgnanus* cum *Odorico Villaltæo* & *Friderico Morutio*. Tertia *Civitatensis* intra *Turrum* & *Judrium* cum *Sclavis* & collibus *Philippo Portæo*, *Joanni Cucaneo*, & *Hermanno Atempsæo* Legatis: Quarta *Glemonensis a Tarcento* & sancto *Daniele* cum *Montana* Carnorum ora *Artuico Prampergio*, *Asquino Coloretæo*, & *Conradino* tradita. Quintam vero quicquid est ultra *Tiliaventum* constituens *Pregonio Spilimbergio*, *Brizalio Purliliensi*, & *Nicolao Pratensi* subjecit: Reversus & ad Togæmunia *Utinensium* Senatum, qui adhuc *Bertoldi* decreto sub quatuor & viginti regebatur cum nimis parvus reclamantibus præcipue novis civibus & plebe videretur, in majorem numerum redegit, consideransque multas apud gentes rerum publicarum formas extitisse, tresque ex omnibus ab eis, qui utantur, summe laudatas, nec ullam tamen earum fuisse sinceram, verum pestem adesse quamdam unicuique ingenitam, conversionesque etiam naturales teste *Platone* rebus publicis inesse, ita ut difficilis optimæ electio, aut enim civitates ab uno gubernantur, aut a paucis optimatibus, aut a populo, itaque neque per unius, neque per paucorum, neque per populi Principatum administrationes per seipsas esse bonas: Monarchia enim si sit arrogans facta, & sequi incipiens tyrannicas appetitiones, a paucis viris strenuisque destruitur, paucorum vero principatus ex optimis viris constans cum est divitiis sodalitatibusque elatus nec justitiæ nec aliarum virtutum ullam rationem habet, a populo prudente dissolvitur, populus autem continens & ex lege administrans cum 29. v.
inordinatus esse incipit & inique agere ab illustri aliquo vi occupatus ad justum æquumque redigitur:

Forumjuliensis Regionis divisio.

Instituta politica.

gitur: Proinde ex omnibus his mixtam quamdam constitutionem deligens ex universis familiis, quæ genere & spectata virtute præstabant, quoscunque vigintiquinque annum attingentes conscribi fecit, qui postquam coram septem viris juraverint, se boni civis munere functuros, ipso sint jure consilio adjecti, statuitque ex qualibet regionum quinque interioris ambitus Trinos viros per regionarios singulos deligi, totidemque & singulis suburbiis quinque, qui cum suburbanæ plebis præfectis in concilium accederent, atque ita quinque ac triginta tenuioris fortunæ viros patriciis addidit, ex quibus omnibus Senatus conficiebatur, veluti ex pluribus membris corpus totum: iis tam scite dispositis omnes in concionem accersiit, suasitque ut immortali Deo preces offerant, quibus præsertim benevolentia Divina comparatur, quæ cum adest, omnia hominibus in melius feruntur, deinde ut prudentiam ac justitiam servent, ob quas minus lædentes se invicem homines magis sunt inter se concordes, neque turpissimis voluptatibus felicitatem, sed honesto metiuntur, postremo eos ad generositatem excitans ut graviter & magnanime omnia auderent, noscantque se ab *Aquilejensibus* viris illustribus ortos, nil nisi condignum atque amplum complecti debere: Cujus quoque monita utinam diligenter ac diutius *Utinenses* observassent.

Utinensium victoria.

Nec multo post *Utinenses Botistanium* & *Bellunum* cœperunt, *Faganeam*, Sanctum *Danielem*, *Pyras*, *Morutium*, *Tricanum*, & *Frambrum* per deditionem recipientes: Eversoque *Susanno Bugiam* fame domuere, multaque alia castella vicique aut deleta hostiliter aut integra in potestatem redacta, quandoquidem *Henricus Ortimburgius* Comes, *Antius Duinius*, *Geboffus Turimbergius*, *Votus Manger*, *Contius Sturiant*, *Avsperger*, & plerique *Germaniæ* proceres *Utinensium* stipendiis militarent, ne per singula regionis municipia discurrens castellanos fere omnes commemorem, qui eisdem auspiciis diversis temporibus mercede allecti arma sumpsere.

Beachinus Comes. *Purliliarum* Turris oppidum. *Castellutii* eversio. *Bertrandus* proceres externos CLXX. allexit.

Interea *Beachinus Purliliensis* Comes *Portus Naonis* præfectus auxiliari a *Spilimbergensibus* manu accepta *Turrim* juxta *Portumnaonem* occupavit *Castellutium* quoque *Utinenses* ejecto *Hermagora Turriano* everterunt. *Bertrandus* autem & ultra montes prospiciens, *Herdegurium* & *Bardenium Pictanios* proceres: *Urlicum Phanabicensem* Comitem, *Othonem* & *Albertum Austrios* & *Carinthios* Duces: *Sophiam Hermanum* & *Othonem Ortimburgios* Comites, *Joannem* & *Albertum Noritianos* Principes, *Conradum Sephenstaynerum*, *Fridericum Cilium* Comitem, *Fridericum Senechensem* Comitem, *Henricum Randechium*, *Vinterum Gothoneum*, Monachos Minchidorfios, atque alios centum & septuaginta proceres ad fisci res *Aquilejensis* agnoscendas allexit.

Digressio de creatione *Carinthii* Ducis lepidissima.

Sed quoniam *Carinthium* Ducem Antistitibus nostris obnoxium diximus, operæ pretium videtur excedere paululum ad enarrandum ritum, quem in creatione ipsius observari scribit in *Europa* sua *Pius* Pontifex; is enim quotiens novam Reipublicæ administrationem init solennitatem nunquam alibi auditam observas. Non longe ab oppido Sancti *Viti* in *Carnunto* vetustæ civitatis reliquæ visuntur, cujus nomen temporis abolevit antiquitas, juxta in pratis late patentibus marmoreus lapis erectus est, hunc rusticus ascendit, cui per successionem stirpis id officium hereditario jure debetur, ad dextram vacca nigri coloris extat, ad sinistram deformis equa: Frequens circa eum
30. populus, & omnis rustica turma: Tum Princeps ex adversa pratorum parte procedit, pur-

A purati circum proceres ambiunt, vexillum ante ipsum & insignia Principatus gerentes, *Noritianus* Comes Palatii præfectus inter duodecim minora vexilla præcurrit, reliqui magistratus sequuntur, nemo in eo cœtu non dignus honore videtur, nisi Princeps ipse præ se rustici speciem ferens, agrestis ei vestis, agrestis ei pileus, calceusque & baculus in manu gestantis pastorem ostendit, quem postquam Rusticus ex lapide venientem conspicatus est, sermone *Sclavo* (sunt enim & ipsi *Carinthii Sclavi*) quis hic est, inclamat, cujus tam superbum incessum video,
B respondent circumstantes, Principem terræ adventare, tum ille, justus ne judex est? Salutem patriæ quærens, liberæ conditionis, dignus honore, est ne Christianæ cultor fidei ac defensor? Respondent omnes est & erit: Rursus ille, quæro igitur, quo me jure ab hac Sede dimoveat? Ait *Noritianus* Comes LX. denariis abs te hic locus emitur, jumenta hæc tua erunt, vaccam atque equam ostendens: Vestimenta quoque Principis, quæ pauloante exuit, accipias, eritque domus tua libera & absque tributo. Quibus dictis rusticus levi alapa Principi data bonum judicem esse jubet, & surgens jumentaque
C secum ducens loco cedit: Princeps vero occupato lapide nudum gladium manu vibrans ad omnem partem se convertit: æquum judicium populo promittens: Ferunt & aquam frigidam rustico illatam pileo bibere tanquam vini usum damnet, deinde ad *Ædem Solenniensem* pergit, quæ in propinquo tumulo sita est, Sanctam *Mariam* vocant, & olim Pontificalis fuisse traditur: Ubi peractis sacrificiis Princeps rustica indumenta deponit, paludamentumque induit, convivatusque splendide cum proceribus in prata revertitur, ibique pro tribunali sedens jus petentibus dicit. Fama est anno septingentesimo nonagesimo
D post Christi ortum imperante *Carolo Magno* Ducem gentis *Ingonem* ingens convivium provincialibus parasse, & agrestibus ad conspectum ejus intromissis in vasis aureis atque argenteis: Nobilibus vero ac magistratibus procul ab oculis collocatis fictilibus ministrari jussisse, interrogatum cur ita faceret, respondisse non tam mundos esse, qui urbes & alta palatia, quam qui agros & humiles casas colerent. Rusticis, qui Christi Evangelium accepissent, baptismatis unda purificatis candidas ac nitidas esse animas, nobilibus ac potentibus, qui spurcitias Idolorum sequerentur, sordidas ac nigerrimas, sic vero pro anima-
E rum qualitatibus instruxisse convivium, castigatosque ea re nobiles catervatim sacri baptismatis undam quærentes brevi tempore sub *Vergilio* & *Armone Ivanensibus* Episcopis universos Christi fidem accepisse, hinc honos ad Principes Rusticis datus. Et ne aliena obiter prosequamur, quod tamen iccirco non inconsulte facimus, ut nuda rerum *Aquilejensium* narratio aspersa digressionibus jucunda quadam varietate legentis animum forte fessum aut fastiditum relevet aut mitiget.
F Pontifex noster a concilio *Patavino* non multis comitantibus rediens cum *Aquilejensis* civitatis ob aëris insalubritatem pene destitutæ reliquas *Utinam* sic transferendas censuisset ut abolito prorsus *Utinati* nomine *Aquileja Nova* urbs nuncuparetur: Ubi ad *Richinuelth* a *Spilimbergo* quatuor milliariis juxta pagum *Domanisium* applicuit a militibus *Noritiani* Comitis ac plerisque nobilibus quinque letalibus vulneribus illatis interficitur, anno decimo septimo mense undecimo Pontificatus: Corpus currui appositum duabus meretricibus, ad caput altera, altera ad pe- 30. V.
des constitutis *Utinam* misere: *Utinenses* vero

Bertrandus interficitur.

effusis obviam cunctis id tanquam divinum numen honorificentissime multis lachrymis exceperunt, atque in maxima *Divæ Virginis Æde* marmoreo conditorio, quod ad reponenda *Hermagoræ* sacra ossa extruxerat, condidere, quinque illud marmoreis simulachris sustinentibus, cujus viri sancti coruscantibus meritis innumerabilia miracula conspiciuntur. Qua cæde animadversa Dux *Austrius* e vestigio *Vorlicum Valsæum* procerem cum valido exercitu in *Forumjulium* mittit, ne quam ab internis finitimisque hostibus calamitatem (donec gratus Antistes crearetur) acciperet.

Nicolaus Patriarcha LXXIII. Ultio contra interfectores *Bertrandi.*

Interim *Nicolaus Joannis Boemi* Regis filius, & *Caroli* quarti Imperatoris frater ei surrogatus fuit, qui magna confestim vindicta *Henricum Noritianum* Comitem, illosque, qui in *Bertrandi* mortem conjurarunt, insecutus est: Hi vero multo militum contracto robore *Brandeburgensem* Marchionem in auxilium advocantes regionem incendiis rapinisque passim attrivere: Ad eos motus evertendos Antistes cum *Utinensibus* profectus hostes *Noritiam* retrocedere coëgit, conversusque in *Forojulienses* adversantes *Porpetium* expugnavit:

Joannis Franciscus Porpetanus.

Joannem Franciscum Porpetanum ex *Caprulis*, quo confugerat, *Utinam* ad se retractum capitis supplicio affecit, cujus caput lanceæ trunco affixum per totam urbem delatum portæ, qua itur in arcem, appendit:

Hermannus Luincius. Fridericus Portæus. Ricardus Varmæus. Pulchrum facinus.

Hermannum Luincium equitem: *Fridericum Portæum*, & *Ricardum Varmæum* truncari fecit: Compluresque alios tum *Castellanos* tum *Utinenses*, qui in ejus necem conspiraverant perquam scite publice occidi fecit: Cognita enim conjuratione veritus ne ulla in urbe fieret perturbatio avellendo reos ex domibus a complexibus uxorum filiorumque & parentum, fidissimos quosque in arce atque in opportunissimis circa forum domibus collocans, jussit ut signo accepto armatos omnes, qui ea nocte in forum venerint, occupatis viis nullum prorsus eis discedere volentibus exitum relinquerent: Interim dat negotium indicibus ut euntes ipsi ad Principes conjurationis venire eos in forum circa antelucanum tempus dicant, adducentes secum & alios, quibus maxime quisque fideret, tamquam ibi ordinem signumque accepturos, ut quæ agere unumquemque oporteret auditurос: Facta sunt hæc, statimque per campanæ signum Antistes universo coacto populo conjurationem omnem, modumque intercipiendi conjuratos detexit, cives deprecans ut de reis in facinore deprehensis constituant, factaque ipsis de objectis expurgandi potestate, ubi nemo se ad negationem ausus est convertere, sontes eo in quo conclusi erant loco circumstantes omnes obtruncarunt.

Tarcentum. Melsum. Gramolianum. Sophimbergum.

Tarcentum præterea ac *Melsi* partem & *Gramolianum* funditus diruit: Recepit & *Sophimbergum* turpi laqueo appenso *Aymo* loci patrono, arcemque solo æquavit, ut illius facinus memoria notaretur: Cæteri clementer ab Antistite cum verborum tantum castigatione ab errore præterito recepti fuere:

Castellerium demolitum. *Carolus* Imperator.

Interim *Utinenses Castellerium* demoliti sunt. Per id tempus *Carolus* Imperator cum Augusta *Romam* proficiscens *Utinam* venit: Abeuntem *Nicolaus* frater cum plerisque illustrioribus viris officii causa prosecutus est, qui cum sacri insignia Imperii accepisset confestim civitates oppidaque quæ tyranno *Bajoario* subministrante occupaverant Ecclesiæ *Romanæ* restituenda curavit, quamvis eos omnes *Egidius* Pontificis Legatus ipsis in locis *Ordelaphis* exceptis confirmaverit, quos *Cesena Foro Pompilii Foroque Livio* deturbavit. Reversus Antistes *Utinam*,
31. cum domi sanctitatem, in armis fortitudinem,

A utrobique prudentiam haberet, se totum mysteriis sacris exhibuit, multosque operibus sanctis donec annis septem mensibus novem vixit ad templa & monasteria construenda excitavit.

Monasteria ædesque sacræ *Utinæ* variis locis extructæ.

Lutia enim *Candida* templum *Divæ Lutiæ* cum Cœnobio eremitano suis sumptibus condidit ac ditavit, quod post centum fere annos *Helena Valentina* opibus auctum religione ornavit. *Meus Granianus* pro *Hierosolymitanis* sodalibus Phanum *Georgii* constituit. *Ciottus* Abbas *Florentinus* ædem *Antonii* ædificavit. *Leonardus Arcolonianus* Divum *Leonardum* struxit. Collegium Divi *Christophori* ejusdem sacellum, & *Nicolaus Orbi-*
B *cius* Divam *Magdalenam* cum *Hierothoconio* erexit. Nec sacris modo Antistes, sed & divitiis quoque civitatem auxit, non minus munificentia quam dignitate præstans: Quæ naturali quodam nexu inter se dependent: Hanc enim sibi quodammodo nobilitas legem imponit, ut debere se quod sponte tribuit existimet, & nisi beneficiis creverit nihil se præstitisse putet.

Exemplum liberalitatis. *Blasius Lisonus.*

Referam quod de *Blasii Lisoni* ejus quæstoris ratiocinio circumfertur: Is cum sumptuosas ædes, multa latifundia, atque amplas opes congessisset, ab æmulis, quibus aulæ longe abun-
C dant, delatus est, quod ea omnia è Principis bonis expilasset, jussus reddere rationem, triduo accepto spatio reversus cum uxore liberisque dicta die peregrinantis habitum cum baculo & pera tanquam *Petri* limina, & Christi sepulchrum invisurus, hanc esse rationis summam dixit, ut bona omnia quæ possidebat sint Antistitis, cujus nutu & gratia eadem comparaverat, capiat itaque quæ sua sint, sibi nihil aliud præter vitam conjugem & filios reliquum esse, quibus cum peregre per ædes rogabundus errans statim proficiscendi venia impetrata abiturus es-
D set: iis Princeps munificentissimus commotus probitatem viri agnoscens, qui non fraude aut furto, sed diligentia & parsimonia id uberius fuerat compendium nactus, accersito scriba non ratiocinium modo obliteravit, sed ipsum comiter habendum multis muneribus donatum apud se retinuit. Non sic Principes plerique nostri temporis faciunt, qui etiam in minimis exactissimam exigentes rationem fideles ad assem trutinant, nec solum è paupertate educunt, sed in eam magis immergunt.

Ludovicus Patriarcha LXXIV. Municipes Sancti *Danielis.*

Nicolao Ludovicus Turrianus Patriarcha quartus & septuagesimus successit, quo tempore Sancti *Danielis* municipes *Varmum*
E *inferius* occuparunt pulso *Dietalmo*: Idque cum præter omnium spem *Ludovicus* leniter vindicasset, nec ideo castellum restituendum curasset, indigne ferentes *Valterus Bertoldus* & *Henricus Spilimbergii* equites *Dietalmi* affines arma capiunt, *Gajum* & *Vacilum* pagos tunc *Ludovici* intendunt. *Ludovicus* autem contumeliam vindicaturus mittit, qui *Spilimbergios* ferro & igni vastarent, ab hoste tamen pulsi in Sanctum *Danielem* se receperunt: Quibus diebus octingenti expediti equites circa villam *Carpaciam* applicuere: Hos cum robore exercitus equitum quatuor millium, peditibusque multis *Rudolphus* Dux *Au-*

Rudolphus Dux *Austrius* in Patriarcham concitatus.

F *strius* sequebatur, bellum ideo illaturus, quod *Glemonenses* cum *Prampergiis Clusiam* arcem munitissimam occupaverant, multaque *Ventionensibus* ei subjectis damna intulerant negotiatoribus *Austriis* direptis: Junxere se equitibus *Spilimbergii Ragonei*, *Portusnaonii*, & *Pratenses*, qui Sancti *Danielis* suburbium & Turritam combusserunt, in deditionem acceptis *Zedeliano* & *Gradisca*: Reliquus exercitus *Mantianum* & *Butrium* certis conditionibus cœpit. Abbas autem *Rosaciensis* illi se fœdere junxit, inde castris *Utinam* admo-

31. v. admotis cognita est proditio *Odorici Cludesti*, & *Joannis Ropretti*, qui cum complicibus immisso tribus aut quatuor urbis locis igne vigiles *Portæ Cæsiæ* obtruncare, perque eandem hostes excipere statuerant: Quamobrem *Odoricus* perfidiæ convictus per forum vetus ac novum nudus turpissime tractus minutissimis frustis excarnificatus est, aliis fuga evadentibus: Mox difficili oppugnatione visa, colloquio inter Antistitem & Ducem ex eo dictus est dies quartus æquo a castris ut urbe spatio, pactaque inter illos nonnulla eo jure sancita sunt, ut Patriarcha ipse cum duobus primariis *Viennam* proficisceretur, ubi Ducem exspectarent, inde ad *Carolum* Imperatorem irent, quem judicem disceptationum constituerant, qui promissa a *Ludovico* cuncta revocavit, oppidorum præcipue *Undisgratii*, *Losii*, *Arispergi*, & *Clusiæ*. Interea *Utinenses* cum *Civitatensibus* & *Glemonensibus Mantianum* injecto igni receperunt, *Grusperchum* & *Butrium* everterunt, *Cormoneque* frustra oppugnato *Quadrinium* & *Revoltum* cepere, *Villam*, & *Phanum* Divi *Joannis Chersii* concremarunt: Quos insecuti *Vinterius Duinius*, & *Vorlicus Raffimbergius* tumultuario exercitu coacto magnam, ipsis præda impeditis non servato ordine redeuntibus, cladem intulere, obtruncatis peditibus quadringentis: semispirantium ori mulieres *Japidiæ* amputata inhoneste virilia affixere, meritas asserentes pudibundis pœnas eos pendere, quibus jactabundi prius fœde abuti cogitaverant: Quam quidem sævitiam etiam *Utinenses*, quia præter ipsorum voluntatem pedites ea perpetraverant, merito dissimularunt: Nam qui per scelus aut perversitatem suorum sibi malorum authores existunt, non solum misericordia & ope indigni censentur, sed omni prorsus reprehensione atque odio persequendi sunt. Defuncto Antistite, qui annis sex mensibus duobus sedit, *Marquardus* institutus est, ingentis vir animi singularisque virtutis. Pontificatum itaque iniens ad tuendam libertatem Ecclesiasticam mentem adjecit, eorumque opera usus est, qui ad rem animati erant. Ad *Carolum* Imperatorem profectus cum eo *Utinam* veniens multa obtinuit privilegia: Quæ cæteraque omnia *Odoricus Susannius* a secretis Antistitis diligenter industriæque perquisita collegit, *Aquilejensem* thesaurum appellans, cujus vestigia secutus ætate nostra *Robertus Salernius* complura adjecit. *Concordiensi* Episcopo successoribusque Ducatus, Marchionatus & Comitatus dignitatem approbavit. *Guezelonem* & *Gerardum Caminates* cum *Ceneta*, *Opitergio*, *Seravalle*, *Vallemarina* aliisque eorum oppidis patrocinio *Aquilejensis* Ecclesiæ adscriptos recepit. Cum *Januensibus*, *Ludovico Pannonum* Rege & *Francisco Carrariensi*, aliqui *Leopoldum* Ducem *Austrium* adjiciunt, fœdus per oratores suos *Ludovicum* Comitem *Helfinstaynum*, *Fridericum Purliliensem* Comitem, *Georgium Tortum Ticinensem*, *Acelinum Gubertinum* equitem ac jureconsultum, & *Nicolaum Spilimbergium* contra *Venetos* iniit, in quos pecunias & commeatus copiose subministravit, undique cum sociis hostes infestans quibus *Veneti Joannem Barbianum Cunii* Comitem egregium copiarum Ducem in continente opposuere: Cum *Perino Lusiniano* Rege *Cypri*, cui *Januenses Phamagustam* olim *Amathon* appellatam occupaverant, ac *Bernabove* Vicecomite ejus socero fæderati, mittentes Triremes XII. præfecto *Victore Pisano*, ex quibus Rex *Cypri* Duce *Hugone* Sancta *Pace* sex miserat, qui in *Epyro* apud *Stagiram* triremibus X. *Januensibus* occurrentes *Ludovicum Fliscum*

Utinensium victoriæ contra quædam castella.

Utinensium clades. Mulieres Japidiæ in mortuos sævientes.

Marquardus Patriarcha LXXV.

Thesaurus Aquilejensis.

Bellum inter Venetos Januensesque multiplex.

A præfectum cum sex triremibus cepere: *Catharum Pannoni* Regi subjectum diripuere: Quumque 32. rescivissent novam a *Liguribus* classem parari, qui *Dominicum Fregosium* his diebus privaverant, *Nicolaum Guarchum* surrogantes, *Jacobum Delphinum* cum triremibus X. & *Petrum Gradonicum* cum sex primæ classi addidere: Qui propter hyemis intemperiem in *Dalmatia* hybernarunt, sed dum vero novo *Polam* appulissent, ut classem resarcirent, supervenere *Januenses* Duce *Lutiano Aureo* cum quatuor & XX. triremibus, ac duabus navibus, eamque in portu ipso superant & capiunt, evadente *Victore Pisano* cum triremibus quatuor: *Lutianus* autem incaute in hostes

B ruens lancea transfixus moritur, utraque classis & vectrix & vecta præter remiges *Jadram* perducitur, quo statim *Januenses Petrum Aureum* in demortui fratris locum cum triremibus novem aliisque compluribus navigiis misere, qui victoriam fratris recensens præfectos triremium *Marinum Capellium*, *Nicolaum Superantium*, *Peratium Maripetrum*, *Nicolaum Lauredanum*, *Donatum Zenum*, *Joannem Michaëlem*, *Donatum Valaressium*, *Joannem Victorium*, *Leonardum Donatum*, *Petrum Zenum*, *Petrum Victorium*,

C *Petrum Gradonicum*, & *Nicolaum Privolum* cum duobus captivorum millibus invenit, deprehenditque plures in prælio, & undis periisse, eam cladem conspicati *Tergestini* a *Venetis* ad *Marquardum* Antistitem deficiunt: dirutis duabus *Venetorum* arcibus, quas intra urbem construxerant, vexillumque Divi *Justi Bertoldo Nonnechio* Antistitis quæstori in fidei signum tradentes, vectigali marcharum centum *Aquilejensium* nummorum totidemque vini *Pucini* urnarum quotannis constituto, utque Prætorem *Forojuliensem* acciperent, atque arcem superiori urbis parte apud *Chucherniam* turrim erigi permitterent adjecto:

D in *Venetos* autem propius contendens *Aureus Gradum*, *Comadum Caprulas* coadjuvante *Marquardo* exussit: Inde *Clodiam* movens a præsidio *Veneto* aliquamdiu egregie defensam *Petro Æmo* urbis prætore cepit: Cecidisse ea oppugnatione ad sex millia hominum constat, & noningentos & quinquaginta ex *Venetis* captos *Jadramque* missos. *Franciscus* interim *Carrarius Romanum* oppidum in *Tarvisinis* obsidione cinxerat: In cujus castra Patriarchæ *Aquilejensis* copiæ *Jacobi Purliliensis* Comitis ductu confluxerant: *Carolusque Ludovici* Regis filius cum decem Barbarorum millibus ad *Tarvisium* consedit. His consternati *Ve-*

E *neti* cum nec terra nec mari auxilia sperarent captivis *Januensibus* è carcere eductis, eisque *Clodiam* ad præfectum impetrandæ veniæ causa missis per *Nicolaum Maurocenum* Jureconsultum, *Joannem Gradonicum*, *Zachariam Contarenum*, *Jacobum Privolum*, & *Michaëlem Maurocenum* oratores pacem etiam iniquis conditionibus petiere. *Januenses* vero superbia elati *Venetos* rejiciunt, nisi se ac sua omnia dedentes, qui ad tuendam patriam conversi, nihil esse arduum existimantes, quod non virtute consequi possent, deductis ante portus fauces catenis ferreis *Tha-*

F *dæo Justiniano* equite præsidente, dispositisque in littore trecentis equitibus, totidemque peditibus, quibus præerat *Jacobus Caballus Veronensis*: Cum de Duce agerent, cui tantum bellum committerent, nec facile reperiretur, qui ejus rei idoneus putaretur, clamores incerto authore auditi sunt unicum fore *Victorem Pisanum*, qui hostem vincere nosset: Princeps itaque deducente Senatu ad infimum descendens palatium *Victorem*, quem ob rem male ad *Polam* gestam in carcerem conjecerant, liberatum

tum manuque comprehensum bello maritimo præfecit, murumque a portu ad Ædem Sancti *Nicolai* excitavit. Interea *Januen-*
32. v. *ses Bebas*, *Caput Aggeris*, *Vicum Divi Lazari*, *Mathemaucum* cremavere, *Lauretoque* multis oppugnationibus potiti *Pupilliam* vicum tribus ab urbe millibus passuum occupaverunt: Instabantque jam ingredi urbem, quæ commeatus inopia laborare cœperat: Eos post longam pugnam *Joannes Barbadicus* armatis lembis quibusdam impositis bombardis illa tempestate apud *Teutones* inventis tanta re insolita perculsos facile reppulit: Illicoque tres *Cetheæ* naves ad *Ædem Marthæ* jussu patrum submersæ sunt, *Fossaque Sancti Spiritus* simili modo obstructa est, ita ut *Januenses* ad *Mathemaucum* postea se continuerint. Cumque iterum in *Clugiensem Portum* reversi essent, visum fuit tunc *Venetis* eos totis viribus aggredi, qui raptim magno ardore incensi triremes quatuor & xxx. optime instructas educentes lectissimos quosque civitatis hortati sunt, ut *Andream Contarenum* Principem secuti nil, quod ad strenuissimos bellatores attineret, in re tam ardua pro se, pro liberis, Imperio ac libertate omitterent: Classem itaque Dux inclytus & cum eo triremium Præfecti ascenderunt, *Thadæus Justinianus* eques, *Victor Pisanus*, *Lucas Contarenus*, *Laurentius Dandolus* eques, *Petrus Mocenicus*, *Dominicus Michael*, *Joannes Trivisanus*, *Petrus Justinianus*, *Hermolaus Venerius*, *Paulus Maurocenus*, *Dardus Georgius*, *Jacobus Molinus*, *Nicolaus Delphinus*, *Laurentius Gradonicus*, *Fridericus Cornelius*, *Daniel Bragadenus*, *Joannes Æmilianus*, *Marcus Barbarus*, *Ludovicus Lauredanus*, *Andreas Donatus*, *Marcus Maurocenus*, *Paulus Faletrus*, *Thomas Minottus*, *Joannes Bembus*, *Ludovicus Maurocenus*, *Gellius Quirinus*, *Michael Stenus*, *Marinus Zenus*, *Vitalis Landus*, *Fantinus Raymundus*, *Laurentius Maurocenus*, *Philippus Molinus*, & *Marcus Faletrus*: Qui nocte increbescente felicibus ventis delati albente ad primam auroram cœlo ad *Clodiensem Portum* pervenerunt, tabellis signatis ab universis acceptis, ut in tempore iis perlectis locum certum peterent: Eoque *Carolus Zenus* cum triremibus XIV. supervenit, qui statim *Lauretum*, *Turrim novam*, & tria super stagnis propugnanda recuperarunt: In eos *Gaspar Spinola* cum triremibus XI. movens, ut *Clodiam* ab hoste liberaret, *Thadæum Justinianum* occurrentem cum triremibus sex cœpit, captivosque *Jadram* misit, sed dum propius contenderet *Victor Pisanus* eum insecutus *Marianum* usque propellit, ubi commeatus, quos *Aquilejensis* Patriarcha *Januensi* classi ministrabat, parabantur, quem locum deinde *Carolus Zenus* cum classe frustra oppugnavit. Interim *Veneti Cetheis* navibus lapidibus plenis in portu demersis, profundaque fossa, militari opere objecta post multa prælia variosque conatus viam hostibus egrediendi undique occludunt. *Januenses* autem cum nullo modo educere naves possent clauso portu, reliquisque ostiis fame coacti deditionem fecere: Capti sunt ad quatuor millia trecenti & quadraginta, in his ducentum sexaginta octo *Patavini*, pauci *Forojulienses* fuerunt, quos cum triremibus *Venetias* in triumphum deduxere: Plures inedia & ferro in ipsa oppugnatione periere. Victor vero *Pisanus* cum sex & XL. triremibus *Januenses* insecutus, primo impetu *Justinopolim* Patriarchæ subjectam cœpit; *Nicolaum Spilimbergium* Prætorem, & *Simonem Prampergium* equitem cum multis *Forojuliensibus* captivos *Venetias* mittens. *Tergestinosque* ad *Venetorum* Imperium compulit. Non

Bombardæ inventio Teutonum.

A quievere tamen tanta accepta clade *Januenses*, errare haud parum recensentes, si qui in bello omnes secundos rerum eventus expectant. Adaucta igitur classe nonis Juliis *Venetias* decem triremibus iterum contendunt, sed quum nemo ad certamen prodiret in *Istriam* redeuntes *Polam* vi captam incenderunt, a *Parentio* multis vulneribus repulsi. *Tarvisini* interea *Patavinis* armis graviter vexati commeatibus interclusis non parum ingravescente fame laborarunt: Quamobrem *Veneti* multis armatis lembis clausuram *Silii* expugnant, in urbemque commeatum important, B atque *Jacobum Caballum* cum equitatu ad *Mestrum* convenire jubent, ut *Carrarii* copias pellat, *Britones* plurimi sub eo militabant, qui perfidia usi ad *Carrarium* transierunt, quare ipsorum ope *Castrum Francum* expugnatum est, *Navaleque* oppidum deditione acceptum, inde cum *Venetis* retinendi *Tarvisium* spes nulla subesset *Leopoldo Austrio* Duci, cujus primo fuerat, misso *Pantaleone Barbo* habendum concessere, id *Carrarius* audiens mœstus obsidionem solvit; quod tamen postea adortus tantis afflixit cladibus ut *Leopoldus* rerum desperatione certis sub conditionibus reliquerit. Interim *Marquardus* C postquam quindecim annis se sacerdotem gesserat moritur, *Friderico Purliliensi* Comite Vicedomino vacante sede *Aquilejensem* Ecclesiam regente. Fatigatos omnes diuturnitate belli anno sexto mense quarto ex quo captum est, *Amadeus Allobrogum* Princeps, *Sabaudienses* vocant, iis pactis composuit anno post Christi ortum trecentesimo octuagesimo primo supra millesimum Kalend. Septembris ut Regi *Pannonum* decimo quoque anno *Veneti* septem millia nummûm aureorum solverent; si nullum Piratam in suis *Dalmatiæ* locis tutum esse pateretur, sique nullibi salem fieri sineret: *Venetis* autem & *Ja*- D *nuensibus* imparatum ut captivos alterutrum incolumes dimitterent: Prædæ utrinque captæ nulla mentio: idemque de *Forojuliensibus* & *Venetis*, quibus etiam injunctum est ut *Tergestum Moccum* & *Mocolanum* Antistiti restituerent, ita ut *Tergestini* solitum vinum & oleum *Venetis* persolvant, quorum ante bellum obnoxios esse constiterat; super controversiis aliorum *Istriæ* locorum quod summus Pontifex statuet, id teneret, *Castellumque* Insulæ *Tenedii*, in qua priusquam in agrum *Trojanum Græci* descenderent stationem habuerunt, communi consensu apud E eundem *Sabaudiensem* depositum ea ratione deleretur, ut a neutra partium erigi aliquando posset: *Florentini* pro utrisque cc. millibus aureis vadati sunt: Mandatum preterea *Patavino* ut a *Tarvisio* recederet, utque *Capite Aggeris* & *Morautiano Venetis* reddito arces & turres in stagnis ad fluviorum ostia erectas demoliretur: Limites inter *Venetos* & *Patavinum Alberto Estensi* arbitro id curante *Asquino Sbroiavacca Patavii* prætore positi. Servata sunt omnia præter unum *Castelli Tenedii*, quod *Zanichinus Mudatius Venetus* jussu Ducis ut redderet adduci non potuit, F veritus ne *Græci* dirutum reædificarent: Quamobrem *Januenses Florentinos* omnes, qui in sua ditione erant, detinuerunt, sed *Veneti* misso *Petro Æmo* equite oratore *Januam Zanichini* imprudentiam detestati sunt, & oppidum omnino restituendum statuerunt, quod & factum est, *Sabaudiensis* oppidum solo æquavit, & pax firmata, illicoque Senatus decreto *Veneti* triginta inferioris ordinis familias, quarum opera hoc bello in plurimis usi sunt, ad Patriciatum evexere. Per id tempus floruit *Pileus Forojuliensis* Cardinalis *Pratensium* Comitum gente illustri ortus, qui

Conditiones pacis.

Pileus Pratensis Cardinalis.

qui doctrina insignis doctorum virorum alter *Mecenas* collegium illud celeberrimum *Pratense* nuncupatum *Patavii* ad *Forojuliensium* pauperum
33. v. juri incumbentium commodum extruxit cum ampla proventuum accessione. *Marquardo Urbanus sextus* Pontifex *Philippum Alenconium Sabinensem* Episcopum & Cardinalem substituit, quem *Utinenses* atque alii illustres viri, quia eidem Patriarchatus commendæ nomine demandatus erat, recipere noluerunt, ne *Aquilejensis* Ecclesia tam turpiter manciparetur. Verum *Philippus* vi quæsiturus quod bona venia non dabatur *Ludovicum Pannonum* Regem ejus affinem, & *Franciscum Carrarium* Principem hortatur ut copias adversus Utinenses & socios in *Forumjulium* mittant, quos sacris interdixerat: Primo impetu cum *Joanne Actio Carrariensium* militum Duce *Portumgruarium* hostiliter invadit: *Sanctum Vitum præterea*, *Sacilum*, *Canipam*, *Sanctum Paulum*, *Sanctum Stenum*, *Metunam*, *Turrim*, *Savorgnanum*, *Zopolam*, *Laurentianam*, *Metunum*, & *Atempsum*, per deditionem accipiens *Carrariensi* tradit: Quem etiam *Aquilejensis* patrocinii munere insignivit: Hominem profecto non officio, aut honore ambiendum, sed omni prorsus convitio execrandum; quippe qui aliis copiis *Facinum Canem* perditissimum Ducem adjecit: Qui cum *Antonio Camisano* Comite in hebdomade Sancta iis diebus, quibus incolæ regionis alienæque celebres ad sacra conveniunt, *Aquilejam* diripuit, stupris & incendiis fœdavit: Nec in ea sacratissima virginis æde, quo multi confugerant, sceleratissimas manus abstinens, obscænitatis, sacrilegii aut sævitiæ genus ullum omisit. Ex his compluribus cum impiissimus quidam sub sacra virginis statua virgunculam, quæ cum cæteris Deiparæ opem imploraverat, comprimere conaretur; aliique pari modo nefandissima quæque patrarent; simulachrum illud quasi populo subiratum ultro humeros & pium pectus unde Christus redemptor lac suxerat, cervicemque averso ore, torvoque, quo adhuc perstat, supercilio detorsit, statimque flagitiosissimus ille, qui stuprum & vim inferre tentabat, cæcitate percussus corpore aruit, exauditaque puella alienam libidinem impolluta evasit. In hos tam nefandos invasores *Utinenses* habitis etiam auxiliaribus copiis ab *Antonio Venerio Venetorum* Duce, quibus præerat *Petrus Maurocenus*, *Franciscus Zenus*, & *Jacobus Gradonicus*, arma parant, venientemque hostem magno animo excipiunt, *Villaltam Carrario* faventem, & *Spilagallum* solo æquantes. Interim *Ferdinandus* Patriarcha *Hierosolymitanus* & *Urbanus Gradensis* Antistes jussu Pontificis *Franciscus Georgius Venetorum* legatus, *Fridericus Savorgnanus* eques, *Joannes Coloretæus* cognomento, *Doymus*, *Castellius*, *Blasius Lisonus*, *Dietalmus Andriotta*, & *Nicolaus Maninus Forojuliensis Conventus* decreto *Aquilejensem* ecclesiam regebant; quorum auspiciis *Utinenses* adversus *Carrarium*, qui *Jacobum* pium, *Andream Trottum*, & *Lancellotum Trapolinum* cum exercitu ad sese cum *Civitatensibus* conjungendum miserat collatis signis prope *Savorgnanum*; quod pauloante hostes everterant, dimicantes cæsis pene omnibus victoriam memorabilem, eoque gratiorem retulerunt, quoniam castris direptis inventæ sunt *Carrarii* ad Duces suos literæ, ut igni *Utinensium* ædibus immisso ne mulieribus quidem ac pueris parcerent: Eas adhuc integras mihi cum *Clapiceus* reipublicæ scriba ostendisset, haud admiratus fui, si in tam impios versum est cruentum fatum. Inde *Utinenses Glemonam* e vestigio contendentes ad imparata faciundum compulere, captumque ibi *Nicolaum Spilimbergium* equitem securi percusserunt. Bellum hoc variis casibus in sextum annum pertractum *Helisabeth Pannonum* Regina per oratores suos *Georgium Liburnium* Comitem & *Jacobum Raduchium Jadertinum*, dein *Franciscus Carrarius*; postmodum *Veneti* & *Antonius Scaliger* extinguere conati sunt, quod demum curantibus *Joanne Gradonico*, *Leonardo Dandulo* equite, & *Michaele Steno* pro *Venetis*: *Francisco Docto* equite, *Paganino Sala*, *Jacobo Turchetto* Jureconsultis: & *Guielmo Curtarodulo* pro *Carrario*: *Doymo Castellio*, *Joanne Coloretæo*, *Nicolao Candido*, *Hectore Miulitta*, & *Leonardo Andreotta* pro *Forojuliensibus* antiquatum est. 34.

Philippus Alenconius patriarcha. LXXVI. — *Carrariensis.* — *Facini Canis impia facinora in Aquilejen.* — *Exemplum castitatis.* — *Miraculum divæ virginis.* — *Utinensium victoria in Canariensem.* — *Ferdinandus Patriarcha Hierosolymitanus. Franciscus Georgius.* — *Finis tandem bello impositus.*

Alenconio non multo post *Romæ* defuncto, in Ædeque *Divæ Mariæ Transtiberinæ* condito *Joannes Moravi* ducis filius septimus & septuagesimus Antistes suffectus est, qui sumptuosæ adolescentiæ Imperio abusus vectigalia, reipublicæ nervos suo jure ad omnes voluptatum illecebras adeo prodige effudit, ut publicis opibus absumptis, nec privatæ quidem sufficerent: Magistratum Septemvirorum *Utinensium*, Deputatos vocant, legibus & consuetudinibus civitatis explosis abrogavit: Quibus rebus irritati sumptis armis eum urbe ejiciunt, ortoque bello faventibus *Moraviano Civitatensibus Forojuliensibusque* multis plura hinc inde damna illata sunt: iis tot dissidiis permoti *Veneti*, ut ea sopirent, oratorem ad *Utinenses Gabrielem Æmam* Equitem misere, Virum præcipua eloquentia & authoritate, quibus ut judicem disceptationum acciperent *Antonium Venerium* principem persuasit. Ad ipsum pro Antistite profecti sunt *Augustinus Concordiensis* Episcopus: *Vinceslaus Spilimbergius* eques, *Joannes Coloretæus*, & *Nicolaus Ancellus*. Pro *Utinensibus Andreas Monticolus* Jureconsultus, *Nicolaus Candidus*, & *Nicolaus Maninus*: Quos brevi pacatis rebus haud fraudata spe omnium dimisit. Reversus Antistes *Utinam Fidem* sororem collocavit *Vinceslao Spilimbergio* equiti magnæ apud *Sigismundum* Cæsarem authoritatis, quo curante ampla *Viennensibus* privilegia concessa sunt, qui beneficii non immemores aureos trecentos quotannis ad *Vinceslaum* misere, donec *Albertus Austrius* suadentibus ipsis *Bertoldo* Equiti filio prædia multa in *Curiæ Naonis* pago tradidit. Venationibusque postmodum cujusque generis assidue incubuit: Aves & canum greges ea ratione alebat, nullique fas fuit sine ipso venari, id enim dicebat Deorum fuisse inventum, ad solosque heroas spectare, quod etiam *Xenophontis* testimonio comprobatur, cujus studio dediti bonam valetudinem comparant, hinc vident audiuntque magis, senescuntque minus, ad bellum præcipue instituuntur, proculque a dolo erudiuntur: Lepores, cuniculos, damas, capreolos, cervos, ac similes feras vivariis inclusit, ut e conspectu suo clausa venatio oblectaret oculos, & cum exegisset, usus epularum velut e cella promerentur. At cum indulgentius Castellanis faveret a *Guarnerio Fabarupta* assistente *Tristanno Savorgnano* Equite alterius factionis, observata hora dum in arce *Utinensi* cum paucis incaute deambularet, sine strepitu cæsus est anno sexto, mense XI. Pontificatus. Huic interjecto *Antonio Gajetano* Patriarcha & Cardinale, qui podagra laborans Sedi præfuit annis VII. mensibus duobus, successit *Antonius Pancerinus Gruariensis*, dum apud Ecclesiasticos æstuaret schisma *Angelo Corrario Veneto Sancti Angeli* Cardinale, *Gregorio* dein XII. appellato, & *Benedicto* XIII. de Pontificatu disceptantibus, quibus in concilio *Pisano* abro-

Joannes Moravus patriarcha. LXXVII. — *Vinceslaus Spilimbergius.* — *Antonius Gajetanus Patriarcha LXXVIII.* — *Antonius Pancerinus Patriarcha. LXXIX.* — *Schisma duorum Pontific.* — *Gregorius XII. Ponti.*

J. Candidus. E

abrogatis *Alexander* quintus creatus est, quamobrem *Gregorius* in *Civitatem Austriam* aufugit, verum cum eo in loco nequaquam se tutum ob tu-
34. v. multus eorum bellicos cum *Utinensibus* arbitraretur, dum *Latitianum* versus proficiscitur, ut navi *Ariminum* tenderet ab *Utinensibus* insequentibus captis Episcopis nonnullis suppellectilique direpta apud *Belgradum* vix evadens *Ariminum* pervenit, ubi a *Carolo Malatesta* splendide habitus est. *Benedictus* autem post concilium *Perpinianum*, quo tutior esset, ad *Castellum Paniscolam* munitissimum confugit. Cæterum utrique in concilio *Pisano* ex authorati tanquam veri Pontifices Cardinales crearunt, ex his *Gregorius* *Jacobinum Utinensem* multiplici doctrina clarum *Sancti Angeli* Cardinalem constituit, qui *Venetias* Legatus accedens *Arimini* obiit. Patriarcha vero noster *Zopolam* oppidum *Pancerinis* suis concessit, Templum Divi *Andreæ* in *Portugruario* ære suo a solo extruxit, mox Sede ejectus a Pontifice, diu per mendicata suffragia cum Gentilibus clientibusque laboravit. *Antonio Ponte Concordiensi* Episcopo suffecto. Quibus disceptantibus aliud ingens bellum inter *Forojulienses* exortum est, ad quos *Hernestus* & *Fridericus* Duces *Austrii* vetustæ jure amicitiæ ne tot intestinis discordiis *Aquilejensis* regio corrueret *Burchardum Rabinstannium* Equitem ad suadendam inter omnes concordiam miserunt: Quem comiter excipientes *Utinenses* ut bene cumulatam gratiam referrent se suaque omnia in fidem *Austriorum* Ducum permisere, dedentibus publico decreto urbem *Nicolao Savorgnano*, *Nicolao Candido*, *Nicolao Tingo*, *Tobia Sibellicto*, *Manino Manini* cognominis, & *Leonardo Thealdo*: Eisdemque *Portugruarium Tricesimum*: & *Sophimbergum* ac *Petram Pilosam Pancerinis* ereptam tradentes, quorum etiam auspiciis Patriarchatum regendum, donec legitimus, ipsisque gratus Antistes crearetur, censuerunt, non ab re existimantes conniventibus cæteris de totius quoque Imperio regionis constituere, ad quos tunc urgentibus *Aquilejensis* Ecclesiæ rebus tam *Cisalpini* quam *Transalpini* Principes oratores suos destinabant. Interim *Portus Naonii Turrim* locum proximum sibi vendicant, suppositoque igne castellum cum *Joanne Ragonio* uxore ac liberis concremarunt. *Glemonenses* quoque *Fontem bonum* capiunt, quibus *Utinenses* eundem confestim abstulerunt. Sub id tempus *Sigismundus Pannonum* Rex iturus (ut ipse ferebat) *Romam* libero itinere ad accipiendam Imperii coronam duodecim millia equitum, peditum octo in *Venetos* mittens superato primo impetu *Forojulio* per *Philippum Scholaræ* gentis *Florentinum* copiarum Ducem disjectis undique militibus *Venetis* *Tarvisium* oppugnat, captivis manu amputata erutoque oculo dimissis, ut exemplo supplicii reliqui deterentur: Huic tanto exercitui *Veneti* cum *Hernesto* & *Friderico* Ducibus *Austriis* id curantibus *Joannem Garziono*, & *Fantino Dandulo* fœdera sancientes *Carolum Malatestam* objiciunt, qui cum exultantem victoria hostem, quem tempus deteriorem in dies & locus alienus faciebat, sine præparato commeatu sine firmo munimento conspexisset, consulto bellum trahendum censuit, gravemque edicens pœnam si quis in eum immissus pugnasset cunctando tamdiu remoratus est, donec per *Raynaldum* & *Schinellam Colaltæos* Comites illato noctu tentoriis *Pannonum* igni ventis ardue incumbentibus à militibus regionisque incolis omnis fere ambustus exercitus dissipatus est, quod ubi *Sigismundus* in *Istria* rescivit mente collapsus statim per *Urlicum Cilium* Comitem ejus socerum advocatis sub

Jacobinus Utinensis Cardinalis.
Zopola.
Bellum intestinum.
Hernestus, Fridericus Duces *Austrii.*
Portus Naonii.
Glemonenses.
Sigismundi Pannonum Regis gesta in *Italia.*
Carolus Malatesta.

A fide Regia *Tergesti Thoma Mocenico* & *Antonio Contareno Venetorum* legatis quinquennales inducias in- 35.
dixit. *Tristanno* interim *Savorgnano* Equite, *Nicolao Bombeno*, *Odorico Gerardino*, *Nicolao Filetino*, *Joachimo Cassino*, *Francisco Percoto*, *Gabriele Soldonerio* multisque aliis, qui per *Utinenses* publicatis eorum bonis proscripti erant adnitentibus *Utinam* ingredi: In eam cum nocte quadam imbribus & tenebris obducta per *Portam Civitatensem* ab hominibus factionis suæ introducti essent, exorto populi tumultu non sine fœda utrimque cæde repulsi sunt, quamobrem postridie per *Utinenses* dissectus est publice in quatuor partes *Thomas Ranconius* proditionis conscius: Cæteros ne per civilem sanguinem cogerentur in aliquod discrimen incidere dissimulantes, catenasque insuper ferreas opportunioribus urbis locis per militares vias passim, ut eorundem aliquando invasiones tutius effugerent, objicientes *Veneti* exactis induciis *Delphinum Venerium* cum classe, & *Philippum Arcellium* cum copiis in *Forumjulium* misere: Qui *Aquilejam* pluraque loca diripientes *Artuicum Purliliensem* Comitem cum *Purliliarum* & *Brugnariæ* oppidis acceperunt. Post *Antonium* Patriarcham *Ludovicus* Dux *Tecchius* octuagesimus Antistes Ecclesiam *Aquilejensem* administrandam suscepit, mox inter hunc & *Venetos* ortum est grave bellum, *Veneti* per eos dies *Sacilum* occupant: *Ludovicus* tanto bello impar ad *Sigismundum* profectus est, interim *Civitatenses* ad *Venetos* deficiunt, a quibus in socios eo jure accepti sunt, ut Cæsari *Utinensibus*que adversarentur. Nec multo post *Ludovicus* cum quatuor millibus *Pannonum* rediit, & in *Civitatenses* movit: Quos *Veneti Thadæo* Marchione *Estensi* Præfecto acerrime tutati sunt: Habita sunt stativa circa urbem ad quindecim dies: Vineta & felices arbores hostes magna ex parte populati sunt: Qui vi frigoris & nivium coacti inde re infecta in *Pannoniam* abiere. *Veneti Pratam* oppidum stadiorum sexdecim ambitu legatis ad id cum exercitu missis *Nicolao Capellio*, & *Nicolao Michaële* ea ratione diruunt, quod hostium fuerit receptaculum frequens, ejusdemque Comites *Guielmus* ac *Nicolussius Veneta* prius nobilitate donati multa in rempublicam *Venetam* moliebantur: Et quum non longe a *Mariano* castra admovissent ab *Utinensibus*, quorum viri nobiles duodecim cum *Tecchio* Duce, *Marsilio Carrario*, & *Ortimburgio* Comite rei bellicæ summam consulebant, duobus ferme annis bellum protractum est. Interea venientibus sexcentis militibus *Venetis*, ut se exercitui apud *Flamminianum* vicum agenti conjungerent, *Nicolussius Pratensis*, *Fridericus Purliliensis*, *Jacobus* & *Ulvinus Valvasonii*, ac *Franciscus Prodolonius* cum *Forojuliensibus* hostiliter *Tagro Cordivati* occurrunt: *Venetis* in fugam versis trecentos amplius que obtruncant: Verum quum *Tecchius* publica administratione relicta ad suos in *Germaniam* confugisset, inde atque ex *Pannonia* auxiliares copias pollicitus, triennioque cunctaretur, ac interim universa regio ad *Venetos* defecisset, *Utinates* in fide perstantes, reditumque Patriarchæ, quem assiduis nuntiis literisque evocabant, tantummodo mœnibus tuti frustra operientes, cum fame, pestilentia, intestinisque seditionibus opprimerentur, nullaque amplius subsidii spes salutisque superesset sponte sua, ne paulopost coacti graviora paterentur, quibus voluere conditionibus in *Venetorum* fidem concessere, anno à Christi ortu vigesimo & quadringentesimo supra millesimum, *Thoma Mocenico* Principe, missis ad *Puteolanum* pagum oratoribus *Joanne Cavalcanto*: 35. v.
Petro Marchisino Jureconsultis, *Joanne Guberto* Gu-

Utinensium extorrum proscriptio frustra reditum attentantium.
Venetorum gesta in *Forojulii* expugnatione.
Ludovicus Dux *Tecchius* Patriarcha LXXX.
Civitatenses ad *Venetos* deficiunt.
Thadæus Marchio *Estensis.*
Pratensis oppidi eversio.
Strages *Venetorum.*
Utinensium deditio.

Gubertino, *Antonio Valentino*, & *Nicolao Tursio*, ut a Præfectis exercitus impetrarent proficisci posse ad Senatum, cui se publicamque fortunam traderent, quod obsidibus nobilissimis civitatis XII. datis concessum est: Senatus itaque *Utinensibus* benigne acceptis decrevit, ut jura ipsorum integra inviolataque servarentur, octavoque idus Junias *Philippus* copiarum præfectus, *Marcus Bragadenus* & *Franciscus Lauredanus* Legati urbem solenni apparatu celebrique supplicatione in hanc usque diem quotannis decorata ingressi sunt, *Utinensium* deditionem universa regio subsecuta est: Atque *Istria* pari jure: Ubi paulopost *Philippus* Imperator ventris profluvio extinctus est, *Justinopoli*que sepultus, cui mox *Thadæus* Marchio suffectus. Cæterum *Hernestus Noritianus* Comes *Forojulienses* imitatus magna suorum caterva cum *Venetias* appulisset honorifice susceptus est, erectoque pro foribus Divi *Marci* suggestu tota civitate inspectante ab inclyto Principe velut olim a Patriarcha Comitatus sui jura agnoscens sceptris vexillisque vetusto more insignitus sacramentum fidelitatis exhibuit. *Ludovicum* paulo post cum non parva militum manu per *Clusiam* erumpentem, iterumque per *Noritianam* viam cum quatuor millibus *Pannonum* reversum *Veneti* recepto *Rosatio* & *Mantiano Carminiola* exercitus Imperatore bis parvo negotio repulere. Qui cum postmodum apud concilium *Basiliense* Principes solicitaret ut restitueretur *Fantino Dandulo* & *Andrea Contareno Venetorum* Oratoribus renitentibus re infecta decedens anno septimo Institutionis obiit. Cui suffectus *Joannes Vitellius* nudo Antistitis nomine extra Sedem vixit.

Istrorum deditio.

Hernestus Noritianus Comes.

Joannes Vitellius Patriarcha LXXXI.

LIBER OCTAVUS.

Venetorum præconia.



VENETI igitur viri magni & potentes *Forumjulium* sibi in hunc modum subjecere: Qui cum a primordio rei maritimæ intendissent tantum opibus classe & Imperio crevere, ut *Dalmatio*, *Epiro*, universaque pene *Græcia* ditioni suæ subactis post innumerabiles victorias in *Græcos*, *Illyricos*, *Pisanos*, *Januenses*, *Turcas*, cæterosque per totum undique *Mediterraneum Mare* partas ad *Tanaim* usque & ultra felicissimis auspiciis victricia arma intulerint: Ex quibus adeo respublica *Veneta* splendore enituit, ut nulla ad hanc diem alia per omnia *Romanæ* gloriæ magis æmula appareat, quæ *Italia* cadente Imperio velut Divina quadam providentia exsurgere visa est, non ex ignobili hominum colluvione, ut in plerisque inclytis civitatibus evenisse constat, sed ex nobilissimis *Aquilejæ*, *Concordiæ*, *Altini*, *Patavi*, cæterarumque clarissimarum urbium viris conflata, ut esset ibi meliori fato, illud sua Sede expulsum, perpetuo conquiesceret. Hi vero ad continentem conversi post *Tarvisium*, *Francisco Carrario* ademptum, quam primam urbem extra *Lacunares Insulas* in *Italia* habuere, cum *Vicentiam*, deinde *Veronam* & *Patavium*, mox *Forumjulium*, & *Ravennam*, postmodum *Brixiam*, *Bergomum*, & *Cremam* ad imperata faciundum compulissent, adeo gravibus & assiduis bellis vexati sunt, ut vix *Romani* rerum Domini tantam hostium mo-
36. lem per tot temporum discrimina tulissent, nunquam tamen animo fracti semper magnanimi, semper liberi, semper Christum colentes, sub cujus fide & orti sunt, Christianam rempublicam longe lateque propagarunt, qui si maritimis negotiis & expeditionibus enixius perstitissent, neglecto interea & privatim & publice continente, non *Turcas* profecto tantum acerrimos Christiani nominis hostes arcuissent, verum totius pene orbis, præcipueque orientis domitores extitissent. Sed ne, dum per laudes *Venetorum* vagari cupio, commentariorum nostrorum videar oblitus pauca de viris claris *Forojuliensibus* dicam, quos per id tempus floruisse constat, cum *Forumjulium* sub eorum Imperium concessit. Vir fuit Eremitani ordinis Philosophus & Theologus summus *Utinensi* urbe ortus *Paulus Venetus*, quamquam postea in cœnobio Divi *Stephani Venetiis* educatus, unde sibi agnomen vendicavit: qui quidem exactissima edidit commentaria in prædicabilia *Porphyrii*, prædicamenta ac posteriora *Aristotelis*: In Physicen ac Metaphysicen: In libros de generatione & corruptione ejusdem: Summam insuper Philosophiæ: in *Judæos*: & Sermones complures: Cujus epitaphium, *Patavii* scriptum legitur:

Paulus Venetus.

VIR PATAVI PERIT HIC: UTINUM TULIT: IVIT AD URBEM
ADRIACAM, PUER HINC NOMINA PAULUS HABET:
DOCTOR ARISTOTELIS DUBIOS EXPONERE SENSUS
AUDET, ET ÆGIDIUM CARPIT UBIQUE POTENS.

Hunc imitatus est non multo post *Leonardus Utinensis* ordinis prædicatorum declamator præstantissimus, cujus libri in Dialectica, Philosophia, ac Theologia, Sermonesque a doctissimo quoque præcipue celebrantur, ex quo tanquam ex equo *Trojano* prodeuntes ejusdem cœnobii patres enituere, *Paris*, *Franciscbinus*, *Thomas*, *Leonardus Rundulus Junior*, *Petrus Cavalcantus* Magister Sacri Palatii designatus, *Benedictus*, pluresque alii, qui doctrina præcellentes, & Concionatores magni summa Christianæ religionis & natalis urbis laude coruscarunt: Ab his ut e seminario quodam virtutum fœcundissimo omni tempore viri eminentissimi emersere: *Albertum Paschaleum*, quem publice metaphysicen *Patavii* profitentem extollunt cuncti, jamque liber ejusdem de Pontificia potestate legitur, non silerem, nisi posteris longe plura dicenda relinquerem, quam de juvene adhuc modestia patiatur. Floruerunt & *Lappus Turrianus*, *Antoninus*que *Bredus* Jureconsulti Pontificis jussu causarum auditorio præfecti. *Baldani*que item fratres: *Bartholomæus* post inclytos magistratus *Eugenii* Pontificis ad *Hispanum* Regem Legatus, & *Antonius* Jureconsultus Senator urbis. *Vitellio* Patriarchæ fato functo *Ludovicus Patavinus* ab *Eugenio* quarto Pontifice suffectus est anno post Christi ortum quadringentesimo quadragesimo supra millesimum non minus militia quam sacerdotio clarus, qui exercitus Ecclesiastici Legatus bello, quod Pontifex cum *Philippo Mediolanensi* Principe in *Ætruria* gessit, *Piceninum Philippi* Ducem apud *Anglare* cum superasset ob victoriam Cardinalis Divi *Laurentii* creatus fuit: Is non multo post, quum adhuc Pontificiis copiis

Leonardus Utinensis Theologus.

Albertus Utinensis.

Lappus Turrianus. *Antonius Bredus.* *Baldani fratres.*

Ludovicus Patriarcha LXXXII.

Italianus Forojulianus.

præeſſet, quæ in *Picentibus* contra *Franciſcum Sforziam* dimicabant, *Italianum Forojulienſem* Ducem præſtantiſſimum familia Lintrea in oppido Sancti *Viti* ortum, mille & quingentis equis præfectum, ac *Jacobum Gajuanum* alteris mille & quingentis, qui partim *Philippi* partim *Eugenii* ſtipendiis militabant, ad *Sfortiam* transfugere deſtinantes, ad arcem contratam comprehendi jubet, captoſque ſupplicio capitali affici.

Geſta in *Turcas* & *Caramanum.*

A *Caliſto* claſſi Pontifice Præfectus in auxilium *Rhodiorum* miſſus plures *Turcarum* naves ſuperavit: *Lemnum* hodie *Stalimeni*: *Taxum* & *Nembrum*, multaſque alias *Ægei maris* Inſulas eiſdem

36. v. ademit: Neque *Cilices*, quibus *Caramanus* ſecundi apud *Turcas* honoris imperabat, neque *Ægyptios* & *Syros* quieſcere permittens. Mortuo tamen *Caliſto* diſſoluta claſſe *Romam* rediit. *Rhodo* omnique oriente noſtræ religionis cultoribus in diſcrimine relictis: Quapropter acquiſitæ Inſulæ ad hoſtes rediere.

Fœdus inter *Venetos* & Patriarcham de *Forojulii* ditione.

Cum *Venetis* anno Pontificatus quarto de *Forojulii* ditione compoſuit, ut eidem *Aquilejam*, Sanctum *Vitum*, ac Sanctum *Danielem* dimitterent: Quæ Archiepiſcopus *Corcyrenſis*, & *Joannes Reatenſis* Antiſtitis nomine recepere: Reliquis locis omnibus ipſis *Venetis* cedentibus, adjecto tamen ut quotannis aureos termille *Ludovico* ſucceſſoribuſque fiſco perſolverent: Idque præcipue factum affirmarunt, ut potentes *Veneti Turcarum* cæterorumque hoſtium imminentes in *Italiam* impetus retunderent, quibus proculdubio ſuis Antiſtites viribus reſiſtere non poterant.

Marcus Barbus Patriarcha LXXXIII.

Anno demum quinto & vigeſimo Patriarchatus *Romæ* defuncto *Marcus Barbus* ſucceſſit tertius & octuageſimus Antiſtes: Cujus opera & conſilio *Paulus* II. Pontifex magnis in rebus uſus eſt.

Maumethis Turcarum Regis geſta in Chriſtianos. Prima *Turcarum* incurſio.

Quo tempore *Maumethes Ottomanus Turcarum* Rex capto *Conſtantinopolitano* Imperio: *Boſnenſi* Deſpote, ſic enim Reges appellare ſuos conſuevere, victo ac trucidato: *Peloponeſo Venetis* adempta: *Trapezuntio* Imperatore cum Imperio ipſo ſublato, cum duo Imperia, viginti provincias, ducentas urbes Chriſtiano nomini eripuiſſet, ad conſternandum *Italiæ* populos *Amarbecchum* cum octomillibus equitum per *Liburniam* hodie *Croaciam* in *Forumjulium* tranſmiſit: Qui nullo adverſum occurrente, (copiæ enim *Venetæ*, quas pridie in adverſa fluminis ripa hoſtes conſpexere, in *Servianam* ſe Inſulam receperant,) igni ac ferro omnia involvens, in *Utinenſem* uſque agrum contendit, ſed ignarus quo præſidium *Venetum* deceſſiſſet ab effuſiori curſu abſtinuit: Multa tamen præda onuſtus innumerabiles captivos abduxit, neque ulla, quæ in tali re memorabilis ſcribentibus videri ſolet, prætermiſſa clades eſt, adeo omnis libidinis crudelitatiſque & inhumanæ ſuperbiæ editum in miſeros eſt exemplum. *Veneti* autem alias ipſorum aliquando eruptiones veriti ripis *Sontiis*, ubi flumen vada habuit tranſitu faciliora, duo caſtra vallo & foſſa communienda ſtatuere, eorum altera *Gradiſcana* dicta, altera *Follianica*, a nominibus villarum quæ ipſis in locis fuerant: Quorum *Follianica* poſt cladem ad ripam fluminis acceptam, de qua paulopoſt dicam, deſerta ſunt, altera vero præſidio ad hunc diem retenta. Munitumque eſt quicquid vadi eſſet inter *Noritianum* pontem, & *Aquilejæ* paludes (ſtadiorum eſt centum & amplius ſpatium) ex craſſis proceriſque arboribus ſucciſis, & gleba in apertis locis cum gramine reciſa: Quod quidem opus ingenti multorum millium hominum labore confectum nullius fuiſſe uſus momentique eventus docuit.

Secunda *Turcarum* incurſio.

Reverſus hoſtis poſt annos quinque anno Chriſti quadringenteſimo ſeptuageſi-

A mo ſeptimo ſupra milleſimum *Venetorum* exercitum equitum trium millium, peditumque plurimorum, cui præfectus erat *Hieronymus Novellus Veronenſis*, & cum eo viri illuſtres aderant *Antonius Zuriſius*, *Joannes Antonius Caldorus*, *Anaſtaſius Flamminius*, *Hercules Malvitius*, *Joannes Jacobus*, *Jacobi Picinini* Ducis olim clariſſimi filius, *Jacobus Badoarius*, *Philippus Nebulonius*, *Georgius Galiſius*, ac plerique honeſtiſſimi ordinis viri, non magis aperta vi quam inſidiis ſuperavit.

Stratagema.

Is cum primum caſtra apud *Sontium* poſuiſſet ſub occaſum ſolis caſtellum cum præſi-

B dio, quod ponti imminebat, quatuor milliariis a noſtris diſtanti occupat, milleque delectos equites intempeſta nocte tacito agmine in vertice *Lucinesii* poſuit, hiſque imperat in inſidiis eſ- 37.

ſe, atque intentos ſignum ad erumpendum exſpectare ignorantibus noſtris penitus quid actum ſit, ubi illuxit dies expeditiſſimam equitum alam ſuperato amne ad noſtrorum caſtra ire jubet, injectoque certamine veluti impotentes paulatim retroceſſerunt uſque ad inſidiarum loca, iis *Hieronymus Veronenſis* cum ſpeculatoria ſuorum manu fit obvius, reliquus exercitus in tres diviſus turmas non longe ſubſidio ſequebatur: Hoſtes

C quaſi victi de induſtria ceſſere, quorum inſidias *Novellus* veritus ſuperſederat, comminationibus tamen *Zachariæ Barbari* Legati atrociter inclamantis ardentius inſequens, cumque in anguſtias locorum jam prope ventum eſſet ſigno dato, qui in inſidiis erant magno ſtrepitu noſtros aggrediuntur, ſupervenientе *Scanderio* Duce cum reliquis hoſtibus, atque ita noſtros undique circumventos, ac tanto impetu pavefactos & a fronte & a dextra fœdiſſima ſtrage proſtravit, aliis hinc inde in devia & proximos ſaltus fugientibus: eos inſecutus *Turca* victor tanto terrore univerſos concuſſit, ut qui in oppidis

D erant intra mœnia trepidantes vix ſecutos futuros arbitrarentur. Poſtridie hoſtes diſcurrentes nullum ſævitiæ genus omiſerunt, captivos enim miſerandos, qui per ætatem & vires labores ferre non poterant, crudeliſſime trucidarunt, alios robuſtiores in ſervitutem rapuere, uxores e manibus virorum, & liberos a parentum complexu divellentes partim jugularunt, partim ante oculos fœdiſſime conſtuprarunt: Ea nocte pluribus locis caſtra habuere, ubi illuxit ad ripam *Sontii* ſe receperunt, uniuſque diei a flumine itinere recedentes abeuntium ſpeciem præbuere,

E quod cum ita omnibus perſuaſum putarent denuo haud minore tumultu quam prius in *Tranſtiliaventanos* erupere: abductaque demum ingenti præda complures villas maximo omnium luctu atque ululatu combuſſerunt: Et quia terra marique copiæ ex urbe *Veneta* ad eorum incurſus reprimendos adventare dicebantur, continuo *Italiæ* finibus exceſſere: *Veneti* vero navigia aliquot ſagittariis plena, & ex *Tarviſino* agro proximiſque locis plures equitum turmas in hoſtes emiſerunt, ſed tunc cum abiiſſent. Miſſi ſunt etiam *Joannes Æmus* eques, *Zacharias Barbarus*,

F *Dominicus Georgius*, qui ea Legatione *Utinæ* occubuit, & *Candianus Bolanus*, ut inſpicerent quo pacto barbarorum incurſibus tutius iri obviam poſſet: Conſtititque inter eos mature omnia decernentes *Gradiſcana* caſtra, omiſſis cæteris inutilibus aggeribus non ſolum valido præſidio armiſque, ſed vallo etiam foſſaque munienda. Cum hoſtis denuo poſt biennium adeſſet, aciemque ante *Gradiſcana caſtra* explicuiſſet, *Carolus Montonus* militiæ Dux inclytus cum validiſſimo equitatu a *Venetis* miſſus ſuos intra vallum inſtructa acie quaſi per occaſionem irrupturos continuit:

Tertia *Turcarum* incurſio.

tinuit: sed hostis conspicatus nostros nil temere comissuros digressus inde per quatuor millia passuum, intra *Medeæ montem* & *Cormonem* castra locat, ubi non parum *Vorlici* a gente Comitum *Civitatensis* stratagemate territus est: Is *Turcam* sermone latino ante *Cormonis* vallum loquentem cum audisset, sciscitatus est ab eo, an data fide redeundi vellet se externas cupidum videndi copias in castra ducere, qua impetrata profectus, cum a *Scanderio* interrogatus esset de numero nostrorum equitum, longeque majorem asseruisset, quam *Æthyops* quidam transfuga dixerat, qui præsentiens *Carolum* hostes tripartito agmine invadere statuisse rem omnem aperuerat,

Stratagema Vorlici.

37. v. per singulas Ducum catervas præsente assentienteque *Æthyope*, qui non ad ipsarum deficiens supplementum, sed ad milites superstites adverterat, comprobavit quæ recensuerat. *Æthyops* male agens, qui verum dixerat, palo infixus est, *Vorlicus* astu militari bene agens mendax muneribus dimissus ad suos rediit. His falso exceptis *Scanderius* postridie per *Plytianas* valles ad montes direxit agmen, ubi per abrupta *Alpium* loca ipsis etiam incolis aditu difficillima ac pene invia in eam *Germaniæ* partem, quæ *Zelia* dicitur, evasit. Non igitur aggeres aut communita castra ad arcendum transitu Barbaros in tam patenti agro sat sunt, sed justi robur exercitus, strenuorumque militum a præstanti Duce instructæ acies opponendæ. Regressus & postremo *Scanderius* anno quadringentesimo nonagesimo nono supra millesimum, cum *Ludovicus Sfortia* Dux *Mediolanensis* a *Ludovico Aurelianense Gallorum* Rege, ad quem principatus ille jure matris *Valentinæ* unicæ *Joannis Galeatii Mediolanensis* Ducis legitimæ filiæ, spectare videbatur, pulsus ad *Maximilianum* Cæsarem in *Alemania* profectus esset, ut ab eo redeundi auxilium imploraret, postquam res *Germanicas* lente agi vidit, non tamen spe illa diffisus *Ambrosium Bugiardum* & *Martinum Casalem* ad *Baysettum Othomanum Turcarum* Imperatorem misit, ut ipsum, qui jam bellum in *Venetos* moverat, excitarent, quo terra marique oppressi ab alieno desisterent, pollicitus, gentibus suis cum in *Forojulio* essent, duodecim millia hominum missurum, & si adhuc non esset Imperio potitus, ex *Germania* illic cum omni robore adesse, quibus parvo negotio civitates *Venetis* adimerent: Sed fortuna detestando ejus voto non subscripsit, quamvis *Baysettus* quæ spoponderat præstiterit, *Scanderium* cum octo millibus equitum mittens qui pridie Kalend. Octobris super *Sontium* applicuit, appositoque præsidio non longe a *Gradisca*, ubi milites *Veneti* sub ductu *Caroli Ursini*, *Andrea Zanchano* Legato adventum hostium morabantur, pacato agmine sine injuria cujusquam ad *Tiliaventi* ripam densis copiis processit, superatoque impigre flumine versus montes, ad quos veluti ad tutiora loca quam plurimos confugere perpenderat, *Liquentiam* usque contendens *Transtiliaventanis* inopinantibus, multisque ab antecursoribus in tripudio repertis cladem maximam intulit, plerisque pagis incensis, ingentique præda abducta. Eadem quoque calamitate in *Portus Naonis* agro *Cæsarei vectigales* affecti sunt, qui tametsi *Princivallum Manticam* Jureconsultum & *Pompejum Richerium* ad *Scanderium* miserint, ut cum nullum constaret *Turcarum* Regis cum Imperatore bellum de liberandis saltem captivis ageret, nihil tamen a communi Christianorum hoste impetrarunt: In reditu autem *Tiliaventum* transiturus, quod per eos dies creverat, cum exercitus nostri, quem in *Gradiscanis castris* dixi-

Quarta Turcarum incursio.

Portus Naonis.

mus esse, timeret impetum, obtruncatis captivis, quos mille & quingentos fuisse ajunt, non longe a *Valvasono* densissimo agmine, magno quoque numero jumentorum supra atque infra constituto flumen trajecit, castraque ad *Panthianicam cortinam* (sic enim vocant locum illum munitum incolæ) posuit: Qua expugnata ducentos partim interemit, partim in servitutem abegit, & dum aliam *Morteliani* expugnare nititur, re infecta octo diebus excurrens cum inextimabili præda discessit, ferunt decem millia ampliusque ea *Turcarum* incursione desiderata: Longeque majus proculdubio vulnus illatum esset, nisi eos passim pluribus turmis, ut assueverant, divisos *Græci* & *Epirotæ* levis armaturæ equites Stratiotas vocant, qui circiter octingenti *Venetorum* stipendio militabant, vestigiis excurrentium insistentes multis captis cæsisque ab effusiori clade arcuissent. 38.
Marco Barbo, qui vixit in Pontificatu annis uno & viginti *Hermolaus Barbarus* homo unus (ut multi illum appellavere) ex reliquiis aurei seculi, quamvis ipse longe doctior, & non illi sanctiores, ab *Innocentio* VIII. Pontifice apud quem pro *Venetis* Legationis munere fungebatur, suffectus est, qui Patribus non authoribus contra civitatis decreta, cum non recusasset, exilio mulctatus est: *Nicolao Donato Nimosiensi* Episcopo in Patriarchatu ab ipsis declarato: Neutro regente *Jacobus Valaressius Justinopolitanus* Episcopus *Aquilejensium* Canonicorum œconomus administravit, donec *Barbarus* non sine utriusque linguæ jactura *Romæ* obiit: Cujus tumulo Epitaphium excisum est.

Hermolaus Barbarus Patriarcha LXXXIV.

BARBARIEM HERMOLEOS LATIO
QUI DEPULIT OMNEM,
BARBARUS HIC SITUS EST UTRAQUE LINGUA GEMIT:
URBS VENETUM HUIC VITAM, MORTEM DEDIT, INCLYTA ROMA.
NON POTUIT NASCI NOBILIUSVE MORI.

Nicolao Donato instituto, qui post annos quatuor in *Civitate Austria* decessit *Dominicus e Grimana* gente nobilissima Episcopus *Portuensis* Cardinalis Sancti *Marci* Patriarcha sextus & octuagesimus successit, Philosophorum & Theologorum ætate nostra longe Princeps, cujus admirandas virtutes atque illustria gesta immortali memoria digna compendio inseruissem, si aut libello modus dari, aut infirmæ vires nostræ subsistere potuissent: Id unum silentio non involvam, illum nil quicquam ardentiori unquam studio curasse, quam ut doctrina moribusque exculti venerentur, eos in aulam suam splendidissimam bibliothecaque in omni scientiarum genere ornatissimam undique perquisitos alliciens. Cui *Marinus Grimanus* ex fratre nepos ab ejus vestigiis non aberrans continuo assidet, *Aquilejensi* & ipse Patriarchatu a *Leone* X. Pontifice haud immerito consecratus, ut ambo veluti gemmæ auro admotæ mutuum decus & darent & acciperent. Florebat per eam tempestatem *Forojuliensis* regio, quæ præter quam quod deliciis abundabat, viros etiam omni disciplinarum genere clarissimos habuit, hos inter enituere *Thomas Cassinus* Episcopus *Chysimmensis*, *Hieronymus Purliliensis* Comes Episcopus *Torcellanus*, nepotesque ex fratre *Paulus* & *Vinceslaus*, *Jacobus Purliliensis* Comes, qui stemmate, divitiis, virtutibusque sicut lilium inter flores eminent, *Jacobus Gordinus*, *Ludovicus Urseolus* Theologus, *Amasæi*, e quibus *Gregorius* cunctarum pene disciplinarum studiosissimus, quamquam *Menandri* poetæ exemplo condigna gloria fraudatus, jam cæteris ne-

Nicolaus Donatus Patriarcha LXXXV.

Dominicus Grimanus Patriarcha LXXXVI.

Marinus Grimanus Patriarcha LXXXVII.

Viri Forojulienses ætate nostra clarissimi.

glectis felicius cum musis suis otietur, de quo posteritas rectius sentiet, si quando multisciæ ejus lucubrationes invulgabuntur. Sunt & quorum nominibus parco, veniet eorum laudi tempus suum, ad posteros enim virtus durabit non perveniet invidia. Floruit & *Antonius Zucchius Nimosiensis* Episcopus cujus auspiciis nuptiæ inter *Jacobum Cypri* Regem, & *Catharinam Marci Cornelii* filiam a Senatu *Veneto* adoptatam celebratæ sunt, ob quam Rege paulopost defuncto, posthumoque infantulo immatura morte prærepto *Cyprus Venetorum* ditioni cessit. Sed cum sit ea rerum humanarum conditio, ut quos fortuna plerumque beneficiis ornavit, eos ad duriorem casum reservet, ipsosque magis invidia solicitet, quos indulgentius amplexa videbatur, perspicuumque sit immortalem Deum instabilem orbi rotam statuisse, quo sciamus inferiora hæc caduca fragiliaque juxta esse, cœlestemque contra Sedem solam esse felicitatis ac summi boni domicilium æternum, ita plane accidit ut hanc florentissimam antea pacis artibus regionem vis deinceps eadem fortunæ sævis tempestatibus, variisque turbinibus afflixerit: Hinc bello publico & intestino exorto, fœdissimæ hominum cædes, bonorum direptiones, prædiorum depopulationes, oppidorum incendia atque excidia secuta sunt: Hinc terræmotus horrendissimus maximo omnium terrore plura ædificia undique disjecit, eoque perennes multi exaruere fontes, hinc pestis sævissima supervenit; quæ per universum *Forumjulium* late debacchata nihil intactum omisit: Ad hæc, quasi calamitatem comitentur calamitates multæ, successit gravissima fames: Quibus malis adeo *Forojuliensis* regio consternata est, ut decore prisco penitus amisso deformem horrentemque faciem induerit: Ubi enim frequentes antea populi, nunc in vastitate rari apparent, diruti vici, exusta phana, desolati agri, triste spectaculum non sine lachrymis ostendunt, & qui divitiis affluebant paupertate obruti humillime sordescunt. Orto igitur bello inter *Venetos*, qui cum *Ludovico Aurelianense* ad exitium *Ludovici Sforciæ* Ducis fœdus aliquot ante annos percusserant, & *Maximilianum* Cæsarem, qui *Ludovico* Duci favebat, postquam Imperium omne *Sfortiæ* sublatum est, captivusque per *Helvetios* milites suos, quibus ex fortuna plerumque pendet fides, in *Galliam* transmissus, Cæsar belli molem in *Venetos* ducens anno post Christi ortum VII. supra M. D. quindecim bellatorum millia per *Tridentum* ut in *Veronenses* irrumperent destinavit. At se hostiliter opponentibus *Nicolao Ursino Petiliani* Comite copiarum *Venetarum* Imperatore, & *Joanne Jac. Triulcio Gallorum* præfecto non ulterius progressi sunt. Aliis duobus millibus, quibus præerat *Sixtus* eques per *Cadubrinos* saltus descendentibus, in eos *Bartholomæus Livianus* cum *Georgio Cornelio* equite Legato alterius exercitus *Veneti* apud *Forojulienses* ductor, profectus ipsum *Sixtum* cum mille & quingentis, qui frustra supplices post Ducem primo impetu sagitta cæsum projectis armis flexis genibus passisque palmis vitam petierant, edicto promulgato ut nulli parceretur, crudeliter admodum confecit, reliquis quingentis, qui per imminentes montes fuga dispersi evaserant, post sedatam aliquantulum tantam humani sanguinis sitim, in captivitatem abductis, postridieque *Arcem plebis* proximam tanto militum studio aggressus est, ut cum nullus ob innumerabilis tormentorum ictus locus propugnatoribus tutus esset, neque oppugnantes facile repelli aut offendi possent, quamvis prærupto colle viris atque altis

Cyprus Venetorum ditioni cessit.

38. v.

Forumjulium attritum.

Bellum inter *Venetos* & *Gallorum* Regem cum *Maximiliano*.

Nicolaus Ursinus. Joan. Jacobus Triultius. Sixtus eques. *Bartholo. Livianus. Georgius Cornel.*

Strages *Germanorum Cadubrina.*

Arx plebis expugnata.

A mœnibus munitam intra quatuor horarum spacium expugnaverit. In cujus oppugnatione *Carolus Malatesta* adolescens illustris, & militaris disciplinæ supra ætatem peritissimus, ictu lapidis, dum murum audacter ante alios insilire nititur, concidit. *Cadubrioque* recepto subinde *Cormonem* natura & præsidio arduum, quo plurium divitiæ delatæ fuerant, expugnando, mox *Noriciam* adortus, quam *Andreas Lichtenstaynus* & octingenti *Germani* fortissime tuebantur, murisque jam propemodum bellicis machinis solo æquatis, cum aliquamdiu cruento Marte certatum

B esset obsessique his se conditionibus tradidere, ut *Germani* simul & pauci *Hispani* incolumes excederent, oppidumque a direptione servaretur. Interim *Cornelius* Legatus vir mitis ac sapiens, cui gravis admodum *Germanorum* cædes illa supplicum visa est, satius ratus hostes ad se venientes munifico amplexu illæsos servare, quam loca vi capiendo inexhaustæ avaritiæ milites turpi præda ditare, *Thomam Candidum* invicti animi juvenem ad *Ungrispacham* munitissimam *Sontiacæ* vallis arcem misit, ut custodes ad imperata faciundum induceret, nec talem direptionem & vim expectarent, qualem *Cormonenses* passi fuerant,

C & *Noriciani* jam ante oculos habebant, alienisque malis utili exemplo docti amicitiam malint, quam vim experiantur, qui cum voti compos ad suos rediret ab incolis vallis incognitus ictu tormenti miserabiliter vulneratus occubuit: Cujus quidem fratris nostri jucundissimi mortem immaturam nimis ac peracerbam non possem ego nisi acerbissime perferre, nisi eidem inter varia mortis genera, quæ quasi saxum *Tantalo* (ut ajunt) hominibus semper impendent, non obtigisset, quod est pro patriæ pietate pulcherrimum, fortunata enim mors, quæ naturæ debita reipublicæ est potissimum reddita, vita namque brevis longa

D bene actæ memoria in posteros summa cum laude & gloria perpetuatur. *Tergestum* praeterea terra marique oppugnantes atque pleraque oppida usque ad *Posthæmam* partim vi, partim deditione obsidibus armis perfugisque acceptis cepere, ad ulterioraque conficienda negocia impigre processissent, nisi *Georgii Tridentini* Episcopi, *Nicolai Firmiani*, *Cypriani Serentaneri*, *Henrici Canoringeni*, & *Pauli Lichtenstayni Germanorum*, *Zachariæque Contareni Veneti* equitis interventu induciæ cum *Maximiliano* ad triennium intercessissent. Iis egregie peractis *Veneti Livia*

E *no Portumnaonem*, quem Cæsari ademerant; dono dederunt. Interea Principes fere omnes *Europæ* quarto nonas novembris eodem anno in urbe *Cameracensi*, quibus cum etiam *Ludovicus Gallorum* rex erat, ad *Venetorum* excidium conspirarunt: *Julius* enim secundus Pontifex, *Ravennam*, *Ariminum*, *Cerviam*, *Faventiam* petebat: *Ferdinandus Hispaniarum* Rex *Brundusium*, *Tranum*, *Hydruntem*, & *Monopolim*: atque alii multa. Inter eos statutis conditionibus *Ludovicus* Rex cum exercitu quinquaginta millium transeundo *Abduam* limitem inter *Venetos* & *Mediolanense*

F Imperium venit prope *Pandinum*, ubi illata peditibus strage, fugatisque *Venetorum* equitibus per deditionem cepit *Caravagium*, *Bergomum*, *Brixiam*, *Cremonam* & *Cremam*: Mox semihoræ curriculo per vim *Piscariam* trucidatis pene omnibus, nec ultra ex lege progressus est, dedentibus se quamprimum *Maximiliano* Cæsari *Verona*, *Vicentia*, *Patavio*, *Feltro*, *Belluno*, *Seravalle*, atque plerisque oppidis. *Veneti* autem extremum quid veriti, tantos sæpe una dies vel potius hora clades attulit, ut hostes placarent *Romanæ* Ecclesiæ *Ravennam* aliasque civitates resti-

Carolus Malatesta occubuit.

Cadubrium receptum.

Cormon expugnatum.

Noricia deditio.

Georgii Cornelii clementia.

Thomas Candidus ictu tormenti occisus.

39.

Tergestum aliaque oppida capta.

Induciæ cum *Maximiliano*.

Portus naonis Liviano donatus

Fœdus principum *Europæ* in *Venetos*.

Initium sævis. belli.

Venetorum irritum Consilium placandi hostes.

restituerunt: *Ferdinando Brundusium* & reliqua: Cæsari *Noriciam*, *Tergestum*, ademptaque omnia, sperantes redditis ipsis locis in eos ulterius non processuros. At longe aliter evenit; Reges enim & Principes plerumque neminem vel hostem vel amicum habent, sed ex eorum commodo amicitias inimicitiasque metiuntur, quapropter statuentes sese viriliter defendere ingenti reparato exercitu nihil quicquam extremum studii omittentes *Patavium* non satis *Germanico* munitum præsidio patefacta *Porta Crucis* haud difficulter recepere; bellatorum ibidem quadraginta millia imponentes. Cæsar vero majoribus copiis tam suis quam sociorum per mensem immanibus tormentis trecentos ampliusque mœnium passus dejiciens urbem frustra obsedit, mox infecto negocio *Vicentiam* conversus discessit: Quam illico eggressi *Veneti* sicut & pleraque recuperarunt, per deditionem quoque in *Forojulio Portum naonem*, *Belgradum*, *Neocastrum*, & *Cormonem* recipientes. Hæc siquis ante oculos ponet quot civitates *Veneti* uno pene impetu amiserint, quot item ad pristinam vitutem reversi hominum millia, quas vires, quantosve apparatus hostium sustinuerint atque propulerint, certe nec divitiis vel armis vel multitudine adversantium deterritus a patriæ & communis soli defensione desistet,

Patavii recuperatio. Oppugnatio Patavina.

Gesta in Forojulio.

39. v. quinimo vel ex eo magis laudabitur quod a fortuna jactatus per labores, per ærumnas, per incommoda potuit splendescere, nam ut secundæ res felicem, sic magnum faciunt adversæ. Interim *Henricus* Dux *Brunsuigius* Cæsareus Legatus cum quatuor millibus equitum ac peditum quinque, quibus etiam præerant *Christophorus Rauber Labacensis* Episcopus, *Michael* & *Christophorus Frangipanes Madrusiæ* Comites, exustis omnibus fere pagis inferioribus, loco, quem *Cerebrum* dicunt, ab *Utina* duobus millibus passuum consedit, triduo castrametatus, non quibuslibet ex æquo belli calamitatem inferens, ut suspecti illæsi fierent, quo seditio in civitate inclamantibus præcipue læsis oriretur, sed quia neque ideo tumultus excitatus est, nec minus in urbe quam in castris strenui bellatores aderant, inde abscedens *Rosacium* contendit quod proximis diebus nullo adversante habuerant: Id mox receptum *Civitatenses* centum peditibus impositis munierant, quo expugnato, trucidatis pene omnibus inde *Civitatem Austriam* copias admovit, partem murorum, qua *suburbium Dominicum* continetur, pilis ferreis per ænea tormenta excussis dejiciens, acriterque urbem omnibus ex partibus oppugnans, *Civitatensibus* noctu collapsa impigre reparantibus, pugnamque cum hostibus, qui scalis muros ascendebant, intrepide conserentibus, eos saxis, telis, ferventi aqua, liquefactaque igni pice propellentibus, aliis super alios, qui mœnibus audaciores institerant, ad ima devolutis, nec militaris modo ætas aut viri tantum, sed fœminæ quoque puerique supra animi corporisque vires id magnanime præstitere: Expugnatione sæpius frustra tentata, quingentis fere desideratis, finitima comburens direpta prius *Aquileja*, *Montisfalconisque* agro *Brusuigius* inglorius reversus est *Noritiam*. Degener profecto atque immemor progenitorum a claris *Othonibu* genus jactans, qui tot bona magni Cæsares & privilegia *Aquilejensi* Ecclesiæ munificentissime contulerunt. Interea in oppugnatione ipsa *Joannes Paulus Gradonicus* Præses egressus *Utinam* agmine septingentorum equitum incomposito, dum versus obsidentes iter cepisset, ab hostibus, qui ad Divum *Donatum* occurrerant, facto impetu ex nostris ad quinquaginta,

Henricus Dux Brunsuigius re infecta Utina discedens.

Oppugnatio Civitatis Austriæ.

Aquileja & Mons Falcodirepta.

Johannes Paulus Gradonicus profligatus.

A qui statim terga dederunt capti, totidemque & eo amplius, e quibus *Tiberius Purliliensis* Comes, *Joannes Prampargius*, *Meleagri*que gener *Forojuliensis* ordinum ductoris cæsi sunt. Non destiterunt hostes jugi bello crebris magis quam dignis memoratu præliis *Forojulienses* vexare, quos & milites *Veneti* assiduis concussionibus attritos supra modum reddidere. Addita sunt tot jacturis & diffidia perniciosissima inter cives, quibus opulenti pene omnes graviora bello passi sunt. Decreveram hic nefandissimam nobilium direptionem atque cædem transilire, quam præ-

B terquam quod multis hac in re suspecta censeri posset narratio nostra, ejus mentis semper fui nullum quempiam etiam provocantem lædere exoptans concordiam, cunctaque inter omnes non injuria, sed jure agi, pauca tamen, quæ ipse miserrima vidi, ac sensi, perstringere institutum me opus impulit, quamquam animus meminisse horret, quæ forte ab aliis effusius præscribentur. Cum itaque *Antonius Savorgnanus* Jureconsultus *Nicolai* equitis filius diversis artibus usus, quibus pater integerrimus summa omnium benevolentia longe ante alios præstabat, optimates adversantes quo major cæteris videretur

C prosternere statuisset, in eos dolose plurima machinatus est, adeo ut aliquos etiam ad libitum vulnerari trucidarique mandaret, *Albertini* insuper *Coloretæi* equitis castellum *Stirpeum* concitato agrestium tumultu diripuerit everteritque rebellionis insimulando. His 40.

Antonii Savorgnani adversus optimates immanitas describitur.

adacti optimates centum delectos milites ad custodiam corporis adsciscunt, quod (ut palam ferebatur) animadvertens *Antonius* capitis jam sui anxius *Marianum* divertit, ubi mandatum a *Venetis* oppugnandi *Cormonem* commentus est habere ad rem perficiendam ter mille agrestium *Utinæ* convocavit, adjecta quoque ædibus occulte alia si-

D cariorum caterva, utque promptius conceptum nefas patraret, perurgentibus præcipue familiaribus perditissimis, finxit cum adversariis conciliationem exoptare, quo facilius nil suspicantes opprimeret, ejusque rei authorem *Ludovicum Gradonicum* præsidem excitavit, civitatem dictitans esse omnem in armis, divisos cives, divisum populum, suas quemque clientelas proferre, quos nisi protinus pacatos reddiderit, fore ut pars cum parte ad totius exitium corporis confligat, id ne accidat positum in ejus diligentia atque authoritate. Præses & si hominis fraudes nosset,

E non ignorans tamen quantum ad conciliandas dissensiones sedandasque controversias diserta sapientis viri verba efficere consuessent, *Theseum Coloretæum* Jureconsultum, *Ludovicum Turrianum*, *Franciscum Cergneum*, *Sebastianum Thomasium*, *Joannem Leonardum Fratrinatem*, *Joannem Baptistam Candidum*, ac *Joannem Candidum* Jureconsultum, veluti optimatum primores advocavit concordiam facundissimis verbis suadens, quam haud gravatim impetravit. Inita simulata conciliatione per urbem lætabundi simul concesserunt, ut publice conspicerentur, & quasi Diis jubentibus futura impietas universis eluce-

Conciliatio inter A. Savorgnanum & optimates.

F sceret. At ipse postquam insequenti nocte multa pernox de pace cogitasset, jamque illam veluti tutiorem amplecti non ficte videretur, ab adsistentibus exitiosissimis pertinaciter impulsus necessaria maxime ad patrandum facinus disposuit. Orto igitur mane ejus, quem *Dionysiorum Jovem* vocant, invulgavit *Germanos* hostes *Prædemanum* pagum ab *Utina* tribus millibus passuum diripere, pulsata arcis campana, quod potissimum ad colligendum multitudinem signum erat, incondita agrestium ferocientium turba, veluti sylvestres

Seditionis exordium.

vestres & immites feræ eum secuti parum extra suburbium *Aquilejense* egressi sunt: Ubi semotis aliis Principum factionis cœtu coacto in adversarios seditiosa atque improba oratione ea perfide invectus, quæ in eum retorqueri merito potuissent: Infit quanta ab initio detrimenta injuriasque a paucis quibusdam opulentis passi fuerint, qui superbe crudeliter per libidinemque omnia involventes humiliores ad extremam inopiam & servitutem trudere conati sunt: Explessentque jam inexplebile votum, ut nihil amplius ipsis præter miseram animam reliqui esset, ni fortiter audacterque ipse occurrisset, se suaque omnia ad impios eorum conatus evertendos intrepide objiciens: Hinc *Germanis* regionem infestantibus, quibus cum proculdubio colludunt, non posse absque summo discrimine externis intestinisque hostibus resistere, hortatusque est omnes si patriam suam salvam capiant, ut nulla interjecta mora sumptis epulis, universos, quorum nomina syngraphis adnotaverat, interficerent, domos castraque diriperent & incenderent: Hanc suam esse sententiam, a *Venetorum* mente, quos prius consuluisse mentitus est, non alienam. Facilis fuit suasio rerum novarum studiosis, tum quia unus velut morbus non *Utinam* modo, sed multas *Europæ* civitates invaserat, ut plebs ab optimatibus dissentiret, tumque ut bona divitum lucri præsertim dulcedine pellecti diriperent. Tumultuose itaque cuncti urbem ingressi eodem authore vicinam *Turrianorum* domum furibundo fremitu adoriuntur: Qua seditione
40. v. coorta, ut sedari haud facile posset, præsertim ad internecionem ejus monitu capitibus factionis obstinatis, quo tanti facinoris culpam in furorem popularem rejiceret, confestim in arcem ad præsidem convolavit, attonitoque persimilis, nihil cunctandum inquiens admonuit, ut, cum ipse obsistere nequivisset, authoritate publica furentes compesceret, quibus auditis, ejusque dolis optime cognitis præses, ut nihil inexpertum omitteret, cum paucis desiliens facinorosorum tumultui supervenit, quos quamquam hortatu plurimo & minis gravissimis divertere a tanto furore conatus esset, nunquam tamen aliqua ex parte dimovit, quinimo in ipsum Præsidem petulantibus jurgiis conversi magistratus majestatem aspernantes multas injurias intulere, ex quibus nonnulli ad armamentarium apparatus bellici accurentes fractis ostiis falconettos atque alia id genus tormentorum exportarunt, quibus oppugnatam undique domum facilius assequerentur. Veriti autem *Turriani* tantum furorem, suspicantes quoque non sine *Venetorum* permissu id fieri, apud quos magna tum pollebat authoritate *Antonius*, dimissa pugna, quæ per tres horas continenter fuit ad secretiora proximarum ædium abdita confugere, sua sperantes innocentia in futurum falso objecta perpurgare. Ingressi vero furibundi oppugnantes domum diripuerunt, direptam igni subjecerunt: volitantes deinde hinc illuc cum ferro ac facibus per urbem trepidantem veluti extremam perniciem oculis non aliter quam si a barbaris sævientibus capta esset, obversantem, pari modo diripuerunt ædes *Joannis Baptistæ Candidi*, *Francisci Cergnei*, *Trajani Percoti*, *Soldonerii*, *Leonardi Guberti* Philosophi, *Sebastiani Thomasii*, *Augustini Pertistanii*, *Polidori* & *Joannis Leonardi Fratrinatum*, *Albertini Coloretæi* equitis, *Joannis Candidi* Jureconsulti, *Baptistæ Bartolini*, *Antonii Braciachi*, *Martini Valentini*, *Petri Urbani Castellii*, *Troili Arcoloniani*, *Friderici Coloretæi*, & *Jacobi Castellii* Jureconsulti clarissimi, quam etiam igne absum-

Direptio cædesque optimatum.

A psérunt, mox per latibula quæque obscurissima perfractis passim domibus nobilissimos viros quæritantes, suppliciaque etiam districtis gladiis & cruentis occulentibus adscribentes, *Ludovicum Isidorum*, & *Nicolaum Turrianos*, *Theseum Coloretæum* Jureconsultum, *Fridericum Coloretæum*, *Soldonerium*, *Joannem Leonardum Fratrinatem*, *Baptistam Bartolinum*, & *Apollonium Gurgitem* crudelissime trucidarunt, quos nudos viis abjectos publicis tota civitas inspexit, nemine intuentium vocem in tantis calamitatibus ob pavorem emittere audente. Vidisses hic tumultuantem
B turbam alieni odii ministram cadavera occisorum quos pridie venerabundi observaverant, nullo dehonestamenti omisso genere certatim pedibus conterere, in eaque præcipiti rabie sævientes atrociter adeo insurgere, ac si mala omnia iis authoribus perpessi essent, a quibus ingratissimi plerique beneficia multa jamdudum acceperant. Tanta nonnunquam homines suæ conditionis obliti immanitate insaniunt, noctu vero nullo sepulturæ honore habito in æde, maxima una eademque fovea sepulti sunt, alii delitescentes tantum furorem evaserunt. *Vergonium* & *Narniensem* percussorum ductores, qui magnam auri at-
C que argenti vim diripuerant, vino somnoque sepultos eadem nocte *Antonius* & *Nicolaus* filius Decanus *Utinensis* Canonicus *Aquilejensis* cum domesticis fidelissimis injectis collo laqueis strangularunt, multi credidere eos id fecisse, ut tam diti præda potirentur, alii ne omnium conscii patefacerent quæ acceperant, eosque in proximum Divi *Joannis* puteum profundissimum operculo paululum elato, cum *Petri Urbani* 41.
ancilla, quæ forte superveniens id facinus depræhenderat, projecerunt. Ea cadavera mense insequenti, dum tellus ingenti concussa esset motu, summoto Philosophorum monitu operculi
D impedimento, ut venti terra occlusi exhalarent, a multis conspecta, jussu Præsidis non sine acri concurrentis populi detestatione educta sunt. Direptores postridie & carnifices prætiosis rebus onusti ad reliquos civitatis divites diripiendos exardebant, quos omnes, nisi tertia luce *Theodorus Burgius* e *Gradisca* cum centum equitibus affuisset diripuissent interfecissentque. Præses itaque *Theodorus*, ac *Balthasar Scipio Senensis*, cum aliis centum levis armaturæ capitalem pœnam interminati omnes, urbe jam ad ultionem conversa, ejecerunt, qui ad ulteriora damna procedentes sceleraque immanissimis sceleribus
E addentes, convincto spe rapinarum egentissimo quôque, castella *Villaltæ*, *Morutii*, *Braciachi*, *Tricani*, *Cusani*, *Zopolæ*, *Valvasoni*, & *Spilimbergi* diripuerunt, cujus etiam arcem amplissimam venustissimis ædificiis ornatum combussere. Sed non passus est justus Deus scelestissimam illam hominum fecem, & colluviem ignominiosi agminis fœdam diu nefandissimis sceleribus gloriari, his enim ut bona direpta prætercam, quæ quam paucis diebus cum reliquo censu effluxerint, vix credi potest, non aliud contigit quam quod de *Equi Sejani* Dominis & auri *Tolosani* di-
F reptoribus legitur: tantus enim in eos ignis malorum exarsit, ut omnes fere tam nefarii authores consilii quam direptores nullo miserante consumpserit: nonnulli namque membratim discerpti sunt: alii cervice confracta procubuere: multi trucidati: aliqui in puteos profundissimos immissi: quidam fluminum vorticibus absorpti: non pauci tenebrosis carceribus afflicti: sunt qui vagantur exules per exteras regiones in ærumnosa vita mortem fugientem assidue exoptantes, plures velut canes rabidi vociferantes infelices animas evo-

Divina ultio in direptores.

evomuere: innumeri, ope hominum destituti, fame extabuerunt, ob idque atrocissimum facinus (ut multorum est opinio) insurrexit *Utinæ* sævissima pestilentia: efferebantur passim e domibus pene singulis per omnes urbis vicos cadavera, cernereque erat horrendam plaustris onustis undique mortis imaginem, vixque jam locis sacris tot excipi poterant, cum etiam alicubi viis publicis acervatim congesta humarentur: Decem millia & amplius quatuor mensibus obiisse traduntur, intus namque pestis famesque, foris gladius, hostibus ad mænia usque quotidie excurrentibus, ii circiter sexcenti erant, quos tamen ingentem demum abducentes prædam *Victurius* Legatus *Scipio* ac *Burgius* e *Gradisca* egressi apud *Mantianillum* pagum nihil penitus de ejus diei eventu metuentes ad unum interfecerunt. Reliqui & ii pauci, quibus relicta est affecta anima, flagellum Dei gravissimum exspectant, prædicente fatidico vate, delebo eos ut pulverem terræ, quasi lutum platearum comminuam eos. Nec *Antonius Savorgnanus*, qui tametsi objecta crimina tam *Utinæ* apud *Andream Lauredanum* Decemviratus concilii præfectum, quam *Venetiis* in Senatu diluere conatus esset, diu in tanta gladiorum impunitate perstitit: cum enim eo ipso anno Præfectus agrestium delectorum constitutus cum eisdem *Sacilum* contendisset, tanti non immemor patrati sceleris, *Venetosque* in eum graviter aliquando animadversuros veritus, dimissa turba Cæsarianis se copiis immiscuit: iis præerant *Georgius Liechtenstaynus*, *Christophorus Rauber Labacensis* Episcopus, & *Antonius Maurus* Jureconsultus *Tridentinus*, qui deductis bis mille equitibus, & peditibus octies mille *Gallorum* & *Germanorum* a magno fœderatorum exercitu *Tarvisium* oppugnante, cujus regimen *Pallicio* proceri *Gallo* attributum erat, in *Forumjulium* venere, hoc diebus octo per deditionem nullo marte occuparunt, *Gradisca* excepta, ad quam *Ludovicus Mocenicus Venetorum* Legatus confugerat, ubi tute cum paucis belli eventum operiri poterat: muro enim crassitudinis miræ, ac propugnaculis quadrati lapidis, bellicisque insuper instrumentis adeo munita erat, ut tota *Italia* memorabilis *Sontio* flumine, profundaque fossa circumdata nullis effringi machinis, aut vinci ullis omnino viribus potuerit: Hac tamen post dies quinque oppugnata sese dedente *Mocenico* confictis *Savorgnani* suasionibus circumvento potiti sunt: Tantam de eo fidem conceperat legatus ob pristinam a Senatu decretam authoritatem, ut etiam hostiliter omnia pervertenti crediderit, quantum igitur detrimenti afferat quempiam longe ante alios in civitatibus efferre, intestina & publica clades exemplum præstitere. Cæsar ad *Oenipontem* agens, quod oppidum, *Spruchum* vocant, ubi accepit *Forumjulium* in potestatem suam concessisse mirum in modum exhilaratus est: moxque præstantissimos quosque in concilium vocavit, ut illorum sententias audiret, & ipse diceret, quo pacto regio ab ejus Imperii robore semota, *Venetis*que proxima, & pene ante oculos constituta retineri absque assiduo exercitu possit: Cumque multa a multis dicta fuissent, præ manibus tabellam habens, in qua *Forijulii* situs omnis pictus erat, complura veluti rei eventum præsagiens disseruit: *Germanis* nil minus quam muniendis locis consulentibus: Qui postquam pecunias innumeras ab incolis extorsere *Bernardinum Bertolam Utinæ* prætorem constituerunt: inde *Marianum* a tergo relinquentes ad expeditionem *Tarvisinam* reversi sunt, sed cum difficilis esset, re infecta paulopost abierunt: *Veneti Tarvisium* egressi *Joanne Paulo Gradonico* Duce illico loca omnia præter *Gradiscam* recuperarunt, quam licet dies decem bis mille equitibus, & septies mille peditibus, multisque tormentis bellicis acriter oppugnaverint, non expugnaverunt. *Savorgnano Noritiam* profecto, qui tam implacabile *Venetorum* odium subiit, ut nullum atrociori vindicta persecuti fuerint: nec iccirco *Maximiliano*, ad cujus loca confugerat, gratus: hominem enim stomachatus Cæsar nunquam admisit, semper despexit. Recepto itaque *Forojulio* ipsum multa pecunia proscripsere, bonis in publicum relatis: quæ *Hieronymo Savorgnano*, ubi fidem in eos hoc bello candidam claris gestis comprobavit, cum *Belgradi Comitatu*, *Neocastro*, *Palaciolo*, equestrique ordine contulere: cui etiam *Germanicarum* mercium interstitium, *Niderlecchum Alemani* vocant, concessere, ut id e *Glemona*, unde ablatum fuerat, *Osopium* transfereretur, quamvis reclamantibus mercatoribus, perque *Plytianam* ac *Sontiacam* ditionis Cæsareæ viam se ituros asserentibus, postea *Glemonensibus* nec ab re sit restitutum, quadringentorum reditu aureorum eidem & fisco repenso. *Antonius* demum anno insequenti dum *Villachi* cum *Nicolao* filio omni spe redeundi destitutus vitam degeret morte graviorem, conspirantibus *Hieronymo Coloretæo* Jureconsulto, ac *Joanne Georgio Zopola*, a magnanimo *Joanne Henrico Spilimbergio* sororio nostro in caput profundissimo illato vulnere obtruncatur: Annoque septimo ibidem filius a *Francisco Candido* fratre nostro *Nicolao Coloretæo* & *Joanne Jacobo Capriaco* magni spiritus adolescentibus, minutissimis frustris concisus est. Talem exitum habuere funestissimi tranquillitatis perturbatores, vana spe cogitantes rem suam nobilium sanguine atque bonis posthabito Dei timore stabilire. Cæterum post varios belli motus, dum parvulis præliis contenditur, crebræque hinc inde procursiones fiunt, *Germani* e *Noritia* equites quadringenti pedites sexcenti *Christophoro Frangipane* Duce, ubi *Nicolaum Theupolum* solertia indefessaque opera memorandum jussu præsidis inconsulto a *Mariano* revocatum, ac si nullo amplius præsidio egeret, cum non parva militum manu recessisse intellexere, oblata ipsius potiundi occasione matutina vigilia jugi silentio oppidum citato agmine applicantes spe certa prodito intus exceptoque signo cœperunt, per portam eos inducente *Bartolo* sacerdote, quam suppellectilis res quasdam abducere commentus ab *Alexandro Marcello* Prætore amico parum cauto aperiendam ante lucem impetraverat. Locus est incumbentibus palude & stagnis natura & assiduo proximorum annorum opere mira arte munitus, quem solum *Veneti* veluti quamdam invictam arcem, ac belli tutum horreum ad tutandum ab hostibus reliquum regionis impositis a mari militibus adservari sperabant: ea est plerumque hominum socordia atque imprudentia, ut quæ magno sumptu immensoque labore diutius comparata sunt, parva re illico deperdantur, quorum jactura postmodum neque vi armatorum, neque omnifariis opprimendorum urbium machinis redimi in subjectorum Imperiique detrimentum inextimabile potest. Ut ipsum itaque tam ignave deperditum recuperarent ingenti ardore accensi nulla interjecta mora oppidum oppugnare tam a mari quam a terra decreverunt, triremes quinque, actuarias duodecim, centumque cymbas armatorum mittentes: Ex *Utina Balthasar Scipio* cum equitibus octingentis, peditibus quingentis,

Margin notes: 41. V. — *A. Savorgnani* mors. *Nicolai Savorgnani* mors. — 42. — *Marianum Germanis* proditum. — Ac postea a *Venetis* frustra oppugnatum.

tis, & agrestium quatuor millibus prodiit: A mari pugnatum est triremes ascendente *Scipione*: A continente enim inexpugnabile visum fuit: Sed in oppidum *Germanis* cum præsidio quinque millium, ac XII. colobrinis, sic enim tormenta illa appellant, irruentibus, exercitus *Venetus Utinam* incolumis reversus est: Maritimi milites in terram fere omnes egressi, ac per agros palantes tam celeriter non valentes se ad naves recipere, amissis septem basiliscis, tormentorum aliud est genus, vulnerato *Scipione*, quingentis & amplius partim confectis, partim aqua obrutis, derelicta una triremi in potestate hostium, diffugere:

Monsfalco Germanis deditus.

Germani dimisso valido præsidio ad *Montemfalconem* profecti oppidum per deditionem ceperunt, arce, quæ colle supereminens edito quinquaginta militibus & multitudine tormentorum munita erat, non sine cruore summis viribus ad internecionem expugnata. Altero anno qui fuit, quingentesimus quartus decimus supra millesimum post Christi ortum, *Christophorus Frangipanis*, *Joannes Ausperger*, *Sigismundus Dietrichstaynus*, e *Noritia* cum equitibus mille, peditibus bis mille, ipsos multo pluribus nondum sub signis insecutis, cum sex & quadraginta tormentis æreis raræ atque insolitæ magnitudinis, *Agellum* pagum non longe ab *Aquileja* applicuere, quos *Venetorum* exercitus *Utinæ* hybernatus adventare præsentiens *Sacilum* versus fugam arripuit, *Utinenses* conspicati Præsidem & Legatum cum exercitu non aspernando migrasse (erant enim equites mille, pedites quadringenti, agrestium duo millia) missis ad Cæsarianos præfectos oratoribus, mulctati quatuor mille aureis deditionem fecere.

Utinensium secunda deditio *Germanis* facta.

Hos insecuta reliqua regio præter *Osopium* se dedidit. Ad quod expugnandum illico profecti sunt *Germani*, velutique hamo piscantes aureo locum *Vivisaxi* undique fere abscissum & abruptum natura munitissimum sex & quadraginta dies continenti labore obsedere,

Osopii irrita oppugnatio. 42. V.

Hieronymus Savorgnanus.

quem *Hieronymus Savorgnanus* cum *Osopianis* centum atque triginta, & *Theodorus Burgius* cum octuaginta equitibus, non minus strenue quam solerter tutati sunt, cum enim hostes vim omnem irritam animadvertissent,

Stratagema.

dolo agendum censuerunt: Specus est ad radices montis declivo producto angulo ita obducta, ut neque ex edito prospici, neque a descendentibus per viam solitam videri possit, ibi quingentos delectos milites in insidiis locant occultissime, edocentque se statim summo mane cum copiis obsidione deducta profecturos, ut hoc commento decepti *Osopiani* ad reliquias exercitus sarcinulis itinereque impeditas (ut fieri solet) prosequendas elicerent, quod ubi factum sit, ipsi celeriter prodeuntes montem conscendant, quem haud difficulter paucis adversantibus occuparent, ut actum est, discedunt, non incensis tamen ex instituto eorum tabernaculis: Qua re ab *Osopianis* animadversa, cum adhuc multi canes persisterent, visum fuit tutius tres dies se intra munimenta continentes rei eventum exspectari, eo consilio delusi hostes ejusdem diei subeunte nocte reversi sunt: Quorum stratagemata, si prius *Joannes Franciscus Dedius Clusiæ* invictæ arcis præfectus scite explorasset, deceptus proculdubio haud fuisset:

Stratagema.

Ad eum *Andreas Rauber* durante *Osopii* obsidione considerans difficultatem forte futuram in expugnanda *Clusia* perfugam misit, qui persuaderet *Osopium* vi captum, quoscunque ad internecionem crudeliter trucidatos, idemque ipsi imminere periculum, nisi protinus imperata faciat, qua ratione deterritus *Dedius* inconsulte hosti credens tradita arce se ipsum quo-

A que dedit. Postquam vero nuntiatum est, *Livianum*, quem sæpe asserentem audivi se fatalem *Forojuliensium* Ducem victoriarum, cum duobus millibus equitum & peditum tribus millibus *Portumnaonem* cum *Ricciano* ordinum Duce, & quadringentis equis cepisse, obsidione non ficte dissoluta in *Carnuntium* relictis quatuordecim tormentis æreis non longe a *Clusia*, amissis quoque centum equis citato cursu abierunt: *Forojulio* protinus in *Venetorum* ditione reverso. Interea dum *Osopium* oppugnatur agrestes *Mutiani* Cæsareis nuntiis interfectis frumentum, quod *Marianenses* ad B pistrina miserant, ipsis eversis diripuere, quare Cæsarei Duces ira succensi comprehensis incolis fere omnibus loci, qui centum & quatuor erant adolescentes, viri, & senio confecti, nullo innocentiæ discrimine habito *Glemonæ* singulis vigesimum annum egressis ambos oculos, cæteris junioribus singulos effodi jusserunt, hisque pro altero lumine tres digitos abscidi, & cruce in facie incisa deturpari, quo testatior universis eorum pœna esset.

Agrestes *Mutiani* a *Germanis* excæcati.

Mariani secunda oppugnatio.

Veneti autem victores iterum anxie cupientes *Marianum* recuperare missis multis navigiis, viris, armisque egregie instructis *Vincentio Capellio* præfecto, atque a continente exercitu C equitum & peditum ingenti, *Joanne Victurio* Legato, & *Joanne Paulo Manfronio* strenuo militiæ Duce, quibus cum indignum videretur famem hostium operiri, ad oppugnandum oppidum conversi cuncta expugnandis urbibus reperta apud veteres aut novis ingeniis struxere, miro studio ac jugi opere se tuentibus *Marianensibus* & *Germanis*, in oppugnantes tormenta, sagittas, ignes eminus strenuissime jacientibus, non sineque fœda utrinque cæde aliquando prodeuntibus: cumque educto prope æquali mœnibus aggere dietim inde pilis ferreis innumeris per basiliscos excussis, extrema quæque obstinatis animis D subiissent, post duos demum menses adveniente novo *Germanorum* exercitu sub ductu *Nicolai Salinensis* Comitis, *Sigismundi Rogendorfii*, & *Joannis Auspergii*, coacti ab obsidione recesserunt: 43.

Porpetii incendium.

Germanicis militibus incenso *Porpetio* varios per vicos discurrentibus, *Marianoque* bellatoribus & commeatu abunde munito, ad *Gradiscam* reversi sunt, ex qua non multos post dies prodeuntes confertis turmis copias *Venetorum* apud *Castellionem* commorantes capto *Victurio* compluribus cæsis captivisque abductis fugaverunt, sese exercitu *Prædemanum* pagum præcipiti fuga recipiente.

Victurius capitur.

E Interea vero dum *Marianum* oppugnabatur factis aliquibus excursionibus a *Christophoro Frangipane*, qui *Gradiscam* concesserat, tandem male providus in excursu, dum *Joanni Victurio* insidias parat ab eodem & equestribus levis armaturæ pari circumventus arte captus *Venetias* magna gestientis populi festivitate ducitur, sicque ambo parva temporis intercapedine ostenderunt, quam sit vanum ob res secundas in fortuna spem sitam habere.

Christophorus Frangipanis capitur.

Non multoque post *Strasoldum* ab hostibus igni absumitur, ne commeatus e *Noritia Marianum* missi eo intermedio intercipi F possent.

Strasoldi incendium.

Belli quies dum inter *Maximilianum* & *Pannoniæ* Regis filias nuptiæ contrahuntur.

Cessavit pluribus mensibus in *Forojulio* tantus belli furor, dum interim ad fœdus ineundum nuptiasque celebrandas *Maximilianus Cæsar*, *Uladislaus Pannonum*, *Ludovicus* filius *Boemorum* ac *Sigismundus Uladislai* frater *Sarmatarum* Reges *Viennæ Pannoniæ* convenere, ubi *Anna Uladislai* filia alteri ex nepotibus Cæsareis *Carolo* vel *Ferdinando*, aut neutro illorum assentiente, ipsi Cæsari, atque *Maria* Cæsaris neptis *Ludovico Boemo* Regi solenniter collocatæ sunt.

Induciæ inter agrestes.

Universis conclamantibus utriusque Imperii agrestibus, ut inter eos saltem, a quibus agri coluntur, ad commune

Induciæ inter agrestes.

Leonardus Emus Præses.

mune commodum induciæ fierent: quæ haud difficulter indictæ fuere: Id imprimis curante *Leonardo Emo* Præside, cujus etiam pervigili opera fossæ *Utinenses*, & *Civitatenses* structo ibidem propugnaculo, insigni latius profundiusque excavatæ sunt, quam pater ejus *Joannes Emus* Prætor cum crassa murorum appendice fecerat. Discurrebant milites *Veneti*, contraque *Germani* per regionem passim cives ac mercatores incautos capientes, quos variis excruciatos tormentis ad magnas mulctas cogebant, lege inter ipsos sancita, ut præter arma, equos, & stipendium mensis captivi milites non urgerentur, Ducibus exceptis, e quibus *Thadæus Vulpius* eques *Forocorneliensis* exercitus *Veneti* Præfectus, militaris disciplinæ præstantia clarus, paucos cum hostes prope *Utinam* captivum *Utinensem* abducentes insequeretur, erepto captivo, captis insuper nonnullis ulterius progrederetur, jamque ad nemus *Butriense* pervenisset, sese insidiis circumventum agnoscens stare signiferos jussit, exin commilitones pro tempore hortatus pugnæ copiam fecit, egressi delitescentes magno fremitu occurrunt, certamen atrox committitur, incerta diu victoria pependit, cum fortissimi utrinque caderent, & nunc impellentes nunc repulsi victi victoresque videbantur: circumdatus postremo *Vulpius* multitudine equitum non tam victus quam vincendo fessus vulneratur, & cum vires vulnere ac lassitudine defecissent captivus ad *Gradiscam* vehitur. Nostri vero capto *Ludovico Turriano Noritiano* ingentis animi juvene; qui & ipse eo conflictu capite percussus fuerat, amisso Duce *Utinam* mœstissimi revertuntur. *Turrianus* paucos post dies quamvis egregie curatus obiit: *Thadæus* autem convalescens cum *Rainerio Bajoario* viro nobili commutatus e captivitate eductus est. Totum belli robur tunc in ea *Cisalpinæ Galliæ* parte ardebat, quam *Lombardiam* dicunt, in qua plures diversarum nationum exercitus potentes & copiosi educti sunt: Hinc enim *Galli*, ac *Veneti*: Illinc *Germani*, *Hispani*, *Helvetii*, & Pontificiæ copiæ erant, singuli magnas separatim militum manus habentes, quibus quot prædæ, incendia, prælia & cædes insecutæ sint, longum esset recensere, nullus fere locus a direptione fœdoque cruore intactus extitit: ea vix fuisse tanta posteri credent, quorum ordinem si exprimere velim, immemor sim propositi, quo statui non ultra attingere externa, nisi qua *Forojuliensibus* cohærerent rebus, ea scriptoribus insignibus, quorum copiam nostra effudit ætas, relinquens, sola contentus historia patriæ, in qua non doctrinam & facundiam, sed fidelem traditionem, exactamque diligentiam aut satis aut certe (ut potui) eo libentius præstiti, quo veritas simplici ac brevi narratione tutius quam fucoso orationis delinimento exprimitur. Sunt enim simplicia verba veritatis, nihilque est in historia brevitate dulcius. Obsidebatur summis viribus *Verona* a *Venetis Gallisque*, neque die neque noctu omittebatur oppugnatio pertinax, quam non minori virtute tuebantur *Veronenses*, *Germani*, & *Hispani*: His præerat *Marcus Antonius Columna* militiæ priscæ instaurator, qui & Imperatoris clari, & militis fortissimi munere strenue functus per singula urbis loca sine intermissione discurrens collapsa instaurando, necessaria in primis, vires etiam superando subministrans, nonnullos pudore & probris, multos laude & hortatu, omnes spe & promissis ad omnia experienda accendens, cumque jam obsessi extrema paterentur, fameque multi perirent, redditæ fuerunt literæ *Caroli Hispaniarum* Regis, quibus Concordia cum assignatione civitatis pollicebatur, ea ratione confestim ab obsidione discessum est. Paxque paulopost in civitate *Bruxella Brabantiæ* regionis, quam *Aduaticos Belgas* incoluisse conjectant, inter *Maximilianum* Cæsarem, *Franciscum*, *Gallorum* & *Carolum Hispaniarum* Reges edicitur. Induciæ *Caroli* auspiciis inter Cæsarem & *Venetos* octo & decem mensium a medio Januario anni decimi septimi post millesimum quingentesimum a Christi ortu solenni lætitia promulgatæ sunt, *Verona Lutrechio Gallo* tradita, quam mox jussu Regis *Theodoro Triultio Venetarum* copiarum moderatori, *Andreæ Gritæo*, ac *Joanni Paulo Gradonico* Legatis concessit. Iis perceptis *Jacobus Cornelius* Præses gloria & generis splendore clarus post tantam belli rabiem aliquanto respirans, ut in otio non minus, quam in negotio ad decorem *Utinæ* invigilaret, postquam saluberrimum suffragiorum ordinem non solum in urbe ab *Andrea Trivisano* equite proximis annis institutum, verum & in universo regionis conventu gravissimo Decemviratus decreto corroboravit: sublataque vocali contentione instar agrestium perniciose tumultuantium, calculis more *Veneto* sorticulis aureis inter argenteas, approbatoriis reprobatoriisque per pixideculam in subjectum vasculum, quod idem observantes *Athenienses* Cadiscum vocabant, demissis. Cum Munus etiam Contradictorum, magistratibus in cujuslibet latione legis adversantium promulgasset, quo sicut aurum purum cum altero per lydium lapidem comparatum rectius discernitur, post diversas, nec nisi in suggestu, dictas sententias, sanior deligi possit, se totum ad instaurationem arcis vetustate, terræmotu, incendioque absumptæ convertit: cujus quarto nonas Apriles peracta re divina prima fundamenta tanto animi fervore jecit, ut eam ad mirum exemplar affabre excogitatum in magistratu perfici posse multi confiderent, opus non solum urbi ac regioni conspicuum, verum tota *Italia* memorabile. Dum hæc agerentur *Selymus Ottomanus Turcarum* Imperator ejecto patre; fratribus eorumque filiis necatis, Imperium orbis inexplebili mente obversans, *Cantione Gaulio* magno Memphis *Sulthano* superato *Siriam* omnemque pene *Ægyptum* in potestatem adjecit, cum *Sophim* quoque *Assyriorum* Regem prius apud *Araxem* profligasset. Quo nuntio allato non modo patria nostra Barbarorum incursionibus obnoxia ac tota *Italia*, sed universa respublica Christiana mirum in modum consternata est, verita ne intestinis bellis occidentale Imperium assidue attritum orientalis exemplo a potentissimo Rege opprimeretur, ea ratione induciæ quinquennales hortatu in primis *Leonis* X. summi Pontificis anno a Christi ortu quingentesimo decimo octavo supra millesimum inter omnes *Europæ* Principes solenniter indictæ sunt. Quos non veremur nulla interjecta mora discussa privatarum caligine simultatum communibus studiis felicia arma capescere, invictissimas vires, omni conatu, candida fide, ardentique animo communicantes: quibus proculdubio infestissimum Christiani nominis hostem, reliquosque vanissimos *Maumetheæ* insaniæ sectatores Christi vero Deo favente facillime propulsabunt, conterent, ac penitus evertent.

Marginal notes: Thadæi Vulpii captivitas & liberatio. — Gesta obiter sociali bello contra Venetos. — 43. v. — Verona oppugnatio. — M. Antonius Columna. — Carolus Hispaniarum Rex. — Pax inter Maximilianum Cæsar. Franciscum Gallorum & Carolum Hispaniarum Reges. — Induciæ inter Maximilian: & Venetos. — Jacobus Cornelius Utinæ illustrator. — Suffragia Utinensium. — Contradictorum munus. — Constructio novæ arcis Utinensis. — Selymi Turcarum Imperatoris admirandæ victoriæ. — Induciæ quinquennales inter omnes Europæ Principes promulgatæ.

FINIS.

I N D E X

RERUM NOTABILIUM.

A.

Aqui-

B.

Chry-

Edi-

H.

O.

P.

S.

Suf-

Ve-

FINIS.

PHILIPPI A TURRE,
Forojuliensis, Episcopi Adriæ,
DISSERTATIONES
DE
B E L E N O,
Et aliis quibusdam
AQUILEJENSIUM DIIS;
Ac de
COLONIA FOROJULIENSI.
Addita sunt
FRAGMENTA INSCRIPTIONUM
FRATRUM ARVALIUM
Recèns in Agro Romano effossa,
Ut & plures
INSCRIPTIONES AQUILEJENSES,
Aliæque in variis
PROVINCIÆ FOROJULIENSIS
Locis extantes,
ineditæ anteà omnes.
Editio Novissima, priori accuratior & nitidior.



LUGDUNI BATAVORUM,
Sumptibus PETRI VANDER Aa,
Bibliopolæ, Civitatis atque Academiæ Typographi.

PRÆFATIO
HUJUS NOVÆ EDITIONIS.
LECTORI SALUTEM.

QUanti in Antiquitatibus feliciter detegendis nomenti ſint lapides, eorumque antiquitus ſcalptæ inſcriptiones, nemo ſolidæ eruditionis cultor eſt, qui diffiteatur. Cum etenim ejusmodi monumenta depravationi non adeo ſint obnoxia, quam quidem codices vel MSti, vel impreſſi, ipſa non ſolum veritatis cognoſcendæ cupidum reddunt certiſſimum, ſed &, quæ alibi habentur vitiata, corrigunt, dubia decidunt, & plura ab oblivione vindicant, ut hic pag. 50. *Diſſert. de Colonia Forojulienſi* in Colonia *Concordiæ* nobis exhibetur exemplum. Verum enim vero uti ejusmodi cimelia non ubivis habentur obvia, ita ad ea explicanda, vel ſaltem intelligenda, accedere non datur, niſi viris eruditionis ſummæ & profundæ. Dignum itaque præſtantiâ ſuâ laborem præſenti in opere aggreſſus eſt *Philippus a Turre*, Forojulienſis, Epiſcopus Adriæ. Quantum ab hoc Viro expectari potuerit, inter alia Doctiſſimorum Virorum de ejus eruditione teſtimonia, vel ex ipſo *Franciſco Dyno*, graviſſimorum operum Scriptore, poterit intelligi, qui *Diſſert. de Antiquitate Umbrorum*, &c. *Cap. I. pag.* 7. *edit. Venetæ* hanc Noſtri facit mentionem: *Duo alii mihi in Curia Viri eruditi amicitia conjunctiſſimi, quorum conſortio non ſine magno fœnore in dies abſcedebam: Canonicus* Raphaël Fabrettus *Urbinas*...... Philippus a Turre, *Patritius Forojulienſis, edita, illuſtrataque Aquiliana Inſcriptione famigeratus, in Ferrariæ Legatione, ac urbe Prudentiſſimi, ac Sapientiſſimi Principis,*

Renati Imperialis, *Cardinalium maximi*, *Auditor arduis rebus assumptus*. Ut vero *Dynus* a consortio *Philippi a Turre*, sic nunc ab ejusdem Nostri operum lectione Antiquitatum Cultores cum summo fœnore possunt recedere. Quæ ipsi tot Antiquitatis monumenta explicandi fuerit occasio, ejus Præfatio, quam *Monumentis Veteris Antii* præmisit, indicat: sub hoc enim titulo edidit Auctor Anno MDCC. *Romæ*, Typis *Cajetani Zenobii*, & *Georgii Plachi*, in 4to *Inscriptionem M. Aquilii*, & *Tabulam Solis Mithræ*; quæ pariter e prælo nostro de novo exeunt. De *Dissertationibus* vero *de Beleno & aliis quibusdam Aquilejensium Diis*, ac *de Colonia Forojuliensi*, quas *Antii Monumentis* Auctor adjunxerat; nos autem, a Viris Gravissimis admoniti, nunc separatim exhibemus, in Præfatione modo memorata habentur sequentia: *Cetera quæ in hoc volumine continentur, extra primarium argumentum, non tamen invitis Musis, sunt addita. Nam res patrias reparare, atque e tenebris vetustatis eductas in novo lumine collocare, sacrum id religiosumque est apud omnes, qui de literis judicant. Neque præterea in diversam omnino scenam transivimus. Prima dissertatio BELENUM narrat, Deum præsidem veterum* Aquilejensium, *de quo cum nonnulla olim in Adversariis adnotassem, eadem modò novis accessionibus aucta, opportune ob argumenti affinitatem post* Mithram *protuli*; *nam* Belenus *Apollo est*, Mithra *Sol*, *uterque vero unum idemque apud Gentilium theologos numen.* Belenum *principem alii* Aquilejenses *Dii*, *veluti stipatores sequuntur*; *quibus saltem obscura quædam, neque adhuc evulgata insanæ divinitatis nomina pretium facient. Occasionem tractationis* de Colonia *FOROJULIENSI in ejus limine indicavi. Porro hisce opusculis si quid gratiæ inest, id ex vetustis, quæ nunc primum*

edita

edita sunt, monumentis habent. Belenus *alius prodit, quam hactenus antiquitatum scrutatores effinxerint; nisi dum e longinquo originem petit, ambitiosa ostentatione speciem veritatis corruperit. Quibusdam saltem lemniscis ac parergis, quod in Deorum aris veteres factitabant, utcunque exornatum proferimus. In saxis aliorum Deorum hoc ipsum tentamus, additis scilicet adnotationibus ad eorum interpretationem opportunis. Coloniæ* Forojuliensis *pomœrio, at non provinciæ* Forojuliensis *finibus excessi. Sane illius tantummodo lapides cogitaveram, patriæ urbis prisca monumenta utcumque illustraturus; sed materiâ inter scribendum præter opinionem subnascente,* Aquileja, & Concordia *in consortium vocatæ, uberiori ad metendum segete campum locupletarunt.* Insigne præterea addit Auctor his Dissertationibus ornamentum *Fragmenta Inscriptionum Fratrum Arvalium*, variasque *Aquilejenses & Forojulienses Inscriptiones*, omnes ineditas, & ideo vel novitatis titulo Lectori non nisi gratissimas. Tales itaque Tanti Auctoris labores cum juberemur prælo nostro subjicere, omnem adhibuimus industriam, ut ii prodeant apud nos quam nitidissimi. Errata, quæ in priorem editionem irrepserant, sustulimus. Omissa, quæ Auctor in fine notaverat, locis debitis reposuimus: cujusmodi & ea sunt, quæ Pag. 392. *edit. vet.* habebantur, & quæ Auctor ad Caput x. *Inscriptionis Aquilii* volebat addita. Numeros paginarum editionis prioris ad marginem notavimus, ut, quæ ex illa ab aliis citantur, & hic reperiantur facile, quod vel in ipso operis lectione ex usu erit sæpissime. Nomina propria & alia, quæ id exigebant, diverso a contextu consignata sunt charactere, & ideo patebunt eo citius. *Indicem Rerum Notabiliorum*, qui cum eo in *Monumenta Antii* habebatur mixtus, nunc ex-

exhibemus in has Dissertationes separatum, eumque una cum *Indice Nominum & Cognominum*, quæ in Inscriptionibus Forojuliensibus occurrunt, huic Editioni adaptavimus. His, *Benevole Lector*, felix utere & vale.

INDEX

Nominum & Cognominum, quæ in Inscriptionibus Forojuliensibus occurrunt.

255 PHILIPPI A TURRE,

Forojulienſis, Epiſcopi Adriæ,

DISSERTATIO
DE
BELENO,
VETERUM AQUILEJENSIUM DEO.

Cuique Urbi olim Deus proprius, Aquilejæ Belenus cultus, qui Apollo. Beleni veteres Inſcriptiones producuntur & illuſtrantur. Belinus quoque dictus. Emaculatur Dandulus. Belenus Deus Noricorum, unde lectio Tertulliani aſſeritur. Apud Gallos etiam celebris ejus religio. Nomen Beleni male Scriptores à Belo ſeu Sole deducunt. Sol non idem ac Apollo populari religione, quod pluribus oſtenditur. Belenus ubique pro Apolline habitus. Origo nominis aliunde tentata. Fortaſſe ab Heleno, qui Pyrrhi comes poſt excidium Trojæ una cum Henetis, Trojanis, & Græcis navigavit. Variæ in hanc rem conjecturæ. Undenam populis Carnorum appellatio?



ETERES omnes, qui-
bus veri Numinis cogni-
tionem fraus Dæmonis
ſubduxerat, cum Deum
quærerent, rerum ſenſi-
bilium argumenta ſectan-
tes, iis divinitatem ineſſe
facili ſuperſtitione arbi-
trati ſunt. Hinc homines
factorum gloria clari, ſi-
dera, virtutum vana nomina, animalia ipſa, &
in ſumma, ut ait Sex. Empyricus prope initium
Lib. VIII. in Mathem: *quæcumque proſunt vitæ
humanæ*, aris templiſque impoſita, Deum nullum,
ubi infiniti eſſent, fecere. Ita cœlum, terram,
mare, & immenſa aëris ſpatia populus Deorum
invaſit; & inſana religio res pene ſingulas veluti
ſub imperium impietatis coëgit. Nec tamen Dii
256 omnes æquo jure cenſiti, ſed majorum gentium
alii, *Conſentes*, *Olympici*, *Selecti*: alii vero mino-
res, *Indigetes*, *Penates*, *Semidei*, *Deorum plebs*,
& quaſi turba proletaria, ſunt appellati. Suum
quoque gens quælibet & regio Deum proprium
inauguravit, quem peculari religione inter alios
principem veneraretur: tamquam jus eſſet popu-
lis, uti regem ſuffragio conſtituere, ita numen
conſenſu populorum adoptare. Deos hos *munici-
pes* vocat Minucius *in Octavio* prope initium; un-
de eſt *Tertulliani* lepidum ſcomma in Gentiles:
*Satis rideo etiam Deos decuriones cujuſque municipii,
quibus honor intra muros ſuos determinatur*, ad Na-
tiones Lib. II. Cap. VIII. nam alibi dixerat, *uni-
cuique provinciæ & civitati ſuus Deus eſt*, Apolo-
get. Cap. XXIV. Hinc cum *Romani* Urbem ali-
quam obſiderent, certo carmine, cujus formulam
recitat Macrobius *Lib. III. Saturn. Cap. IX.* evoca-
bant ejus *tutelares* Deos. Et propterea ipſi Deum,
in cujus *tutela* Urbs *Roma* erat, ignotum eſſe
voluerunt, *ne ſcilicet*, ut ſubdit idem auctor,
*quod ſæpe adverſus Urbes hoſtium feciſſe ſe noverant,
idem ipſi quoque hoſtili evocatione paterentur, ſi tu-
telæ ſuæ nomen divulgaretur.* Sacra inde, quæ diis
Urbium ex patrio inſtituto dicabantur, *Municipa-
lia* dicta, ut in lapide Gruteriano pag. 66. 3. *Cal-
purnius II. Vir bis Flam. ſacr. pub.* MVNICI-
PAL. Rurſum Dii *præſides*, tanquam in tutelam
adſcripti, vocantur in alio epigrammate apud Rei-

A neſium Claſſ. I. num. 4. *Dis deabuſque* PRAE-
SIDIBVS *provinciarum*: & quod gentis alicujus
proprii & peculiares eſſent, *gentiles* priore loco
Tertulliani; atque *patrii* in ſaxo 224. Claſſ. eadem:
Diis diabuſque PATRIIS. Ejuſmodi religione pe-
culiari coluiſſe ait Minucius, *Eleuſinios Cererem*,
Phrygas Matrem, *Epidaurios Æſculapium*, *Chal-
dæos Belum*, *Aſtartem Syros*, *Dianam Taurios*,
Gallos Mercurium. Videaſque, ſi lubet, Lactan-
tium *Lib. I. Cap. XV.* Sidonium *Carm. IX v. 165.*
ad Felicem, Prudentium *contra Symmachum Lib.
II.* Porro hæc numina vulgo fere nota, & aliis 257
B quoque gentibus in promiſcuam aliorum religio-
nem adſcita erant. Alia obſcura deorum vocabula
non tam cultu, ſed etiam nomine propria, *muni-
pali conſecratione*, ut ait Tertullianus eodem loco
Apologetici, colebantur, ut *Caſinienſium Delven-
tinus*, *Narnienſium Viſidianus*; *Æſculanorum An-
caria*, *Volſinienſium Nurſia*, *Ocriculanorum Valen-
tia*, *Sutrinorum Nortia*. Ampliorem catalogum
ignotorum Deorum ex antiquis lapidibus congeſ-
ſit, notiſque illuſtravit Jacobus Sponius *in Mi-
ſcellan. erud. Antiquit. Sect. III.* quem conſulas.
Aquilejenſibus priſcis Deus quoque ſuus mu-
nicipalis & patrius fuit, qui BELENUS appel-
C labatur. *Aquileja* Carnorum ſeu Venetiæ Urbs
quondam florentiſſima, quam Herodianus, Lib.
VIII. Cap. II. *maximam* & *ingentis magnitudinis*
vocat, *ditem* Mela, Lib. II. Cap. IV. *opulentum
emporium* Julianus Cæſar, in Orat. de Conſtantio,
Procopius de Bell. Vand. Lib. I. Cap. IV. *magnitu-
dine & civium frequentia inſignem*: ampliſſimo vero
elogio ab Imperatore Juſtiniano in Auth. coll. IV.
tit. 8. de Præt. Paphlag. in princ. *omnium ſub Oc-
cidente Urbium maxima* dicitur. Nunc, quo res
humanas fortuna agit, ſuperſtite magni nominis
umbra, inter ruinas, quæ pene etiam perierunt,
ſepulcrum quærimus priſtinæ magnificentiæ & no-
D bilitatis. Hanc vicem celeberrimæ Urbis eleganti
carmine Latino olim deflevit *Nicolaus Madriſius*
Utinenſis, quem inter amicos optimum, ſeve-
rioribus diſciplinis, & politiori literaturâ egregie
exultum, honoris cauſſâ nomino. Nos de ejus Pa-
triarchatu, & dignitate Eccleſiaſtica, ſi Deus an-
nuat, aliquando agemus. Itaque *Aquilejenſes*,
dum inter gentilitatis tenebras verſarentur, BE-
LENUM Urbis præſidem & tutelare Numen in-

clyta religione sunt prosequuti. Auctor est Capitolinus in Maximinis Cap. XXII. ubi hæc tradit: *Cum igitur frustra obsideret Aquilejam Maximinus, legatos in eandem Urbem misit, quibus populus pene consenserat, nisi Menophilus cum collega restitisset, dicens etiam deum* BELENUM *per Aruspices spopondisse, Maximinum esse vincendum.* Rem eandem narrans Herodianus Lib. VIII.
258 Cap. III. ita ait: *Ceterum nonnulla quoque oracula ferebantur patrii cujusdam numinis victoriam promittentia.* BELEM *vocant indigenæ, magnâque eum religione colunt,* APOLLINEM *interpretantes.* Non vulgarem discas *Beleni* dignitatem, qui in Oraculum fuerat constitutus. Nimirum ipse *Apollo* erat, vaticiniorum pater & inventor. Nam & in hanc interpretationem consentit *Capitolinus* statim post verba recitata: *unde etiam postea Maximini milites jactasse dicuntur,* A-POLLINEM *contra se pugnasse.* Hinc perperam scriptor ille, de quo meminit *Salmasius* ad hunc locum, *in Codice Palatino* notaverat ad marginem, *id est Martem.* Apollinis hanc significationem *Beleno* tributam, & religionem apud *Aquilejenses* magnificam, plurimo veterum lapidum testimonio deprehendimus. Hi magnâ ex parte Aquilejâ *Venetias* deportati, adhuc in amplissimis *Grimanorum* ædibus visuntur. Post Pighium *in Hercule Prodicio* eos retulit Gruterus *in* suo magno *Inscriptionum Thesauro pag.* 36. & 37. *Reinesius* nonnullos describit. Omnes huc transferre placuit, quod ratio argumenti sibi poscere videbatur; ne, dum de *Beleno* integram dissertationem meditamur, ad ejus monumenta conquirenda aliò lectorem ablegemus. Præterea & correctiores hic prodibunt, collatis nonnullis, ubi suspicio mendi inerat, cum suis authographis, vel cum manuscriptis schedis, quas penes me habeo, ex quibus etiam aliquos hactenus ineditos proferam, & notatiunculas, prout rei opportunitas exigere videbitur, interferam.

259 1.

APOLLINI
BELENO. AVG.
IN. HONOREM
C. PETTI. C. F. PAL
PHILTATI. EQ. R
PRAEF. AED. POT
PRAEF. ET. PATRON
COLLEGIORVM
FABR. ET. GENT
DIOCLES. LIB
DONVM. DEDIT
L. D. D. D.

2.

APOLLINI
BELENO
C. AQVILEIENSIS
FELIX

3.

APOLLINI
BELENO. AVG
TIB. CLARISTIO
ET. CORNELIAE. Q. TICILAN
CONIVX. CVM. FILIS. CLAVD
CONSTANTE. FEROCLANO
EVTICHIANAE. AERISTIONE
EX VOTO. POSVER. SIGNVM
CVPIDINIS. L. D. D. D.

His saxis, (quorum primum & secundum ex *Gruteri pag.* 36. *num.* 11. & 12. postremum ex nostris schedis est desumptum) nomen *Apollinis* tributum *Beleno* vides. Caussam inferius perscrutabor. Literam singulariam C in secundo, *Colo-*

A *nia*, explicat Reinesius *Class. I. num.* 51. tanquam *Colonia Aquilejensis Felix* aram hanc *Beleno* posuerit. Unde damnat Auctores *Indicis Gruteriani*, quod *c.* 23. *lit.* A. non intellecta C singulariæ significatione, eam per *Cajum*, non per *Coloniam* exposuerint. Ita enim in 7. 491. C. B. 260
est *Colonia Bononia*, in 6. 484. C. I. *Colonia Julia*, & in 5. 1142. C. Aquilejensi. *Felix* vero est epitheton Coloniæ: ut *Capua* Colonia *Julia* Felix, Colonia Felix *Augusta* Nolana, & aliæ passim. Sed deceptum ipsum doctissimum Antiquarium, & Auctores Indicis recte legisse *Cajum*, nullus
B dubito. Etenim *Cajus Aquilejensis Felix* homo aliquis fuit, qui *Beleno* monumentum illud dicavit. Nam & in memoratâ inscriptione 5. 1142. quam ipse in argumentum suæ lectionis profert, C omnino *Cajum* designat, non Coloniam, ut sensu ipso statim percipimus. Sic enim se habet suppleta ex nostris, nam *Gruteriana* tres tantummodo primos versus exhibet.

IALISCO. COIVG.
ET. C. AQVILEIENSI
SVAVI
NEMESIN. L. C. FRENIO. SECVN
GRAMMAE

C Certe *Nemesina* sepulcri titulum posuit *Jalisso* conjugi, & *Cajo Aquilejensi Suavi*, non *Coloniæ*. *Aquilejensis* nomen est familiæ seu gentis, cui præponitur prænomen *Cai*, sequiturque cognomen *Suavis*. Id aliis exemplis vetustatis confirmo. Saxa sunt *Aquilejensia*, quæ libentius hic exscribo, quod nusquam edita inveniantur.

1. 261

CAESARIS. N. SE
FILIO. PIISSIMO
ET. L. AQVILEIENSI. AGATHIO
ET. HELIO. COLONORVM

D 2.

T. AQVILEIENSIS
STRATONICVS. SIBI. ET
NVMISIO. TIBERIO
BASILEO. FILIO. SSIMO
QVI. VIXIT. ANN. XXXVI. M. V
D. XIIX

3. *sic*

PETRONIAE. AQVLEIENSIAE
M. IVLIVS. SOTER. CONIVGI.
INCOMPARABILI

E Vides non tantum *Caji*, sed prænomina quoque *Titi* & *Lucii* genti *Aquilejensi* fuisse usurpata. Neque enim quis, puto, dixerit illud vocabulum designare Patriam. Nam cuilibet saxa antiqua vel summis digitis versanti notum est, eam esse sedem gentis, non patriæ. Et licet aliquando inveniamus patriam inter nomen & cognomen locatam, ut notarunt clarissimi Antiquarii Reinesius *Ep. XLVI. ad Rupertum pag.* 388. Fabrettus *Inscript. domestic. Cap. IV. p.* 340. in nostris hisce saxis id non patimur, ne homines illos prænomine & cognomine notatos, absque nomine cogamur fateri. Et rem extra dubium videtur ponere *Petronia*,
F quæ si patriam signare voluisset, se *Aquilejensem* non *Aquilejensiam* vocasset. Cujus inflexionis in *Veronia* muliere exempla præbent inscriptiones 4. 485. & 4. 746, *Florentiæ* in Vineâ *Strozziâ* hoc extat epigramma exscriptum nuper ab eruditissimo Montfauconio: *Libius Abascantus Aquilejæ Speni conjugi suæ benemerenti.* Libius hic Abascantus, permutatâ priori literâ, idem fortassis ille est *P.* 262
Vibius Abascantus, qui in lapide inferius recitando *Sevir Aquilejensis* signatur. Unde & conjugi eandem fuisse patriam conjicio, a qua nomen *Aquilejæ* sumpserit. Porro nomina familiarum sæpius ab ur-

urbibus deducta ostendo *Cap. I. Inscriptionis M. Aquilii*. Vel cum utrosque, virum & mulierem; Libertos credam, prodente nominum charactere, mulier libertate donata ab ipsâ Coloniâ *Aquilejæ*, simul etiam nomen accepit. Nam servis urbium, cum manumitterentur, ipsarum nomen cum libertate datum fuisse, pluribus exemplis demonstrat Fabrettus *Cap. VI. pag.* 434.

Tiberius Claristio in tertio Epigrammate cum conjuge & filiis *signum Cupidinis Apollini Beleno ex voto posuere*. Signa & donaria in templis alienorum Deorum collocata passim occurrunt in literatis saxis. *Helvius Felix* signum *Apollinis* dicat *Fortunæ Primigeniæ* in 1. 77. eidem signum *Liberi Patris*, simulacra duo *Spei*, & signum *Æquitatis* eadem pagina consecrantur. At plura alia exempla erudita congerit Fabrettus *in Apologemate pag.* 7. Forte inter hos conjuges dissolutam concordiam & amoris vinculum restituisse *Cupido* credebatur; gratia autem accepti beneficii in *Belenum* relata, perindeac si, tanquam tutelare urbis numen, civium patrocinia apud alios Deos ageret & negocia procuraret, ex eorumque numero esset, quos *procurantes*, *& præfectos*, *& præsides* vocat Tertullianus *in Apologet. Cap. XXIV.*

263 1
BELINO. AVG
SACRVM
VOTO. SVSCEPTO
PRO. A. AQVILIO
C. F. POM. VALENTE
IIII. V. I. D. DESIG
PHOEBVS. LIB
V. S. L. M

2
BILIENO. AVG
NALVIVS. PINTITVS

3
BELEN. AVG
IN. MEMOR
IVLIOR
MARCELL. ET
MARCELLAE ET
IN. HONOREM
IVLIARVM
CHARITES. ET
MARCELLAE. FILIAR
ET. LICIN. MACRON
IVNIOR. NEPOTIS
C. IVLIVS. AGATHOPVS
IIIIII. VIR. AQVIL
L. D. D. D

4
BELENO
AVG. SACR.
L. CORNELIVS
L. FIL. VELL.
SECVNDINVS
AQVIL
EVOC. AVG. N
QVOD. IN. VRB
DONVM. VOV
AQVIL
PERLATVM
LIBENS. POSVIT
L. D. D. D

5
BELLENO
AVG
P. VIBIVS
ABASCANTVS
IIIIII. VIR. AQVIL
DONVM. DEDIT

A
6
BELINO
AVG. SAC
L. IVNIVS
SVCCESSVS
V. S. L. M.

Belenus hisce inscriptionibus AUGUSTUS vocatur. Alios quoque Deos simili cognomento seu epitheto insignitos frequenter conspicimus. Caussam quærunt eruditi. Sponius *Recherch. d'Antiq. Dissert. XXIX. pag.* 481. occasione lapidis *Nymphis Augustis* dicati, ait hoc epitheto designari, Deos
B conservationi familiæ Imperatorum invigilare. Reinesius *Epist. LXIX. ad Rupertum pag.* 654. ubi 264
Deos plures, quibus *Augusti* nomen inditur, collegit, id nominis diis tributum putat in adulationem summarum potestatum, quas diis æquare consueverunt; & cum diis supplicare videri vellent, simul *Augustos* suorum temporum adorare & colere. Cui sententiæ confert mos inductus, quo Principes nominibus ipsis Deorum appellabantur. Templum *Hierosolymitanum* impiâ profanatione sibi dicari jussit *Caligula*, titulo *Jovis illustris novi Caji*, teste Philone legat. ad Cajum. *Geta & Caracallus* vocantur *novi Soles* in numi-
C smate Græcis characteribus insculpto apud Morellum *in Specim. pag.* 26. Feminas quoque Imperatorum eadem insania incessit. Unde Julia Sabina *nova Ceres*, Julia Pia *nova Vesta*, aliæque sunt nuncupatæ, ut notavit Cl. Bonarota *in suis Observat. pag.* 40. & 70. Imperatoribus etiam viventibus templa, adorationes, & sacra instituta fuisse nemo ignorat. Quare cum Apollinem *Augustum*, Silvanum *Augustum*, Belenum *Augustum* offendimus, non alia hæc numina sunt, quam ipsi Cæsares tunc viventes, quibus vota sua nuncupabat stulta gentilium adulatio. At fortassis alio ire licet. Nomen *Augusti* ex sui origine, *sanctum* &
D *consecratum* significat, ut ait *Festus*. Et Ovidius Fastor. Lib. I. vers. 609.

Sancta vocant augusta patres: augusta vocantur
Templa sacerdotum rite dicata manu.

Hinc *Octavio* Cæsari hoc cognomen additum, *ut scilicet*, ait Florus Lib. IV. Cap. ult. in fin. *jam tum dum colit terras, ipso nomine ac titulo consecraretur*. Et Suetonius in vitâ Cap. VII. *quod loca quoque religiosa, & in quibus augurato quid consecratur, Augusta dicantur*. Dio Lib. LIII. p. 507. postquam dixit, quare nomen *Augusti* suscepisset,
E hæc addit: *Tanquam aliquid esset supra hominum conditionem; nam quæ in honore atque cultu sunt, ea Augusta vocantur*. Unde qui græcissabant σεβαστὸν vocabant, quasi *sanctum*. Nomen ergo *Augusti* Diis proprium, ex primæva vocabuli notione: quibus opus non est, ut illud ab Imperatoribus tanquam precario mutuentur. Nam quis 265
magis *sanctus* & *sacer* falsæ religionis judicio, quam *Juppiter*, *Appollo*, & cetera Deorum vocabula? Inscriptus est lapis apud Reinesium *Class. I.* 108. & 148. DIS SANCTIS. & 260. DIANAE. SANCTAE, 64. & 65. HERCVLI SAN-
F CTISSIMO, nec plura exempla vacat referre. Appulejus Lib. VI. Metam. *Supplicanti*, inquit, *se Juno cum totius sui Numinis augusta dignitate præsentat*. De ipso *Augusto* Cæsare dixerat *Naso* versu antecedenti,

Hic socium summo cum Jove nomen habet.

Juppiter ergo *augustus* ante *Octavium*, qui in societatem nominis per adulationem adscitus fuit. Unde facile suspicor, *Belenum* & Deos ceteros *augustos* vocatos, propriæ dignitatis merito, non ob consortium divinitatis cum Imperatoribus, vel

quod eorum custodiæ excubarent. Non negaverim tamen, ævo Cæsareo frequentius id usurpatum, ut intenderetur erga Principes reverentia, quibus æqua cum Diis tituli majestas esset.

Primum epigramma monet, *Belenum* vocatum quoque fuisse *Belinum*. Eundem characterem præferunt duo hæc ex *Grutero*, *pag.* 36. 14. & *pag.* 1066. 8.

1

BELINO. SACR
L. VECTONIVS. L. L
SECVNDVS IIIIII

2

BELINO
SEX
CAESERNIVS
FAVSTVS
IIIIII. VIR
V. S. L. M.

In textu Græco *Herodiani*, cujus verba recitavi, legitur Βελίν. Salmasius *ad Capitolinum*, loco itidem laudato, scribendum censet Βελίνον. Recte ad fidem nostrorum lapidum. Discriminis caussam puto, quod, qui *Belinum* usurparint, Græcam terminationem sint sequuti: qui vero *Belenum*, Romano more vocem extulerint, quod frequen-
266 tius receptum fuit, ut in saxis, & Latinis Scriptoribus apparet. Hinc verum nomen potius *Belenum* fuisse crediderim, & ex E in I. transitione, enatum *Belinum*. Nam eæ vocales, *cum magnam habeant inter se communitatem*, ut inquit Varro *de Ling. Lat. Lib, V.* in scribendo & pronunciando altera in alterius locum immigrabat apud antiquos, ex A. Gellio *Noct. Attic. Lib. X. Cap. XXIV.* Donato *in Terent. Phorm.* & Quintiliano *Lib. I. Cap. IV.* Exempla, quæ ad rem marmorariam pertinent, peti possunt *ex* Gruteri *Indice XIX.* & *notis* Reinesii *ad Insc.* 2. *Class. I.* Et hoc sane magis arridet, si eam originem habet *Belenus*, quam inferius proponam. At *Belenum* pessime corrupit Ravisius, *Tellenum* Deum *Aquilejensium* tutelarem effingens, *in Officina, Cap. de Diis Nemorum.* Qui poterat *Tellinum* quoque *Brixiensium* Deum, pro *Marte* habitum, de quo plura Octavius Rubeus *in Memor. Brix.*, in *Belinum* inducere. Quamquam *Reinesius* æquior est in *Ravisium*, quem scripsisse ait *Bellenum*, increpans amicum *Christianum Daumium*, quod imponi sibi à futili typographo passus fuerit, *Epist. XCIII.* ad eum datâ *pag.* 237. At aliâ viâ peccarunt *Gyraldus Syntagm. de DIS Lib. I.* & Rhodiginus *var. Lect. Lib. IV. Cap. XVII.* *Felenum* vocantes *Aquilejensium* Deum. Pejus lapsus est *Marquardus de Susannis* celebris Juris-Consultus Utinensis, qui *in Tract. de Judæis Part. III. Cap. I. num.* 26. Aquilejenses duo numina tutelaria coluisse scribit, *Felenum* videlicet, & *Belenum*, horumque templa alterius scilicet *Feleni* in honorem *S. Felicis*, ubi vero *Belenum* venerabantur, fuisse Abbatiam *Belinensem*. Miror Henricum quoque Palladium *Rerum Forojul. Lib. V. pag.* 82. extra lapides, quorum non paucos exscribit, *Belenum* & *Belinum* præferentes, etiam *Felenum* cum *Gyraldo*, quem citat ad marginem, quæsivisse. Erroris eadem illi caussa cum cive suo *Marquardo*, ex sacrâ scilicet Æde *S. Felicis* Martyris, quem cum vulgo incolæ *S. Fel* vocitent, putavit eodem loco *Feleni* templum olim stetisse, *non obscurâ*, ut ait,
267 *nominis allusione.* At mutilum illud est & corruptum, ex ingenio nostri idiomatis, *S. Felicis* vocabulum, non *Feleni*, quem nusquam *Aquilejenses* novere. Rectius conjicit *Palladius*, à *Beleno* seu *Belino* fluxisse appellationem Abbatiæ, ut loquimur, *della Beligna*, templo *D. Martini* insignis.

A *Andreas Dandulus*, cujus Ms. Codex in Bibliothecâ *Vaticanâ* asservatur *num.* 5842, narrat *Lib. VI. Cap. I. Eliam* Patriarcham, qui labente sexto seculo Ecclesiam Aquilejensem regebat, *quoddam Paganorum templum in honorem Bethel in contiguo litore in mon. Puellarum sub S. Petri Apostoli vocabulo* transmutasse. In sacris Literis *Bethel* locus est, ubi lapidem unxit *Jacob.* Gen. XXVIII. a quo nomine & ritu *Bæthylia*, seu *Bæthulia* lapides alicui Gentilium deo consecrati, profanis Scriptoribus vocantur. Hos animatos putabant, ut est apud *Sanchoniatonem*: unde moveri, & in aërem ferri scripsit Damascius *in Vitâ Isidori apud Photium Cod.* 242. ubi plura legere est de *Bæthyliis.*
B Bochartus tamen *Geograph. Sac. Lib. II. Cap. II.* mendum esse in *Sanchoniatone* contendit, & lapides *unctos*, non vero animatos scribendum. Quod derivationem à sacro *Hebræorum* ritu ad idololatricum morem traductam propius designat. *Bethel* quoque lapidem illum appellarunt veteres, quem *Saturnum* vorasse fingunt, ex *Hesychio*, & Prisciano *Lib. I.* & *VI.* Βαίθυλ, *Bæthel*, *divinum templum* Suidas interpretatur. De his plura videsis apud Scaligerum *in Eusebianis num.* 2150. Seldenum *de DIs Syris Synt. I. Cap. V.* Marshamum *in Canon. Chron. ad Seculum IV. pag.* 55. Sed ni-
C hil horum ad rem nostram. In Templo enim *Aquilejensi* non lapidi honorem a *Paganis* habitum fuisse, sed cuipiam Deo facile intelligimus. Quare corruptum esse cum locum *Danduli* puto, & pro *Bethel* legendum *Belenum*. Suadet affinitas vocabuli, & quod *Belenus* celebre fuerit *Aquilejensium* numen, *Bethelis* vero nusquam sit mentio. Ceterum, ut obiter moneam, vox illa *in Mon.* supplenda est ex aliis *Danduli* exemplaribus, in 268
quibus legitur, *in Monasterio.* Quamobrem *Ughellus*, qui eodem *Vaticano* Codice usus est, recitans ea verba *Tom. V. Italiæ Sacr. pag.* 38. male
D scripsit *in monte.* Nusquam enim est, nec esse potuit *Aquilejæ* mons aliquis, cum tota ea regio se in latissimam planitiem diffundat. Et sensus ipse id suadet: nam *Elias* templum Beleni *transmutavit in Monasterium* (donandum seculo Danduli, qui dixit, *in Monasterio*) *Puellarum sub vocabulo S. Petri.* Quod porro non ita accipiendum, ut tunc falsi numinis cultus in eo maneret; olim enim *Aquileja*, gentili superstitione expulsâ, *Christo* Domino nomen dederat. Sed pius Antistes templum illud adhuc extans *Christiano* ritu inauguravit, & locum, qui tituli infamiam nondum exuerat, sanctiori vocabulo expiavit.

E In quinto versu secundi lapidis reposuit Reinesius *Class. I. Inscr.* 52. MARCELLINI, quod ibi sit sermo de filiis *Juliis*, de filiabus *Juliabus* in sequentibus. Audax correctio: at quousque sensus verborum aliter refingi nequeat, eam sequi cogimur. Nam lapidem ita loqui, exemplum nuper ad me transmissum fatetur,

Civibus *Aquilejensibus* patrii Numinis religio ita inhæsit, ut vota adhuc absentes ipsi nuncuparent. In quarta inscriptione *L. Cornelius Evocatus Augusti donum quod in Urbe voverat Aquilejam perlatum libens posuit*, obtinuitque locum à decurio-
F nibus Civitatis, quod significant literæ, L. D. D. D. *locus datus Decurionum decreto.* Civem hunc *Aquilejensem* fuisse, denotat tum tribus VELLIna, ex qua *Aquileja* Colonia deducta fuit, ut docent alii lapides, quos alibi proferam, tum expressi characteres, AQUIlejensis. Ex hac gente *Corneliâ* traductam in proximam Coloniam *Forojuliensem* familiam *Cornelii Galli*, qui summus Poëta & *Augusto* carus, *Ægypti* Præfectus infelici casu occubuit, facile suspicor. De quo iterum pauca alio loco retexam.

Interim inultum abire non patimur *Nicolaum* 269
Cho-

Chorierium, qui *de Antiquit. Vienn. Lib. III.* §. 24. priores duos lapides nobis surripere ausus est, ut *Viennæ* suæ conscriberet. Sane adhuc visuntur *Venetiis* in ædibus *Grimanis*, nec *Viennæ* in *Gallia* esse possunt, nisi, quod negant Philosophi, multiplicatio corporum detur. Errandi illi fons est ex *Grutero* lippis oculis inspecto. *pag.* 36. *num.* 10. signatur inscriptio *Viennæ Allobrogum in æde D. Petri*: sub hac, *num.* 13. jacet nostra, cum hoc titulo, *in alia ara ibidem*: & inferius *num.* 16. similis epigraphe, *in alia*. Itaque cum prima vere ad *Viennam* pertineat, sequentes quoque, ex verbis præscriptis, *ibidem* extare putavit. At progrediendum erat ordine numerorum ducente: nam cum undecimus lapis *Aquilejæ* consignetur, ceteri omnes usque ad septimum decimum, non interrupta serie, *ibidem* collocari debent. Reliquas inscriptiones *Beleno* dicatas exhibeo.

BILIENO. AVG.
NALVIVS. PINTITVS

In hoc epigrammate, quod supra etiam produxi, nomen *Beleni* nova characterum forma procusum est. Fabrile mendum haud dubito, cum *Reinesio* (qui illud extare ait *Venetiis* in ripa *S. Claræ*) *Claſſ. I.* 51. ubi pluribus exemplis docet, sæpius I pro E in veteribus libris & lapidibus irrepsisse. Culpat quoque marmorarium, quod *Nalvius* pro *Nævius* scripserit, & *Pintitus* pro *Pinutus*. Mihi tantum licere non arbitror, & artificem libenter noxæ eximo.

270 1.
FONTI BELENO
C. AQVILEIENSIS DIADVMENVS
B. V. S.

2.
FONTI B. . .

3.
M. HOSTILIVS
AVCTVS
IIIIII VIR
B. S. D

4.
BELENO
MANSVETIVS
VERVS
LAVR. LAV
ET. VIBIANA
IANTVLLA
V. S.

5.
T. MARIVS. APTVS
VERCELLEN
ET
ASIATICVS
MAN. BELENO
V. S. L. A

Primum hunc lapidem mirum in modum afflixit *Reinesius* loco proxime laudato, & *Fontem Belenum* obstruere conatus est. Eum trajectis vocibus ita legebat: BELENO *Coloniæ* AQVILEIENSIS FONT*ejus* DIADVMENVS: fontem in virum, hunc in Coloniam nova metamorphosi traducens. Nec enim sibi persuadere poterat, *Belenum*, vel fontem aliquem fuisse, vel fontem sub nomine *Beleni* cultum. At demum secundis curis, & *Fontem* & *Belenum* in sua divinitatis jura reposuit, quod vidisset aliud saxum apud *Gruterum*
271 94. 4. secundum ex nostris hic descriptis, dicatum FONTI *Beleno*; & *Fontem* esse deum prodant tam *Fontinalia* Romæ celebrata, quam delubrum juxta portam *Capenam* ipsi positum. Imo & FONS non minus quam *Juno*, *Lymphæ*, *Diique Noven*-

A *siles*, *domicilium possidebat* in secunda cœli regione, apud Capellam *de Nupt. Philolog. Lib. I. pag.* 16. Addo Sextum Empyricum qui adversus *Mathem. Lib. VIII. pag.* 311. Edit. Græcolat. Colon. ann. 1620. tradit, *Veteres Solem*, & *Lunam*, & *fluvios*, & FONTES *Deos* existimasse. Unde apud Fabrettum Cap. *VI.* pag. 430. ara est dicata *Jovi Optimo Maximo Cælestino* FONTIBUS & *Minervæ*. Gruterus ex *Smetio* legebat *Fontejus*: pejus Reinesius *Brontæo*. Sed ita emendavit clarissimus marmorum restitutor ex authographo ejus Museum exornante. Similes inscriptiones ibidem legere est. Itaque *Fons* suus *Beleno* maneat, & lapidi
B scriptura: in quo legendum *Cajus Aquilejensis*, non *Colonia*, ut de aliis supra monuimus. Præterea labitur *Reinesius*, dum illum cum tertio *M. Hostili* conjungit, nam uterque distinctus est in nostris schedis, & postremi ultimæ literæ B. S. D. sunt explicandæ, *Beleno Sacrum Dedit*, scilicet *Hostilius Sevir* Aquilejensis, non *De suo Dedicat*, ut ipse putaverat, D pro B reponens.

Hæc pene omnia, quæ retuli, *Aquilejensia* epigrammata vota nuncupata & soluta *Beleno* repræsentant. Id enim significatur his siglis, V. S. *votum solvit*, V. S. L. M. *votum solvit libens merito*, & hujusmodi. Vovebant gentiles, quod est
C nuncupare vel suscipere vota, donaria, signa, ornamenta, vel victimas; & voti compotes facti, Deo, cui voverant, vel exstructâ arâ, thure & vino, aut victimis faciebant, aut dona statuebant, nisi in templo essent dedicanda. Sexcenta ejusmodi vota soluta produnt veterum lapides, quibus tempus, personæ, res dicatæ, & similes circumstantiæ adnotabantur. Locus porro statuendi aram nonnisi permissu publico eligebatur, unde frequens hæc formula etiam in nostris saxis, L. D. D. D. *locus datus Decurionum decreto.* At hæc 272 trita sunt.

D Dum de *Beleno* agimus, non prætermittam lepidissimum distichon, quod extare sculptum marmori in agro *Tiburtino* testatur Antonius del Rè *in Antiquit. Tiburtin.* Italico idiomate *Cap. V. Part. II.* ubi de *Villa Hadriani* in fine.

ANTINOO ET BELENO PAR AETAS FORMAQVE PAR EST.
CVR NON ANTINOVS SIT QVOQVE QVI BELENVS.
Q. SICVLVS.

Antinous puer *Hadriano* in deliciis fuit, gratiâ apud ipsum & honoribus florens, quem fato abreptum in *Ægypto*, vesanus Imperator, in perditi amoris argumentum & doloris solatium, templis & oraculo consecratum pro Deo coli jussit: nisi po-
E puli in adulationem principis hoc fecerint, ut scriptores aliqui prodiderunt. Extant numismata ejus consecrationem præferentia, de quibus antiquarios consulas. Cum igitur *Q. Siculus* Antinoum videret summo loco apud Cæsarem haberi, queritur non eadem sorte acceptum esse *Belenum*, qui nec ætate nec formæ elegantia *Antinoo* concedebat. Hunc *Belenum* Aquilejensem fuisse, non inani conjectura suspicor. Quod scilicet ex patrii Numinis appellatione nomen sortitus sit. Non insolens quippe fuit *Romanis* Deorum nomina hominibus indere. Exempla lapidum producit Rei-
F nesius *Epist. LXIX. ad Rupertum pag.* 655. & Cl. Cuperus *in Monum. Antiq.* post libellum *de Harpocrate pag.* 188. nihil ex erudita antiquitate prætermittit. His interim auctarium faciet noster *Belenus*; addasque & *Phœbum* in inscriptione superius memorata *pag.* 263. (*Edit. prioris.*)

A *Carnis*, ubi *Aquileja*, ad finitimos *Noricos* *Beleni* religionem migrasse certum videtur. Nam *Belenum* his fuisse cultum diserte tradit Tertullianus *Cap. XXIV. Apologetici* jam indicato: *Unicuique etiam provinciæ & civitati suus est Deus*, *ut Syriæ Astarte*, *ut Arabiæ Disartes*, *ut Noricis* BELE-

 NUS

NUS, *ut Africæ Cœlestis.* Et iterum adversus
273 Gentes loco itidem sub initium prolato. Antiqui Codices *Tertulliani* non *Belenum*, sed *Tibilenum* præferebant. Petrus Pithœus *Adversar. subseciv. Lib. I. Cap. IV.* cum in Ausonio *Beleni* mentionem offendisset, suspicatus est, textus *Septimii* corruptos, & ipsum *Belenum* reponendum. Quam conjecturam veteri manuscripto munivit, & exinde eam amplexa est universa Literatorum natio. At vere non omnium primus *Pithœus* correxit *Tertullianum*. Siquidem Jacobus Nicolaus Loënsis *Miscellaneor. Epiphill. Lib. V. Cap. XV.* inter Criticos *Gruteri Tom. V.* pridem mendum detexerat, & pro Tibileno *dium Belenum* legerat. Eâ sane ratione, quod *Aquilejensis* regio, ubi *Belenus* colebatur, proxima sit *Norico*, quod pluribus ostendit, quam opus fuisset in re Geographis notâ. Si tamen audiamus *Germanos* Scriptores, qui *Tibileno* antiquæ *Tertullianeæ* lectionis jura asserere contendunt, à *Noricorum* finibus eliminandus est *Belenus*. Tuentur eam opinionem Rhenanus *ad marginem primæ edit.*, Althamerus *Commentar. in Taciti Germ.* adducti à *Pamelio*, Fabritius *Origin. Saxonic. Lib. I.* Joan. Saubertus *de Sacrific. vet. Cap. V.* & nuperus Auctor Hector Gothofredus Masius *in Schediasmate Historico de Diis Obotritis, seu Idolis Mekelburgens. Cap. II.* §. 3. Nimirum *Tibilenum* ex *Norico* in reliquam *Germaniam* transgressum autumant: nam etiam hodie malus Dæmon eo nomine ipsis *Germanis* vocatur. Inde *Tibilenum* eundem esse ajunt, quem Slavi, *Zernebok*, seu *nigrum Deum* appellabant, teste Helmoldo *Lib. I. Chron. Slavorum Cap. LIII.* Nostri quoque *Slavi* montana *Forijulii*, qua *Carnioliam* spectat, incolentes, adhuc eodem plane vocabulo utuntur: *Zerne* quippe iis est niger, *Boch* Deus. Præterea & *Vandalos* adhibuisse ea nomina reperio. Nam deum malum appellabant *Zernebuk*, bonum vero *Belbuk*: erat enim illis *Bel* albus, *Zerne* niger, & *Buk* Deus. Et in conviviis & compotationibus suis pateram certis verbis consecrabant sub iis nominibus boni & mali dei. Ita
274 Crantzius *Lib. III. Rerum Vandalic. Cap. XXXVII.* & Munsterus *Lib. III. Cosmograph.* Primum horum Deorum eum fuisse *Bielem* puto, apud *Thuringios* ingenti superstitione cultum, cujus idolum *S. Bonifacius* semel iterumque dejecit, uti refert *Johannes Letznerus*, qui ex veteri MS. vitam ejusdem *Germanorum* Apostoli scripsit, penes Nicolaum Serarium *Moguntiac. Rerum Lib. III. not.* 21. *pag.* 474. Nescio an hujus nominis antiquiorem originem repetere possimus a *Veleda*, ut legit *Rickius*, quæ cum tempore *Vespasiani* in *Germaniâ* late imperitaret, etiam numinis loco habita fuit, teste Tacito *de mor. Germ. Cap. VIII.* & *Histor. Lib. IV. Cap. LXI.* Primæ sanæ litteræ B & V frequenter permutantur. At videant viri docti, num idem liceat in numinis sexu. Alter porro *Zernebok*, ex nominis significatione, is potuit esse *Jopher niger*, alii legunt *Jovem nigrum*, de quo Bollandus *in actis S. Julianæ* 16. *Februarii pag.* 875.

Attamen in eam significationem nil certi *Germanos* adducere, testatur idem *Pamelius* Rhenanum & Althamerum referens. Et Vossius, qui *Lib. I. de Idololatr. Cap. XXXVIII.* ire in *Fabritii* sententiam visus est, in notâ marginali eundem deceptum fuisse magnopere veretur, cum a Tibileno *Tisel* esse non possit. At ego vere deceptos *Germanos* non dubito. Quia cum *Tertullianus* Deum illum præsidem *Norici* fuisse dicat, induci non possum ut credam, *Noricos* in tutelare gentis numen malum dæmonem adsumpsisse. Quamvis enim superstitiosa gentilitas etiam Deos malos, ne nocerent, divinis honoribus cumulaverit; nunquam tamen, quod sciam, nisi bonos & faustos in tutelam & præsidium Urbium regionumque adoptavit. Hujusmodi deprehendas eos omnes, quos *Minucius* & alii mihi superius laudati memorant. Percurras etiam longum Deorum topicorum seu localium catalogum apud Gyraldum *Syntagm. I.* Ipsimet Dii provinciarum præsides *Tertulliano* recitati, omnes boni sunt, & ex eorum numero, quos cœlestes & majorum gentium vocarunt antiqui. *Astarte* Syriæ est Venus, *Disartes* Arabiæ Bac- 275
chus, *Cœlestis* Africæ Juno. Quare omnino verum videtur, etiam *Noricorum* Deum, inter ipsos recensitum, ejusdem ordinis & dignitatis fuisse, & certe *Belenum*, qui *Apollo* interpretabatur, non vero *Tibilenum*, eâ notione, quam *Germani* ingerunt, malum dæmonem & improbum deum. Quare *Tertulliano* & *Noricis* deus *Belenus* relinquendus est.

Ab *Aquilejâ* nostrâ & *Norico*, ingens terrarum spatium emensi, in *Galliam* transmittimus, ut BELENUM plurimâ religione apud eas gentes celebrem conspectemus. Ausonius *de Professoribus Burdigalensibus Carm. IV*, hæc habet:

Tu Bajocassis stirpe Druidarum satus,
Si fama non fallit fidem,
BELENI *sacratum ducis è templo genus.*
Et inde vobis nomina
Tibi Pateræ: sic ministros nominant
Apollinaris mystici.

Et Carmine X.

Non reticebo senem,
Nomine Phœbitium,
Qui BELENI *Ædituus*
Nil opis inde tulit,
Sed tamen, ut placitum,
Stirpe satus Druidarum
Gentis Aremoricæ,
Burdigalæ cathedram
Nati operâ obtinuit.

Patet hinc *Belenum* cultum fuisse potissimum in *Aremoricâ* provinciâ *Galliæ* ad Oceanum, in quâ *Bajocassis* Urbs sita erat, ex Valesio *in Notitiâ Galliarum*, & *Pithœo*, qui hoc idem observat, expendens recitatos versus Ausonii, *Advers. subsec. Lib. I. Cap. III.* Inter populos vero *Aremoricæ* præcipui accensentur *Veneti* apud Cæsarem *Lib. III. de Bell. Gall.* Quæ hic adnotata, deinceps usu venient. Porro *Belenum* Galli quoque interpretati sunt *Apollinem*; cognomina enim, quæ huic congruunt, ministris *Beleni* indita fuisse, monet *Ausonius.* Atque hic fortassis est *Apollo*, quem coluisse *Gallos* tradit idem Cæsar *Lib. VI.*
A Beleno etiam derivatum volunt deum *Abellio-* 276
nem, de quo inscriptiones in Convenis *Novempopuloniæ* apud *Gruterum pag.* 37. *num.* 5. 6. & 7. & *Belenatensis* mons in *Arvernis* à *Beleno* appellationem traxit, ut placet Valesio *in* eadem *Notitiâ pag.* 77. Imo *Belatucadrum* Britannorum Deum eundem *Belenum* esse, non ambigit doctissimus Seldenus *de Dîs Syris Syntagm. II. Cap. I.* Forte à *Gallis*, qui illuc migrarunt, religio traducta est, ad regionis loquendi consuetudinem nomine accommodato. Nam & *Britannos* habuisse *Druidas* refert eodem libro *Cæsar*, & Tacitus *Annal. XIV. Cap. XXX.* Qui cum mystæ fuerint *Beleni*, ut jam didicimus ex *Ausonio*, omnino verisimile est, ipsos nomen Dei & sacra in vicinam insulam importasse; siquidem in eâ, Gallorum *sacra* deprehendi *superstitiosâ persuasione*, dixerat idem Tacitus *in Agric. Cap. XI.*

Jam satis BELENI religionem apud *Aquilejenses* & *Gallos*, significationemque *Apollinis* inditam literata saxa & scriptorum testimonia commo-

monſtrarunt. At nullus veterum cauſſam nominis, & originem numinis prodidit. Viri docti, quos noſtra ætas & ſuperior tulit, cum omnes pene antiquitatis latebras eruditâ perquiſitione ſollicitaverint, hanc quoque provinciam pertentarunt. Joannes Ger. Voſſius *de Idololatr. Lib. II. Cap. XVII.* *Belenum* ab Hebræo *Beel*, unde *Beelſamen*, deducit, cum omnis fere ſuperſtitio ſit ab Oriente. Ludovicus Thomaſſinus *in tractatu Gallico, des Langues Lib. III. Cap. X. num. 4.* *Belenum*, ut & *Abellionem* ab ἥλιος ſeu *Sole* derivat, mutatâ aſpiratione in B, qui tranſitus non inſolens eſt. *Bolducus* ineptiſſime à *Bel-Enos* ſeu *Deus Enoſcis*, quem fuſe confutat Reineſius *Claſſ. I.* 51. Ceteri omnes *Belenum* eſſe à *Belo* contendunt, & religionem nomenque ab Oriente in *Europam* traductum. Ita Seldenus eodem *Syntagm. II. Cap. VII.* Bochartus *Geograph. ſacr. Part. II. Cap. XLII.* Elias Schedius *de Dis Germanorum Syntagm. I. Cap. VII.* Jacobus Sponius *in Miſcellan. erudit. Sect. I. Art. I.* & *Recherch. d' Antiq. Diſſert. III.* pluresque alii, quos prætermit-
277 to. *Belus* celeberrimum apud Orientales numen, quod in ſacris Literis *Baal*, *Baalim*, & *Beelphegor* audit, quamvis paſſim pro *Jove* habitus fuerit, ut apud *Heſychium*, Herodotum *in Euterpe*, Xiphilinum *in Caracalla*, & alios, Solem nihilominus etiam ſignificavit, quod jam memorati Auctores fuſius oſtendunt. Quare cum Sol *Apollo* ſit, *Belenus*que *Apollo*, à Belo *Belenum* natales ſuos ducere, non dubitant. Inde *Schedius* loco indicato Solem in *Beleno* quærens, literis in numeros myſtice tranſpoſitis, uti à Baſilidianis & Gnoſticis olim in *Abraxis* tentatum, elicit numerum dierum anni, quem Sol curſu ſuo diſterminat, hoc modo:

Β	Η	Λ	Ε	Ν	Ο	Σ	)	
2	8	30	5	50	70	200	)	365

Curioſum ſane ingenii commentum, magis quam verum. Non enim advertit doctus Auctor, non tam ſecundam, ſed etiam primam ſyllabam in *Beleno* per ε ſcribi; ut vidimus in *Herodiano*; & *Latinis* brevem efferri, quod conſtat ex duobus *Auſonii* locis, & verſibus *Q. Siculi* de *Beleno* puero jam adductis. Ac proinde, ſi reponamus literam ε, cui quinarius numerus reſpondet, decurtato myſtico illo 365. dierum numero, tota Schedii ἰσοψηφία evaneſcit. Prætereo, ſuperſtitioſa hæc numerorum myſteria *Ægyptiis* & *Orientalibus* tantum fuiſſe uſurpata, quibus *Belenum* nuſquam notum invenimus.

Attamen, quæ de *Beleni* hac derivatione doctiſſimi viri cogitarunt, mihi probata eſſe nequeunt. Perſuaſum quippe habeo, *Belenum*, qui perpetuo ſcriptorum & lapidum conſenſu *Apollo* dicitur, Solem eſſe non poſſe, ac proinde neque *Belum*. Arduum hoc profecto & audax effatum, cum vel pueris, ut inquit *Seldenus*, notum ſit, *Apollinem* eundem eſſe ac Solem. Fateor ultro: & Macrobius *Lib. I. Saturn. Cap. XVII.* id longâ diſputatione oſtendit, & poſt ipſum, uberiori eruditionis copiâ idem Voſſius *Lib. II. Cap. XII.* & Aleander
278 junior *in Explicatione Tabulæ Heliacæ*. At ſi in Gentilium religionem penitius introſpexerimus, & horum ſententiam veram eſſe, & noſtram haud falſam, patebit. Theologiam ſuam in tria genera diſtinxere veteres, in Mythicam ſcilicet, ſeu Fabuloſam, Phyſicam, & Civilem, ut ex *Scævola* & *Varrone* tradit D. Auguſtinus *Lib. IV. de Civit. Dei, Cap. XXVII. Lib. VI. Cap. V.* Salluſtius philoſophus *de Diis & Mundo Cap. IV.* in quinque ſpecies diſtribuit, quæ ad has facile reduci poſſunt. Ad primam referebant eam partem, quæ ad phyſiologicas naturalium rationum interpretationes pertinet. Hinc Dii omnes vel ut corpora

A naturalia culti ſunt, ut Sol, Luna, aſtra: vel, ut animalia, ex hiſtoriæ vel fabularum traditione, quales putabantur *Juppiter*, *Bacchus*, *Apollo*, & ceteri. Atque hi, quos *ingens evexit ad æthera virtus*, ut ait Poëta, *ob merita virtutum, aut munerum, aut artium repertarum in memoriam ſunt conſecrati*, inquit Lactantius *Lib. I. de falſâ Rel. C. V.* Quare *Apollo* hiſtorice ſeu fabuloſe ſumptus, unus quis Deus eſt animalis, diverſus à Sole, qui inter naturales cenſebatur: idem vero cum Sole, ſi phyſiologice. Julianus Cæſar. *in Orat. IV.* quæ *de Solis laudibus* eſt, *Apollinem* eundem utique cum Sole pronunciat; at quomodo id intelligen-
B dum ſit, optime in rem noſtram ſic explicat, ex verſione Petavii: *Sunt aliqui*, inquit, *Solis cognati & congeniti Dii, quorum vires & effectus participat, quaſi extrema principia, & ab omni corporum commercio ſejuncta, quibuſdam interpoſitis mediis, in unum à rege Sole coacta, circa ipſum copulantur. Ita Jovis vim effectricem continet, Apollinis eandem intelligendi ſimplicitatem, & ſubſtantiæ ſtabilitatem & actionem, Bacchi vero multiplicabilem & dividuam efficientiam. Ita ut hæc & alia Deorum nomina in ſingularem & primariam unitatem Sol componens omnia perficiat, ſecundet, & alat.* Ex quibus ſparſim in eâ oratione à *Juliano* dictis
C apparet, *Apollinem* vere alium eſſe à Sole naturâ ſuâ, quemadmodum ſunt etiam *Juppiter* & *Bacchus*: ceterum eundem participatione virtutis & effectuum convenientiâ; quare aptius *ſocium* 279
Solis & *aſſeſſorem* appellat, *p.* 185. & 269. Plura in hoc argumentum ex aliis congerere poſſem.

Sapientes igitur & Mythologi, qui ſub fabularum tegumentis latentem philoſophiam, tum moralem tum phyſicam, denudarunt, & theologicas fabulas, ut ait *Salluſtius* loco indicato, ſunt ſequuti, quæcunque de *Apolline* tradita fuerant à Poë-
D tis, ad vires actioneſque Solis patefaciendas tranſtulerunt, atque ideo Deum unum, idemque Numen pronunciarunt. Ceterum vulgus Gentilium, omneſque qui religionem, non ratione, ſed ſenſibus hauſerant, Deos quoſcunque, prout ſibi à Poëtis fingebantur, pronâ ſuperſtitione amplexati, Apollinem *Jove* & *Latonâ* progenitum, è cœlo quondam dejectum inter homines *Admeti* armenta paſcentem, Muſarum patrem, auguriorum & ſagittandi artis inventorem, non eundem eſſe Solem putarunt, quem *Hyperionis* & *Thyæ* filium, in ſummo cœli vertice diei, lucisque moderatorem conſpectabant. Hanc popularem reli-
E gionem ſequuti *Magneſii* & *Smyrnæi* in fœdere inter ipſos ſancito, cujus formula extat in marmore *Oxonienſi* primo, jurant *per Terram*, SOLEM, *Martem*, &c. APOLLINEM, &c. utroſque inter ſe diverſos non ambigentes. Ita lapis *Ultrajectinus* apud Sponium *in Miſcellan. erudit. Sect. III. pag.* 72. poſitus eſt *Jovi O. M. ſummo, exuperantiſſimo*, SOLI *Invicto*, APOLLINI, *Lunæ* &c. Et Scriptores populo religionem & cultum tradentes, duos eſſe diſtinctos Deos docuere. *Varro* apud eundem Auguſtinum *Lib. VII. Cap. VII.* viginti Selectos Deos recenſet, ex quo numero duo ſunt, *Apollo*, & *Sol.* Hunc *Artemidorus* in-
F ter Deos cœleſtes, illum inter æthereos reponit, *Lib. II. Oneirocrit. Cap. XXXV. Rhodo favere Solem, Tymbræ Delion*, nempe *Apollinem*, dixit Sidonius *Carm. IX.* ad *Felicem v.* 168. ac 173. & vetus epigramma Græc. *Delphos*, ait, *tuetur Pythius*, & paullo poſt: *eſt tutela Rhodos beata Solis.* Demum Callimachus *in Hymno de Apolline*, geſta ejus, honores, habitus, cultum, & cognomina celebrat, nullâ omnino Solis mentione interjectâ. 280
Nimirum hymnodia populare erat carmen, ad vulgi aures & religionem accommodatum; & ex hy-

hymnis, ut notat Natalis Comes *Mytholog. Lib. I. Cap. XVI.* quæ cujusque Dei natura, & quis ille esset, quem laudibus, & precationibus prosequebantur Gentiles, dignoscitur. *Homerus* quoque prolixum in *Apollinem* hymnum texit, ortum ejus, peregrinationes, templa exstructa, totamque rerum ab eo gestarum seriem complexus, nec uspiam de Sole vestigium aliquod prodit. Etenim ut Deum animalem populo colendum exponebat Poëta. Hucque est referendum tertium jam memoratum theologiæ genus, *mixtum* Sallustio vocatum; *quod*, inquit Augustinus ex Varrone, *in urbibus cives, maxime Sacerdotes, nosse atque administrare debebant. In quo est, quos Deos publice colere, quæ sacra ac sacrificia facere quemquam par sit*; unde illud ad ceremonias spectare, ait idem *Sallustius*. Idcirco in hac civili, seu populari religione alia *Apollini* sacra, victimæ, templa, simulacra statuebantur, alia Soli. Longum esset ire per singula. Ex re nummaria tantum indicabo, *Apollinem*, specie juvenis arcum intendentis, conspici in numismate *Licinii Valeriani*, Lyram & pateram gestantis, *Antonini Pii*: Sol vero utique sub forma juvenis, sed capite radiato, cum globo in manu sinistrâ, in nummis *Hadriani*, *Gordiani* minoris, *Aureliani*, aliorumque Imperatorum.

Quæ, supra quam res ipsa forte exigat, explicata in id collimant, ut ostendam, *Aquilejenses* & *Gallos* cum *Apollinem*, sub *Beleni* cognomento, populari religione colerent, de Sole non cogitasse. Nullum uspiam Solis vestigium in *Beleno*, ubique *Apollo* dicitur. Ita *Herodianus*, *Capitolinus*, *Ausonius*, & lapides quotquot recensui. In numismate *Cunobileni* Regis *Britanni*, cujus ab hoc numine augustius nomen, *Belenus* insculpitur Lyram pulsans, ut refert *Seldenus* loco indicato: quod *Apollini* proprie convenit; nec nisi physiologice
281 Soli. Ex uno, ut fatear, *Ausonii* versu, quem retuli, nescio quid de *Phœbo*, qui Sol est, deprehendi posset. Sed ille potius Poëtæ jocus est, in vocabulo *Phœbicii* ludentis. Certe *Gallos Apollinem* coluisse tradit *Cæsar*, Imo nil ab *Ausonio* timendum. Nam *Phœbus* nomen est *Apollinis* proprium, Solis translatitium. Dicitur enim à Poëtis *Jovis* & *Latonæ* filius, qui ipse est *Apollo*; ut apud *Homerum* in hymno proxime laudato. Sed ab *Aquilejâ* nostrâ non recedamus. Alia in eâ urbe templa & aræ *Apollini Beleno*, alia Soli fuerant dicata. *Aras* in saxis jam vidimus. Templa *Beleni* tria mihi videor detexisse. Alterum ad Ecclesiam *S. Cosmæ*, ubi reperta fuit inscriptio jam relata, signum *Cupidinis* in templo *Beleni* dicatum præferens. Secundum, de quo meminit *Dandulus* sub nomine corrupto *Bethel*. Tertium eo loci fuit, quo nunc Ecclesia *S. Martini* sub *Belignæ* vocabulo *Belinum* seu *Belenum* recondens, ut supra memoravi. Et Jo. Candidus *Commentarior. Aquil. Lib. IV. pag.* 18. refert *Maxentium* Patriarcham, qui sub initium seculi noni Aquilejæ sedit, *ex templi ruderibus prisci patrii Belis Dei Monasterium Benedicti Monachis Belinense* extruxisse. Templum vero Solis aliâ urbis parte extructum. Ejus vestigia paucis ab hinc annis detecta sunt, ibique hæc inscriptio effossa,

DEO SOLI
DIOCLETIANVS. ET. MAXIMIANVS
INVICTI. AVGG

Templum hoc statuisse *Diocletianum*, dum *Aquilejæ* esset, vero simile arbitror. Nam in eâ urbe transegisse docent Acta *S. Chrysogoni*. Id contigit anno Chr. CCCIV. Nam superiori anno ad 12. Kal. Decembris *Romæ* celebratis Vicennalibus, petiit *Ravennam*, ubi Kalendis Januariis ejusdem anni CCCIV. Consul processit & post æstatem *Nicomediam* profectus est, ut *in Notis* ad Lactantium *de mortibus Persecutorum Cap. XVII.* collegit vir 282
clarissimus *Stephanus Baluzius*. Tunc ergo necessario fuit *Aquilejæ*, quà *Ravennâ* rectum est iter in *Illyricum* & *Bithyniam*, ut ex *Itinerario Antonini* constat. Ibidem vero aliquamdiu degisse ex iisdem Actis dignoscitur. In hoc itinere morbo correptum vexatumque *Diocletianum* tradit idem *Lactantius*. Quam ob caussam, si conjecturæ locus est, *Aquilejæ* templum Soli dicavit. Nam *Solem* ægris propitium putabant Gentiles, ideo apud *Gruterum pag.* 31. 10. lapis est positus *Soli*, *Aesculapio*, & *Hygeiae*, & pag. 32. 11. *Soli aeterno Sacr. pro Salute P. Valerii Crispi*. Porro in nostro lapide nomen quoque *Maximiani* visitur, quia operibus & actis publicis ambo Collegæ imperii inscribebantur.

Quod igitur BELENUS sub nomine *Apollinis* ubique cultus fuerit, & *Apollo* religione populari alius sit Deus diversus à Sole, facile crediderim, nomen *Beleni* a *Belo*, qui Sol apud omnes habetur, ortum non habuisse. Et sane caussam doctissimi viri, qui aliter opinati sunt, mihi demonstrassent vellem, cur *Belus*, qui ab Oriente in *Europam* transvectus, ipsis jubentibus in *Beleno* nomen retinuit, congenitam tamen & antiquam significationem Solis abjecerit, ut in *Apollinem* migraret. Non ita se *Belus* ipse transformari passus est, cum sub *Aureliano* sacris *Romanorum* inferretur. Narrat enim *Zosimus* hunc Imperatorem devictis *Palmyrenis* simulacra Solis *Beli*, ut legit *Salmasius* ad Vopiscum *in* ejus *Vitâ Cap. XXXV.* in magnificentissimo templo *Romæ* exstructo & Soli dicato, translata, collocasse. Nec Mithra, qui pro Sole *Persis* colebatur, in *Romanam* religionem adoptatus, juri suo decessit; sed semper Sol idem, nunquam *Apollo* vocatus fuit, ut ex tot monumentis, in superiori dissertatione *de Mithrâ* mihi productis, liquido constat. Quidni igitur *Belus* nomen originis, Solisque significationem etiam in *Beleno* non retinuisset? Quare *Belenus* à *Belo* esse nequit.

Aliâ viâ ad *Belenum* ivit Pithœus eodem *Lib. I. Adversf. Cap. III.* Nimirum ejus nomen deductum 283
ait à βέλος *Sagittâ*, unde Apollo ἑκηβόλος & ἑκατηβελέτης, seu *eminus jaculans* fuit dictus. Quæ sane originis ratio non aliena videtur, si illud cognomentum seu epitheton ad ipsum *Apollinem* deum animalem, qui *sagittipotens* passim à Poëtis dicitur, ob sagittandi artem inventam, & *Pythonem* sagittis confectum, referatur, non vero ad Solem, qui radiis, quasi jaculis, terram ferit, ut vult idem Auctor. Ita enim *Belenus* esset Sol, quod falsum hucusque demonstravi. Reinesius *in Notis ad Inscriptionem* 51. sæpius laudatam, prætermissâ nominis originatione, putat *Gallos*, cum in *Italiam* per saltus ignotæ antea viæ transgressi sunt, uti narrat Livius *Lib. XXXIX.* tunc etiam *Belenum*, qui apud eos colebatur, *Aquilejensibus* tradidisse. Sed *Romanos*, ejus gentis, quam triennio nondum exacto post adventum, sedibus depulerant, opidumque construi cœptum deleverant, ex eodem *Livio*, religionem & numina retinuisse, non est credendum. Præterea *Reinesius* non explicat, unde *Gallis* ipsis numen illud advenerit.

Ergo *Belenus* ubique quæsitus, nusquam est. Nunc vere id recurrit, quod Tullius dixit: *utinam tam facile vera invenire possim, quam falsa convincere*, L. I. de Nat. Deor. Attamen in tantâ remotioris ævi caligine, & scriptorum silentio conabor aliquid: & non tam nominis originem; sed etiam tempus & populos, qui religionem *Beleni* in *Gallias* & nostram *Carnorum* regionem invexerunt, pertentabo. Fateor sane, iter quo pergam, uti novum nec aliis tritum, ita lubricum & anceps

ceps futurum. Conjectamus, ariolamur; & si mavis, ingenio ludimus, & nugamur. Hæc præfatus, id fortasse consequar, ut præjudicata audaciæ conscientia audaciam ipsam excuset.

Ex *Trojanis* ducibus, qui captâ urbe sedes quærebant, *Antenorem* in extremis *Adriatici* oris, unâ cum *Henetis* Paphlagonum gente, à quibus regio nomen accepit, consedisse, pene omnibus anti-
284 quis Scriptoribus traditum fuit. Ammianus Marcellinus *Lib. XV. Cap. IX.* ex *Timagene* narrat, *Græcorum* manum, post excidium *Trojæ*, loca vacua *Galliæ* occupasse. Hos quoque ex eadem *Henetorum* & *Trojanorum* sociâ gente fuisse, inde facile colligi potest, quod populi ad littus Oceani *Aremorici* simili prorsus appellatione vocati sunt *Veneti*. Nec scrupulum facit, quod *Marcellinus Græcos* appellet, quia id etiam *Halicarnasseo* usurpatum, qui *Libro primo Histor.* passim pro *Trojanis* Græcos habet; quod re verâ una gens fuerit. Vel cum mixtim *Græci*, *Trojani*, & *Heneti* hanc expeditionem susceperint, potuit *Timagenes* Græcos tantummodo recensuisse. Ita *Venetos*, tam nostros quam *Gallos Aremoricos*, socios invicem, uniusque originis facimus. At cum Deum etiam eundem coluerint (nam *Belenum* apud *Aremoricos* potissimum fuisse celebrem ex *Ausonio* jam didicimus) necesse est fateri, communi aliqua occasione & caussâ utrosque eam religionem hausisse. Id quomodo acciderit, sic divino.

Pyrrhum Achillis filium, excisâ *Trojâ*, in *Epirum* navigasse, comite & expeditionis auspice ob claritudinem auguriorum *Heleno* Priami filio, prodiderunt Dio Prussæus *in Troicis*, Pausanias *in Atticis pag.* 19. & *in Corinthiac. pag.* 127. & Virgilius *Lib. III. Æneid.* Hujus itineris socium *Antenorem* quoque fuisse, non inverisimile arbitror. Tempus quo uterque expeditionem absolvit, convenit. *Pyrrhus* enim post *Ilii* casum primus in *Epirum* appulit, teste Pausania *in Atticis*. *Antenorem* vero inter primos quoque navigasse palam est *ex eodem libro Virgilii*, & Ovidio, *Lib. III. Fast.* qui multo ante *Æneam* Italiam tenuisse asserunt. Eum vero comitem potuit sibi adjunxisse *Pyrrhus*, quod de *Græcis* bene meritus esset, & vetusti jure hospitii, ut ait Livius *initio Lib. I.* & quia pacis, reddendæque *Helenæ* semper auctor fuerat. Ideo *Menelaus*, quod se & *Ulyssem* Helenam repetentes hospitio accepisset, & ab insidiis *Paridis* servasset, parem gratiam red-
285 dens eum, capto *Ilio*, inviolatum dimisit, ut refert Servius *ad Lib. I. Æn. vers.* 242. & Pausanias *in Phocicis pag.* 662. prodidit, *Græcos* pro *Antenoris* ædibus suspendisse in vestibulo Pardi pellem, quæ tessera fuit, ne ejus domus violaretur. Plerisque etiam *Antenor* patriæ proditor audit, unde enarrator *Lycophronis* ei dat lucernam ad evocandos *Danaos*, & reclusionem equi lignei; nec *Livius* dissimulat, & *Virgilius* innuere videtur locis indicatis, ut notat idem *Servius*. Nil mirum ergo quod *Pyrrhus* amice usus fuerit *Antenore*, eumque in societatem expeditionis admiserit. Parem gratiam erga *Glaucum* & *Erimanthum* ipsius filios habuit *Menelaus*, quos secum in *Africam* traduxit, ut tradit *Scholiastes* Pindari *Od. V.*

Cum itaque *Græcorum*, *Trojanorum*, *Henetorum*que mixta manus ad *Epiri* oras appulisset, sicut *Pyrrhus* Heleni vatis monitu in eâ regione consedit, teste *Pausaniâ*, loco, quem proxime adduxi, ita verisimile est, quod eodem *Heleno* auctore & auspice, pars una sociorum cum *Antenore* recta per *Adriaticum* navigaverint, ceteri vero, flexo itinere, dum fata *Italiam* Æneæ spoponderant, in *Gallias* migraverint. Igitur ad lætas, uberrimasque sedes delati, *Heleno*, qui futurorum conscius, divino instinctu & ductu, viam direxerat,

A sortem felicissimam acceptam referentes, ipsum pro Deo habuerunt, & *Apollinem* vocarunt. Nomenque & appellationem *Apollinis*, qui vaticiniorum pater auctorque habebatur, facile apud superstitiosas gentes, summo beneficio affectas, demereri potuit *Helenus*, quem vaticinandi arte clarum testantur *Eustathius* & *Hyginus*, & *Æneas* apud *Virgilium* his verbis compellat Lib. III.

Trojugena interpres Divûm, qui numina Phœbi,
Qui tripodas, Clarii laurus, qui sidera sentis,
Et volucrum linguas, & præpetis omina pennæ.

B Imo ab ipsomet *Apolline* sub serpentis speciem, dum in ejus templo cum *Cassandra* versaretur, vatem summum effectum *Helenum*, 286
narrat Græcus *Scholiastes Euripidis in Hecubâ vers.* 87. Nec abludit, longâ navigatione perfunctos religionem erga *Apollinem* usurpasse; cui etiam *Argonautæ* sacra fecisse ob felicem è navibus descensionem ejus auspiciis confectam, refert Apollonius *Lib. I. Argonaut.* Ceterum divinos honores *Heleno* delatos nil mirum, cum id aliis etiam *Trojanis* Heroibus factum fuerit. Nam *Iliensibus* cultum *Hectorem*, imo & *Helenam*, Athenagoras ait *in Legat. pro Christianis*, & Clemens *Lib. X. Reco-*
C *gnition.* Sarpedonem indicat Plinius *Lib. XIII. Cap. XIII.* ejusque Oraculum memorat Tertullianus *de Animâ Cap. XLVI.* & Philostratus *in Heroicis*: Imo *Græcis* etiam, qui bello *Trojano* interfuerunt, sacra sunt instituta; ut iidem Ilienses *Ajaci*, & vicini Sigeenses *Achilli*, & *Patroclo*, teste Strabone *Lib. XIII. pag.* 596.

Quæ, Musis non invitis, si vera esse possint, jam *Beleni* originem apud priscos *Venetos Gallos*que tenemus. Nam *Helenus* ab his in Deum adoptatus sub nomine *Apollinis*, sicut supra exposui, facile in *Belenum* transire potuit. Frequens enim est aspirationis in B migratio. Damascius in
D Vitâ Isidori apud Photium Cod. 242. *Phœnices*, ait, *& Syri Saturnum vocant Hel, Bel, & Bolathen.* Qui etiam ex eodem vocabulo *Hel* regi imposuerunt nomen *Beli*, teste Servio *ad Æneid. Lib. I. vers.* 729. *Pamphilii* pro ἥλιος dicebant βαβέλιος, ut ex *Heraclito* refert *Caninius* apud Fridericum Sylburgium *in Notis ad Pausaniam, pag.* 291. *v.* 7. Unde verisimile fit, ipsos *Trojanos* eam in *Heleno* mutationem induxisse, more vicinæ *Pamphiliorum* gentis. Seu fortasse sicut *Heneti* transierunt in *Venetos*, ita primum *Helenus* dictus fuit *Velenus*, deinceps *Belenus* ex promiscuâ harum literarum
E V & B permutatione, cujus passim exempla occurrunt. Hinc diserte ad rem nostram notavit *Scaliger* in digressione de literarum *Ionicarum* origine, quæ extat inter *Animadversiones Euseb. post num.* 1617. *pag.* 110. notavit, inquam, ex Servio *Æolenses* Græcos pro *Elena* extulisse *Velena*, & *Romanos* Græcam vocem Ἐλία *Veliam*, quæ *Stephano* 287
etiam dicitur Βελέα. Ob quam inter has literas cognationem nemo non videt, quam facile fuerit, ut *Helenus* migraverit in *Belenum*.

Hæc sane, quæ de origine *Beleni* disserui, incerta omnia & ex longinquo petita. At nescio quo fiat, ut animus aliquid audeat, cum mecum
F ipse reputo, duas gentes, *Gallos* & *Venetos*, remotis adeo inter se regionibus dissitas, quæ olim cognatæ ejusdemque originis fuerint, in unum eundemque Deum, aliis perinde populis ignotum, consensisse, & non etiam conjectare fas sit, illum Deum ab eodem principio parique ex caussâ derivasse. Et, si nomen *Beleni*, significationem *Apollinis*, caussamque cultus in *Heleno* reperimus, cur exinde ipsius *Beleni* originem, natalesque non liceat repetere.

Rursus conjecturas conjecturis addo. Pars *Venetiæ*, quæ circa *Aquilejam* est, *Carnia*, populi-

que *Carni* vocati sunt. *Carnutum* itidem regio appellatur in meditullio *Galliæ* sita; & quidem ea præcipua sedes *Druidarum*, qui, ut dixi, *Beleni* Sacerdotes erant. Nonne is consensus appellationis communem aliquam originem designat? Hanc ex eodem principio petimus. *Apollo* antiquissimis temporibus, ante *Trojanum* bellum, apud Græcos *Carnei* cognomentum obtinuit. Docet Pausanias *in Laconicis*, *in Messeniacis*, & *in Corinthiacis*, concinitque Callimachus *Hymno* jam laudato *in* eundem *Apollinem*, *vers.* 71. Hinc festa in ejus honorem instituta, quæ *Carnea* dicebantur, ex Pindaro *in Pyth. Od. V.* Athenæo *Lib. IV. Cap. IX.* & Plutarcho *in Sympos. Lib. VIII. Quæst. I.* & Sacerdotes *Carnei* memorantur Eusebio *in Chron.* nec ulli præterea Scriptori, ut notavit Scaliger *in Animadvers.* ad eundem *num.* 889. Igitur suspicabar, *Trojanos* & *Henetos* partem earum regionum, ad quas beneficio *Apollinis* delati fuerant, in ejus memoriam, nomine ex *Græcorum* sacris petito, dedicatam
288 ita appellasse. Sane memorat Cæsar *Lib. VI. de Bell. Gall.* Druidas certo anni tempore, in finibus *Carnutum*, *in loco consecrato* (an non *Apollini Carneo?*) consedisse. Præterea refert Pausanias *in Laconic. p.* 184. *Apollinem* vocatum *Carneum* ob divinandi artem *Carno* traditam. Fortassis eam regionem, ad quam ejusdem artis ductu ab *Apolline* seu *Heleno* se directos putabant, idcirco *Carneam* indigitarunt. Nec in eo hærendum, quod cognomen in *Græciâ* enatum populis *Trojanæ* originis ignotum fuerit. Præterquam enim & *Græci*, ut dixi, socii iis fuere, *Trojanos* cum *Græcis* sacra & religionem magnâ ex parte communem habuisse, satis constat. Imo etiam linguam *Phrygiam* non fuisse diversam à *Græcâ*, nisi dialecto, probat adversus *Bochartum* Theodorus Rickius *in Dissertatione de primis Italiæ Colonis*, *Cap. XII. num.* 50. quæ extat ad calcem *Holstenii in Stephanum de Urbibus* ab ipso editum. Habes hic obiter nostræ gentis *Carnorum* priscam originationem: in quâ deducendâ cum ceteri Scriptores nec speciem veritatis sint sectati, mihi etiam conjectandi licentia esse debuit.

At quid ad hæc *Carnuntum* Urbs quondam celeberrima superioris *Pannoniæ?* Nescio an adhuc ariolari liceat, à *Carnis* nostris, qui eo migraverint, nomen illud fuisse inditum, non admodum

A immutato vocabuli schemate. Verum Jo: Ludovicus Schönleben *in Apparatu ad Carniolam antiq. Cap. I. §.* 8. *Carnutes*, qui auctore Livio *Lib. V.* cum *Heduis*, *Arverniis*, aliisque *Galliæ Celticæ* populis in *Germaniam*, mox in *Italiam* transgressi sunt, *Carnunto* nomen dedisse suspicatur. Utram libeat opinionem sequi, *Carnuntum* quoque ab *Apolline Carneo* appellationis originem derivat. Sed num etiam communionem Numinis cum *Carnis* vel *Carnutibus* habuit? extat apud Fabrettum *Cap. IV. pag.* 258. Inscriptio: *Ælio Aug. lib. Tatiano Prox. à libr. Sacerdotal.* DEI CARNVN. Vir doctus *pag.* 325. Deastrum hunc *Carnuntem* tute-
B larem patriumque *Carnunti* fuisse credidit: at no- 289
men incompertum aliis inquirendum dimisit. Si memorati populi in hanc Urbem migrarunt, nonne & Apollinem *Carneum*, seu Belenum detulerunt, qui postea in *Carnuntem* abiit?

Porro si quæras, cur inter populos, qui late *Venetiam* nostram incolebant, postquam *Romani* juris facti sunt, soli Aquilejenses *Beleni* religionem retinuerint, caussam hanc confingere possumus. *Aquilejæ* ita successu temporum *Beleni* cultus excreverat, ut oraculum, aruspices, & sacra sollemniori ritu instituta obtineret, & cives ejus numen in tutelam & præsidium Urbis peculiari
C nuncupatione adoptaverint, uti initio dissertationis abunde ostensum est. In quam religionis auctoritatem apud alios populos *Venetiæ* evectum fuisse non constat. *Romani* itaque particularia hæc sacra, quæ *municipalia* vocantur in lapide olim laudato, & Deum patrium & municipalem *Minutio* & aliis appellatum, *Aquilejensibus* retinere permiserunt, tradito instituto a Pontificibus, *qui domitis nationibus*, ut ait Festus, *municipalia sacra, quæ ab initio habuerunt, ante Romanam civitatem acceptam, observare voluerunt, & eo more facere, quo adsuessent antiquitus.* Non ita in aliis *Veneto-*
D *rum* Coloniis: quibus cum *Belenus* eâ municipali & celebriori prærogativâ non coleretur, sacris *Romanorum* cedere jussus est. Apud *Gallos* vero diu, etiam *Romanis* rerum potitis, *Beleni* cultus permansit, ob eandem celebrioris ritus religionem, quam *Druidarum* sacerdotes, quamquam variæ sint de eorum duratione sententiæ, quibusdam saltem in locis sartam tectam, incolumemque servarunt.


290

D E
DIIS AQUILEJENSIBUS.

QUoniam hucusque BELENUS *Deus princeps & præses* Aquilejensium *mihi narratus est, non abs re fore duxi, addere etiam Deos alios, non dignitatis nomine sed cultu minores, quos è* saxis Aquilejensibus *eductos gratia novitatis apud eruditos commendaret. Nam eorum aliqui obscuris falsæ divinitatis characteribus sunt exsculpti, nominaque seu cognomenta aut nova, aut rara admodum præferunt: & inscriptiones ipsæ, si unam aut alteram demas, necdum plane sunt editæ. Hinc mihi pretium erit operis, nisi præclare in earum explicatione positi, (id enim neque ingenium, neque temporis angustia sperare sinit). hoc saltem titulo, quod eos primus in lucem hominum produxerim. In quo tamen potior laus est* Josephi Capodalei *Utinensis, qui ut erat rerum* Forojuliensium *sedulus indagator, & edito libro* Italico, *cui titulus,* Udine Illustrata, *de patriâ suâ etiam plus æquo benemeritus, conjectis scilicet inter præclaros nobilissimæ ejus Urbis cives aliis etiam totius fere provinciæ* Forojuliensis *illustribus Viris, sesquicenturiam inscriptionum* Aquilejensium *in summo studio ac diligentiâ pene omnes ex archetypis saxis collegit. Cujus autographum MS. cum nuper in meas manus inciderit, inde aliquas, quæ de Diis sunt, huc transtuli, notisque tumultuariis utcumque illustrare conatus sum. Et quoniam ab* Jove *principium Musæ,* Juppiter *ipse initium faciet, ducetque insanum hoc superstitiosæ gentilitatis Deorum agmen.*

Si-

291



SImulacrum hoc *Brotontis*, quod cum aliis *Aquilejensibus* monumentis *Venetias* olim in nobilissimas ædes *Grimanorum* translatum fuit, ante biennium vulgavit *Joannes Antonius Astorius*, & eleganti dissertatione commentatus est. Quo sane cum argumentum occupaverit, pauca mihi dicenda erunt, quæ ab erudito viro non acceperim; qui ad me transmissâ perhumaniter tabellâ æreâ, ut ipsum quoque *Brontontis* ectypum ei deberem, effecit. Summa vero tantum capita *Astorianæ* lucubrationis decerpam, quæ ornent nostra, non onerent.

Sensum inscriptionis ita reddit: *Jovi Tonanti Deo domestico sacrum.* Βρονταῖος namque, sive Βροντῶν, *tonans*, ἀπὸ τοῦ Βροντεῖν, id est *tonare*. Idemque
292 est *Broton Aquilejensis*, ac *Bronton* in saxo apud *Gruterum p.* 17. JOVI SANCTO BRONTONTI AVR. POPLIVS. Et in alio, *pag.* 34. quod superius exscripsi *in dissertatione de Mithrâ pag* 166. Literam N in nostro vel prætermisit imperitus artifex, vel morosior ad vitandam cacophoniam præcidit. In primo Gruteriano *Juppiter* diserte dicitur *Bronton*, ut nihil aliud hoc sit quam *Juppiter Tonans.* Tonantis *Jovis* templum erat in Capitolio. Leguntur *in* Sponii *Miscellaneis Sect. III. pag.* 73. *&* 74. Jovi *Tonari*, & *Taranauci* adjecta epitheta, quæ *Britannicâ* & *Cambricâ* linguâ, *Tonantem* sonant. Ita *Labreus, Labradeus,* vel *Labradensis* in *Cariâ* fuit dictus, quod securim pro trisulco fulmine gestaret. Aliisque subinde cognomentis passim *Juppiter* donatur. Hunc vero *Jovem* Deum Larem fuisse subdit, ex addito epitheto seu appellatione, BONO DEO, quasi *domestico Deo.* Lar enim idem ac Genius, qui Græcis Ἀγαθὸς Δαίμων, *Bonus Genius* vocatur. Demum *Jovem* pileatum ideo effictum ait (nam tegumentum illud, quo caput simulacri exornatur, pileum esse putat) ut *Liberator* & *Servator* designaretur; sicuti *Castor* & *Pollux* pileati, quod Liberatores Græciæ sint habiti, & *Bruti* Romanæ libertatis vindicis imago pileata. Cur vero pileatus cum Tonans? Nempe quia supervacaneum fuisset *Jovi* Liberatori symbolicam expressionem addere: ubi vero Tonantis obsignatur epigraphe, Libertatis symbolum pileo erat indicandum. Subinde tentat, non sequitur aliam interpretationem. Cum *Vulcanus* in focis domesticis poneretur, idemque aliquando jacere fulmina sit creditus, an non ipse est *Tonans*, & *Bronton* domesticus? Hæc summa-
A tim ex Cl. *Astorio*: nos pauca addimus.

Brontontem saxis Gruterianis exsculptum *Tonantem* esse non dubitat Joannes Meursius *Exercitationum Crit. Part. II. Cap. II.* At quærit, nec nodum expedit, cur in eorum altero *Bronton* conjungatur cum *Hecate*? Id in lapide non video; sed Zosimus *Sacerdos Dei Brontontis & Hecate* dicitur. Illum exscripsi supra *pag.* 166. (*edit. prior. de Mithra*) Nil vetat, quod unus idemque homo plurium Deorum 293
sacris sit initiatus. pag. 28. 2. Sextilius est *Pater Patrum Dei Solis Mithræ*, *Hierophanta Hecate, & Dei Liberi.* Et in 6. Cejonius *augur Dianæ*, *Antistes Mithræ & dux Taurobolii magni*, quod genus erat
B sacrificii expiatorii. Petierim potius ab eruditis, cur in alio lapide inscripto *Jovi Sancto Brontonti*, scalptus sit *Apollo* crinitus, in rupe lyram tangens, & sub ipsâ rupe lupa: item virgines duæ, una poculum, altera lancem ferens? Ita describit *Gruterus*; & Boissardus *Antiq. Rom. par.* 5. *pag.* 83. schema ipsum delineatum exhibet. Quid enim *Jovi* tonanti cum *Apolline* Citharœdo, cеterisque figuris? Porro etiam *Fabrettus*, qui dubitaverat, num *Bronton Aquilejensium* Deus proprius esset, & *Beleno* suppar, postquam vidit id esse Epitheton *Jovis* apud *Gruterum*, & *Romæ* quoque ha-
C buisse Sacerdotem, facile concessit in *Astorii* sententiam, *Cap. X. pag.* 698. Piaculum mihi esset tot viros doctos non sequi. *Bonum* quoque *Deum* dictum *Jovem Brontontem*, facile cum *Astorio* credam, quod inter Genios & Lares familiæ esset adoptatus. Sane Larem privatis ædibus locandum vel ipsius protome indicat. Deos etiam magnos & publicos inter penates fuisse adscriptos in tutelam familiarum, satis demonstravi in *Explicatione Lapidis M. Aquilii Cap. I.* At leviuscule adhuc tentandus mihi est *Bonus Deus*, & cur Juppiter *tonans* hoc titulo donetur inquirendum. Deum quemcumque *Bonum* vocabant veteres, quem sibi pro-
D pitium & faventem vellent, vel jam fuissent experti. Virgilius Lib. I. Æn. vers. 738.

Et tu lætitiæ Bacchus dator, & BONA Juno.

Servius explicat, hoc est *propitia.* Antinous in nummo, quem refert Spanhemius *Dissertat. VII. pag.* 654. dicitur ΑΓΑΘΟC ΗΡΩC, quasi *Bonus* & *propitius Divus.* Hinc Ἀγαθοὶ δαίμονες vocati boni & salutares Genii. Julianus *Orat. I. de Constantio pag.* 84. vocat *Constantinum Magnum* BONUM *Heroëm*, uti vertit *Petavius*, sive, ut alii, *propitium Divum.* Apud *Gruterum pag.* 59. 1. lapis est positus ΘΕΑΙ ΠΑΝΑΓΑΘΩΙ: extant alii *pag.* 101. 7. & 294
E 8. BONO Eventui, hoc est *propitio.* Quo titulo cusi sunt nummi *Severi* & *Getæ*, de quibus inferius, cum de *Bona* Dea agam. Jam liquet, cur *Juppiter* sub nomine *Brontontis* seu *Tonantis*, inter Lares familiæ præsides fuerit repositus, *bonusque Deus* appellatus. Ut scilicet cum è cœlo tonaret, propitius esset, nec quemquam è familiâ, in cujus tutelam vocabatur, fulmine læderet.

Quod simulacrum hoc *Brontontis* pileo, seu petaso tectum velit *Astorius*, non admodum placet. Cuique liberum sit oculorum consilium sequi. Mihi tegumentum illud fascia est, seu diadema ca-
F put in orbem præcingens. Id cum olim aperuissem *Fabretto*, cui primus dissertationem ejusdem eruditi viri communicaveram, facile assensit, & subinde loco mox citato *Brontontem* Aquilejensem tamquam *diadematum* descripsit.

Begerus *in Thesauro Antiquit. Palatin. pag.* 2. figuram *Jovis* barbati delineatam exhibet, eadem plane diadematis formâ conspicuam. *Jovem* siquidem deorum hominumque regem, ut putavit vesana antiquitas, insigne hoc regium decet quam maxime. Nec magis rex est, imperiumque in homines exercet, quam cum tonat, & fulmine ter-

ras concutit. In nummo aureo *Antonini Pii* ſpectatur figura ſedens cum fulmine & haſtâ, additâ epigraphe: IMPERATORI, teſte Spanhemio *Diſſert. V. pag.* 396. Quâ repræſentari *Jovem* non ambigo. Nam & apud Triſtanum *Tom. II. pag.* 74. extat numiſma, cui duo fulmina inſculpta ſunt, & inſcriptio: JOVI IMPERATORI. Ita & *ſceptrum, quod manu gerit* Jupiter, *imperii ipſius indicium eſt*, ait Phurnutus *de Nat. Deor. Cap. IX.* Signum *Jovis Imperatoris* Præneſte devectum *Romam* narrat P. Victor *in regione VI. Urbis*: & eodem titulo *Imperatoris* ſimulacrum à *Verre* ſublatum *Syracuſis* refert Cicero *in Verrinâ IV. Cap.* 57. ubi tria ſigna Jovis *Imperatoris* in orbe terrarum pulcherrime facta ſubdit. *Jovis* RE-
295 GIS templum memoratur Pauſaniæ *in Bœotic. pag.* 602. dicatumque ſaxum JOVI REGI viſitur apud Gruterum *pag.* 1065. 3. Quin & novo vocabulo *Juppiter* appellatur PRAEFECTVS ORBIS in nummo *Severi*, ex eodem Spanhemio *in Cæſ. Juliani pag.* 20. At ſatis cum *Jove* lapide loquuti ſumus: ceteros quoque deos ſaxeos adeamus.

II.

FONIONI
SACR
SEIA. IONIS
MAG
D. D

Aquilejæ prope S. Stephanum.

Noſtri *Aquilejenſes* græciſſare non deſinunt. Nuper *Jovem*, nunc *Martem* Helleniſticâ vocabuli figurâ induunt. *Seja Jonis Magiſtra* hanc aram *Fonioni* dedicat. Epitheton hoc eſt *Martis* à Græco φόνος *cædes*, *homicidium*, unde φονίος *homicida*, *ſanguinarius & cædibus contaminatus*. Orpheus in Hymno Martis: Ἄρες φονοίς πεπαλαγμένος. Ab hoc alia compoſita Martis cognomina derivantur. Idem *Orpheus* proxime inſequenti verſu: Mars ἀνδροφόνῳ, *ſanguine humanæ cædis gaudens.* Homerus *Iliad. V. verſ.* 455. μιαιφόνε, *fœdatus cædibus.* Et Phurnutus de Nat. Deor. Cap. XXI. *recte*, ait, Mars *vocatur* μιαιφόνε, *occiſor & infector*, ut vertit interpres. Quare *Phonion*, ſeu, ut in noſtro lapide ſcribitur, *Fonion*, non alius quam *Mars*. Præterea Latinorum exempla, maxime Poëtarum, quibus paſſim *ſanguineus*, *cruentus*, & *occiſor* dicitur. Unum tantummodo produco Martiani Capellæ, qui *Lib. I. pag.* 21. ita Martem deſcribit: *Ruber juvenis ac vorax omnium*, *ſitiorque etiam ſanguinis gradiebatur.* Seja Jonis MAG*iſtra* Martis dicitur. In collectione *Capodalei* tres illæ literæ punctis diſtinctæ apparent. Sed emendavi ex exemplari, quod nuper ex ipſo ſaxo *Aquilejæ* exſcriptum habui. *Magi-*
296 *ſter* & *Magiſtra* nomen eſt miniſterii in ſacris deorum, ut oſtendam inferius. An vero *Seja* Magiſtra erat ipſiusmet *Martis*, cui aram dicat? Reperio *Martis* Sacerdotes non tantum viros, qui *Salii* dicebantur, ſed etiam feminas *Salias* fuiſſe. Pompejus Feſtus in hoc verbo: *Salias* (alii legunt *Saliares*) *virgines Cincius ait eſſe conducticias, quæ ad Salios adhibeantur, cum apicibus paludatæ. Quas Ælius Stilo ſcripſit ſacrificium facere in regiâ cum Pontifice.* Potuit ergo *Seja Jonis* inter has Saliares *Magiſtra* fuiſſe, prima ſcilicet & aliarum præcipua. Vel ſi nomen vulgatâ ſignificatione accipias, *Seja* ceteras *Saliares* docebat ſaltationes, quas dum eſſent vocatæ ad *Martis* ſacra, peragere conſueverant. Nam *Salii*, cum moverentur Ancilia, per Urbem diſcurrentes ſaltabant.

III.

VI. DIVINAE
SACRVM
C. VETTIVS. C. F
CAVOLVS.

Ara eſt tribus lateribus inſcripta, *Aquilejâ* Venetias deportata, uti refert Gruterus *ex Pighio pag.* 94. 5. Capodaleus *in ſuis Collectaneis Inſcriptionum* formam aræ ruditer delineatam exhibet, eamque ex ſuburbanis *Aquilejæ* inter alias nonnullas *Beleno* dicatas, quas ſuo loco retulimus, *Joannem Savorgnanum* anno MDXLVIII. *Venetias* dono miſiſſe *Joanni Grimano* Patriarchæ *Aquilejenſi* narrat. Ceteri fere omnes lapides in *Grimanæo* ampliſſimo Palatio adhuc viſuntur; hunc nusquam inveniri, nuper ab amico accepi: ſeu omnino perierit, ſive alicubi neglectus deliteſcat. Inter ignotos, obſcurique nominis Deos hunc refero; nam VI DIVINAE aram ſeu templum dicatum nusquam me legiſſe memini. Adeoque incertum, quodnam id numen fuerit, ſicuti Vim divinam variâ ſignificatione uſurparunt veteres. *Vim divinam* aliam voco *theologicam*, aliam *naturalem*. Primum de primâ. Gentiles religionis lumine deſtituti, cum ſummum aliquid & ſupremum, 297
quo res humanæ aguntur & certâ lege cohibentur, eſſe ſcirent, ecquid tamen illud eſſet, & an in Deo vel extra Deum poſitum, ignorantes, inani vocabulo conficto, VIM DIVINAM vocarunt, ſeu *Fatum & fatalem neceſſitatem.* *Strato phyſicus*, ut refert Cicero de Nat. Deorum Lib. I. Cap. XIII. *omnem* VIM DIVINAM *in naturâ ſitam eſſe cenſet, quæ cauſſas gignendi, augendi, & minuendi habeat. Chryſippus Stoicus*, idem Tullius loquitur Cap. XV. *ait*, *VIM DIVINAM in ratione eſſe poſitam, & univerſæ naturæ animo atque mente.* Et paullo poſt: *idemque etiam legis perpetuæ & æternæ VIM, quæ quaſi dux vitæ & magiſtra officiorum ſit, Jovem dicit eſſe, eandemque fatalem neceſſitatem appellat.* Hanc *neceſſitatem, quam cogere & ſuperare nequimus*, Phurnutus Cap. XIII. appellat *Fatum*, quod eſt *ſempiterna quædam & indeclinabilis rerum ſeries* &c. Quo *Vim divinam*, de qua loquimur, deſignare videtur. Fatum hoc ipſum *Jovem* aliqui putarunt, ut *Chryſippus* mox relatus; & *Laërtius*, Lib. VII. in vita Zenonis, *unum*, ait, *deum eſſe, ipſumque, & mentem, & Fatum, & Jovem*: alii poteſtatem quandam & vim, cui *Juppiter* ipſe ſubjectus ſit, & parere cogatur. Virgilius *initio Lib. X.* cum in concilio deorum diſceptaretur, favendumne eſſet *Teucris* vel *Turno*, Juppiter in nullius partes ſe eſſe profitetur, verſ. 108.

Tros, Rutulusve fuat nullo diſcrimine habebo.

Et verſ. 112. *rex Juppiter omnibus idem*; eſſe tamen poteſtatem aliam ſtatim ſubdit, quæ rei eventum diſponat: *Fata viam invenient.* Quo Poëta *videtur oſtendiſſe*, ait Servius, *aliud eſſe Fata, aliud Jovem.* Nitente Fato *Juppiter* apud *Homerum* ſervare nequit *Sarpedonem.* Et apud Ovidium Metam. IX. verſ. 431. *Me quoque*, ait, *Fata regunt.* At in adverſum ſtat Pauſanias, qui, *Fata parere Jovi*, ſcripſit *in Corinth. p.* 75. Quocumque hæc futilia & vana theologiæ Gentilium commenta ducamus, VIS DIVINA, cui *Vettius* aram *Aquilejæ* poſuit, *Fatum* ipſum eſt, quod res humanas 298
agere credebatur ineluctabili lege: *divinum* ideo dictum, quod à deo manaret, vel Deus ipſe eſſet. In quam ſententiam egregium eſt teſtimonium Capellæ *Lib. I. pag.* 19. *Fatum*, dicitur etiam VIS *Sacra Jovis*, ut legit Grotius. Et *vim divinam* ipſam *fatalem neceſſitatem* vocavit Chryſippus, ut vidimus. Quâ Fatorum vi ad abjiciendum Imperium ductus *Diocletianus* cum collegâ, ut conjicit doctiſſimus Spanhemius *in* ſæpius

pius laudatis *Annotationibus ad Cæsares Juliani pag.* 385. percussit nummum trium Parcarum figuris sculptum, cum epigraphe: FATIS VICTRICIBUS. Nam Parcæ ipsa Fata dicebantur. Quare VIS DIVINA in nostro saxo *Aquilejensi* ipsum est *Fatum*: nam & FATIS dicatos lapides cernimus apud *Gruterum pag.* 98. 1. & 2. Præterea ad Vim divinam revocari posset *Nemesis necessitatis insolubili retinaculo mortalitatis vinciens fastus*, ut ait Ammianus Marcellinus *Lib. XXIV. prope fin.* Quæ etiam *Adrastea* appellabatur, hoc est ultionis divinæ inevitabilis seu ineffugibilis necessitas, & *quæ nullo modo vel evitari, vel declinari possit*, inquit Phurnutus *cit. Cap XIII.* Hinc in nummis fundam gestat, tanquam eminus feriens, nullâ reis spe fugæ relictâ. Videas Cl. Bonarotam *in Nummo XI. Macrini*, *p.* 223. Porro *vim divinam* alio sensu intellexit Manilius Lib. I. Astron. vers. 247.

Hoc opus immensi contractum corpore mundi;
Membraque naturæ diversâ condita formâ.
Aëris, atque ignis, terræ, pelagique jacentis;
VIS *animæ* DIVINA *regit.*

Quæ est anima mundi *Platonicorum*, seu spiritus, qui ipsum alit & agitat apud Virgilium *VI. Æneid.*

Alia notione VIM DIVINAM acceptam dixi, eamque *Naturalem* vocavi; quod scilicet ex naturalibus & physicis caussis promanet, quamvis veteres ad vim fatorum retulerint. *Ulpianus* ex *Servio* I. C. hæc habet in l. 24. §. 4. Dig. de damno infecto: *Si ex ædibus promissoris vento tegulæ dejectæ damnum vicino dederint, ita eum teneri,*
299 *si ædificii vitio id acciderit: non, si violentiâ ventorum, vel quâ aliâ ratione, quæ* VIM *habeat* DIVINAM. Idem Ulpianus l. 25. §. 6. D. locati, alio nomine vocatam docet: *Vis major, quam Græci θεȣ̃ βίαν, id est* VIM DIVINAM *appellant, non debet conductori damnosa esse. Vis* itidem *major* dicitur in l. 9. § 2. eod. & *fatale damnum ac vis magna* in l. 2. in fin. D. de peric. rei. vend. Quid vero eo nomine signetur, diserte docet Plinius Lib. XVIII. Cap. XXVIII. in fin. *Ante omnia autem duo genera esse cœlestis injuriæ meminisse debemus. Unum quod tempestates vocamus, in quibus grandines, procellæ, ceteraque similia intelliguntur: quæ cum acciderint,* vis major *appellatur.* Meminit quoque Columella *Lib. I. Cap. VII.* & Seneca *de Benef. Lib IV. Cap. pen.* Sane verius puto huc respexisse *Vettium*, & VI DIVINAE aram dedicasse, ut grandines, procellas, ceterasque tempestates ab agris suis, fictitio hoc numine invocato, averteret. Nam & aram, ut ante dixi, in suburbanis *Aquilejæ* positam, numini alicui campestri propitiando destinatam facile intelligimus. Novum porro nequaquam est, ventis, nubibus, aliisque è cœlo ingruentibus tempestatibus templa & sacra dedicasse vesanam antiquitatem. *Circio* vento Galliæ Narbonensi infesto, *Divus Augustus templum, cum in Galliâ moraretur, & vovit, & fecit*, uti prodidit idem Seneca *Nat. Quæst. Lib. V. Cap. XVII.* Et templum *Tempestatibus* dicavit *Cornelius Barbatus* ex antiquissimâ inscriptione, quam illustrarunt doctis Commentariis *Sirmondus* & *Aleander*. Id intellexit Ovidius, cum Lib. VI. Fast. vers. 193. cecinit.

Te quoque Tempestas, meritam delubra fatemur.
Cum pene est Corsis obruta classis aquis.

Et Cicero Lib. III. de Nat. Deor. *Quod si nubes retuleris in deos, referendæ certe erunt* Tempestates, *quæ populi Romani ritibus consecratæ sunt.* In Gruteriana inscriptione 3. pag. 61. *ara dedicata est incendiorum arcendorum caussâ.* Græci quoque ventos colebant; nam in *Sicyoniæ* Urbe *Titane*, ait Pausanias in Corinthiac. pag. 106. *ara est ventorum, ad quam nocte unâ quotannis Sacerdos Sacrum* 300
facit, additque certa etiam arcana peregisse, *ad placandam ventorum sævitiam.* Cum *Xerxes* ingenti exercitu conflato adventaret, Oraculum *Delphicum* jussit, Græcos *ventis* supplicare, ideoque, ait Herodotus Lib. VII. Cap. CLXXVIII. *in delubro Thujæ ara est ventis constituta, iisdemque sacrificatum.* Et *Aristophanes* per calumniam traducit *Socratem*, tamquam *Nubes* deas coleret, iisque Sacra faceret, in Nubibus *act. I. Sc. III.*

IV.

SOLI. DEO
INVICTO
SACRVM
FERONIVS. CENSOR
SIGNI
V. S. L. M.

In domo apud Turrim vulgo d' Arena.

Solem cultum *Aquilejæ* in Dissertatione de *Beleno* notavi. De cognomine *Invicti* satis etiam scripsi, cum de *Mithrâ* agerem. Huic *Votum Solvit Libens Merito Feronius Censor Signifer*, vexillarius scilicet, seu imaginifer legionis alicujus, qui etiam Censor erat *Aquilejæ*. Nam milites, cum essent in Colonias adscripti, publicis muneribus fungebantur.

V. 301

1.

SILVANO
AVG
ELEVTHER
C. ARR
C. P. P. VIL
D. D

In domo Capodalei.

2.

SILVANO
AVG. SAC
C. OPETERIVS
AGATE. MER
V. S. D. M

In fronte Ecclesiæ della Beligna.

3.

SILVANO
SACRVM
C. PETRONIVS
ANDRONICVS
EX. VISO

In Insula Gradensi in Cœmeterio

4

SILVANO
AVG. SAC
IN MEMORIAM
C. RVFI. ANTHI
IIIIII VIRI
TALLVS. LIB
D. D

Apud Ecclesiam Metropolitanam.

Quatuor hæc saxa sacra sunt *Silvano Augusto.* De hoc cognomine vel epitheto actum, cum de *Beleno*; quod frequenter inditum *Silvano* docent lapides *Gruteriani.* In 2. 65. visitur Silvanus *Larum Cæsaris.* Erat enim Præstes Larum, ut *Pluto* Manium, *Juppiter* Deorum, & *Janus* Geniorum, uti observat Meursius *Exercit. Crit. Part. II. C. I.* Plura de eo Poëtæ fabulantur, & Mythologi scribunt. Pauca mihi sunt dicenda, eaque tantummodo, quæ nostras inscriptiones illustrare possint. Vetus scriptor Agrorum *in Collectione Wilelmi Goesii pag.* 294. tres *Silvanos* facit: *unus dicitur Domesticus* (quo nomine sæpius apud *Gruterum*

& *Reinesium* vocatum invenies) *possessioni consecratus: alter dicitur Agrestis, pastoribus consecratus: tertius dicitur Orientalis, cui est in confinio lucus positus.* Lapides hi erant finales *Silvano* sacri, ita diversis locis possessionis collocati; quia *Silvanus*, ait idem vetus Auctor, *primus in terram lapidem finalem posuit.* Unico tamen nomine *Silvanus* universæ rei rusticæ deus habitus fuit: unde Virgilius *Pelasgos* lucum sacrasse, ait, *arvorum pecoris-*
302 *que Deo*, Æneid. VIII. vers. 601. Hocque sensu, saltem in primo epigrammate accipiendus est *Silvanus*; cum ab Arrio *Vilico* (ita enim frequentius per unicum *L* scribitur hoc nomen in vetustis saxis, uti notarunt *Dausquejus*, & Fabrettus *Inscript. Cap. I. pag.* 2. quibus adde exemplum alterius inscriptionis apud *Timavum* repertæ, quam infra produco) dedicatio facta fuerit. Quamvis enim *Vilicus* nomen sit ministerii variis officiis addicti, ut observat Reinesius *Class. I.* 125. & Fabrettus *Cap. I. pag.* 38., Vilici hic nobis est rusticum munus; & *Arrius* videtur præpositus rusticis rationibus hominis alicujus, qui latet sub singularis C. PP., fructibus percipiendis, & universo operi rustico, quæ descriptio est Vilici *in Lib. VIII. D. de instrum. leg.* & *l. si cum vilico D. de instit. act.* & videsis Cujacium *Lib. X Observ. XXXVII.* Hinc *Arrius vilicus* aram, seu quid aliud *dedicavit* Silvano *Eleutherio*, hoc est *Liberatori*, ut agros & possessiones ab injuriis cœli & tempestatibus servaret & liberaret. Eodem pene cognomine erat Romæ *templum Sancti Silvani* SALUTARIS *in hortis & prædio C. Julii Nymphii*, apud Reinesium Cl. I. num. 105.

Tertium saxum *Silvano* posuit *Petronius* EX VISO. Frequens hæc formula in vetustis monumentis. Eidem *Silvano & Libero Patri Cædicius* ex viso *donum posuit*, indicatâ *Classe I. num.* 106. Apud *Gruterum pag.* 93. 3. EX VISV *ædes Plutoni* & *Proserpinæ vota* dicitur. Alia exempla dabit *Fabrettus p.* 469. *Ex visu* idem est ac *per somnium.* Quidquid enim somniabant superstitiosi Gentiles, sibi à deo immissum arbitrabantur. Et inde tamquam religione admoniti, aras, donaria, victimas offerebant numini, quod sibi per somnium apparuisse putabant. Unde Maximius Julianus *Libero Patri* VISV MONITVS *pro salute suorum* donum dat, in 112. *Reines. Cl. I.* Nam morborum curationem potissimum sibi à Diis monstrari per quietem credebant. *An Æsculapius*, ait Cicero Lib. II. de divinat. *an Serapis potest nobis*
303 *præscribere* PER SOMNIUM *curationem valetudinis*, *Neptunus gubernantibus non potest?* Adde Suetonium *in Vespasiano Cap. VII.* adductum a Fabretto *Cap. VI. pag.* 469. ubi lapidem dicat *Deo Serapi M. Vibius Onesimus* EX VISU; quem podagrâ liberatum putat vir doctus, ob sculptum infimi cruris articulum. Hinc, qui morbo aliquo essent affecti, in templis pernoctabant, ut per quietem à diis monstrata remedia acciperent. Quod dicebatur *Deo* alicui *incubare*. Inde liberati, in eodem templo, quæ quisque remedia à deo accepisset, descriptis tabellis consignabant. Hujusmodi tabularum exempla in insulâ *Tyberinâ*, ubi templum *Æsculapii* erat, reperta, producit *Gruterus pag.* 71. Eorum alterum exscribo: *Lucio affecto lateris dolore, & desperato à cunctis hominibus, oraculum reddidit Deus* (supplendum *per somnium*) *veniret, & ex tribomo tolleret cinerem, & una cum vino commisceret, & poneret supra latus. & convaluit.* Hinc Philostratus de vitâ Apollonii Tyanæi Lib. I. *Hydrope vero laborabat, & vinolentiæ deditus, siccitatis nullam rationem habebat; unde nec ejus Æsculapius ipsi* IN SOMNIUM *respondebat.* At hæc deliria vere somniantium, & commenta, quibus per fraudem Sacerdotes turbæ gentilium imponebant. Ceteræ inscriptiones nil observatione dignum præferunt. In quartâ lineâ secundæ legendum, MatER; ut simul *Opeterius* & *Agaie* mater votum solverint *Silvano.*

VI.
DITI
PATRI
IVLIA. BARACHVS
FECIT. VIVA. SIBI
In Ecclesia Monialium.

Sepulcrale hoc est monumentum, quod *Julia* adhuc *viva sibi fecit*, dicavitque *Diti Patri.* Manes sive defunctorum animæ sub *Ditis* seu *Plutonis* potestate erant; unde *Summanus* dictus, nempe *summus Manium*, uti explicat Capella *Lib. II.* 304 *p.* 40. Quamvis antiquioribus incertus hic Deus haberetur; unde Ovidius Lib. VI. Fast. vers. 731.

Reddita, quisquis is est, Summano templa feruntur,
Tunc cum Romanis Pyrrhe timendus eras.

Hinc etiam, ut puto, *Pater* in nostrâ inscriptione, ac sæpius in aliis, appellatur. At *Cicero* aliam vocabuli significationem indicat, Lib. II. de Nat. Deorum: *Terrena*, inquit, *vis omnis atque natura* DITI PATRI *dedicata est*, *qui dives*, *ut apud Græcos Pluton, quod recidant omnia in terras, & oriantur è terris.* Ceterum *Patris* epitheton deorum omnium erat: Juppiter *Pater*, Janus *Pater*, Marspiter, Liber *Pater.* In quam rem vide Agellium *Lib. V. Cap. XII.* Servium *ad vers.* 699. *Lib. I. Æneid.* & versus *Lucilii* apud Lactantium *Lib. IV. Cap. III.* Julia Barachus, ut bene apud inferos secum *Dis* ageret, hac dedicatione sibi eum adhuc vivens conciliare studuit, & Patris miti & benigno nomine compellatum propitium invocavit. Non prætermittas eam feminæ masculinam terminationem notare.

VII.
IVNONIBVS. SACRVM
M. MAGIVS. M. L. AMARANTVS
IIIIII VIR. ET
MAGIA. M. F. VERA. MAGIA. M. L. ILIAS
AEDEM. SIGNA. III. PORTICVM. MACERIS. II.
CVLINA. ET. LOCVM. IN. QVO. EA. SVNT
VOTVM SOLVERVNT
LOCO. PRIVATO
Apud Metropolitanam Ecclesiam.

Habes hoc epigramma etiam *in* magno *Thesauro* Gruteri *pag.* 24. 2. Junonem sororem conjugemque *Jovis* nemo est qui nesciat. At plures *Junones* non ita obvium est reperire, nec interpretari pronum. Jacobus Sponius *Sect. III. Miscellan.* 305 *num.* 25. *pag.* 83. binas producit inscriptiones *Junonibus* dicatas, atque ita explicat. *Junones* erant deæ unicuique mulieri præsidentes, sicuti viris Genii: ita muliebres Genios non male nominaremus. Plinius *Lib. II. Cap. VII.* deorum multitudinem apud se repetens, & quasi subridens: *major*, inquit, *Cœlitum populus quam hominum intelligi potest*, *cum singuli quoque ex semetipsis totidem deos faciant*, *Junones Geniosque adoptando sibi.* Seneca Ep. CX. *memineris majores nostros*, *quia crediderunt hoc*, *Stoicos fuisse*: *singulis enim & Genium*, *& Junonem dederunt.* In eandem explicationem consentit Reinesius *Epist. LXIX. ad Rupertum pag.* 655. Fabrettus *Cap. II. pag.* 73. id firmat inscriptione ex Collectaneis *Archinti*, quæ dicata est *Genio Magi Germani*, & deinde *Junoni Cissoniæ*, tanquam *Juno* Genius esset mulieris. Exempla cumulat ex *Grutero*, quibus suus Genius viris, mulieribus *Juno* tribuitur. Exinde notat Juvenalem *Satyrâ II.* stylum acuere in adulatores effeminatorum *Romuli* Nepotum, qui non per

per eorum Genium, uti de viris decuisset, sed per *Junonem* novo more, tanquam in mulieres versorum, jurabant.

Et per Junonem domini jurante magistro.

His addiderim *Tibullum*, qui puellam suam alloquens ait:

Hæc per sancta tuæ Junonis numina juro.

Lib. IV. Eleg. XIII. Quamobrem mulier improba apud Petronium, *Junonem meam*, inquit; *iratam habeam, si unquam &c.* Et quoniam Genius erat hominibus natalis Deus, unde idem Tibullus *Lib. eodem, Eleg. V.* cum supra Genium *Cherinthi* nuncupasset, carmen ita claudit:

At tu natalis quoniam Deus omnia sentis;

sic mulieribus *Juno* Dea natalis habebatur. Idem Poëta proxime insequentem Elegiam exorditur

Natalis Juno sanctos cape thuris acervos;
Quos tibi dat tenerâ docta puella manu.

Optime hæc quidem: nec enim dubitaverim,
306 *Junonem* mulierum genium fuisse, sed cur hæc nostra inscriptio, pluresque aliæ apud Gruterum, *Junonibus* dicatæ sunt, tamquam non una sed plures *Junones* feminis pro tutelâ fuissent tributæ? Non sum nescius, duos etiam Genios, bonum & malum, cuique præsides ex veteribus nonnullos putasse; at video in saxis perpetuo unicum tantummodo Genium signatum, ut percurrenti *Indicem* Gruterianum *Cap. I.* patebit. Præterea & viri ipsis *Junonibus* vota nuncupant. Quo fit, ut ubicumque *Junonum* sit mentio, nisi etiam plures mulieres adsint, eas feminarum Genios dici posse, admodum verear. Observabam *Augustas* Imperatorum vel uxores, aut sorores, seu filias, dearum nominibus, *Junonis* potissimum, sæpius vocatas. Eruditissimus Spanhemius *Dissert. VII. pag.* 607. Mediceum nummum producit, cui caput *Liviæ* scalptum est, & ab alterâ parte hæc epigraphe: .... BIAN HRAN; seu *Liviam Junonem*; nempe juxta Prudentium

Adjecere sacrum, fieret quo Livia JUNO.

Et Ovidium Lib. III. de Pont. El. I.

Cum tibi contigerit vultum JUNONIS adire,
Fac sis personæ, quam tueare, memor.

Tristanus *Tom. I. pag.* 243. numisma aliud Græcum exhibet, cum hoc titulo: *Sabinæ Poppææ Augustæ* JUNONI; additque tritum fuisse Imperatores *Jovis* nomine insignire, *Augustas* JUNONIS. Sane impudenti adulatione easdem *Augustas* aliis quoque Dearum nominibus appellatas reperies. *Livia* in nummo apud Spanhemium pag. 608. *Diana Lucifera* dicitur: Faustina *Venus Genitrix*, Tab. XLVIII. Oiselii: Sabina *nova Ceres*; Julia *nova Vesta*, pluresque aliæ *in* præclaro *Volumine* Bonarotæ *pag.* 40. An igitur *Junones*, quæ saxis nostris signantur, *Augustæ* ipsæ sunt tunc simul viventes, vel post mortem consecratæ, quibus insana religio aras, & templa, & Sacerdotes dicaverat? Siquidem & *in* Gruteriano *lapide* 8. *pag.* 101. *Aponia Montana* memoratur *Sacerdos* DI-
307 VAR*um* AUGUSTAR*um*; in 2. pag. 322. *Cantia* Sacerdos DIVAE PLOTINAE; in 5. *Sennia* Sacerdos DIVAE FAUSTINAE. Alia exempla piget referre. Nec secus interpretor *Veronensem lapidem, pag.* 24. 4. JUNONIBUS AUG*ustis* SAC*rum*; ut respiciat *Augustas* ipsas sub *Junonum* nominibus cultas. Nam & dedicationem fecit *Metella* non tam *de nomine suo*, sed etiam *T. Flavii Hermetis viri sui.* Ita Aquilejenses nostri *Magius Amaranthus & Magia Junonibus*, Augustis scilicet, seu Imperatricibus, voto soluto ædem ceteraque, in inscriptione contenta, dedicarunt. Hæc tantum eruditis propono, dubia mihi quoque & incerta.

Dabo aliam explicationem fortassis meliorem. *Juno* variis nominibus fuit appellata, prout diversis officiis eam præesse putarunt Gentiles. Juno *Pronuba*, seu *Jugatina*, quod matrimonia jungeret: *Domiduca*, cum sponsa duceretur domum: *Cinxia*, quia sponsus cingulum sponsæ solveret: tandem *Lucina*, quod partui, non secus ac Diana, præsideret, Hinc tot *Junones* creditæ, quot muneribus una *Juno* præficiebatur. Et hæc quidem munera inter utrosque conjuges communia. Quamobrem vir & uxor, ut sæpius in inscriptionibus, & in nostra etiam, vel vir tantummodo, ut in aliis, potuit *Junonibus* vota nuncupare, ut omnia hæc feliciter cederent, vel solvere, cum prospere evenissent.

Cetera in saxo nostro enarrata prosequor. *Magius* & *Magia* Junonibus dicarunt *ædem*, atque in eâ *tria signa*, quæ fortasse *Junones* ipsas, quæcumque tandem illæ fuerint, repræsentabant; *porticum*que ante ipsam ædem, *maceriis duabus* circumductam, & *culinâ* instructam. *Maceria* in re funebri murus cæmentitius erat, concludens spatium sepulcro destinatum quoquoversus. Hic quoque murus est intelligendus, seu *septum clusum*, uti vocatur *in inscriptione* 125. *Class. I.* apud Reinesium & Fabrettum *Cap. I. Inscr.* 9. lorica scilicet seu ambitus circum ædem constructus, & *locum in quo ea sunt* circumplectens. Quod expressius notatur 308
in Epigrammate Gruteriano 5. *pag.* 61. Q. Vibius *aram Vulcano, maceriaque aream sæpiendam* curavit. Intra septum seu maceriam hæc fieri vetitum erat, ex alio lapide *pag. eadem num.* 3. HAC. LEGE. DEDICATA. EST. NE. CVI. LICEAT. INTRA. HOS. TERMINOS. AEDIFICIVM. EXSTRVERE. MANERE. NEGOTIARI. ARBOREM. PONERE. ALIVDVE. QVID. SERERE. Sacris enim faciundis locus ille destinabatur, ut verba, quæ statim sequuntur, demonstrant. *Culina*, inquit Festus in hoc verbo, *vocatur locus, in quo epulæ in funere comburuntur.* In hunc sensum *Culinam* aptavit Sponius *Voyage de la Grece, Tom. III. pag.* 47. explicans inscriptionem *Tiburtinam*, quam *Gruterus* quoque refert *pag.* 49. 3. Ubi cum dicatur *Sulpitius* restituisse *Herculi Saxano* inter alia etiam *Culinam*, hanc fuisse ait locum prope templa, in quo dapes funerum parabantur. At cum in hac inscriptione, & in nostrâ, omnia, quæ dicata vel restituta dicuntur, ad Deorum sacra pertineant, non video cur *Culina* ad rem funebrem sit traducenda. Sacris peractis epulæ semper parabantur: quas execrati *Christiani*, idolis immolatos cibos interdixerunt. Hæ quidem in ipsis Deorum ædibus appositæ, ut inter alios meminit Halicarnasseus *Lib. II.* vel in loco ubi sacrificium erat peractum. In nostris tabulis *Arvalium*, quas nuper repertas dixi in explicatione lapidis M. Aquilii, Cap. VII. *Licinius magister ad aram immolavit Porcilias piaculares II. ibique Baccham*, nempe *Vaccam*, *honorariam albam ad foculum immolavit. Sacerdotes in tetrastulo consederunt, & ex sacrificio epulati sunt.* Quidni igitur *Culina* non tam locus erat, in quo funerum epulæ, sed etiam sacrorum, parabantur? Hoc igitur sensu in utraque inscriptione *Culina* est intelligenda. Porro, ne postrema verba nostræ inscriptionis prætercam, *loco privato* ædem & cetera dedicarunt *Magius* & *Magia*. Ædes sacræ aliæ publicæ, aliæ privatæ, quæ nec sanctæ nec sacræ erant, sed religiosæ. *Quod enim privati suæ religionis caussâ aliquid earum rerum Deo dedicent, id Romani Pontifices non existimarunt sacrum*, ait Festus verbo *Sacer.*

VIII.

309 VIII.

1

BONAE. PAGANAE
RVFRIA. C. F. FESTA
CASILIA. Q. L. SCYLACE
MAGISTRAE
D. P. S.
In quadam domo Capituli.

2

DECIDIA L. L. PAVLINA
ET PVPIA. L. L. PEREGRINA
MINISTRAE
BONAE. DEAE
AEDEM. FECERVNT
In eadem domo.

3

AVGVSTAE. BONAE. DEAE
CERERIE. SACRVM
. . . . YSTIS. L. TICHE AEDEM
. . . I. DE PECVNIA. SVA. FECIT
FAVSTVS BARBONIVS
IIII. VIR. D. D.

Inter has inscriptiones primam & secundam retulit etiam Fabrettus *Cap. X. pag. 665.* ex schedis Vaticanis, sed corruptas. In primâ pro *Paganae* legit *Faganai*; & nomen secundæ feminæ, *Caecilia Q. L. Cinnamis.* In posteriori habet, *Decidia Lep. Pauli*, & loco *Deae*, *sibi*. Nostris sane exemplaribus nemo fidem ampliorem negaverit. Quænam fuerit BONA DEA, veteres ipsi ignorarunt. Macrobius *Lib. I. Sat. Cap. XII.* refert, *Labeonem* eam putasse *Majam*; alios *Terram*; at *Faunam*, & *Opem*, & *Fatuam* Pontificum libris indigitari. Rursus alii *Junonem*, alii *Proserpinam* dixere. De ejus sacris arcano ritu celebratis passim agunt Scriptores: nec est cur sæpius ab aliis prolata retexam. Explicationem cognominum, quæ *Bonæ Deæ* in nostris saxis tribuuntur, tantummodo persequar; cum alibi non occurrant.

BONA PAGANA ea quidem Dea est, uti arbitror, quæ in *Pagis* colebatur, & præsidium, tutelamque *Pagorum* agere credebatur. *Paganalia*, sive *Paganicæ* feriæ à Pagis dictæ sunt, inquit Varro *de Lingua Lat. Lib. V.* De sacris pagorum
310 mentio est apud *Siculum Flaccum* de conditionibus agror. *pag. 25.* laudatæ collectionis *Goesii.* JOVI PAGANICO inscriptum est saxum *Gruterianum pag. 21. 11.* Aliud Diis CAMPESTRIBUS apud Fabrettum de *Aquæduct. pag. 106.* Cum ignotum esset numen *Bona Dea*, inter Campestres quoque & Agrestes eam retulerunt, & sub nomine *Paganæ* coluerunt. Et Dea quæcumque esset, quæ Agriculturæ præsideret, eam *Bonam* vocarunt. Vidimus enim, cum de *Brontonte* actum est, *Boni* epitheton diis additum nil aliud, quam *propitium*, significasse. *Fortunae* BONAE *domesticae*, lapis est dicatus *pag. 74. 5.* BONAE *Deae Veneri*, apud Reinesium *Class. I. 26.* & *Junonem* BONAM Deam vocatam ait *Fabrettus*, quasi *faventem* & *propitiam*, pag. 667.

Eo cognomine (ut rei nostræ exempla propiora referam) commenti sunt veteres Deum agris præsidem, quem Varro initio Lib. I. de Re rust. ita invocat: *Nec non precor Lympham, & BONUM EVENTUM: quoniam sine aqua omnis arida atque misera agricultura: sine successu & BONO EVENTV frustratio est, non cultura.* Boni *Eventus* templum in regione IX. collocat *P. Victor.* In nummo *Getæ* apud *Oiselium Tab. XLI. n. 6.* visitur juvenis nudus, stans ante aram accensam cum patera in dexterâ, & spicâ ac papavere in sinistrâ manu, additâ epigraphe: BONUS EVENTUS. In alio *Severi* numero proxime insequenti, sub eadem inscriptione BONI EVENTUS, scalpta est matrona decore culta cum paterâ frugibus plena in dexterâ, & spicis in sinistrâ. Quam profecto, si divinare liceat, non aliam deam esse puto, quam nostram *Bonam Paganam*, præsidio agrorum, culturæ, & frugum donatam, ut iis *bonum* & propitium *eventum* & successum tribueret. Hucque revocandum est secundum ex nostris saxis, AUGUSTAE BONAE DEAE CERERIE SACRVM. Ideo *Cereria* vocatur *Bona Dea*, ut pateat ejus præsidio dicatos agros & fruges: nam *Ceres* Dea agrorum & frugum habebatur. Simili appellationis schemate Magna Deorum Mater dicta est *Ceraria* in lapide *Grute-* 311
riano 2. pag. 1010. M. D. M. CERARIAE. Mater Deûm Terra est Macrobio *Lib. I. Sat. Cap. XXI.* Terra autem frugifera ipsa *Ceres.* Quare nostram Bonam Deam *Cereriam* tellurem frugiferam apposite vocamus, eandemque cum *Bonâ Paganâ* facimus. Extat inscriptio *pag. 26. 9.* CERERI AVG*ustae* MATRI AGR*orum.* Et ne dubitaremus, hanc eandem esse, quæ in pagis colebatur, tamquam agrorum præses, eandemque rursus, quæ in nostrâ inscriptione *Pagana* nuncupapatur, monumentum illud *L. Benius primus Magister* PAGI, & *Benia Primigenia Magistra fecerunt.*

In primo Epigrammate sive Aram, seu Ædem *Bonæ Paganæ* posuerunt *Rufria* & *Festa Magistræ* D. P. S. hoc est, *De pecuniâ Suâ*, uti expressum est in tertio. *Magistræ* Sacerdotes erant Sacris Dearum præpositæ, ut notavit *Fabrettus* ad hanc ipsam inscriptionem; qui *pag. 342.* alia exempla producit, nec non *Cap. X. num. 173.* ubi *Athenais* visitur MAGISTRA *Bonæ deæ.* In secundo *Decidia* & *Pupia*, non Magistræ, sed MINISTRAE *Bonæ* Deæ dicuntur, quod Sacerdotes inferioris conditionis essent.

IX.

1.

AVGVSTAE. B. . . .
CASTRENSI. EX . . . .
FERONIA LIBANI. LIB
TI. CLAVDIVS. STEPHAN
In fronte cujusdam domus Capituli.

2.

DOMNAE. B.
SACRVM
SEX. BEBIVS
BAI. FIL. VET. EX. CLASSE
VESTIARIVS
V. S. L. M.
In alia domo Capit.

In utroque Epigrammate longa ætas Deam abstulit. *Bonam* eam esse ex priori literâ B. facile suspicaberis. Sed quid *Bonæ* Deæ cum castris & bellis, unde cognomen *Castrensis?* Num *Bonam* Deam, quæ personam singularum Dearum induit, ut diximus, etiam Castris præfecerunt Gentiles, 312
& *Bonam* dixere, ut in rebus bellicis favens & propitia esset? Ita *Bona Dea Castrensis* ipsa *Bellona* est. Imo si aliter lacunam suppleas, non inepte legere poteris: *Augustae Bellonæ Castrensi*, & in secundo: *Domnæ Bellonæ.*

At videant eruditi antiquitatum, num præfixum vocabulum, DOMNAE, viam aliam interpretationi sternat. *Julia* DOMNA fuit uxor *Severi*, materque *Caracallæ* & *Getæ.* Plurima ejus mentio in saxis & nummis, passimque vocatur MATER CASTRORUM. Illa exhibent *Gruterus p. 1085.* & Fabrettus *Cap. X. p 679.* hos Tristanus *Tom II. pag. 131.* aliique numismatum descriptores. Jam priorem ex nostris inscriptionibus conjungas cum secundâ, hancque legas: *Do-*

Domnae Bonae Deae: illam, *Augustae Bonae Deae Castrensi*; & *Domnam* Imperatricem *Castrensem Deam* agnosces, quæ alibi Mater *Castrorum* est, & sane BONAM, quia Mater. Profecto potuit vocari *Augusta Bona Dea*, quæ in nummo apud *Patinum pag.* 284. Græcis literis dicitur *Augusta Domna Fortuna*. Et in aliis sub figurâ *Cereris* & *Lunæ Luciferæ* pingitur. Nummus *Corinthiorum*, in quo *Juliæ Domnæ* caput scalptum est, ex altera parte *Minervam* galeatam cum *Victoriâ* dexteræ impositâ præfert; quod *Victoriæ* signum, inquit *Vaillantius*, forsan *Corinthii Domnæ* tamquam *Palladi* bellorum præsidi tribuerunt. Passim *Augustas*, ut alibi ostensum est, figuris & nominibus Dearum consecratas intuemur. *Julia Mamæa* non unâ divinitatis notâ contenta, plures simul induit Deas, in rarissimo nummo ex maximo ære Musei *Corrarii*, cujus descriptionem nec dum, quod sciam, evulgatam, à viro Cl. Canonico *Blanchino* acceptam exhibeo. Caput *Mamææ* toto pectore & brachiis extantibus, cum symbolis multiplicibus, scilicet flore *Isidis*, Lunâ *Dianæ*, Alis *Victoriæ*, Cornucopiæ Face & spicis *Cereris*: circum literæ: JULIA MAMAEA AVGVSTA. in parte altera: FELICITAS. SAECVLI. *Mamæa* sedens tribus figuris stantibus circumdata,
313 quarum una ei pomum offert. Numisma est singularis pulchritudinis, optimæ cælaturæ, cum circulo, & ærugine smaragdinâ obductum. Si velis *Domnam* stare loco *Dominæ*, ægre calculum feram. Nam apud veteres nunquam nisi nomen proprium est *Domnus* & *Domna*, ut probant celeberrimi antiquarii, Tristanus *eodem Tomo pag.* 120. & Spanhemius *Dissert. VII. pag.* 626. Præterea vocabulum illud per syncopem solis Ecclesiasticis Scriptoribus inferioris ævi usurpatur.

X.

DIAN
AVG. SAC.
FLAVIVS SEVERVS
CVM. SVIS. LAB
RESTITVIT
In domo Nobb. de Nordis

Diana numen satis notum. In schedis Capodalei est, *cum suis* LAR. At in archetypo lapide, quem *Aquilejæ* adhuc extantem exscribi nuper curavi, legitur LAB. hoc est *Labris*. Labrum vas amplum dicitur, in quod aqua è fonte decidit. Fontes *Dianæ* dicatos nemo nescit. De *Labris* Dianæ mentio est apud Ovidium, Fast. Lib. IV. vers. 761.

Nec Dryades, nec nos videamus LABRA *Dianæ*,
Nec Faunum, medio cum premit arva die.

Itaque *Flavius Severus* Fontem aliquem *Dianæ* sacrum labefactatum & corruptum *cum suis* LABR*is*, marmoreis scilicet conchis ad aquam excipiendam, *restituit*. In lapide Veronensi pag. 39. 6. *Licinia signum Dianæ, & venationem, &* SALIENTES, aquas, *fieri jussit*. Cum Sylla *Scipionem*, *Norbanum*que consules *in Campaniâ* profligasset, *grates Dianæ* (inquit Vellejus *Lib. II. Cap. XXV.* *cujus numini regio illa sacrata est, solvit, & aquas salubritate, medendisque corporibus nobiles, agrosque omnes addixit Deæ*.

314 XI.

ISI. SACR.
L. MAGIVS PHILEAS VI. VIR
AQVIL. OB
SALVT. GRATTIANI
FILII. ET. GRATTIAE

Sertorius Eques *Ursattus* hunc lapidem *Patavio* tribuit, *Monum. Pat. Lib. I. Sect. VII.* & *IX.* Quod in collectaneis *Capodalei* sit descriptus inter *Aquilejenses*, huc transtuli. Si lapis sit *Patavinus*, saltem *Magium*, qui illum dedicavit, *Aquilejensem* civem agnoscimus. De votis *Isidi* solutis ob restitutam valetudinem nec plura nec meliora dici possunt, quam quæ congessit Fabrettus *Cap. VI. à pag.* 469. ubi hanc quoque inscriptionem ex *Thomasino* recitat. *Isidem* sanitati restituendæ præesse putarunt Gentiles, unde & *Servatricis* nomen apud *Arcades*, ex Pausania *Lib. VIII.* adepta est. Potissimum curationes pedum *Isidi* acceptæ referebantur. Hinc figuram pedum non semel exsculptam invenimus, quæ offerebantur, tanquam tessera curationis. Junctum numen cum sit *Isis* & *Serapis*, ab hoc quoque sanationes sperabantur, remediis immissis per somnium, ut indicat formula EX VISV, quæ sæpius in ejusdem inscriptionibus occurrit. Cetera apud *Fabrettum* invenies. Addam tantummodo carmina *Tibulli*, quibus denotatur tabellas curationum indices in templis *Isidis* suspensas fuisse Lib. I. Eleg. III.

Nunc Dea, nunc succurre mihi, jam posse mederi,
Picta docet templis multa tabella tuis.

Quemadmodum & naufragi in templo *Neptuni* tabellas dicare consueverant, quibus depicti essent casus & pericula naufragii; imo & vestes, cum quibus evaserant, suspensas parieti consecrabant. Utrumque expressum reperies apud Horatium *Lib. II. Sat. I. vers.* 33. & *Lib. I. Carm. Od. V.* ejusque interpretem. De tabellis in templo *Æsculapii* positis jam dixi.

Antequam Deos *Aquilejenses* deseram, Scripto- 315
rum nostratium haud levem lapsum adnotabo. Palladius senior *Rerum Forojuliens. Lib. VIII. pag.* 128. sequutus Candidum *Comment. Aquil. Lib. II.* memoriæ prodidit, *Maximino* Aquilejam obsidente, mulieres *Aquilejenses*, cum deessent civibus nervi ad immittendas sagittas, de capillis funes fecisse: *in cujus*, inquit Palladius, *facinoris memoriam Senatus sub ea tempestate, in perpetuum matronarum Aquilejensium decus, Romæ templum Veneri Calvæ dicavit*. Egregium quidem id facinus narrat *Capitolinus*, quem *Palladius* citat ad marginem; at templum ea occasione dicatum nequaquam dicit. Do verba ex Cap. VII. in vitâ Maximini junioris: *Prætereundum ne illud quidem est, quod tantâ fide* Aquilejenses *contra Maximinum pro Senatu fuerunt; ut funes de capillis mulierum facerent, cum deessent nervi ad sagittas emittendas: quod aliquando* Romæ *dicitur factum. Unde in honorem matronarum templum* Veneri Calvæ *Senatus dicavit*. Postrema hæc verba ad proxima, *quod aliquando Romæ dicitur factum*, referenda esse patet, non ad priora de mulieribus *Aquilejensibus*. Id *Romæ* contigit in obsidione Capitolii, in quâ *cum nervorum copia defecisset, matronæ abscissos crines viris suis obtulere pugnantibus*, uti narrat Vegetius *de Re milit. Lib. IV. Cap. IX.* Nil sane hic auctor de templo *Veneris Calvæ*; at supplendus est ex Lactantio Divinar. Institut. Lib. I. Cap. XX. *Urbe*, inquit, *à Gallis occupatâ, obsessi in Capitolio Romani, cum ex mulierum capillis tormenta fecissent, ædem Veneri Calvæ consecrarunt*. Itaque *Capitolinus* huc respexit, non vero ad facinus mulierum *Aquilejensium*; neque in earum decus perpetuum Senatus templum *Veneri Calvæ* dicavit.

Qui commentationem hanc de Diis *Aquilejensibus* inchoaverat *Juppiter*, idem quoque peractio erit. Siquidem memoriâ exciderat opportuniori loco referre, celebre *Jovis* templum & *Capitolium*, ad Urbis dominæ imitamentum, *Aquilejæ* stetisse. 316
Utriusque mentio est *in Actis Sanctorum Felicis &*

Fortunati, quorum exemplar tum apud *Mombritium* prostat, tum in vetusto Codice, octavi minimum sæculi, in chartulario Ecclesiæ nostræ Forojuliensis. *Cumque venisset in Civitatem Aquilegiensem* (sermo est de Euphemio Præside) *in Templum Jovis ingressus, immundas hostias obtulit. Præcones clamabant*, ut legitur in alio exemplari: *omnes concurrerent cum hostiis ad Capitolium Jovis, & sacras hostias Imperatori* (Diocletiano) *per plateas ponerent &c.* Capitolia habuisse illustres urbes, *Ravennam, Florentiam, Mediolanum, Carthaginem*, pluresque alias, suam in primis *Augustam*, colligit doctissimus Marcus Velserus *Rerum Vindelicar. Lib. V. pag. 259. postremæ edit.* Addimus *Aquilejense* Capitolium, quod qua urbis parte locatum fuerit, omnino latet. *In excelsissimo loco* construi jubet *Capitolium* Vitruvius *Lib. III. Cap. II.* Unde in Concilio Eliberitano Can. LIX. prohibetur, *ne quis Christianus aut Gentilis ad Idolum Capitolii sacrificandi caussâ ascendat.* In quem Canonem videas, quæ erudite adnotavit *Ferdinandus Mendoza*. Ceterum quamquam *Romæ Capitolium* non tam *Jovis* templum, sed alia quoque delubra, ædificia, ipsamque arcem complectebatur, *Aquilejæ* idem *Capitolium* ac templum *Jovis* fuisse verba recitata suadent.

XII.
DEO RVBIGO
SACRVM

In Villa Comitum de Maninis in suburbano Forijulii.

Censum Deorum *Aquilejensium* absolvimus. At unus & alter adhuc in tabulas mitti postulant; jure quidem suo, quod iisdem *Carnorum* populis priscâ religione colerentur. Aram hanc nostrates *Forojulienses* Deo RUBIGO dicarunt. Extat in pago suburbano, vulgo *Rubignaco*, cui nomen à Deo mansisse nemo dubitaverit. *Robigus* seu *Rubigus*, ut in nostra inscriptione, à rubigine segetibus
317 infestâ dictus, inter insanos *Romanorum* Deos non ultimus, non ut prodesset, colebatur, sed quemadmodum Febris & ejusmodi mala & sinistra numina, ne noceret. Inter Deos, quos initio operis de Re rusticâ invocat Varro, *Robigum* quoque recenset: *Quarto* ROBIGUM *& Floram: quibus neque rubigo frumenta atque arbores corrumpit, neque non tempestive florent. Itaque publicæ Robigo feriæ, Robigalia, Floræ ludi, Floralia instituti.* Et quia *Ceres* quoque segetum Dea erat, communi religione simul colebatur; unde lapis *Romanus* apud *Reinesium* visitur: ROBIGO. ET. CERERI. ET. FLORAE. SACRVM. Iterum Varro Lib. V. de Ling. Lat. *Robigalia dicta à* ROBIGO: *secundum segetes huic Deo sacrificatur, ne rubigo occupet segetes.* Sacrificii genus docet Ovidius *Lib. IV. Fast. vers. 935.* nimirum Cane & Ove faciebant.

Thura focis vinumque dedit, fibrasque bidentis,
Turpiaque obscenæ vidimus ora canis.

Ubi quoque recitat verba, quibus Sacrificulus invocabat *Rubigum*, & ne læderet segetes, precabatur. Canemque immolatum subdit ad placandos nimios Canis *Syrii* æstus, quibus fruges adurit. Hucque respexit Festus verb. *Rutilæ*, ubi & rutilas & feminas Canes mactatas docet: *Rutilæ Canes, id est non procul a rubro colore immolantur canario sacrificio pro frugibus, deprecandæ sævitiæ caussâ sideris Caniculæ.* Eademque fere habet in voce, *Catularia.* Porro *Robigalia* Festa agebantur VII. Kal. Majas, seu die 25. Aprilis, ut notatur in veteri Kalendario, & eodem libro Ovidii *vers. 901.* Festo in verb. *Robigalia*, & Plinio Lib. XVIII. Cap. XXIX. ubi *Robigalia à Numa instituta* fuisse ait, *anno undecimo.* Itaque in pago

A *Rubignaco* Festa hæc *Rubigo* Deo celebria erant: qui sane pagus cum sub ipsis mœnibus Urbis *Forojuliensis* situs sit, disces nostros hoc quoque ritu imitatos fuisse *Romanorum* morem, qui *non longe ab Urbe*, ut innuit Festus verb. *Catularia*, sacrificia *Robigalia* peragebant.

XIII. 318
C. VELLAEVS. A. L. EROS
SEX. VIR. ARAM. SEDILIA
STRATVM. DAT

Forojulii in hortis olim Venustorum.

Hoc loco inscriptionem hanc *Forojuliensem* profero, quod Diis dicatam perscripti characteres
B prodant. Merito quoque suo vulganda erat, quod notas rari in lapidariâ supellectile pretii continet. Etenim *Aram* frequentissime positam omnes norunt, nec explanatione opus est, nusquam, ni fallor, addita *sedilia* & *stratum* quispiam inveniet. Pompejus Festus verb. *Solla* lucem plurimam affundit: *Solla*, inquit, sive *solia*, uti legit Scaliger, *appellantur* SEDILIA, *in quibus non plures singulis sedere possunt; ideo solla sternere dicuntur, qui sellisternium habent, & solaria vocantur Babylonica, quibus eadem sternuntur.* Non satis bene Valerius Chimentellus *in* eruditissimo opere *de Ho-*
C *nore Biselli Cap. XXI.* lapidea aut marmorea libentius *sedilia* putat, ex Plinio *Lib. V. Epist. VI.* ubi elegantissimam villam suam describens ait: *sunt locis pluribus disposita sedilia è marmore.* Nam *Evander* apud Virgilium Æn. I. 171.

Gramineoque viros locat ipse SEDILI.

Et *Georg. IV. 350.* Nymphæ *vitreis* aquarum *SEDILIBUS* imponuntur. Quare quodcumque genus sedis potest *sedile* dici. *Stratum* lectus est ad incubandum. *Haud segnis* STRATO *surgit Palinurus &c.* inquit idem Poëtarum summus *Æn.*
D *III. 513.* Hinc *Lectisternia* dicta, quasi *lecti strati*, qui tam hominibus parabantur, quam Diis ad epulum, ut scite distinguit Gutherius, *de Jure Pontif. Lib. III. Cap. IX.* Tritum est, Sacerdotes post sacrificium epulatos, ut alibi indicavimus. *Arâ* ergo exstructâ pro sacrificio, *Vellæus* Sacerdotibus quoque dedit *sedilia* & *stratum*, ut accumberent ad mensam. Vel funebris hic apparatus est. *Ara* scilicet Diis Manibus sive Inferis, *sedilia stratumque* ad epulum emortuale. Nam in parentalibus & 319
inferiis Gentiles largiter epulabantur; unde toties in inscriptionibus cœnam, epulum, sportulas legatas observamus. In Bergomati pag. 753. 4. *Le-*
E *ctisternium tempore parentaliorum* inter alia præberi jubet *P. Appius* in memoriam *Albinæ* filiæ. Quæ ad nostram referri posse videtur. At cur sedilia & stratum distinctum? Aliò spectasse *Vellæum* sane libentius affirmo. Ea fuit Gentilium insania, ut Deos suos ad cœnam invitantes *Lectisternia* onusta dapibus in templis pararent, & lectus ad accubitum tamquam epulaturis sternerent. Plura veterum testimonia prætermitto. *Habent*, inquit Arnobius Lib. VII. *Dii lectos, atque ut* STRATIS *possint mollioribus incubare, pulvinorum tollitur, atque excitatur impressio. Sellisternium habere*, de quo antea *Festus*, idem est ac sellam sternere; sicuti
F *lectisternia* lectos. Utrumque nomen Diis accommodum. Unde *Tertullianus* inter sacros *apparatus* numerat *solisternia*, *& lectisternia*, ad Nationes Lib. I. Cap. X. & *Festus* laudatus, *sistere fana*, esse ait ex Labeone, *Lectisternia certis locis & Diis habere*, verb. *sistere*. Id tamen in more positum, ut lecti seu STRATA Diis maribus, Sellæ, sive SEDILIA feminis ponerentur, instituto ab hominibus ad divos traducto; quod egregie in rem nostram expressit Valerius Max. Lib. II. Cap. I. num. 2. *Feminæ*, inquit, *cum viris cubantibus se-*

sedentes cœnitabant : quæ consuetudo ex hominum convictu ad divina penetravit. Nam Jovis epulo ipse in lectulum, Juno & Minerva in sellas ad cœnam invitantur. Quare *Cajus Veltæus Eros Cajæ Libertus Sex vir* Forojuliensis cum *aram* sacris faciundis erexisset, *certis Diis* paraturus lectisternium sive epulum, fortasse ipsi *Jovi*, ac *Junoni*, *Minervæ*que, quibus in Capitolio *Romæ* cœnam dare mos erat, unde *epulum Jovis* dictum; *stratum* quidem seu lectum, *Romano* more, Jovi, Deabus vero Junoni & Minervæ *sedilia* sive sellas dedicavit. Ni cui placeant hæ dapes, melioribus paratis lubens accumbam.

320 Alterum Deum extra *Aquilejam* nostris *Forojuliensibus* prisca gentilitatis vesaniâ celebrem, prodit Strabo Lib. V. Geograph. pag. 214. *in ipso*, inquit, *intimo sinus Adriatici Timavum est, Diomedis templum memorabile. Habet enim portum, & elegantem lucum, & fontes septem potabilis aquæ, statim in mare alto & lato excidentis amne.* Situm templi *Diomedæi* ad ipsos fontes *Timavi* collocat Cluverius *Lib. I. pag.* 195. ubi nunc Divo *Joanni* ædes sacra est, pagusque ab eo appellatus *S. Giovanni del Carso.* Sane hunc locum priscis quoque populis habitatum, produnt vetustatis monumenta inibi reperta, quæ hic profero.

S. A. I. PROSAI
AQVILINI
VILICI AVGG
ET. TITI. IVLI
AQVILINI
IVLIA
STRATONICVS

A SPEI. AVGVSTAE
C. SACCONIVS
VARRO. TRIB. CO
H. IMILIANAE
DELMATARVM
V. S.

Imo, fontes ipsos *Timavi* numini *Diomedis* sacros fuisse, arguit plumbea fistula his characteribus sculpta. AQVA. DEI. ET. VITAE. Nisi velimus pertinere ad saluberrima calidarum aquarum balnea, quæ non longe à *Timavo* visuntur, & *Plinio* quoque memorantur *Lib. II. Cap. CIII.* Eum sane tubum ad balnea ipsa repertum narrat Jacobus Valvasonus *in Descriptione Forijulii*, quæ M. S. circumfertur.

B Incertum porro mihi est, an verba, quæ paullo post habet *Strabo*, ad hunc ipsum locum apud *Timavum* sint referenda. *Memoriæ*, inquit, *proditum est, Diomedi apud Venetos esse aliquos honores decretos. Nam & albus equus ei immolatur, & duo monstrantur luci: unus Junoni Argivæ, alter Dianæ Ætolicæ.* Nam cum idem Geographus *Aquilejam* extra *Venetorum* fines statuat, *Timavus* itidem, qui ultra hanc Urbem ad Orientem excurrit, in *Venetis* eodem auctore esse nequit. 321 Quamobrem vereor etiam assentiri *Leandro Alberto*, & C nostris Scriptoribus *Forojuliensibus*, qui lucos *Junonis* & *Dianæ* eos esse putant, qui nunc accolis vocantur *S. Geltrudæ*, & *S. Margaritæ.* Hi enim in interioribus *Alpium* collocati ad *Carnos* utique spectant. De *Venetorum* finibus, & de *Timavo*, quem veteres & recentiores pluribus quæstionibus, quam ipse fontibus fluat, involverunt, non pauca dicenda essent; nisi in diversa abire ratio instituti operis vetaret. Interim consulas Cluverium *Italiæ antiq. Lib. I. Cap. XX.* & Pignorium in libello Italico *Originum Patavin. Cap. XIV.*

322

DISSERTATIO ALTERA
DE
COLONIA FOROJULIENSI.

Cum in priori hujus Voluminis parte ad Inscriptionem M. Aquilii Cap. II. in fin. *de* Scaptiâ *tribu mentio esset injecta, dixeram in eadem tribu censam fuisse Coloniam* Forojuliensem, *idque vetustos lapides, qui adhuc inibi extant, demonstrare. Tunc quoque nonnulla adornaveram, quæ iis illustrandis, patriæque urbi ab obscura antiquitate utcumque vindicandæ conferre putabam; sed aliena ab instituto, opportuniori loco producenda seposueram. Nunc quoniam inter saxa* Aquilejensia *versati sumus, eadem quoque* Forojuliensia, *calenti adhuc à simili argumento manu, rursus contrectare visum est; & prisca vicinarum urbium monumenta quodam veluti cognationis jure conjungere. Nonnullis igitur, quæ ad* FORI JULII, *ipsiusque* Aquilejæ, *ac* Concordiæ, *originem spectant, præmissis, exempla ipsorum lapidum producam; tum Magistratus & Sacerdotia, quorum iis sculpta sunt nomina, levi manu, quod id argumenti genus jam docti viri ferme exhauserint, pertentabo: intermixtis in rem natam plerisque earumdem Coloniarum inscriptionibus, nunc primum evulgatis.*

FORUM JULII Civitas in eâ *Italiæ* regione sita est, quæ olim *Carnorum*, nunc provincia *Forojuliensis*, quæsitâ ab urbe principe appellatione, nuncupatur. Mediam secat *Natiso* fluvius, priscis Scriptoribus memoratus: tergum *Alpes Juliæ* claudunt, frontem ingens planities, uberi solo nobilis, expandit. Originem ipsimet nomini insculptam agnoscimus. *Paullus Diaconus*, qui octavo seculo inclinante *Historiam Longobardorum* lite-
323 ris mandavit, hæc habet Lib. II. Cap. XIV. *Hujus Venetiæ Aquileja Civitas extitit caput, pro qua nunc FORUM JULII, ita dictum quod Julius Cæsar negotiationis forum ibi statuerat, habetur.* Rescire id potuit *Paullus*, qui Civis *Forojuliensis* fuit, ut de seipse testatur *Lib. IV. Cap. XXXIX.* licet passim *Aquilejensis* vocetur, ob munus sa-

D crum, quo in hac Ecclesia defungebatur. *Venantius Fortunatus* proximâ ad *Plavim* regione ortus, iter è *Galliâ Ravennam* describens, de Vita *S. Martini* Lib. IV. circa finem ait:

Inde Forojuli de nomine Principis exi.

An uti nominis auctor, ita conditor Opidi *Cæsar* fuerit, in obscuro plane latet. Potiori conjecturâ diceres, locum antea non incelebrem, foro & nomine ab eo Principe auctum; sicut in *Bætica*, ut simili prorsus exemplo utar, *Illiturgim* Forum Julium appellatum tradit Plinius *Lib. III. Cap. I.* Blondus Foroliviensis illud putat E Opidum, quod à *Gallis* conditum, *Marcellus* etiam invito Senatu, tradente eodem Plinio *Lib. III. Cap. XIX.* delevit, tunc à *Cæsare* instaura-

tum. *Henricus Palladius*, qui summâ dictionis elegantiâ, & Latini sermonis puritate *Rerum Forojuliensium* historiam ad *Attilana* tempora perduxit, cum populari apud suos errore *Utinum*, si Diis placet, *Forum Julii* faciat, vestigia quædam antiquitatis in eâ urbe à se deprehensa eorumdem *Gallorum* esse opera, suadere nititur; additque illud Opidum, quod nunc *Utinum* esse ait, deinde instaurasse Triumviros, qui *Aquilejam* Coloniam deduxere, *Lib. II.* & *III.* Nobis eatenus sapere, aut tam oculatis esse non licuit, ut tot retro sæcula veluti præsentia introspicientes, in nostrâ Civitate, quam *Forum Julii* esse scimus, quamvis in eâ appareant, plus etiam nimium, ædificia & monumenta *merum senium & cariosam ætatem* redolentia, inveniremus *puteum & subterraneos fornices* manu *Gallorum* factos. Nec, fateor, digito monstrare audemus *turrim triangularem*, *muros circa collem* ductos, imo & *privatorum ædes prope arcem* ac vicos, ab iisdemmet *Triumviris* non te-
324 mere, sed ut Romanam majestatem decebat, *post multa inter eos agitata consilia*, excitatos & exstructos. Neque adhuc, quod sane invidiam facere possit, sub oculos ponere ipsam *antiqui Opidi faciem & formam*, *propugnacula*, *ut ea ferebat ætas* veterum Romuli nepotum, *munitissima*, *mœnia in Occidentem* exporrecta, *binas turres latus utrumque murorum* jungentes, *portas ad Occasum & Septentrionem*, quibus *tres* aliæ additæ fuerunt, *quadratæ* ejus civitatis triumviralis, quam ita describit Palladius, aditum reserantes. Dolendum porro *numismata* illa *P. Cornelii Scipionis Nasicæ*, *C. Flaminii*, *& L. Manlii Acidini* à quibus Colonia Aquileja deducta est, *in fundamentis turris triangularis* ab iisdem *Triumviris conditæ*, duobus ab hinc sæculis, uti narrat Palladius verbis Josephi Sporeni, dum *nova Utinensis arx*, *quæ nunc extat*, construeretur, reperta, statim ac lucem viderant, nullâ vetustatis reverentiâ tenebris suis iterum damnata, *in fundamenta* ejusdem *arcis* collocata fuisse. Profecto tam præclara remotioris antiquitatis vestigia auro contra redemissent nostri Antiquarii, qui nusquam id genus monumenta in suis Cimeliis ostentare queunt; atque a Triumviris percussa fuisse numismata in condendis Coloniis, stante Republicâ, adhuc ignorant. Sed ad seria revertamur.

Forum hoc instituisse *Cæsarem*, dum utramque *Galliam* proconsule cum imperio regebat, uti certum videtur, ita annum & tempus definire haud facile est. Idem Palladius *pag. 61. & 62.* ad ejus Consulatus initium refert, quo tempore stativa ad *Aquilejam* Cæsar habuit, legionesque ab hibernis eduxit, ut ipse narrat *L. I. de Bel. Gall.* Cum enim, inquit Palladius, *bello nihil tunc esset*, *quod ageret*, *ne Consulatum suum obscurum posteritati transmitteret*, Forum in provinciâ instituit. Non unum peccat hic Auctor. Nam *Cæsar* cum *Gallias* administrabat, nunquam Consul fuit. Et sane initio belli *Gallici*, quo eum Consulem facit *Palladius*, Proconsulatum cum Consulatu confundens, cum ab hibernis legiones deduxit,
325 ipsemet signat Consules *L. Calpurnium Pisonem* & *A. Gabinium*. Tunc vero quis credat otii tantisper superfuisse *Cæsari*, nihilque eum habuisse, quod bello ageret, cum *magnis itineribus*, ut ipse narrat, in *Italiam* profectus ad legiones conscribendas, & eas, quæ circum *Aquilejam* hiemabant, ex hibernis educendas, eadem celeritate in ulteriorem *Galliam* rediit, atque eâ ipsâ æstate tribus præliis confectis *Helvetios* & *Germanos* profligavit? Itaque magis vero similia perscrutemur. Utramque *Galliam* Cæsar proconsule administrans, quotannis per hiemem in *Italiam* contendere instituerat, quemadmodum testatur *initio Lib. V.* ibique Conventus peragebat, ut statim commemorat, & sæpius aliis historiæ suæ locis. Mos erat *Romanis*, ut cum Prætor seu Proconsul in provincia esset, in aliquem locum Conventum indiceret, eoque provinciales homines evocaret jurisdicundi caussâ. Idque agere *Conventum* sive *Forum* dicebatur. Nam utrumque vocabulum eandem significationem habet. Cicero ad Atticum scribit, *Forum se egisse ex Idibus Februariis Laodiceæ.* Virgilius:

Indicitque Forum, & patribus dat jura vocatis.

Hirtius de Cæsare ait: *In Gallia citeriore jus dixit, ac paucos ibi dies moratus, cum celeriter omnes Conventus percurrisset, publicas controversias cognovisset, in Belgium se recepit.* Quæ loca Sigonius profert, *de antiquo Jure Provinciar. Lib. II. Cap. V.* Eandem utriusque vocis significationem reperies apud Festum verb. *Conventum* & *Forum.* De Præfecto Hispaniæ memorat Strabo Lib. III. pag. 167. *in maritimis* solitum *hiemari jus dicendo*; additque Casaubonus in Notis, hoc esse *Conventus agere*, *sive Forum agere.* Cum itaque *Julius Cæsar* singulis annis, ut vidimus, ad Conventus peragendos in citeriorem *Galliam* proficisceretur, palam est, locum juri dicundo nostris populis *Carnorum*, qui tunc eidem provinciæ accensebantur, hunc ipsum delegisse, cui postea eâ de caussâ nomen FORI mansit, addito in memoriam institutoris JULIO cognomine. *Plutarchus* in vitâ tradit, *Cæsarem* in Conventibus hominum animos captasse, quos 326
aut muneribus, aut spe plenos dimittebat. Quæ cumulatius cum fortasse præstitisset gentibus *Carnorum*, ideo ipsi beneficiorum gratiam referentes, institutum *Forum* ab ejus nomine nuncuparunt. De Tarsensibus ita scribit Dio Lib. XLVII. pag. 342. *Adeo Cæsari priori, & ejus gratiâ etiam posteriori favebant, ut urbem suam pro Tarso Juliopolim vocaverint.* Porro provinciales homines, qui ad caussas peragendas conveniebant, alia quoque negotia pertractasse, & commercia exercuisse oportet; unde est quod etiam Forum negotiationis à *Cæsare* institutum, cum *Paullo Diacono* possimus dicere. Interim monitum Lectorem cupio, Opidum aliud in *Carnis* à *Cæsare* conditum, & *Julium Carnicum* dictum, male cum *Forojulio* à quibusdam confundi. Nam idem *Paullus* utrumque manifeste distinguit; illudque in montanis ejus regionis, quam hodie quoque *Carniam* appellamus, *Plinio*, *Antonino* in Itinerario, & *Ptolemæo*, qui *Noricis* tribuit, memoratum, hoc ad montium radices in planitie situm est. Nunc etiam illius vestigia, vetustatis aliquot monumentis insignita, apparent, nomenque *Zulii* manet, priori tantummodo literâ immutatâ, non *Thuscâ* prolatione, ut scribit *Palladius*, Annium fabulatorem sequutus, sed ex more vernaculi idiomatis.

Exinde *Forum Julii* ad Coloniæ prærogativam & nomen traductum est. Ptolemæus *Lib. III. Cap. I. in sextâ tabulâ Europæ* ita scribit:

In Mediterraneis Carnorum
Forum Julii Colonia.
Aquileja Colonia.
Concordia Colonia.

Titulum referendum ad priorem Coloniam arbitror, quæ sola in mediterraneis vere posita est, *Aquileja* & *Concordia* propemodum mari adjacent. Nec *Forum Julii* ante *Aquilejam*, quæ longe illustrior urbs fuit, collocasset *Ptolemæus*. At *Palladius*, qui Forum aliquod Coloniam quoque dicere non est au- 327
sus, *Forum Julii* non *Coloniam*, sed prærogativis Coloniæ tantummodo donatum scribit, unde etiam irrepsisse sine dubio putat ex vulgi errore nomen *Coloniæ* apud *Ptolemæum*, vel culpâ libra-

rii

rii Forum Julium *Coloniam* factum. Mihi nec gravissimum Geographum deceptum, nec exscriptorem peccasse certum videtur; cum nulla sit caussa, cur *Foro Julio* verum nomen *Coloniæ* invideamus: alioquin id nominis *Aquilejæ* etiam & *Concordiæ*, quas eodem loco; & sub unâ verborum serie *Colonias* vocat *Ptolemæus*, esset abrogandum. At has certo constat *Colonias* fuisse. Nec insolens est, *Fora* aliquando, inductis postea colonis, in *Colonias* transiisse; nullo pristini nominis dispendio. Quod exemplo mox ostendam. Qua vero occasione & tempore ex Foro in Coloniam *Forum Julii* evaserit, non satis constat. *Pompejus Strabo* Magni pater *Transpadanis* populis, inter quos *Veneti* & *Carni* (licet eâ de re apud eruditos non levis sit quæstio) jus *Latii* dederat. At quoniam, qui jus *Latii* habebant, non plenam civitatem *Romanam*, quâ scilicet jura privata continebantur, non publica, sed partem tantum civitatis adipiscebantur; integrum jus civium *Romanorum Transpadanis* donavit *Julius Cæsar*, cum *Romæ* dictaturam inivit anno U.C. DCCIV. Auctor est Dio Lib. XLI. p. 170. *Gallis qui cis Alpes trans Padum incolebant, quod suo sub imperio fuissent, civitatis jus dedit.* Cum *Gallos* audis, qui trans *Padum* sub imperio *Cæsaris* fuerant, ne *Venetis* quoque & *Carnis* jus illud tributum dubites; nam & ii in *Galliâ Cisalpinâ* & sub ejusdem imperio erant. Eâ loquendi formâ usus est *Dio*, ut *Gallos* solummodo excluderet, qui *Cispadanam* regionem incolebant. Exinde *Veneti* jus quoque adipiscendorum honorum obtinuerunt, quod inter jura *Quiritium* nequaquam censebatur. Cum apud Tacitum *Ann. XI. C. XXIII.* in Senatu agitaretur sub *Claudio Cæsare*, num primoribus *Galliæ Comatæ*, qui pridem Civitatem *Romanam* adsequuti fuerant,
328 jus etiam adipiscendorum in Urbe honorum esset
tribuendum, querebantur aliqui ex Senatoribus, *quod Veneti & Insubres curiam irruperint*, quod est, grandiori *Taciti* phrasi, eos populos in Senatum fuisse admissos. Itaque *Forum Julii* à *Julio Cæsare* jus Civitatis *Romanæ* una simul cum *Gallis* obtinuit; & cum *Venetis*, paullo ante *Claudiana* tempora, jus quoque honorum adipiscendorum. Quo in jura omnia, quæ civibus *Romanis* patebant, adscriptum fuit: at nondum tamen Colonia dici poterat. Plinio *Opida Istriæ civium Romanorum* sunt *Ægida & Parentium*, solummodo *Pola Colonia*, Lib. III. Cap. XIX. Ea proprie Opida *Coloniæ sunt*, inquit Aggenus de Limit. Agror. inter Scriptores de re Agrariâ collectos à Goesio pag. 58. *quæ ex eo nomine accipiuntur, quod Romani in eisdem civitatibus Colonos miserunt.* Et Siculus Flaccus de Condit. Agror. apud eundem Goesium pag. 2. *Coloniæ*, ait, *inde dictæ sunt, quod populi Romani in ea municipia miserint colonos.* At duo coloniarum genera constituit Vellejus *Lib. I. Cap. XIV.* unum earum, quæ *Senatus jussu* deductæ sunt: alterum *militarium*, cujusmodi fere omnes numerantur post Eporædiam, *Mario* VI. & *Valerio* Cos. missæ. Hinc cum veram coloniam *Forum Julium*, Ptolemæi testimonio, statuerimus, militarem eam fuisse oportet. Deductionis tempus quamvis in obscuro sit; haud levem conjecturam nihilominus proferam, cum inferius de coloniâ *Concordiâ* sermo erit. Interim ex Foro factam coloniam, manente nomine, exemplum, ut ita dicam, cognatum docebit.

In *Gallia Narbonensi* vetusta urbs, *Forum Julii* eundem ac nostra auctorem nominis *Julium Cæsarem* agnoscit. Neque enim ii audiendi sunt, qui appellationem *Augusto* tribuunt, quamvis colonias ab eo deductas *Julias* quoque vocatas constet. Nam *Forum Julii* Narbonense *in Epistolis* Planci inter Ciceronianas *Lib. X. Ep. fam. XVI. & XVII.*
A ante quam *Cæsar Augustus* imperio esset potitus, memoratur. Exinde Colonia effecta est, manente priori appellatione. Tacitus *Lib. II. Hist. Cap. XIV.*
& in vitâ Agricolæ Cap. III. *Coloniam Forojulien-* 329
sem vocat. Perperam Leander Albertus *in Descriptione Italiæ*, *Regione. VIII.* aliique scribunt, nostram hanc esse *Forojuliensem* Coloniam, hic *Tacito* memoratam. Amore patriæ aliorum lapsus non adoptamus. Rursus Mela Lib. II. Cap. V. ait: *Forum Julii Octavanorum Colonia*; & totidem verbis Plinius *Lib. III. Cap. IV.* ubi addit, appellatam quoque *Pacensem & Classicam.* Consentiunt nummi apud Goltzium *in Domitiano:* COL. FOR.
B IVL. & *in Augusto:* COL. IVLIA. OCTAV. Et quidem colonia militaris fuit, militibus legionis octavæ ad eam incolendam inductis. Ideo *Melæ*, *Plinio*, & in nummo laudato, cui alterum *Neronis* addas apud *Harduinum* pag. 171. *Octavanorum* colonia dicta. Coloniæ enim militares sæpius a legionibus, quæ in iis collocabantur, sibi nomen pepererunt. Ita eodem *Melæ* loco legitur, *Secundanorum* Arausio, *Sextanorum* Arelate, *Septimanorum* Bæterra. At Valesius in Notitiâ Galliarum pag. 200. *Octavanorum* nomenclationem ablegat, atque apud *Plinium*, *Melam*, & in nummis, *Octavianorum* legendum autumat, quod *O-*
C *ctavius Augustus* id nominis coloniâ deductâ imposuerit. Contra doctissimum Scriptorem, præter *Scaligerum*, *Lipsium*, & *Sirmondum*, quos ipse citat, stant ceteri, Bucherius *in Chorographiâ Provinciæ Tom. I. pag.* 247. *Harduinus* loco laudato, & Vaillantius *de Coloniis pag. 5. Tom. I.* Si quid nobis post clarissimos viros hac in re liceat, haud ineptam conjecturam expono. Idem *Vaillantius* alio opere *de numism. Imp. Tom. II. pag.* 168. nummum *Gallieni* describit cum hac epigraphe: LEG. VIII. PAC. quam explico, *Legio octava Pacensis.* Jam *Forum Julii* ex *Plinio* didicimus coloniam *Pacensem* vocatam. Profecto hoc nomine do-
D nata est, quod in eam legio octava *Pacensis* fuerit inducta; & subinde ab eadem quoque legione octavâ coloniæ *Octavanorum* appellationem quæsivit.

Ad nostram FOROJULIENSEM pedem refero. Postquam coloniæ & municipia civitatem *Romanam* impetrassent, quoniam jus adipisceban- 330
tur suffragii in Urbe ferendi, in tribum aliquam ex xxxv. adscribebantur, in qua suffragium in Comitiis *Romanis* ferrent. Unam vero eandemque cives omnes cujusque urbis profitebantur, & perpetuo ferme retinebant. Hinc frequenter in vetustis saxis, præcipue militum, signatam obser-
E vamus *Tribum*, quæ inter nomen & cognomen reponebatur, ut alibi monuimus. Passim *in* magno *Gruteri Thesauro* exempla occurrunt. *Carnorum* populi cum jus *Latii* à *Pompejo Strabone*, civitatem *Romanam* beneficio *Cæsaris*, utpote in *Galliâ* citeriore positi, obtinuissent, suffragii lationem in Urbe simul indepti sunt. An universi in unam, eandemque tribum tunc essent conjecti, vel unumquodque Opidum suam agnosceret, incompertum plane habeo. Hoc certum est, tres colonias, quas *Carnis* Ptolemæus accenset, *Forum Julii*, *Aquilejam* & *Concordiam*, in tres diversas
F tribus relatas fuisse. De *Forojuliensi* primum agam, non dignitatis merito, cum *Aquileja* longe illustrior & nobilior fuerit, sed quod ea hujus dissertationis argumentum faciat, *Aquileja*, & *Concordia* in transitu sint dicendæ. Haud paucos lapides literatos, quos prisci decoris reliquias, & *Romanæ* ætatis vestigia dixeris, an urbe *Forojuliensi*, fato & tempori superstites, servamus. Hos inter tres sunt, qui ejus olim cives *Tribui* SCAPTIAE adscriptos luculento testimonio demonstrant. Nobiliorem hunc primum hisce characteribus insculptum cernimus.

331
T. VETTIDIVS
T. F. SCAPT
VALENS
IIII. VIR. IVRIDI
QVINQ. PONT
SIBI. ET
T. VETTIDIO
POTENTI. FIL.
EQVO. PVBLICO
ANNOR. XX. M. IIII. D. V
T. F. I

Mirum quantum afflixerint hunc lapidem antiquarii, huc illuc locis alienis transferentes; cum nusquam nisi in nostra *Forojuliensi* Civitate habitaverit. Antiquissimum omnium, qui inscriptiones collegerint, testem produco *Joannem Marcanovam*, qui in suâ collectione anno MCCCCLXV. adornata, nostram recitat sub hoc titulo: *Ad Cividatum Forojuliensis Patriæ Civitatem in marmore formoso prope portam majorem.* Ex Authographo *Marcanovæ* Venetiis exscripsit ornatissimus vir *Apostolus Zenus*. Hodie extat prope portam veterem Civitatis ad *S. Petrum* in pariete publici armamentarii. Characteres sunt grandiores & nitidi, & saxum ingens, ut nemo aliunde exportatum suspicari possit. At *Gruterus pag.* 486. 1. ex Smetio & Appiano *Patavii Forojulii in porta* extare scribit, duplici lapsu, lapidem *Patavium*, hanc Urbem in *Forojulium* traducens. Erroris caussam inferius exponam. Eques *Ursattus* cum apud *Gruterum* ea verba legisset, deperditum putavit. Cum *Raphaël Fabrettus*, quoties mihi laudandus, toties deflendus, operi suo postremo inseruisset non paucas ex nostris Inscriptionibus, quas sibi à me traditas cum honoris fœnore *in Præfatione Epistolari* commemorat, hanc tamen, malo fato ex schedis *Penianis* descriptam, *Forolivio* tribuit *pag.* 715. haud semel deinde conquestus, se non ante opportunius
332 à me monitum. Literarum inter hanc urbem & nostram affinitas non saxa tantummodo, sed homines quoque nobis surripuit. Nam Forolivienses *Cornelium Gallum*, poëtam celeberrimum, qui gratiâ & honoribus apud *Augustum Cæsarem* eximie floruit, civem suum facere non dubitant. Eusebius *in Chronico ad Olympiadem CLXXXVIII.* ita loquitur: *Cornelius Gallus Forojuliensis poëta, à quo primum Ægyptum rectam supra diximus, XLIII. ætatis suæ anno propriâ se manu interfecit.* Flavius Blondus amore patriæ, uti recte observat Lilius Gregorius Gyraldus *in Dialogo IV. de Poëtis Latinis*, primus omnium ausus est legere, *Foroliviensis.* At quotquot impressi Codices *Eusebii* circumferuntur, ad unum omnes habent, *Forojuliensis.* Hos inter binos emendatissimos laudo, primum ab *Arnoldo Pontaco* editum typis *Burdigalensibus* anno MDCIV. qui, ut testatur *in Apparatu*, contulit non tantum verba, sed etiam syllabas & literas cum decem & octo codicibus MSS. & octo variis editionibus: alterum *Josephi Scaligeri*, quem ex antiquissimis MSS. exemplaribus, potissimum *Bongarsiano* ante mille annos conscripto, se adornasse ait *initio Animadversionum pag.* 6. Ne locum hunc obruam Codicum MSS. copiâ, quorum duo eminent ævo *Caroli Magni* exarati, unus Bibliothecæ Regis *Christianissimi*, alter majoris Ecclesiæ *Lucensis*, Spartam hanc lubens dimitto *Justo Fontanino*, qui cum opus de Scriptoribus *Forojuliensibus*, ut alibi memoravi, adgressus sit, jam integram manum *Cornelio Gallo* posuit. Sane cum res ejus gestas, fortunæ casus, scriptaque summo studio pertractaverit, ea eruditionis copiâ & argumentorum pondere patriam asseruit, ut *Forolivienses* Scriptores ad incitas redegisse non dubitem. Rursus parcant *Forolivienses*, si eos amice compellavero, ecquâ tandem auctoritate etiam *Berengarium* Everardi Ducis *Forojuliensis* filium, *Italiæ* Regem & Imperatorem, Civitate suâ donaverint, ejusque simulacrum in parte urbis illustriori decreto publico collocaverint? Haud equidem credam, doctos 333
nobilissimæ ejus urbis cives, quorum non paucos impense colo, ut tam grandem fabulam muri agerent, suffragiis suis permisisse. Neque enim iis palatum ita male sapit, ut posthabitis tot gravissimis Scriptoribus, *Alexandrum Paduanum* sequi velint, in historiâ adeo hospitem, ut *in Commentar. Plinii* apud Ughellum *Italiæ Sacræ Tom. II. col.* 607. non tam *Cornelium Gallum* & *Berengarium*, cui satis insulse cognomen *de Berengariis* affigit, sed etiam *Paullum Diaconum*, qui ipsemet luculenter scribit se *Forojulii* ortum, civem *Foroliviensem* faciat, eumque vocet *Paulum Vamfridium Diaconum Papiensem*, quem *Paullum Warnefridi* Diaconum *Aquilejensem* omnes sciunt; subdatque *libros quatuordecim historiæ Eutropii* addidisse, hoc opus incertum ei tribuens, illustriori alio, eoque genuino & vero, historiæ *Longobardorum*, vel ignorato vel abjudicato. Sed vereor, ne ego quoque ineptus sim, qui hujusmodi nugas diutius persequor.

Interim dum res nostras nobis reposcimus, binos hos quoque lapides, quos *Gruterus* ex Appiano & Scardeonio pag. 379. 5. & 858. 10. *Patavio* liberaliter donat, in nostram urbem inferamus. Eques Ursattus *Monum. Patav. Lib. I. Sect. II. p.* 47. ingenue fatetur se nescire, quomodo *Paduæ in Foro Julii* apud *Gruterum* secundus collocetur, cum nullum *Patavii* sit Forum, *Julii* nomine, & minus in *Foro Julii* Patavium situm sit. *Marcanova* utrosque *ad Cividatum Forojuliensis Patriæ civitatem* collocat. Hinc, puto, erroris fons. Nam descriptores pro *Patriæ*, quo titulo donatur *Forojuliensis* provincia, scripserunt *Paduæ*. Omnium pessime deceptus est *Sigonius*, qui secundum *Feltriæ* adscribit, *Lib. III. de Jure Ital. Cap. III. in fin.* At lapides satis jam evagari coactos, patriæ suæ restituamus. Extant *Foro Julii* non longe ab Ecclesiâ *S. Dominici*, ad portam semirutam interni antiquissimi murorum Civitatis ambitus.

1.

C. ARRIVS. C. F. 334
MONVMENT
SIBI. FIERI. IVSSIT
SEX. ACILIVS. C. F
HERES. FECIT

2.

Q. CAEDIVS. P. F
PVP. SEXVIR
TERGESTE. V. F
VINISIA. Q. F. MAXVMA
VXOR
APVSIDIA. C. F. SECVNDA
MATER
CAEDIVS. P. F. FRATER

In utroque cognominis defectus potentissimum vetustatis est indicium. *Gruterus* in secundo post literas P. F *Publii filius*, addidit PVB. tanquam hæc nota esset tribus *Publiciæ*. Nostri scriptores, & Lazius *de Rep. Rom. Lib. XII. Sect. VI. Cap. II.* legunt IV. P. quam notam numeralem & junctum elementum nemo, ut arbitror, extricaverit. Nuper curavi exemplar correctum ad me transmitti. At exscriptor queritur detritos esse characteres secundi versus, quos ipse ita reddidit, PVP. ita tamen ut flexus primæ literæ pene oculos fugiat. Ultima facile inferiori sui parte exesa in B. transit. Quare lubenter PVB. cum *Grutero* re-

reponó. Nam & colonia *Tergeste*, in qua *Cædius* munere Seviratus functus dicitur, in *Publicia* tribu censebatur, ut testimonio aliorum lapidum ostendit Pater *Irenæus à Cruce*, qui typis Venetis *Historiam Tergestinam* anno MDCXCVIII. Italico sermone edidit, *Lib. II. Cap. VI.*

At extra septa tribus *Scaptiæ* satis jam aberravimus. Duo supersunt monumenta, quibus in eam fuisse conjectos colonos *Forojulienses* ostenditur. Primum, inter majorem Ecclesiam & turrim ejus sacram collocatum, uti est fœde lacerum & detritum producimus. Alterum integrum visitur in domo Nobb. *de Frumentinis*, quæ paternis meis ædibus continens est.

335 1.

. . . . F. SCA
. . . . TI
. . . . . . III. AVG
. . . . PATRONO. ET
P. FABIO. P. L. VERECVNDO
FIL. AVGVSTALI
P. FABIVS. P. L. PHILETVS
IIIIII. VIR. V. F. ET
FABIAE. P. L. FESTAE CONIVGI
ADAVCTO. FIL. ANN. XX
FELICI. FIL. P. LIB
FABIAE. P. L. COMPSE
LIB. LIBQ

Huic suppositâ est ingentis magnitudinis arca sepulcralis, cum inscriptione,

LIBQ. POSTERISQ. EORVM

2.

T. SVTTIVS. L. F. SC
ATTEIA. L. F
POSILLA. VXOR
M. T. F

Jam hisce Inscriptionibus incisas notas SCAPT, SCA. SC. post nomina *Vettidii*, *Suttii*, & hominis alterius, quem abstulit vetustas, significare tribum SCAPTIAM, atque in eam *Forojulienses* fuisse cooptatos, nemo in dubium vocaverit. Una hæc fuit ex tribubus rusticis; adeoque nobilior, ut ostendebam ad lapidem *M. Aquilii* in fine Cap. II. *Scaptiam* dictam refert *Pompejus Festus* ab Opido, quod Plinius *Lib. V. Cap. V.* in *Latio* numerat. Addita fuit simul cum *Metia* A. U. CCCCXXI. propter novos cives censos, uti narrat Livius *Lib. VIII. Cap. XVII.* Hos inter fuere *Aricini*. Gens *Octavia* Ariciæ ortum suum debuit, teste Suetonio *in Aug. Cap. IV.* Unde cum hic ipse Auctor *Cap. XL.* scribit, Augustum *Fabianis & Scaptiensibus tribulibus suis die comitiorum singula millia nummûm* divisisse, *Scaptia* tribus intelligenda est gentilis familiæ *Octaviæ*, Fabia *Juliæ*, in quam *Augustus* jure adoptionis transierat. Hinc non levis accessio dignitatis *Forojuliensibus* Colonis, quod hunc Imperatorem contribulem numeraverint. In partem quoque honoris sibi vertunt, jus mittendi suffragii in *Romanis* comitiis
336 commune habuisse cum nobilissima Coloniâ *Florentinâ*. Plerasque Inscriptiones affert Vincentius Borghinus *Lib. de Origine Florentiæ pag.* 287. additque alias Valerius Chimentellus *de Honore Bisellii Cap. III.* quibus eam Urbem *Scaptiæ* tribui fuisse censam demonstratur. Nos hic alteram opponimus; quæ nondum juris publici effecta est.

M. MVNATIVS
M. F. SCAP.
ETRVSCVS FLORENTINVS
VIXIT. ANN. XIIX
Q. MVNATIVS
MILES. CHOR. VII. PR
FRATER. POSVIT

Utini ex Aquileja apud Nobb. de Gurgis.

A In tractu *Forojuliensi* duæ reliquæ Coloniæ, quas cum *Forojulii* Ptolemæus nominat, *Aquileja* & *Concordia*, uno fati crimine simul excisæ, utrisque solo nomine adhuc superstite, diversis tribubus censæ fuerunt. Forum Julii *Scaptiæ* addictum mox vidimus: Aquilejam *Velinæ*, Concordiam *Claudiæ* tributas reperio. Id cum lapidum indicio ostendo, simul originem utriusque Coloniæ paucis exponere, non alienum arbitror ab instituto, quo res *Forojulienses* illustrandas ex natâ occasione suscepi. De *Aquilejensi* parum fuit laborandum, cujus deductionem disertis verbis tradidit Livius. *Illud agitabant*, inquit Lib. XXXIX.
B Cap. LV. *uti Colonia Aquileja deduceretur; nec satis constabat, utrum Latinam, an civium Romanorum deduci placeret. Postremo Latinam potius deducendam Patres censuerunt:* Libro proxime insequenti Cap. XXXIV. *Aquileja Colonia Latina eodem anno* (U. C. DLXIX.) *in agro Gallorum est deducta. Tria millia peditum quinquagena jugera, centuriones centena, centena quadragena equites acceperunt. Triumviri deduxerunt P. Cornelius Scipio Nasica, C. Flaminius, L. Manlius Acidius*, Hujus mentio est in lapide *Patavino*, quem *Gualdus Vicetiam* exportavit, hodie majori ex parte detri- 337
C tum, teste Ursatto *in Monum. Patavin. Lib. I. Sect. VII.* L. MANLIVS. L. F. ACIDINVS. TRIV. VIR. AQVILEIAE. COLONIAE. DEDVCENDAE. Palladius *Lib. II.* cum apud *Livium* legisset, *Latinam* coloniam *Aquilejam* deductam, putavit ex *Latinis* hominibus conscriptos fuisse Colonos, *quo*, inquit, eos *proximis Carthaginiensium bellis absumptos, eo oblato beneficio Romani sublevarent, & ad sociorum animos conciliandos*, pag. 32. & 33. At minus recte. Nam *Latinæ* coloniæ dicebantur, non quæ ex *Latio*, sed quæ jus *Latii* seu *Latinitatis* acceperant; civium vero *Romanorum*, quæ donatæ erant jure Quiri-
D tium. Qua de re luculenter Sigonius *Lib. II. de antiquo Jure Ital. Cap. III.* quem sequuti sunt plerique omnes sacræ antiquitatis Mystæ. His quoque ea sedet opinio, *Latinas* colonias, saltem ante legem *Juliam*, jure suffragii caruisse; nam cives in *Latinam* coloniam deducti civilitatis jura amittebant. Quamobrem *Aquileja* Latina colonia, non statim à deductione A. U. DLXIX. in jus suffragii fuit admissa, & in tribum *Velinam* conscripta, sed tunc demum, cum Civitatem *Romanam* adepta est. Idem Palladius *initio Lib. V.* scribit, eam fuisse *Augusti* Cæsaris in *Aquilejenses* animi propensionem, *ut*
E *primus Coloniam Civitati Romanæ donaverit*. Serius quam par est, uti arbitror. Nam ante *Augustum* Julius Cæsar *Gallis trans Padum Civitatis jus dedit*, ex Dione supra laudato; ad quod respexit Strabo Lib. V. pag. 210. ubi ait: *Tandem etiam cum Romani Italos in societatem civitatis recepissent, placuit eodem honore dignari Gallos Cisalpinos & Venetos, omnibusque Italorum & Romanorum nomen tribuere:* ne dubitaremus sub nomine *Gallorum*, quo utitur *Dio*, venire etiam *Venetos*. Quare tunc saltem *Aquilejenses*, qui *Venetis* accensebantur, Civitate *Romanâ* donati sunt. Tunc igitur adepti etiam jus suffragiorum, ut agnoscerent, in quam
F tribum suffragia in comitiis *Romanis* mitterent, in VELINAM adscripti fuere. Docent vetusta monumenta. Alterum produxi *in Dissertatione* de *Beleno p.* 263. ubi *L. Cornelius* VELL. (frequentius & rectius simplici L scribitur) nempe ex tribu 338
Velinâ, idemque AQVIL*ejensis* dicitur. *Celejæ* aliud extat hujusmodi ex *Grutero pag.* 857. 4.

ANTONINO. VEL*ina*
AQVILEIEN. ET
T. ANTONIVS RESPECTVS
AMICO. OPTIMO

De-

Dedit tertium *Fabrettus*, cui inter nomina plurium militum Urbinorum hoc quoque insertum legitur *Cap. IV. p.* 340. M. ACILIVS. M. F. VEL*ina* MARCELLVS. AQVIL*ejensis*. Tribus *Velina* cum *Quirinâ* A. U. DXII. addita, ex Livio *in Epitome Lib. XIX.* triginta quinque tribuum numerum explevit. Horatius Lib. I. Ep. VI.

—— *Hic multum in Fabiâ valet, ille Velina.*

A lacu *Velino* in *Sabinis* nomen accepit.

Quæret quispiam, quot numero ea fuerint jugera Colonis *Aquilejensibus* ex *Livio* assignata, & quotam agri *Aquilejensis* partem occupaverint? Curiosior fortasse nostratibus hæc futura indagatio, quibus regionis facies, situs, positio, locaque omnia sunt perspecta. Ut iis faciam satis, Mensorem agrorum & Finitorem, seu ut verbo *Ciceronis* utar, *Decempedatorem* agam. Ævo Reipublicæ una Legio quaternis millibus peditum, sexaginta Centurionibus, Equitibus tricenis constabat, uti ostendit Lipsius *de Militia Rom. Lib. II. Dial. V. VI.* & *VIII.* Cum *Aquilejam* tria millia peditum deducta fuerint, ex *Livii* verbis recitatis, hac ratione Centuriones 45. Equites 240. veniunt computandi. Hinc si quinquagena jugera peditibus, centena Centurionibus, centena quadragena Equitibus, eodem *Livio* teste, attributa fuerunt, prodit jugerum summa 228000. Unumquodque jugerum pedes habuit quadratos 28800. (ex Goesio *in Dissertat. de Antiquit. Agror.*
339 post Scriptores *de Re Agraria* ab ipso editos *Cap. VI.* firmatque *Fabrettus* ex insigni lapide *Portuensi* 595. *Cap. III.*) seu passus itidem quadratos 1152. qui in summam antedictam jugerum ducti, reddunt aream passuum quadratorum 262656000. cujus singula latera continent passus 16000. neglectâ fracturâ, seu milliaria sexdecim. Jam vero cum in agrorum assignatione nihil amari aut incerti soli, nihil ardui & confragosi intervenerit, si paludes, flumina & torrentes, qui in latissimos alveos his regionibus expanduntur, nec non silvas, quæ cultui idoneæ non essent, & præterea loca publica, subseciva, relicta, & insoluta, aliaque id generis non adsignata Colonis in distributione, de quibus passim Scriptores *de Re Agraria* in collectione *Goesii*, si hæc, inquam, omnia addas, & intermisceas territorio puro colonis tributo, facile intelliges, nimium ultra XVI. mill. quoquoversus illud ita auctum excurrisse, ac maximam partem provinciæ *Forojuliensis*, ut quisque regionis peritus putare poterit, occupasse. Nec mirum uberiorem hanc agri distributionem *Aquilejensibus* factam (legimus enim terna aut septena ut plurimum, aliquando vicena jugera peditibus, quadragena equitibus, & ut summum *Bononiam* deductis Colonis septuagena fuisse attributa, imo Coloni eodem anno, quo *Aquilejæ*, quina *Graviscæ* & *Mutinæ*, octona *Parmæ* acceperunt) nil mirum, inquam, amplissimum hunc agri modum *Aquilejensibus* constitutum, quippe, nuper *Gallis* depulsis, universa regio vacua fere habitatoribus, cultoribusque destituta (nam, frequentes indigenas haud fuisse, conjicio ex oratione quam *Galli* ipsi in Senatu dixerunt apud Livium *Lib. XXXIX. Cap. LIV.*) reperiebatur. Porro cum ob insequuta *Istrorum* bella, *Aquileja* civium infrequentiâ, agerque solitudine laboraret, *postulantibus Aquilejensium legatis*, verba sunt Livii Lib. XLIII. Cap. XVII. *ut numerum Colonorum senatus augeret, mille quingentæ familiæ ex Senatus consulto scriptæ, Triumvirique, qui eas deducerent, missi sunt, T. Annius Luscus, P. Decius Subulo,*
340 *M. Cornelius Cethegus.* Hæc acta sunt anno U. C. DLXXXI. Ingens is numerus Colonorum, majorque sane quam in primâ deductione. Coloni ita noviter deducti appellabantur *Adlecti* & *Adjuncti*.

Colonia *Concordia* Plinio in *Venetis* collocatur *Lib. III. Cap. XVIII.* Ptolemæus eam *Carnis* accenset, loco superius recitato. Profecto regionem *Carnorum* eousque protensam nequaquam arbitror. Nunc in *Forojuliensi* provinciâ ad utramque *Romatini* fluminis ripam vestigia urbis supersunt, manetque loco priscum nomen, apud Scriptores haud incelebre. Lapides quoque literati vetustatem loquuntur, vel inibi adhuc extantes, seu in proximum Portum *Romatinum*, vulgo *Porto Gruaro*, exportati. Horum frequenti testimonio discimus coloniam *Concordiam* in tribum *Claudiam*, quæ *Romæ* inter præcipuas ab eadem gente nobilissimâ nomen acceperat, fuisse adscriptam. Exempla profero accepta nuper ab *Henrico Altano* ex Comitibus *Salvaroli*, qui majores suos plurimâ eruditione, studiorumque amœniorum cultu egregie refert.

1

C. AQVILIVS
C. F. CLA. MELA
EX. DECVRIA
ARMAMENTARIA
QVINQVE. VIR. BIS
FIFRI. IVSSIT.

2

MEMOR. P. TERENTI
L. F. CLA. AED. II. VIRI
T. VETTIVS. GNESIVS
IN. OPVS. ORNAMENT
HS. CCCC. DED. XX. PR. D

3

T. TREBELLENO. L. F
CLA. RVFO
Q. TR. PL. LEGATO
CAESARIS. AVGVSTI
PLEBS

4

T. DESTICIO
T. F. CL
IVBAE. C. V
PRAETOTIO
ORDO. CONCORD
PATRONO

Monendi sunt, qui primam inscriptionem apud *Gruterum pag.* 100. 7. legerint, perperam in fronte perscriptum esse nomen CONCORDIAE, 341
tamquam huic Deæ dicata ea fuerit: ideoque & falso in classem Diis dedicatorum lapidum conjectam, atque in indice Deorum Dearumque, verbo *Concordiæ* signatam. Cum in exemplari hoc nomen *Concordiæ*, locum, ubi saxum reperiebatur, denotans, *Gruterus* vel *Pighius*, à quo ipse habuit, offendissent, Deam pro Urbe importune invexerunt. At nescio, quomodo etiam *Rhegii* nomen irrepserit, quasi in hac urbe extet. Non insolens est collectoribus inscriptionum ejusmodi lapidum transplantatio.

Itaque hisce tabulis scripta tribus *Claudia*, Concordiam coloniam eidem fuisse censam indicat. Apertius idipsum colligimus ex aliâ *C. Lælii* mox producendâ, in quâ post tribum *Claudiam* notatur etiam patria *Julia Concordia*. Porro cives *Concordienses*, dum ruri agerent, sepulcris sculpserunt tribum, ut inde patriæ indicium maneret. Bina profero epitaphia diversis locis provinciæ *Forojuliensis* reperta, vicesimo, ut minimum, milliari à *Concordiâ*. Primum extat in splendidâ Villâ, vulgo *Susans*, Marchionis *de Colloredo*, quam familiam domi forisque illustrem, amplioribus hodie pietatis, religionis, ceterarumque virtutum titulis

lis exornatum dicerem, nisi Eminentissimi Card. *Leandri* modestia deterreret. Alterum statuæ marmoreæ subscriptum visitur prope Ecclesiam *Castri Tricesimi*, quod inde nomen sumpsit, quia tricesimo ab *Aquileja* lapide occurrit, uti adnotatur in itinerario Antonini: *Aquileja. Ad Tricesimum* XXX. *Julio Carnico* XXX. Quas distantias hæc loca, adhuc iisdem nominibus vocata, retinent.

1

T. VERATIVS. T. F. CLA
V. F. SIBI. ET. SVIS
VALERIA. C. F. QVARTA

2

L. TVMBILICIVS
A. F. CLA
L. Q. Q. V. P. XXX.

Utrasque inscriptiones dedimus *Fabretto*, qui eas profert *C. III. pag.* 242. ad ostendendam earum vetustatem, cum cognomine careant. Familia *Tumbi-*
342 *liciorum* ignota est Antiquariis. Literas singularias postremi versus ita explicabis: *Locus quoquoversum Pedes* XXX. Area scilicet sepulcri versus omnes partes triginta pedes continebat.

In primo ex recitatis elogiis *Concordiensibus*, C. Aquilius *Quinque Vir ex Decuria armamentaria* dicitur. Corpora & Collegia in Decurias ordinata legimus. *Decuriæ* iiii. *Scamilariorum*, pag. 467. 7. *Decuriales Decuriæ Consularis*, pag. 36. 6. & pag. 830. 10. *Lictorum Decuriæ tres*, pluresque similes saxa antiqua produnt. Decuriæ dicebantur etiam de pluribus quam decem, ut notarunt Reinesius *Class. I.* 19. & Fabrettus *Cap. VI. pag.* 449. At vero quid *Decuria armamentaria?* Statim conjicias, corpus hoc fuisse artificum armis publicis fabricandis institutum. Recte hoc quidem: sed ulterius conjecturâ provehor. In imperio *Romano* plures erant fabricæ armorum; nec tamen omnia armorum genera in singulis fabricis, paucis exceptis, fiebant, sed certa in diversis. Inter fabricas *Italiæ*, quas auctor *Notitiæ Imperii Occidentalis* nominat, prima occurrit *Fabrica* CONCORDIENSIS SAGITTARIA; inde Veronensis *Scutorum*, Mantuana *Loricaria* &c. Apud eundem quoque legitur *Schola Scutariorum*, *Schola Armaturarum* &c. Itaque Concordiæ *Decuria armamentaria* erat schola seu corpus artificum fabricandis *Sagittis* destinatum. Cui quidem corpori seu Decuriæ Aquilius *bis quinque Vir* præfuerat. Corpora enim artificum & collegia præcipuos aliquos eligebant, *Patronos & Præfectos*, quos etiam *Magistros* appellatos alibi diximus.

Magistratus *Concordienses* aliquot memorantur ceteris inscriptionibus. *P. Terentius* AED. II. VIRI, nempe *Ædilis*, & *Duumvir*. T. Trebellenus Q. T. PL. *Quæstor*, *Tribunus Plebis*; qui *Legatus* quoque *Cæsaris Augusti* signatur. Unde apparet ab hujus ævo jam illustrem hanc coloniam, quæ viros dederat summis in Republicâ honoribus perfunctos. Nec mirum *Augusti* benevolentiam demeruisse, quem conditorem suum habuit, ut
343 mox ostendam. Alium V. C. hoc est *Virum Clarissimum*, *T. Desticium Jubam*, quem sibi *Ordo Concordiensis*, nimirum Decuriones, *Patronum* adoptaverant, signat quarta inscriptio. *Prætorius* is vocatur, quod Prætoris illustrem dignitatem fortasse *Romæ* gesserit. Ejusdem mentio est in alio lapide agri *Concordiensis*.

A

D. M
DEST. PHILENIDI
ANN. XXX
LIB
T. DESTICI
IVBAE. C. V.
POTENTINVS. SER. FEC.

Desticius Philenides Libertus erat *Desticii Jubæ* (nomine quæsito à Patrono) cui demortuo sepulcrum posuerat *Potentinus Servus* ejusdem Jubæ. Gens *Desticia* incognita est Antiquariis: quocirca bina hæc elogia, quorum nos ei copiam fecimus, novis familiis inseruit Fabrettus *Cap. IX. pag.* 618.

B

Seviros quoque *Concordiæ* creatos hoc lapidis fragmentum monstrat, translatum in proximum Portum *Romatinum* ad *D. Mariæ Annunciatæ*.

. . . . . NNIVS L. F
RVNCHO
IIIIII. VIR. D

Saxis debemus servatam coloniæ *Concordiæ* illustrem JVLIAE appellationem. Eorum alterum hisce verbis sculptum visitur.

M. ARMONIO 344
M. L. ASTVRAE
PATRONO. SEX. VIR. FORO

C

CORNELI. ET. SEX. VIR
IVLIA. CONCORDIA
M. ARMONIO. M. L. AVCTO
OPPONAI. C. L. TERTIAI
M. ARMONIVS. M. L. SALVIVS
SEX. VIR. IVLIA. CONCORDIA
TESTAMENTO. FIERI. IVSSIT

Exscribit etiam *Gruterus pag.* 365. 1. apud quem aliud quoque reperies *Romæ* extans, cui tribus *Claudia* signatur, pag. 549. 7.

D. M
C. LAELIO. C. F. CLAVD

D

EXORATI. *fo* DOMO. IVLIA
CONCORDIA. EQVO. PVBLICO &c.

Semel iterumque in primo epitaphio *Concordia* vocatur *Julia*, in quâ ex gente *Armonia* duo Liberti *Astura* & *Salvius* Seviratus honore perfuncti sunt, quem *Astura* in urbe etiam *Foro Cornelii* gesserat. Vocabulum *Domo* in secundo significat patriam, cujusmodi formula passim occurrit in antiquis militum monumentis, *Domo Ateste* pag. 536. 5. *Domo* Brixia, 192. 11. & 534. 1. Quod etiam D. simplici indicabatur, ut D. INTIMILIO, exemplo statim proferendo. Alia

E

quamplurima utriusque formulæ dabit *Gruterus*. Nudo quoque loci vocabulo post tribum Patria militum exprimebatur, auferendi casu, ut VERONA *pag.* 568. 1. BONONIA *num.* 6. & passim apud eundem illustrem Collectorem. Utriusque Urbis bina alia monumenta nondum vulgata profero, quæ cum mox laudato, *Aquilejâ*, ut testatur Capodaleus, *Utinum* translata, visuntur in Ædibus Nobb. *de Gurgis*.

C. ALBVCIVS. C. F 345
FAL. D. INTIMILI
M. CHO VIII. PR. M. A
XVII. V. A. XXXV
H. S. EST

F

C. FABIVS
C. F. PVBLI
VERONA
MILES. LEG
VIIII. HISP

M. CALVENTIVS
T. F. LEM. BON
MIL. CHOR. VIII. PR
MILIT. ANN. VII
VIXIT. ANN. XXIIX

Veronenses tribui *Publiciæ*, seu *Poblicia*, Bononienses *Lemoniæ* fuisse adscriptos, satis est notum. *Intimilium*, quæ urbs *Liguriæ* est, in *Falerinam* cooptatum ex primo epitaphio discimus. Cujus notas compendiarias ita explicabis. *Cajus Albucius Caji filius Falerinâ, domo Intimilio, miles cohortis octavæ Prætoriæ, militavit annis* XVII. *vixit annis* XXXV. *Hic situs*, vel *sepultus est*. Itaque *C. Lælio* Romæ demortuo patria JVLIA CONCORDIA fuit; cui tribus CLAVDIA jungitur, ne dubitare possis, aliam à nostrâ hanc esse. Nam iisdem nominibus appellatas alias colonias reperimus. *Juliam Concordiam* Plinius collocat in *Bæticâ L. III. C. I.* Literas has singularias C.C.I.H P. A. Col. *Concordia Julia Hadrumentina Pia Augusta*, explicatas leges apud Harduinum *de Nummis Popul. & Urbium*. Et in nummo *Juliæ Domnæ* apud Vaillantium *de Coloniis Tom. II. p.* 17. nominatur COL. JVL. CONC. AVG. APAM. *Colonia Julia Concordia Augusta Apamea*. Alias quoque simplici *Concordiæ* nomine vocatas reperies. Has alii solicitent: mihi in nostræ scrutandâ origine satis negotii est.

Cum interfecto Cæsare, *Octavius*, *Antonius*, & *Lepidus*, post *Mutinensem* pugnam, specie Reipublicæ constituendæ triumviratum conflassent, ut exercitus spe præmii allicerent, octodecim Colonias militibus promisere, ex Appiano *de Bell.*
346 *Civ. Lib. IV. pag.* 590. Confecto bello *Philippensi*, quo *Brutus* & *Cassius* profligati sunt, *Octavius* milites deduxit, transcriptis legionibus XXXIV. non tam in eas Colonias, sed universâ propemodum Italiâ, *Lib. V. pag.* 678. & 684. Septem ex his octodecim Colonias numerat Appianus, *Capuam*, *Rhegium*, *Venusiam*, *Beneventum*, *Nuceriam*, *Ariminum*, & *Vibonam*. Sigonius *Lib. III. de Antiq. Jure Ital. Cap. V.* alias undecim producit ex *Frontino*, ut numerum *Appiani* expleat. At vere plures quam undecim *Frontino* recensentur, à Triumviris seu lege triumvirali deductæ, ut ejus *Libellum de Coloniis* percurrenti patebit. Nam *Octavius*, ut ante monui, posthabitâ Triumvirûm lege, totam fere *Italiam* Colonis inundavit. Nec *Frontinus* ipse singulas tradidit, prætermissis earum quoque nonnullis, quas *Appianus* memorat. At vero neuter *Virgilio* memoratam *Transpadani* agri divisionem literis prodidit, quam certum est peractam Triumvirorum jussu post *Philippensem* victoriam, *Donato* teste in ejusdem Poëtæ vitâ. Hinc apparet, pleraque omnino loca, in quæ *Octavius* triumvirali lege Colonias induxit, neglecta fuisse priscis Auctoribus. Itaque has inter una mihi est JULIA CONCORDIA, utroque nomine indicium prodente. Cum inter Triumviros fœdus esset sancitum, passim tum ipsi, cum etiam exercitus mutuam in administrandâ Republicâ animorum consensionem, ex qua pax orbi & salus generi humano sperabatur, expresso nomine & symbolis *Concordiæ*, testati sunt. Exempla statim subjiciam. Cum in nostram Coloniam milites inducerentur, hoc ipsum significare volentes, eam *Concordiam* appellarunt, superaddito *Julio* cognomine, in gratiam deductoris *Octavii*, qui in hanc familiam per adoptionem transierat. Sane nomen unum alterius originem prodit; atque uterque vicissim mutuam sibi lucem fœnerat. *Concordiam* peculiari aliqua occasione vocatam facile agnoscis. Quæ alia esse nequit, quam quod in Triumviratu sit deducta; hocque ea profecto ratione, quia etiam
347 *Julia* fuit appellata. *Beneventum* Colonia *Concordia* dicta est, Frontino teste *in Lib. de Coloniis*. Imo *Julia Concordia* ex insigni lapide apud Fabrettum *Cap. II. pag.* 105. cujus partem recito. COLONIA JVLIA CONCORDIA AVG. FELIX. BENEVENTVM DEVOTA MAJESTATI &c. Jam *Beneventum* Coloniam inter triumvirales ab *Appiano* numeratam vidimus; agrumque ejus triumvirali lege veteranis assignatum, testatur *Frontinus*. Quare *Concordiæ* nomen non aliunde sortita est, quam quod vigente inter Triumviros concordiâ fuisset deducta; & exinde quoque *Julium* cognomen ab *Octavio* deductore, cui additum multo post aliud *Augustæ*, ut à Coloniis *Julii Cæsaris* securius distingueretur. Exemplum certe ad originem nostræ *Concordiæ* illustrandam aptius nullum esse potest. Nec animum despondeo, quod docti aliqui viri scripserint, Colonias *Julias*, nisi additum præferant *Augusti* nomen, omnes à *Julio Cæsare* esse. Nam ea opinio omnino falsa est, cum *Julium* cognomen coloniis impositum tum eas designet, in quas *Julius Cæsar* colonos adscripsit, tum etiam alias, quas *Augustus* deduxit, uti diserte docet Card. Norisius *Cenotaph. Pis. Diss. I. Cap. II.* firmatque Pater Harduinus *in Antirrhetico pag.* 35. Nobis nulla caussa est, cur *Concordiam Juliam* ad *Cæsarem* referamus; plurima in *Augusto* emicat, ut ostensum est, & rursus demonstro. Dixeram frequentibus monumentis constare, Triumviros *Octavium*, *Antonium*, & *Lepidum*, ut pactum inter se fœdus, animorumque concordiam significarent, nomen ipsum *Concordiæ* & symbola pervulgasse. Nummus est apud Oiselium *Tab. LXXVIII. num.* 6. in quo cernuntur Triumviri stantes ante tripodem, & fœdus de imperio *Romano* inter se dividendo ineuntes: ad pedes sedet CONCORDIA, sinistrâ *Caduceum*, & dextrâ *Cornucopiæ* tenens, additâ epigraphe: *Salus generis humani*. Designare volentes, inquit Auctor, quod per *concordiam* Triumvirorum, omnium rerum *abundantia* ac *pax*, denique *salus generis humani* procurata fuerit. In proxime insequenti signantur *tres dexteræ* invicem 348
junctæ & implicatæ complectentes *caduceum* & *fascem*: quo schemate designatur, ex Triumvirorum concordiâ orbi terrarum felicitatem & pacem, quam caduceus indicat, nec non justitiam, quæ fascibus monstratur, promanare. Eadem symbola præferunt denarii apud Vrsinum *in Familiâ Antoniâ Tab. VI.* & Arescotanus *Tab. VIII. num.* 9. cum inscriptione CONCORDIA EXERCituum. Quæ inscriptio scalpta quoque est in altero *Antonii* apud *Co: Mediobarbum p.* 16. ubi *pag.* 11. producuntur alii nummi *Lepidi*, nexum manuum præferentes, & caput Deæ *Concordiæ* velatum cum epigraphe: CONCORDIA. Eundem denique typum ostendit denarius *Mussidii Longi*, quem cum esset Triumvir cudendæ monetæ, conflavit, inscriptis hisce characteribus in parte antica: CAESAR LEPI. ANTON. III. VIR. R. P. C. *Triumviri Reipublicæ constituendæ*: in postica autem expresso capite & nomine ejusdem Deæ *Concordiæ*, quo, subdit *Mediobarbus pag.* 23. Triumvirorum concordiam signare voluit *Mussidius*. Pervulgatam igitur totque argumentis ubique ostentatam Triumvirorum *Concordiam*, quid mirum deductas etiam eorum auspiciis Colonias, unam & alteram, præ se tulisse, nomenque CONCORDIÆ impositum voluisse in ævum posteritati transmittere.

Ceterum cum *Concordiam* Coloniam ab *Octavio* Cæsare in triumviratu deductam abunde satis ostenderim, haud admodum vereor conjectando opinari, tunc quoque in proximum *Forum Julii* Colonos traductos, eoque illud tunc temporis in *Coloniæ* nomen & prærogativam transiisse. Quam sane Urbem, ut porro, præter Tribus assignationem, de qua jam dixi, aliis quoque prærogativis, juribusque Colonicis honestatam demonstrem, vetusta ejus saxa, quæ olim dimiseram, rursum pertento, signatosque ipsis *Magistratus* & *Sacerdotia*, in

in *Romanum* morem atque inſtitutum uſurpata, 349 aggredior. His ſubinde interſeram ejuſdem argumenti *Aquilejenſia* monumenta inedita, ut hoc ſaltem novitatis illicio faſtidium legentium utcumque demulceam.

In primo *Forojulienſi* lapide pag. 331. *T. Vettidius* IIII. VIR. JVRI. *Quatuorvir juridicundo* ſignatur. In coloniis & municipiis ſummus erat magiſtratus Duumvirûm, vel Quatuorvirûm, qui judiciis diſceptandis præſidebant. Iis etiam po- A litica adminiſtratio demandabatur. *Quatuorviri* noſtram coloniam regebant: quam reipublicæ gerendæ formam *Forojulienſes* induxiſſe imitatione proximæ *Aquilejenſis* coloniæ, nullus dubito. In uberrimâ inſcriptionum *Aquilejenſium* collectione, de qua olim memoravi, nuſquam Duumviri, ſæpius *Quatuorviri* comparent. Earum aliquot exempla *in Diſſertatione de Beleno*, *& Diis Aquilejenſibus* dedi, nunc cetera produco.

1

K. NOVEMBR. L. NONIVS. RVFINVS. POMPONIANVS
Q. VESONIVS. FVSCVS. P. I. D. SCRIB. ADF. LVCRETIVS
HELVIANVS. M. TREBIVS. PROCVLVS. L. CAMMIVS
MAXIMVS. S.C. CVM. PRONA. VOLVNTATE
HONESTISSIMO. ANIMO. VLTRO. CALVIVS
POLLIO. IIII. VIR. I. D. IN. PROXIMVM. ANNVM
PROFESSVS. SIT. QVO. FACTO. HESITATIONI
PVBLICAE. IN. PARTEM. MORAM. ADEMERIT
PLACERE. EI. QVO. MAGIS. ETIAM. CETERI
AD BENEFACIENDVM. IN. RE. PVBLICA
PROVOCENTVR. STATVAM. EQVESTREM
AVRATAM. IN. FORO. N. PONI. CENSVER
PRIM. CENS. C. LVCRETIVS. HELVIANVS.

Aquilejæ ad S. Joannem.

350

2

A. LVCRETIVS. C. F
ATTALVS
C. LVCRETIVS. A. F
SEC. PETRONIA. C. F
A. LVCRETIVS. A. F
IIII. VIR.

In Caſtro Luſeriaci Comitum de Andreucciis.

3

FRVCTITIVS. M. F
IIII. VIR. I. D. QVINQ...
. . . .
IIII. VIR. I. D.

Aquil. ad S. Andreæ Eccleſiam nunc dirutam.

4

VERVS
ÆD. IIII. VIR
QVINQ PONT
CVM. PRISCILLA
FIL. D. D

In Pomario domus ad duas Turres.

5

C. LVCIVS. C. F. MANIACVS
VETTIA. M. F. FIGVLI
M. LVCIVS. C. F
C. LVCIVS. C. F. MANIACVS
IIII. VIR. I. D. POPVLI. BENEFICIO
C. LVCIVS C. F. F.

In pago Cerviniani prope Aquilejam.

In primo lapide, inter illuſtriora vetuſtatis monumenta reponendo, quemque ſtyli cultus ævo purioris Latinitatis ſcriptum arguit, notabis magiſtratum Quatuorvirûm *Aquilejæ* fuiſſe annuum; nam Calvius Pollio *ultro in proximum annum* illum iniit. Quocirca ſtatuâ equeſtri auratâ publico decreto donatus fuit. At in poſtremo *C. Lucius Maniacus* ad Quatuorviratum *populi beneficio* evectus dicitur. Sane in coloniis jus creandi magiſtratus penes Decuriones ſtetiſſe, imo etiam auctoritatem condendi decreta, licet aliquando ipſa plebs ſententiam rogaretur, certum eſt. At ubi aliquis ex civibus colonicis, vel ob rempublicam optime adminiſtratam, vel ob munera liberaliter exhibita populum demeruiſſet, hic apud ſplendidiſſimum Ordinem gratiam relaturus magiſtratum ei impetrabat. Hinc in lapide 423. 6. *Ligurius* dicitur II. VIR. DESIGNATVS EX. POSTVL*atione* POPVLI.

B pag. 484. 2. *Sexto Vencio* monumentum dicat *Ordo Vocontiorum* EX CONSENSV. ET POSTVLATIONE. POPVLI. *ob præcipuam ejus in edendis ſpectaculis liberalitatem.* Quòd igitur in noſtrâ *Aquilejenſi* inſcriptione *C. Lucius* Quatuorviratum conſequutus fuerit *beneficio populi*, id ejus 351 poſtulatione & precibus à Decurionibus impetratum intelligo. Extat inſcriptio *Beneventana pag.* 43. 9. in quâ C. Lucius *beneficio Vultei Praef. Urb. miſſus ab Imp. Hadriano* dicitur, ob impetratam ſcilicet ab Imperatore miſſionem, Cicero *Lib. XIII. fam. Ep. XXXV.* ſuo beneficio tribuit obtentam à *Cæſare* civitatem *Novocomenſem* Philoxeno, *quem*, inquit, *Cæſar meo beneficio in Novocomenſes retulit.* C Nos quoque dignitatem vel munus à Principe delatum, ejus, qui impetravit, beneficio acceptum profitemur.

At cur in hoc epigrammate *C. Lucius* quod quatuorviralem magiſtratum beneficio populi fuerit aſſequutus, grati animi memoriam collocat, cum in ſuperiori *Aquilejenſes* ipſi, poſito inſigni monumento, gratias ſuſcepti in proximum annum ipſiuſmet muneris *Calvio Pollioni* referant? Magiſtratus in coloniis & municipiis aliquando honori, rurſus & oneri quandoque habebantur. *Scribantur*, ait Ulpianus in l. 1. Dig. de albo ſcrib. D *Decuriones eo ordine, quo quisque eorum maxime* HONORE *in municipio functus eſt, ut puta qui Duumviratum geſſerunt, ſi hic* HONOR *præcellat.* Conſtantius in l. 28. de Decurion. Cod. Theod. jubet Magiſtratum nominari Kalendis Martiis, *ut*, inquit, *ſplendidiorum* HONORUM *munerumque principia primo tempore curentur.* Hinc adepti magiſtratum, tanquam delati honoris gratiam referentes, largitiones in populum, expenſaſque muneribus exhibendis ingentes ſubire non recuſabant. Appulejus Lib. X. narrat Thyalum *quinquennali magiſtratui* deſtinatum, *ut ſplendori capeſſendorum reſponderet faſcium, munus gladiatorium triduanis ſpectaculis* dediſſe. E In lapide Gruteriano pag. 409. 3. L. Fadius *ob* HONOREM *Duumviratus Venationes plenas & gladiatorum paria XX. edidit.* Venationes *plenas* malim explicare, omnibus beſtiarum generibus, quam ſpectaculorum, uti placet Gutherio *de Vet. Jure Pontif. Lib. III. Cap. XX.* refertas. De *Tito* enim ait Suetonius in vitâ Cap. VII. *uno die quinque millia omne* 352 *genus ferarum* dediſſe. Prætereà epulum, honoraria, ſportulas & pecuniam decurionibus, col-

legiis, & populo inituri magistratum largiebantur. Cujus rei exempla habes ex Plinio *Lib. X. Ep. CXVII.* Plut. *in Sylla* & sæpius in Inscriptionibus. At hujusmodi expensæ & largitiones iis, quibus res domi angusta; vel animus parcior, non arridebant. Inde Magistratus inter onera quoque computabantur, ac ad eos declinandos frequenter occasio quærebatur. Unde cum de honoribus gerendis agitur, facultates etiam considerandas esse, an sufficere injuncto muneri possint; ait Callistratus *in leg.* 14. *Dig. de muner. & honor.* quapropter ne deessent, qui munera rei publicæ obirent, lege cautum fuit, *ut si quis magistratus in municipio creatus muneri injuncto fungi detrectet, per Præsides munus adgnoscere* cogatur, in l. 9. eod. tit. Nam fuere qui *majorum honorum evitandorum gratiâ ad Colonos prædiorum se transtulerunt*, l. 1. §. 1. de vacat. & excus. munerum. Porro qui semel magistratu functus fuerat, nec continuare, nec iterum illum assumere tenebatur; *leg.* 14. 16. & 17. *eod. tit.* Rursus & alii certis de caussis à muneribus arcebantur, de quibus passim Jurisconsulti in memoratis titulis.

Quod itaque *Lucium* lege, vel alia ratione Decuriones *Aquilejenses* à Quatuorviratus honore excluderent, isque sumptus & largitiones ambitionis illecebrâ non refugeret, populi favore ad eundem magistratum sibi viam fecit, benificiique à populo accepti testimonium monumento exstructo manere voluit. At contra *Calvius Pollio* cum superiori anno republicâ bene administratâ, ludisque forsan, muneribusque magnifice exhibitis, desiderium sui apud cives fecisset, nec ad magistratum denuo capessendum cogi posset, & nihilominus *pronâ voluntate & honestissimo animo ultro* illum *in proximum annum* assumpsisset; ideo decreto Senatus *Aquilejensis* statuam equestrem auratam in foro promeruit. Ita *Pisaurienses* lapidem posuerunt C. Sentio, *quod in honore IIviratus*
353 *tus industrie administrato omnibus plebis desideriis satisfecit*, pag. 467. 1. Respublica Tegianensium pag. 484. 6. *bigas* decrevit Veratio Severiano, quod *cum ab honoribus & muneribus excusari potuisset*, nihilominus *& honorem ædilitatis laudabiliter administravit*, & varia spectacula, quæ ibi recensentur, *exhibuit*, & demum *ad honorem quoque Duumviratus ad cumulanda munera Patriæ libenter accessit.* In 352. 1. T. *Anchario II. viro biga posita* fuit, *ob eximias liberalitates & abundantissimas sine exemplo largitiones*, *& quod ediderit spectaculum gladiatorum*, *ludos*, *adjecta venatione* justa ac *legitima.* Lacunam in exemplari Gruteriano supplevi, additis duabus hisce voculis, venatione *justa*, *ac* legitima, ex Suetonio *in Claudio Cap. XXI.* ubi ait hunc Cæsarem dedisse *anniversarium* JUSTUM ATQUE LEGITIMUM *in septis*, scilicet *cum venatione & apparatu*, ut paullo ante indicaverat. Idemque venatio *justa* & *legitima* esse videtur ac *plena*, de qua superius dictum fuit. Porro de statuis auratis, quæ viris optime de republica meritis dicabantur, non pauca dicenda essent, nisi plura tradidissent viri eruditi, Card. Norisius *de Cenotaph. Pisan. Diss. III. Cap. VIII.* & Frigelius *de Statuis.*

Notanda superest in primo eleganti epigrammate sigla P. I. D. quam explico; *Præfectus*, vel *Præfecti*, si ad utrosque ante memoratos, *Nonium* & *Vesonium* referatur, *Juri Dicundo*; uti est expressum in lapide *Gaditano pag.* 195. 4. II. VIR. PRAEF. JUR. DIC. AB. DECURIONIB. CREATUS. Card. Norisius *in Cenotaph. Pisan.* notas has in nummo *Leptinensi*. PR. II. VIR. C. V. I. L. ita legit. *Præfectus II. Vir Coloniæ Victricis Juliæ Leptis.* Eodem præclaro opere *Differt. I. Cap. III.* doctissimus Auctor pu-

A tat Præfectos juri dicundo tunc in coloniis nominatos, cum Duumviri vel Quatuorviri ob Decurionum dissidia creari non possent. Quæ sane conjectura ex nostro lapide momentum accipiet, si 354
etiam ad alias caussas interregnum, quo durante Præfecti eligebantur, referatur. Cum *Aquilejæ*, Decurionibus excusationes prætexentibus, nemo esset, qui Quatuorviratum subire vellet, unde orta *hæsitatio publica*, & Pollio *pronâ voluntate ultro* sese Magistratui obtulerit, atque ita *moram ademerit*, quæ ejusdem Magistratus creationem distrahebat, ideo *quo magis ceteri* Decuriones ad suscipienda munia *& benefaciendum in re publicâ*
B provocarentur, statuam auratam Senatus Aquilejensis ei decrevit, idque *primus censuit* C. Lucretius Helvianus, qui etiam inter alios, qui *scribundo adfuerunt*, superius nominatur. Eam igitur ob moram, cum Quatuorviri creari non potuissent, Præfecti *L. Nonius Rufinus Pomponianus* & *Q. Vesonius Fuscus* Quatuorvirûm jurisdictionem in coloniâ acceperunt. Jam observabam hunc magistratum *Aquilejæ* fuisse annuum: quod etiam in *Foro Julii*, ubi eadem forma magistratus, in more positum non dubito. Imo de ceteris coloniis id quoque traditur *in leg.* 1. *quemad. mun. civ.* &
C *leg.* 16. *de Decurion. Cod. Theod.* Hinc male Josephus Scaliger *Ausonian. Lectionum Lib. II. Cap. XXIII.* scribit, in *omnibus* municipiis Magistratus majores fuisse quinquennales, propterea eodem nomine sæpius vocatos, & numeratos in fastis municipalibus *secundum lustra.* Forte id verum in quibusdam, non in omnibus. At de Quinquennalibus coloniarum, & municipiorum inferius redibit sermo.

Antequam hunc præclarum *Calvii Pollionis* lapidem dimittam, quoniam *Reipublicæ Aquilejensis* in eo mentio est; alium profero eadem notâ illustrem.

D

CERVONIA. TICHE. 355
V. F. SIBI. ET. LIB. LIBQ. POSTQ. EOR
SI. QVIS. HANC. ARCAM. SIVE. HOC
MONIMENT. VENDERE. AVT. EMERE
AVT. EXACISCLARE. VOLET
TVM. POENAE. NOMINE HS. XX.
REIP. AQVIL. DARE. DEBEBIT
Arca sepulcralis in platea Aquil.

Vox illa *exacisclare* in quinto versu exsculpta, insolentiâ & novitate viam moratur, poscitque explicationem. Cum pridem salivam movisset,
E atque ideo *Fabrettum*, qui, dum viveret, mihi sæpe lapidum *Oedipus* erat, consuluissem, scriptoresque antiquitatum & Lexicographos intente perlustrassem, non modo interpretationem, sed ne vestigium quidem ullum vocabuli assequutus sum. Unus *Sponius* hanc ipsam inscriptionem ex schedis Equitis *Ursatti* producens, *Miscellan. erudit. Sect. IX. pag.* 294. verbo nodum extricat: *observanda*, inquit, *vox antiqua* exancisclare *pro distrahere.* At parum feliciter, si potior est nostra conjectura inferius exponenda. Perperam quoque addidit literam *N*; & caput non suum inscriptioni affixit, *Patroclorum Ulpius Priscus animæ me-*
F *renti* Cervonia Tyche &c. Ea enim sunt verba alterius inscriptionis *Aquilejensis*, quæ in collectione *Capodalei* legitur. Notanda iterum eadem vox *exacisclare* in alio Epitaphio *Aquilejensi.*

ATILIAE. ONESIMENI
CVM. QVA. VIXI. ANNIS. XV
CONIVGI. CARISSIMAE
C. IVLIVS. EPICTETVS. QVI
ET. FATO. VIVVS. POSVIT. ET. SIBI
SI. QVIS. POST. DVA. *sic* CORPORA
POSITA. HANC. ARCAM. APERVERIT
AVT. EXACISCLAVERIT. ET. ALIVT *sic*
CORPVS. POSVERIT. IN. F. L. EL. CONS. M. N

In

356 In postremo versu medias literas vel culpa exscriptoris, vel injuria temporum ignorabiles fecit. Hoc certum continere pœnam. Prima nota INF. sublatâ interpunctione, explicatur, *inferet*, ultima M. N. indicat *Millia Nummûm.* Ut sit sensus: *inferet pœnæ nomine arcæ Pontificum*, vel *ærario*, ut expressum est in aliis, tot *millia Nummûm*. Itaque *exacisclare* verbum est ab *Asciâ*, *Acisculo*; seu *Aciselo* derivatum. *In Dissertatione M. Aquilii pag.* 21. dixeram Vitruvio *Asciam* esse instrumenti genus ad subigendam & macerandam calcem. Præterea in glossis Isidori *asciam* & *asciolam* vocatam quoque *acisculum* & *aciscium*: & *acisculario* dici lapidicinam. Rursus Meursium *Exercit. Crit. Part. II. Cap. X.* legisse in eisdem glossis, *Acisculum* esse malleum structorum. Fabrettus *Cap. III. pag.* 205. formulam hanc *sub ascia*, frequenter inscriptionibus supulcralibus usurpatam, significare ait, monumenta & sepulcra ex lateritio opere; quibus insculpta est, solius *asciæ* ope & ministerio constructa fuisse. Si quis igitur monumentum, *ascia* seu *aciselo* constructum, destruxerit, fregerit, vel quoquo modo dissolverit, is monumentum *exacisclare* dicetur. Nam particula *ex* contrariam actionem sæpius designat, ut *exarmare*, *exheredare*. Cum in secundo C. Julius ait; *si quis arcam aperuerit, aut exacisclaverit, & alind corpus posuerit*, manifestum est, prioribus utrisque verbis vetasse aperitionem & dissolutionem arcæ, ne aliud corpus inferretur. Ita usitatiori vocabulo in 4. pag. 383. apud Gruterum dicitur: *Si quis autem infringere vel aperire ausus fuerit* &c. Quo recidunt hæ aliæ formulæ, pag. 1056. 1. *Hic si quis removere vos quæret, aut aperire, aut aliud corpus invehere* &c. Pag. 825. 8. *Huic monumento manus qui intulerit* &c. Passim vero *violari* prohibentur tituli sepulcrales & monumenta.

In eodem secundo Epitaphio *C. Julii* observatione digna est ea formula, *Qui fato vivus posuit, & sibi.* Quæ monet, ut aliam non minus raram producam.

357 Q. SVLP. VXORI. T *Titulum*
NON. LVBENS. FECIT
FATVM. FECIT
Aquil. in Eccles. SS. Felicis & Fortunati.

Bina hæc quoque, ex nostris *Forojuliensibus*, sepulcralium lapidum exempla hic interseram, non vulgari affectuum significatione exarata.

D. M.
REVIDIAE. MARCELLAE
FEMINAE. CASTITATIS
ET. VERECVNDIAE
CVLTV. SINGVLARIS
SEX. EROS
OB INSIGN. EIVS. ERGA
FILIVM. SVVM.....
In majori Ecclesia.

BENEMERENTI
BVS. AVGVSTO. ET. VRS
ILLAE. QVI. VIXIT. AVGVS
TVS. ANNOS. IIII. MENSES. VII.
DIES. XII. ET. VRSILLA. ANNOS
IIII. MENSES.... DIES. XV. PARENTES
CONTRA. VOTVM. POSVERVNT
In fronte Ecclesiæ S. Dominici.

Quod ad sepulcralia monumenta pertinet, piget hic inserere maximam & oblongam tabulam, quæ servatur in interiori sacrâ Ædiculâ *Parthenonis* antiquissimi *S. Mariæ in Valle*, ubi plura etiam fragmenta marmorum operis *Longobardici* visuntur. In eo siquidem duodeviginti *Romana* nomina sunt exsculpta, fortasse militum, qui simul cæsi commune conditorium in *Forojulio* acceperunt.

Ut ad Rempublicam *Aquilejensem* redeam, non eo sensu hoc vocabulum acceptum volo, ut *Aquilejam* liberam Civitatem & nullius imperio obnoxiam indicet; quod nostri Scriptores videntur
existimasse, cum perperam recitant epistolam Se- 358
natus *Romani* apud Vopiscum hoc modo: *Senatus amplissimus Aquilejensibus. Ut estis liberi, & semper fuistis, lætari vos credimus* &c. eâ enim formulâ usus est Senatus tantummodo in Epistolâ ad Trevirenses: *Senatus amplissimus Curiæ Trevirorum. Ut estis liberi* &c. & sane Treviros vocat *liberos* Plinius Lib. XIX. Cap. XVII. Subdit deinde Vopiscus in Floriano Cap. V. *eodem modo scriptum est Antiochensibus, Aquilejensibus, Mediolanensibus* &c. Non tamen, uti arbitror, iisdem verbis libertatem præ se ferentibus, sed tantum quod rei præsentis erat; Senatus iis civitatibus gaudium significavit ob creationem *Taciti* Imperatoris. Quippe nulla *Italicarum* urbium, saltem post adeptam Civitatem *Romanam*, libera erat, Agellius Lib. XVI. Cap. XIII. *coloniarum alia necessitudo est. Ex Civitate quasi propagatæ sunt; & jura institutaque omnia populi Romani, non sui arbitrii habent.*

Hinc lapsus quoque est *P. Irenæus* à *Cruce*, qui quod in inscriptione *M. Severi*, quam recitat etiam *Gruterus pag.* 108. Tergeste *respublica* vocata sit, eam coloniam tunc temporis veram Rempublicam, propriisque legibus utentem autumat, *Lib. II. Cap. VIII. Histor. Tergest.* Nam respublica accipitur pro qualibet civitate, quæ legibus (non utique propriis sed *Romanis*) & magistratibus regatur, *leg. ult. Dig. de offic. Adsess.* In eâ inscriptione nobilissimâ exponendâ non semel quoque liberaliter deceptus est *P. Irenæus*: ut cum singularias literas V. F. significare ait *Vivens Fecit*, quæ interpretatio in sepulcralibus saxis locum obtinet, ut in superiore *Cervoniæ* nobis proxime recitato, non autem in decretis publicis, in quibus reddenda est, *Verba Fecit*, is scilicet, qui sententiam dicit, ut in hoc Tergestino *Hispanius Lentulus Duumvir.* Præterea cum *Fabius Severus* ab Imperatore *Vespasiano* impetrasset, *ut Carni Catalique in curiam* Tergestinam *admitterentur, ac per hoc Civitatem*
Romanam adipiscerentur, ipse putat, parum sane 359
hoc titulo *Tergestinorum* gratiam promeritus, *Severum* obtinuisse, ut colonia *Tergeste* iisdem privilegiis frueretur, quibus *Catali* & *Carni*; cum è contra his populis permissa fuerint jura & prærogativæ *Tergestinorum*. Aggenus *de Limitibus Agror. pag.* 58. edit. Goesii simile quid narrat de Tudertinis, *qui apud Principes egerunt, ut Fanestres incolæ, si essent alienigenæ, qui intra territorium incolerent, honoribus fungi in coloniâ non deberent. Sed Fanestres hoc postea impetrarunt, ut eis liceret fungi honoribus.* Porro cum audis *Carnos* in hanc coloniam fuisse adscriptos, de *Carnis* ultra *Timavum* eidem conterminis intelligas velim; nam citerioribus *Carnis* nil rei cum *Tergeste* erat. *Catali* memorantur Plinio *Lib. III. Cap XX.* Ad dignitatem Reipublicæ *Aquilejensium* pertinet hæc quoque inscriptio.

C. HELVIVS. IVLIANVS
IVLIAE. FORTVNATAE
CONIVGI. CASTISSIMAE
ET. INCOMPARABILI
HVIC. SPLENDIDISSIMVS
ORDO. AQVILEIENSIVM
. . . .

Eodem illustri titulo *Ordo Aquilejensium* donatur in *Polano* lapide apud Gruterum pag. 788. 6. *Ordinis* nomine *Decuriones* Civitatis notantur, seu *publicum consilium*, uti vocat Pomponius *in leg.* 239. *Dig. Lib. L. tit.* 16. Quandoque *Senatus* nuncu-

 pa-

patur, de quo inferius. *Decurionis Aquilejensis* mentio eſt in hoc funebri Epigrammate.

L. FVNDANI. RVFI. DEC. AQVIL
FVNDANIA ATHENAES
ALVMNA. ET. HERES
In pago Agelli prope Aquil.

Centum Decuriones *Capuæ* fuiſſe memorat Cicero *Agrar. II.* quo numero conſtitutos *Aquilejæ*
360 Decuriones, ex urbis amplitudine facile judicaveris.

Ex Decurionibus ſumebantur Quatuorviri, de quibus ſuperius actum eſt. At mirum, cum hic Magiſtratus ſupremus fuerit, Aquilejam *Conſules* quoque habuiſſe. Tres inſcriptiones *Fabianum Conſulem* pronunciant, altera *Quinctianum*. Coloniis & Municipiis conſularem dignitatem ægre permittunt viri docti. Velſerus *Lib. V. Rerum Vindel. pag.* 272. ut à *Burdigala* Conſulatum amoveret, hæc Auſonii carmina,

Diligo Burdigalam, Romam colo: civis in hac ſum,
Conſul in ambabus.

præter omnia vetuſtorum codicum fidem, ſic invertit: *Conſul in hac ſum, Civis in ambabus.* Et Reineſius *Epiſt. XXXI. ad Rupertum* pag. 160. putat *Auſonium* poëtarum more loquutum, ac metri cauſſâ pro Duumviro Conſulem poſuiſſe. Em. Noriſius Cenotaph. *Diſſ. I. cap. III. pag.* 43. ad marmor Piſanum, cui *Felix* inſcribitur COS. I. poſteriori ætate pro Duumviris Conſules creari cœptos, ſuſpicatur. Quod velis tempus noſtræ inſcriptiones reſpiciant, iis manifeſta eſt Conſulatus nota. Fortaſſe ipſi *Quatuorviri* Aquilejenſes ad urbis majeſtatem & decus, aliquando *Conſules* vocati. Exempla lapidum ſubjicio.

T. CAESERN
MACEDO
QVINTIAN
COS
COLLEGIO FABRORVM
D. D.
Aquil. in ædibus Capodalei.

TROPHIMO
LIB
FABIANVS
CO-------
Ad januam domus vulgo delle due Torri.

361 NAICO
SER
VNCTORI
FABIANVS
COS
Ad S. Martini in pago Tertii prope Aquil.

PHAEBIANO
SER
MEDICO
FABIANVS
COS
In Platea Aquilejenſi

Poſtremam hanc inſcriptionem, in qua Phæbianus *Servus* dicitur *Medicus*, ægris oculis vidiſſet *Sponius*, qui à Servorum abjectâ conditione Medicos vindicare conatus eſt *Diſſert. XXVII. Recherch. curieuſ. d'Antiq. à pag.* 419. Servus *Unctor*, de quo in aliâ, unguentis & oleis odoratis egredientes è balneo ungebat. Vide Pignorium *de Servis pag.* 38.

Ne alium quoque Magiſtratum *Aquilejenſem* prætermittam, Feronium *Cenſorem* dedi in inſcriptione recitatâ *pag.* 300. Cenſores in coloniis cenſum agebant, qui *Romam* deferebatur. Livius

A Lib. XXIX. Cap. XXXVI. *Duodecim deinde coloniarum, deferentibus cenſoribus cenſum receperunt: ut quantum numero militum, quantum pecuniâ valerent in publicis tabulis monumenta extarent.* In *Bithynicis* civitatibus Senatum à Cenſoribus lectum ſcribit Plinius Lib. X. Ep. LXXXIII. *Cenſitor Civium Romanorum coloniæ Victricenſis* legitur in 5. pag. 439. *Cenſor* Alteriæ p. 171. 8. *Cenſor* Tiburi 195. 2. & alibi.

Noſtrum *Forojulienſem* lapidem, qui pene manibus exciderat, iterum revolvamus. In quintâ lineâ *T. Vettidius* dicitur QVINQ. PONT. Doctiſſimi lapidum & numiſmatum interpretes ad-
B verſis ſententiis pugnant in explicatione hujus notæ. Nonnulli cenſent legendum *Quinquennalis Pontifex*, adeoque in coloniis Pontifices ad quinquennium creatos. Alii duas expreſſas dignitates putant, ut Quinquennalis in coloniis fuerit, qui *Romæ* Cenſor dicebatur, quod quinto quoque anno crearetur: Pontifex vero ſummus Sacrorum 362
miniſter. Cui ſententiæ pondus facit auctoritas Card. *Noriſii* in ſæpius nuncupato opere *Cenotaph. Piſan. Diſſ. I. pag* 73. Calculum quoque ſuum addit *Vaillantius* explicans nummos coloniarum, qui hanc Epigraphem præferunt. II. VIR. QVINQ. ITERUM. Ut intelligenda ſit de
C Duumviris Cenſoribus in ſingula quinquennia creatis, non de magiſtratu per quinquennium gerendo, *de Nummis Coloniar. pag.* 6. 28. & 240. At Pater Harduinus *de Nummis Urbium & Popul. pag.* 102. nummum *Butroti* C. PAET. QVINQ. ITERUM. interpretatur, *C. Pætus Quinquennalia iterum*; aitque ad ludos quinquennales eſſe referendum. Porro *in Antirrhetico pag.* 41. cum eo nomine reprehenſus fuiſſet ab eodem *Vaillantio* in proxime laudato volumine *pag.* 78. cauſſatus Typographi lapſum fatetur legendum *Quinquennalis*; at priorem de ludis quinquennali-
D bus, quibus edendis *Quinquennales* erant præpoſiti, opinionem non deſerit. Interim ſubjicio inſcriptionem *Veronenſem*, apud Fabrettum *Cap. IX. num* 488. in quâ Duumviri Quinquennales colonici cum Conſulibus *Romanis* ſignantur, ut appareat utrumque magiſtratum ſupremum rei publicæ gerendæ eſſe intelligendum, nequaquam Cenſorum.

C. VITIVS. VISCI. L. NYMPHIODOT.
BERGIMO VOTVM.
C. ASINIO GALLO. C. MARTIO. CENSOR
COS
E C. SALVIO. APRO. C. POSTVMIO. COSC
II. VIRIS. QVINQVENNALIBVS

At quod noſtrum lapidem ſpectat, cum nota Quinquennalitatis junctim occurrit cum Pontificatu (& ſæpius quidem occurrit, ut *in* ſuperiori *Inſcriptione Aquilejenſi pag.* 350. QVINQ. PONT. & apud *Gruterum* PONT. QVINQ. *pag.* 437. 5. *pag.* 449. 2. & *pag.* 479. 1.) tunc Pontificatum quinquennalem deſignari facile intelligo. Nam cum in 363
Collegio Pontificum minores alios Pontifices, quoſdam etiam majores fuiſſe conſtet, inter hos aliquis præcipuus & veluti præfectus per vices, ſaltem in
F Coloniis, creabatur, qui temporario hujuſmodi honore fungeretur. Cicero in Verrinâ II. cap. LI. *Syracuſis*, inquit, *lex eſt de religione, quæ in annos ſingulos Jovi Sacerdotem ſortito capi jubet: quod apud illos ampliſſimum Sacerdotium putatur.* Majus ſcilicet & præcipuum inter alia Sacerdotia. Mox idem Tullius Cap. LII. *Cephaledi*, ait, *menſis eſt certus, quo menſe Sacerdotem* MAXIMUM *creari oporteat.* Idque in annos ſingulos, ut paucis interjectis lineis indicat. Apud Gruterum pag. 313. 3. *Junio Poſtumiano Patri Patrum Dei Solis invicti Mithræ Ordo Sacerdotum* MAGISTRO *ſuo* monumentum dicat. Quod

Quod Magisterium summum fuisse & temporarium docet alia inscriptio eidem Deo *Mithræ* nuncupata, pag. 33. 10. SUM*mus* MAG*ister* ANNI. PRIMI. Certe *Tridenti* Præfectus Augustalium non ultra quinquennium dignitatem prorogabat. Extat lapis apud *Gruterum pag.* 479. 6. inscriptus *C. Valerio* PRAEF*ecto* QVINQ*uennali* AVG*ustalium*. & Albæ Juliæ *pag.* 105. 10. *T. Laevius* FLAMEN. SAC. Q. nimirum *Sacerdos quinquennalis*. Imo & *Romæ* hæc dignitas quinquennio definita; nam pag. 261. 4. *Albinus* dicitur MAGISTER. ET. FLAMEN. QVINQVEN*nalis*. Eadem consuetudo Collegiis & Corporibus artificum usurpata, quorum unus Magister & in summo actu erat, & quidem lustrali seu quinquennii spatio, ut *in l. 7. de Pistor.* & *l. 9. de Suariis Cod. Theod.* Unde Magistri *quinquennales* & *quinquennalicii*, qui per lustra creabantur. *Pag.* 252. 6. MAGISTRI. QVINQVENNALES. COLLEGI. FABRVM. TIGNAR. LVST. XIII. & *pag.* 126. insignis est lapis Ordinis Corporatorum, ubi singula quinquenniorum intervalla Quinquennalium adnotantur. Alia exempla coacervat Jacobus Gothofredus ad *d. leg. 7. de Pistoribus*. Cum itaque in Collegiis tam sa-
364 cris quam profanis mos fuerit quosdam cooptare, seu Sacerdotes seu Magistros, ceteris Collegis digniores, qui ad quinquennium durarent, ideo Quinquennales dicti, non video cur etiam in nostrâ coloniâ *Forojuliensi* atque in aliis, unus aliquis statui nequeat *Pontifex Quinquennalis*, qui inter ceteros Pontifices præcipuus Sacra in quinquennium curaret. Quocirca hac de re, si tantum liceat, sic statuo: Cum conjuncta in vetustis monumentis hæc vocabula, PONT. QVINQ. offendimus, tunc una est dignitas, quæ *Pontificem Quinquennalem* designat. Si ea leguntur utcumque distincta, diversos honores & munia indicant. Ita *in Mediolanensi*, *pag.* 479. 8. C. Valerius *Pontifex* erat, *Sacerdos juvenum Mediolanensium*, & denique *Quinquennalis*. Et *pag.* 394. 7. ubi *Cominius* scribitur PONTIF. ET. QQ. Pontificatus & Quinquennalitatis munera demonstrantur. Quæ exempla vir doctissimus attulit, ut in nostrâ notâ PONT. QVINQ. distinctas dignitates quæreret.

Post Collegium Pontificum, ex quorum numero delectum hucusque vidimus *T. Vettidium* Pontificem quinquennalem, Collegium aliud Sacerdotum *Augustalium* in nostrâ coloniâ FOROJULIENSI stetisse, ex primo sepulcrali Epigrammate *pag.* 335. adducto cognoscimus. Ubi enim detritus est lapis, supersunt hi characteres ...II. AVG. qui supplentur hoc modo: IIIIII. AVG. nempe *Sevir Augustalis*. Inde in sexta linea *Fabius Verecundus*, Phileti filius, expresse dicitur AVGVSTALIS; & demum in octavâ idem Philetus IIIIII. *Sevir* est nuncupatus. Sodalium Augustalium originem confert Tacitus *Lib. I. Ann. Cap. LIV.* in annum U.C. DCCLXVII. quem *novas cæremonias* accepisse narrat, *addito Sodalium Augustalium Sacerdotio*, cui primum adscripti fuerunt è primoribus Civitatis unus & viginti, ipseque *Tiberius* Cæsar. Exemplum sequutæ coloniæ partim adulandi calliditate, partim ambitionis sensu, collegia seu corpora Augustalium Sacerdotum, inter quos sex primum nominati, ut ostendit Card. *Norisius*
365 in Cenotaph. Pisan. Diss. I. Cap. VI. *Seviri Augustales* dicebantur, instituerunt. Qui præterea demonstrat *Augustales* fuisse *Sacerdotes*, neutiquam vero Magistratus juridicundo, ut scripserat *Reinesius*, à quo etiam discedit Valerius Chimentellus *in* eruditissimo *Volumine de Honore Bisellii ad Marmor Pisanum Cap. XL.* Inter optima argumenta, præter *Taciti* testimonium, illud est, quod jurisdictio nunquam demandabatur Libertis, quos honore Augustalitatis potitos passim in saxis literatis legimus, & nostrum quoque ostendit. Unde vanus est timor *Baudelotii de Dairval*, qui in libello Gallico, *Utilité de Voyages* inscripto, *Tom. I. pag.* 238. dubitaverat *libertum* vocare *Licinium*, quem *Augustalem* dicit inscriptio ibidem producta, *cum Augustalitatis honor*, inquit, *nonnisi ingenuis sit tribuendus*. Addam hoc loco inscriptionem *Concordiensem*, quæ Libertum simulque *Augustalem* prodit, *ex schedis Vaticanis* apud *Fabrettum pag.* 672.

A. RITIVS. A. L. TERTIVS. AVGVSTALIS
TESTAMENTO. VIAM STERNI. IVSSIT
IN. QVOD. OPVS. EROGATA. SVNT. HS. XXX.

Vir idem doctus, *pag.* 405. Sacerdotium probari ait ex ipso Augustalitatis honore feminis collato, ut plura exempla docent: feminis namque jurisdictio, sed non Sacerdotium interdicebatur. Ex corpore Augustalium in Coloniis sex primum nominati, ut dixi, *Seviri Augustales* appellabantur; secus ac statuit *Velserus*, qui *Lib. V. Rerum Vindelic. pag.* 275. *postremæ editionis*, scribit, *Augustales* tantummodo *sex* in unoquoque corpore fuisse. Quod ex nostro quoque lapide discimus, ubi Fabius Verecundus *Augustalis* nuncupatur, unus scilicet ex collegio Augustalium; homo vero, cujus nomen exedit vetustas, in eodem collegio Forojuliensi *Sevir Augustalis* erat. Quod nomen *Seviri* absque notâ Augustalitatis exsculptum, adhuc Augustalitatem recondere putarunt viri docti, 366
quos retuli. Horum auctoritatem non ausim sollicitare, quamvis noster lapis secus suadeat, in quo cum scalptor in tertiâ lineâ notam *Augustalitatis* adjecerit, quam omisit in octava, *Seviratum* hunc Augustalitate destitutum diversam fuisse dignitatem à priori Seviratu Augustali videtur indicasse. Eundem *Seviratum* solitarie expressum ostentat lapis Forojuliensis *C. Vellæi*, quem iterum produco.

C. VELLAEVS. Ɔ. L. EROS
SEX. VIR. ARAM. SEDILIA
STRATVM. DAT

Mirum profecto mihi est, in inscriptionibus *Aquilejensibus*, quarum uberrimam collectionem apud me esse superius memoravi, frequenter *Seviros* occurrere, at nullo uspiam *Augustalitatis* charactere honestatos. Haud equidem crediderim, Augustalium Collegio caruisse coloniam adeo illustrem, *Romanis*que moribus & religione imbutam, quæ cum præ ceteris *Augustum* Cæsarem impense coluerit, *restitutorem* suum, imo & *conditorem* testata in insigni lapide apud *Gruterum pag.* 152. 4. quemque semel atque iterum urbis amœnitate delectatum præsenti obsequio & veneratione prosequuta est, sacra etiam in ejus honorem & cultum instituta inter primas suscepisse, non est ambigendum. Quamobrem ubicumque in saxis *Aquilejensibus* IIIIII. VIR. aliquis nominatur, nullâ additâ Augustalitatis notâ, eum nihilominus Augustalem fuisse, & ex sex primis inter Augustales facile conjicio. Ejusmodi octo exempla videre poteris in inscriptionibus mihi superius productis *in Dissertatione de Beleno & Diis Aquilejensibus*, *pag.* 263. 265. 270. 301. 304. & 314. Binas præterea hic subjicio, quarum prima una est ex translatis *Venetias* in ædibus *Grimanis*, secunda *Aquilejæ* extat ad *S. Cosmæ*.

L. A-

367 L. ACESTIO. L. L
SATVRNINO
IIIIII. VIRO
STATILIA. TIMELE
VXOR. FECIT

TIB. CL. ASIANVS
IIIIII. VIR. AQVIL
TVTILIAE. MADAMAE
CON

At *Forojuliensis* colonia instituto in honorem *Augusti* Cæsaris Augustalium Collegio, addidit quoque *Flaminem Augustalem*. Extat apud *Gruterum pag.* 370. 1. inscriptio posita *Sex. Aulieno* FORO. JULI. FLAMINI. AUGUSTALI. Nostrum hoc esse *Forum Julii*, non *Gallicum*, indicat ipse lapis *Venafri* urbe *Italiæ* collocatus. Ad coloniæ dignitatem pertinet, quod ævo *Augusti* & *Tiberii*, ut notatur in inscriptione, Sacerdotio *Flaminico* fuerit decorata, Flaminemque suum instituerit *Aulienum*, tot functis muneribus, quæ eidem inscriptioni recensentur, illustrem. *Flamen Augustalis* Sacra Augusti, *oppidatim inter deos* consecrati, ut ait Appianus *Lib. V. Bell. Civ. pag.* 746. curabat; unusque erat in coloniis, distinctus à Collegio Augustalium, secus ac censuit Petrus de Marca *de Primatu Lugdun. num.* 58. Non ausim de hoc Flamine plura dicere, cum enim Em. Norisius *ad Cenotaph. Pis. Dissert. I. Cap. IV.* argumentum more suo profusâ eruditionis copiâ pertractaverit, metam ingeniis posuit.

Prima inscriptio *Forojuliensis* nos revocat, ut *T. Vettidium* alterius *Vettidii* filium, EQVO PUBLICO ornatum contemplemur. Profertur simpliciter absque verbo, quod genus loquendi frequens in saxis. Sicut enim ut observat *Salmasius* ad Capitolinum *in Vita M. Antonini Cap. IV.* aliquis *Consularibus ornamentis* esse dicitur, cui consularia ornamenta delata sunt, ita homo *equo publico* appellatur, pro *equo publico ornatus*, vel *honoratus*, seu tandem *donatus*, quas formulas usurpatas in vetustis monumentis invenies. Nota hæc dignitatem equestrem præsignat; & proinde *T.*
368 *Vettidius* ex Ordine equestri in colonia *Forojuliensi* erat, uti adnotavit Card. Norisius *ad Cenot, Pisan. Diss. I. Cap. III.* Nam colonias & municipia hunc Ordinem habuisse celeberrimum, non dubitat Sigonius *de antiq. Jure Italiæ Lib. II. Cap. VIII.* Equitum Romanorum *Puteolis*, & *Teani Apuli*, & *Lucretiæ*, & *Arpini* mentio in Ciceronis *Cluentianâ*, *Cælianâ*, & *in Epistolis* invenitur. Alia exempla addit vir idem purpurâ & doctrinâ insignis, ex Planciana *num.* 8. & 26. Cæsare *Lib. III. de Bell. Civ. Cap. LXXI.* Plinio *Lib. I. Epist. XIX.* Strabone *Lib. III. pag.* 116. & Suetonio *in Aug. Cap. XLVI.* Hos equites propterea *Municipales* vocat Juvenalis *Sat. VIII. vers.* 237. Itaque in nostrâ coloniâ Ordo equestris præfulgebat; ejus enim civem fuisse *Vettidium* hunc Equitem, patri *Vettidio* tribus *Scaptia* in eodem elogio attributa manifestat. Illustrem alium Equitem prodit hoc quoque epitaphium, quo *Cæciliam* nobilissimam gentem *Fori Julii* incolam agnoscimus.

CAECILIO. RVFINO. EQV. Q. CAECILII
RVFIN. PRAEF. FIL. QVI. VIXIT
ANN. X. D. XXIIII. AVRELIA
GEMELLINA. MATER. F
INCOMPARABILI. POS

Olim ad januam majoris Ecclesiæ, Locatellus ex Macheropio.

Observatione dignum est, *Rufinum* decennem inter Equites adscriptum. In 4. pag. 1026. *Sex. Gavium Proculum*, qui vixerat annos XVI. *equo publico transvectum* intuemur. Et apud *Capacium*

A *Lib. I. Hist. Neap. C. X.* lapis est positus C. Velejo *honorato equo publico ab Imp. Antonino Aug. cum ageret ætatis an.* V. & M. Antonino *sexenni* honorem *equi publici* ab Imp. *Hadriano* delatum refert Capitolinus *eodem Cap. IV.* Porro *Cæcilii* pater Q. Cæcilius *Præfectus* dicitur: at quo genere Præfecturæ fuerit functus, quadratarius nos ignorare voluit. Memorant pridem in *Butrio*, qui pagus est sexto ab urbe *Forojuliensi* lapide, detectam sepulturam quandam latericiam, in qua condita erat urna, lachrymales ampullæ & cultri, cum 369
inscriptione, Q. CAECILIUS. Quisane is est, de quo loquimur.

Hisce fortasse plus æquo prolixius disputatis,
B urbem nostram FOROJULIENSEM, coloniam fuisse demonstravimus. Præter enim *Ptolemæum*, summæ inter veteres Geographos auctoritatis Scriptorem, ipsa lapidum testimonia, gravis profecto & immotæ fidei calculum adjiciunt. Siquidem eam urbem, in qua omnes Coloniarum Magistratus & Sacerdotia, Quatuorviros, Pontifices majores & minores, Collegium Augustalium, & Flaminem comperimus, quis à Coloniæ *Romanæ* juribus, & dignitate dejecerit? Neque hæc sane humilis, vulgarisque dignitas atque honor, opi-
C dulis quibusque in *Romano* Orbe communis, & magistratus ipsi è viliorum hominum militumque turbâ coaliti, ut nonnullis parce antiquitatem versantibus placuit. Docti viri quamplurimi, qui urbes patrias scriptis illustrarunt, ab appellatione coloniæ decus iis quæsitum arbitrati sunt. Hos inter cum primis numerandus *Marcus Velserus*, suam Augustam coloniam militarem facere non erubuit, *Lib. IV. Rer. Vindelic.* & *Vincentius Borghinus* eos, qui militaribus coloniis, quas inter *Florentiam* collocat *Frontinus*, labem inferre conati sunt, justâ dissertatione confutavit, *Tom. I. Originum Florentin. à pag.* 421. Piget nobilissimas
D Urbes referre, in quas *Romanus* populus, & sequuti Cæsares colonias intulerunt; quæ sæpius, uti observat clarissimus Spanhemius *in Dissertatione* centies laudatâ *de usu* & *præst. Numismatum pag.* 57. eædem Metropoles & Coloniæ erant; passimque conjunctam videre est utramque prorogativam in nummis *Antiochiæ*, *Tyri*, *Sidonis*, *Damasci*, aliisque pluribus. Nec coloniis splendidissimis ea appellatio dedecori fuit, cum numismata percusserunt, quibus natales suos concelebrabant, insculpto colono, seu Sacerdote aratrum junctis bobus agente, quod deductæ coloniæ symbolum
E est. Ne putes tantummodo penes nomen & prærogativam colonias vocatas; nam vere colonos in- 370
ductos eadem symbola demonstrant. Hujusmodi sexcenta exempla apud antiquarios spectare licet. Hinc in memoriam Conditorum, ut collata ab ipsis colonica jura & ornamenta testarentur, se *Beatas* ac *Felices* in nummis & lapidibus inscribebant, atque Cæsarum conditorum cognomina affectabant; unde quamplures Coloniæ *Juliæ*, *Augustæ*, *Flaviæ*, *Æliæ*, *Antoninæ* nuncupatæ sunt. Summo honori refert *Tacitus* quod *Puteoli* jus coloniæ quæsiissent Lib. XIV. Ann. Cap. XXVII. *At in Italia vetus Opidum Puteoli jus coloniæ &*
F *cognomentum à Nerone adipiscuntur.* Profecto qui militarium coloniarum dignitatem labefactare nititur, is in antiquitate omnino hospes esse videtur. Quid enim si & obscuri nominis opida; cum militibus colonis aucta essent, ad amplissimum dignitatis & splendoris gradum evecta censebantur? Do testem locupletem Strabonem Lib. III. pag. 141. *Hispalis claret, ipsa quoque Romanorum colonia. Ac nunc quidem emporium ibi durat: honore autem, & recenti militum Cæsaris eo missorum inhabitatione Bætis præcellit, quamvis non splendide condita.* Neque *Appulejus*, quod *Madauræ* patriæ tri-

tribueret, præclarius elogium invenit, Apologiâ I. *Veteranorum militum novo conditu, splendidissima colonia sumus.* Et sane non video, quid splendoris aut honestamenti coloniis, etiam militaribus, defuerit, quas Augustus *jure ac dignatione Urbi quodammodo pro parte aliquâ adæquavit*, teste Suetonio *de* ejus *Vitâ Cap. XLVI.* Unde illustre illud est elogium Agellii *Lib. XVI. Cap. XIII. in fin.* quo non majus aliud, aut præstantius ad earum dignitatem fingi potest, *propter amplitudinem, majestatemque populi Romani, cujus istæ coloniæ quasi effigies parvæ, simulacraque esse quædam videntur.*

Hinc conjicias, an Ordo Decurionum, atque ex his delecti ad magistratus obeundos viri, projectæ fuerint conditionis & notæ. Cum coloniæ *Romanæ* ducerentur, ex quolibet ordine cives descriptos satis constat. Militares *cum signis & aquila, & primis ordinibus, ac tribunis dedu-*
371 *cebantur*, ait Hyginus de Limit. pag. 160. edit. Goesii. *Universæ* scilicet *legiones cum tribunis & centurionibus*, ex Tacito *Annal. XIV. Cap. XXVII.* Milites omnes cives *Romani*, aut Civitate donati: Centuriones sæpius ex ordine equestri, nonnunquam & ex Familiis patriciis; Tribuni eo digniores & nobiliores. Quod evolventi potissimum vetustos lapides patere potest. Ubi plures quoque donati equo publico, quæ equestris dignitas est, occurrunt. Cum ab *Augusto* milites in *Siciliâ* missionem peterent, hic pollicitus est unicuique suis in coloniis *Senatoriam*, seu *Decurionis dignitatem*, ex Appiano *Lib. V. de Bello Civ. pag.* 744. Sane Decurionum ordo in coloniis sæpius *Senatus*, & Decuriones *Senatores* dicti. *In secundâ* & *quartâ* Ciceronis *Verrinâ* coloniæ plures *Sicilienses* eâ amplissimâ appellatione decorantur. *Senatorius ordo Puteolanorum* est apud Tacitum *Annal. XIII. C. XLVIII.* quamquam eam vocem expungere tentaverit *Ryckius* in Notis. Idem historicus memorat transisse *Rhenum* centum tredecim Treverorum *Senatores*, *Hist. V. Cap. XIX. & Corbulonem* Frisiis imposuisse *Senatum*, Annal. XI. C. XIX. Apud *Rhemos* idem nomen, ex Cæsare *de Bello Gall. Lib. II. Cap. V.* Atque ut exemplum a proximâ coloniâ & finitimâ advocemus, Latinus Pacatus *in Panegyrico ad Theodosium* laudat apud Hemonam *conspicuos veste niveâ* SENATORES. Neque angustioris fortunæ homines inter Decuriones accensebantur, sed quibus centum millium nummûm census erat, ex Plinio *Lib. I. Epist. XIX.* Unde Imperator *in leg.* 53. *de Decurion. C. Theod.* eos tantum cives deligi jubet, *quos ad Decurionum subeunda munera splendidior fortuna subvexit.* Eam legem erudite exornaxit *Jacobus Gothofredus.* In lapidibus sæpe memoratur *Senatus* municipalis, ut *Tiburtinus*, *Nolanus*, *Signinus.* Evolve magnum *Gruteri Thesaurum:* ubi etiam occurrit *Amplissimus*, & *Splendidissimus*, ordo coloniarum, quo titulo *Aquilejensem* ornatum vidimus. Jam equestrem Ordinem honestasse colonias, superius osten-
372 debam. Porro magistratus primi Ordinis ad dignitatis splendorem, & *Romanæ* majestatis imitamentum, fasces præferebant, saltem post primum Imperatorum seculum, uti adnotavit idem Gothofredus *ad l.* 174. *tit. eod.* & togæ prætextæ usu decorabantur.

Ceterum cum *Aquileja* urbium maxima & florentissima famam hominum, Scriptorumque studia occupasset, vicinæ coloniæ *Forojuliensis* obscurior memoria, nomenque fuit. Præter lapidem illustri charactere Sacerdotii Flaminici ad tempora *Augusti* & *Tiberii* insculptum, de quo supra *p.* 367. *Forojulienses transpadanos* vix in transitu memorat Plinius *Lib. III. Cap. XIX.* Ptolemæus magnificentius *Forum Julii* coloniæ titulo exornat. An Plinius junior *Lib. V. Epist. XIX.* Paulini prædia, quæ *Forojulii* possidebat, laudans, ad no-
A strum respexerit, merito quispiam quærat. *Joannes M. Catanæus* in Notis ad hunc locum, *Plinium* loquutum fuisse de *Forojuliensibus*, cognomine *Concubiensibus*, in *Umbriâ*, quorum est mentio apud Plinium majorem *Lib. III. Cap. XIV.* nullo argumento aut conjecturâ innixus autumat. Mihi nec studium erga patriam, nec *Catanæi* auctoritas tanti est, ut verear neutrum dicere, sed *Forum Julii* in *Galliâ.* Hanc urbem patriam fuisse *Valerii Paulini*, qui bello *Vitelliano* Civitates *Galliæ Narbonensis* in verba *Vespasiani* adegerat, tradidit Tacitus *Hist. III. Cap. XLII. & XLIII.* Ratio temporum monstrat, hunc ipsum eum esse *Paulinum*,
B ad quem *Plinius* scribit. Prædia ergo *Forojuliensia* eidem memorata rectius conjeceris ea fuisse, quæ *Paulinus* in patrio solo possidebat. Præterea in hæc prædia destinaverat *Plinius* mittere *Zosimum* libertum suum, qui instanter pronunciando, dum, inquit, *nimis imperat voci, veteris infirmitatis tussiculâ admonitus, rursus sanguinem reddidit*, audieratque ab ipso Paulino esse *ibi aërem salubrem, ac lac hujusmodi curationibus accommodatissimum.* Huic morbo docent Medici frigidum esse inimicum: Hippocrates *Lib. V. Aphor. XXIV.* aptum vero cœlum *densius*, Cornelio Celso *Lib. III.* 373
C *Cap. XXII.* Unde veteres hujusmodi ægros mittere consueverant *Alexandriam Ægypti*, ut eo loco innuit *Celsus*, non solum propter navigationem, sed etiam propter cœli illius constitutionem, quod adnotavit Mercurialis *Lib. II. de Affectionibus Thoracis Cap. III.* ipsumque *Zosimum* illuc antea miserat *Plinius*, unde *nuper confirmatus* redierat. Nequaquam igitur verosimile est, *Zosimum* destinatum ad nostros *Forojulienses*, aut in *Umbriam*; utrobique enim ob loca montana aër purus est & frigidus, Aquilonibusque perflatus; sed potius *Forojulii* in *Gallia*, quæ urbs maritima ob navigationem, & densiorem aërem aptior
D erat curandæ ejus ægritudini. *In aliâ Epistolâ ad Paulinum*, ut hoc quoque obiter moneam, *Lib. IX. Ep. XXXVII.* se excusat *Plinius*, quod *Romæ* esse nequeat, ut illum *Calendis Consulem* videat. *Jo. Fridericus Gronovius* in Notis, Calendas Januarias has esse putat. Sed falso. Nam Calendis Januariis Consules ordinarii magistratum inibant. Nullus vero Consul ordinarius eo nomine ad hæc tempora in fastis occurrit. Arbitror hunc esse *M. Lollium Paulinum Valerium Asiaticum Saturninum*, tot nominibus per adoptionem quæsitis, quem Consulem suffectum cum *C. Antio Julio Quadrato* A. U. DCCCXLVI. Chr. XCIII.
E sub Imperio *Domitiani* reponit Panvinius *in Fastis Lib. II.* Quod par Consulum signatur in lapide *Gruteriano pag.* 574. 6. Itaque Calendæ, de quibus *Plinius*, alterius omnino mensis, quam Januarii, sunt intelligendæ.

Porro *Aquilejâ* excisâ A. C. CCCCLII. cum, teste *Diacono*, quem superius recitavi, in ejus locum caput regionis *Forum Julii* haberetur, è latebris suis paullatim emersit. Theodoricus Rex *honoratis possessoribus & curialibus* FOROJULIENSIBUS scribit, ut *ad Alsuanum* (forte *Alsam* fluvium prope *Aquilejam*) trabes devehant, apud Cassio-
F dorum *Variar. Lib. IV. Epist. VIII.* qui dum Præfectum prætorio ageret, *vinum & triticum quod in apparatu exercitus ex Concordiense, Aquilejense, &* FOROJULIENSE *civitatibus* colligi jusserat, ob provinciæ sterilitatem remittit, *Lib. XII. Epist.* 374
XXVI. Anonymus Ravennas, quem ante duodecim annos publici juris fecit *Placidus Porcheron* è Congregatione Parisiensi *S. Mauri*, notisque illustravit, *Lib. IV. pag.* 203. & 205. post *Aquilejam* reponit *Foro-Julio.* Sripsit hic auctor *Geographiam* suam a sexto ad septimum sæculum, ut conjicit illustris idem editor. *Longobardis* in *Italiam*

irruentibus anno epochæ ChristianæDLXIX. cum *Alboinus* novi Imperii exordia poneret, primo & nobilissimo Ducatui *Forojuliensi* instituto *Gisulphum* præfecit, sedemque principatus in ipsâ urbe *Forojulii* stabilivit. Inde Ducum *Forojuliensium* celebris in *Longobardorum* historiâ, quam *Paullus Diaconus* prosequutus est, fama, atque ipsius Civitatis nomen inclaruit; quæ ab ipso *Paullo* nunc *Civitas Forojuliana*, rursus *Opidum Fori Julii*, demum & *Castrum Forojuliense* vocatur. Tunc quoque aucta est Civitas dignitate, cum à castro *Juliensi* sedes Episcopalis illuc translata, postea illustriori accessione Patriarchas *Aquilejenses* recepit. Nam *Callistus* Episcopo *Amatore* expulso, domicilium in eâ urbe regionis principe statuit, & insequuti ad undecimum usque seculum Patriarchæ. Per hæc tempora tum *Forum Julii*, frequentius novo vocabulo *Civitas Austria* appellata est, atque in avorum memoriam retinuit. Nominis originem, in qua indagandâ nostri Scriptores immaniter aberrarunt, *Justus Fontaninus* in eleganti Dissertatione epistolari *delle Masnade*, quod genus servorum apud nostros *Forojulienses* fuit, nuper felici conjectatione detexit. Cum *Longobardi* sedem Imperii in urbe *Ticinensi* fixissent, eam regionem *Italiæ* postremam, provinciam scilicet *Forojuliensem*, quod ad plagam orientalem posita esset, AUSTRIAM nuncuparunt. Eo modo quo *Austria* & *Austrasia* ea pars *Galliæ* dicta, quæ ad Orientem erat, unde etiam *Orientalis Francia* appellabatur. Consule absolutissimum Glossarium du Cangii verb. *Austria*.

375 In Codice *Legum Longobardorum* apud Lindenbrogium *Lib. II. tit.* 21. §. 24. hæc decernit Luitprandus rex: *& si per dies triginta pignora ipsa, aut debitor, aut fidejussor recolligere neglexerit, si in* AUSTRIA, *aut in Istria fuerit &c.* & tit. 55. §. 14. *Qui de longinquo sunt, quomodo de Tuscia, & de* AUSTRIA *per noctes XXIV. quærat alium Sacramentalem, quem in loco ipsius ponat.* quæ loca *Forojuliensem* provinciam omnino indicant, quæ *Istriæ* contermina est, nec uspiam in *Italiâ* regionem aliam *Austriam* appellatam reperimus. In vetusto Hymmo *S. Hermagoræ* hæc leguntur.

Sublimet Aquilegiam
Urbem, fovendo Austriam.

Atque in ejusdem actis Aquileja *Austriæ provinciæ urbs* dicitur. Quam vocem importune refixit *Tillemontius*, & *Histriæ* legendum putavit, *in Historia Imperatorum* Gallice script*Tom. I. Not. III. ad Neronem.* Addo egregium testimonium Paulli Diaconi Lib. V. Cap. XXXIX. *Quod ille audiens*, de Alachi Tridentinorum Duce loquitur,... *per Placentiam* AUSTRIAM *rediit, singulasque civitates partim blanditiis partim viribus sibi socias ascivit.* Hinc narrat, *Vincentiam* & *Tarvisium* transgressum *Alachin*, ad pontem *Liquentiæ* omnes à *Forojulii* venientes (de urbe intelligit, quam paullo ante à ponte *Liquentiæ* quadraginta octo millibus distare dixerat) sacramento adegisse. demum, subdit historicus, *cum omni Alachis* AUSTRIA... castra posuit. Igitur *Austria* provincia est *Forojuliensis*, & pars *Venetiæ* eidem contermina, quas *Alachis* in societatem diversis artibus traxerat. Inde ergo *Forojuliensi* urbi nomen acceptum. Nam quod provinciæ, quæ *Austria* à *Longobardis* appellabatur, caput & princeps esset, post *Aquilejam* dirutam, ut ex *Paullo* didicimus, ideo *Civitas Austria* nuncupata est. Utriusque nominis profero locupletissimum testimonium ex tabulario nostræ *Forojuliensis* Ecclesiæ, vetustis superiorum temporum chartis refertissimo. Diploma authographum est *Henrici VI.* Imp. ann.
376 MCXCV. ad *Peregrinum* Patriarcham, quod datum legitur, *in Civitate* FORI JULII, *quæ dicitur* AUSTRIA. Hinc falsus est Palladius junior, qui *Part. I. Histor. Forojul. Lib. VI.* Civitatem ait cognomen *Austriæ* simul cum imperio *Octocari* Ducis *Austriæ* accepisse anno MCCLXXII. Itaque cum certum sit, nostram urbem *Civitatem Austriæ* appellatam, eadem illa est, quæ olim *Forum Julii* dicebatur. In charta *Caroli Magni*, quam profert *Fontaninus*, anno DCCCI. *Paulino* Patriarchæ directa, memoratur *Xenodochium, quod Dux Rodualdædificavit in* FORO JULII *vocabulo S. Johannis.* Adhuc apud nos est Ecclesia sub eodem titulo *S. Johannis in Xenodochio.* Ludovicus & Lotharius Impp. anno DCCCXXX. Monasterium Virginum *S. Mariæ in Valle* situm *intra muros Civitatis* FOROJULIENSIS juribus Patriarchæ *Maxentii* addicunt. Anno MXV. *Johannes* Patriarcha Præposito & Capitulo *S. Stephani* in Civitate FORI JULII villam, seu pagum frequentissimum *Præmariaci*, qui adhuc sub ejus ditione est, donat. Utriusque Chartæ exempla videre est in eodem tabulario. At ubi gentium uspiam est Monasterium *S. Mariæ in Valle*, quod hodie quoque eo nomine insignitur, aut Capitulum *S. Stephani*, quàm in nostrâ Urbe? Porro simplici vocabulo fuit quoque appellata CIVITAS, *per excellentiam*, ut ait *Cluverius*, tanquam regionis caput. Sexcenta hujusmodi exempla in nostris Chartulariis prostant. Bina indico juris publici, alterum apud Ughellum *Italiæ Sacr. Tom. V. col.* 712. secundum apud doctissimos *Continuatores* Bollandi *Tom. I. Junii pag.* 783. Hinc *Civitas* corrupto nomine apud nostrates in *Civitat*, & *Cividat* abiit, quæ ad politiorem *Italicæ* linguæ modum traducta, demum CIVIDALE *del Friuli*, ut ab alio *Cividale* Bellunensi distingueretur, vocata est. Hoc nomine pridem quoque, antequam *Austria* diceretur, nuncupatam scribit eodem loco *Palladius* junior. Innumera, quotquot supersunt, eorum temporum monumenta securus appello, in quibus nusquam *Ci-* 377
vidale occurrit, ubique vel *Forum Julii*, aut *Civitas*, seu *Civitas Austria*, & incolæ *Civitatenses*. Hinc alter *Palladius*, cui æque hæc nomina moleste in aures insonabant, historiam suam purioris latinitatis laude commendatam, maluit barbarismo inficere, nostram urbem passim vocando *Cividale*, incolasque *Cividalenses*, quam antiquioris nomenclaturæ dignitatem fateri.

At nolim, dum vasa colligo, rursus in campum vocari, & *Forum Julii* alio traductum, ut memoravi *pag.* 323. invidiosâ concertatione in suas sedes vindicare. Satis erunt apud æquos æstimatores, quæ retuli. Plura certe proferre possem; sed olim confecta res est, quam ulterius nequaquam solicito, ne caussam jam in tuto positam videar importuna defensione corrumpere. Tantum monitos cupio, quibus otii aliquid ad has municipales controversias superest, quæstionem hanc de *Forojulio* sub initium exspirantis seculi fuisse excitatam, occasione apud nostrates in vulgo notâ; cum ante id temporis nemini unquam Scriptorum *Utinensium* in mentem venerit, alibi quam in nostrâ urbe *Forum Julium* quærere. Proferam aliquas ex ipsis Civibus *Utinensibus*, summæ, dum viverent, apud eosdem auctoritatis, & præcipui nominis testes, fideique incorruptæ, utpote quos studia postmodum exorta atque affectus, novusque contentionis amor nondum fregerat. *Primum omnium inter Scriptores *Utinenses* profero *Jacobum* Canonicum *Aquilejensem*, qui quo antiquior, eo incorruptior in tradenda Civitatis *Austriæ* vetustate censeri debet. In *Codice MS.* Reginæ Sueciæ *num.* 1878. qui nunc in Bibliotheca *Va-*

* *Quæ hic usque ad asteriscum* pag. seq. *leguntur, in calce prioris editionis habebantur; eaque huc locanda, Auctor ibidem monebat.*

Vaticana asservatur, extat ejus erudita *Epistola de Antiquitate*, & *Præstantia Aquilejæ* ad Equitem *Franciscum Barbarum*, Patriæ *Forijulii* Locumtenentem, scripta, in qua de Opido à *Gallis* exstructo; cujus nobis mentio fuit *pag.* 323. loquens, hæc habet: *Quis autem locus ille fuerit à* Gallis *ædificatus, cognoscere pulchrum esset. Plura Opida hæc Patria intra se continet; verum duo extant, quæ & magnitudine & auctoritate longe ceteris præstant:* Utinum, & Austriæ *Civitas.* Utinum, *post ruinam* Aquilejæ *ab* Attilà *initium cœpisse, Annales nostri affirmant. Civitas vero non modo* Utinum; *verum etiam alia opida antiquitate vincit. Ob id igitur conjecturari potest, opidum à* Gallis *conditum, Civitatem* Austriæ *esse.* Videat *Palladius*, quæ opinio ante excitas turbas de utriusque urbis vetustate apud suos vigeret. Porro *Jacobus* vivebat ad annum MCCCCXLVIII. quo Provinciam *Forojuliensem* moderabatur *Barbarus*, ad quem data est Epistola. Præclara ejus est mentio apud Blondum in regione X. Italiæ pag. 386. *Habet nunc Utinum Jacobum civem & Aquilejæ Canonicum eloquentia ornatissimum.* * Joannes Candidus, qui primus *Commentarios Aquilejenses* in literas misit typis *Venetis* ann. MDXXI. ingenua nobilitate spectatus, & animo juxta ac nomine candidus, *JULIUM Castrum*; ait Lib. I. pag. 3. *modo* est *Civitas Austriæ*, quam FORUM JULIUM rursus vocat Lib. III. prope finem. *Quinctius Æmilianus Cimbriacus* Poëta insignis, dum literas humaniores apud nos doceret, amico *M. Antonio Sabellico* scribit *ex JULIO*, inter ejusdem *Sabellici* Epistolas I. Lib. IV. Marquardus de Susannis celebris J. C. *in tractatu de Judæis secundæ impressionis Venetæ ann.* MDLXVIII. quem etiam insertum invenies inter *Tractatus* ma-
378 gnos *Juris T. XIV. pag.* 70. de *Attilâ* loquens, *Part. III. Cap. XII.* post *Aquilejam*, inquit, *destruxit omnes terras & castra; & inter cetera Castrum* FORIJULII, *quod nunc Cividatum appellatur.* Idem *Sabellicus* haud sane patria *Utinensis*, sed qui *Utinensium* stipendiis humanitatis præcepta in ea urbe tradidit, in quâ porro exornandâ atque extollendâ studium operamque summam ingenii posuit; Scriptor si quis alius; ut elogio *Palladii* utar, in perquirendis & dignoscendis antiquitatibus peritissimus, semel iterumque *Lib. I. de Vetustate Aquilejæ pag.* 207. & *Lib. IV. pag.* 227. *Tom. IV.* affirmat, FORUM JULIUM *fuisse, quod nunc peculiari nomine* Cividatum *appellant.* Adeo nil cogitans de *Utino*, ut ubique eam urbem *Unnium* vocitet, conscripto quoque eleganti Carmine de ejus Origine, quam ab *Unnis* & *Attila* accersit. Auctor hic labente XV. seculo volumina sua edebat. Addam par alterum Scriptorum *Utinensium*, quorum opera typis vulgata non sunt. Primum laudo nobilitate & literis clarum, *Jacobum Valvasonum*, qui in descriptione *Forojuliensis* provinciæ disertis verbis scripsit sub annum MDLIII. *Cividale è chiamato da Tolomeo, e Paolo Diacono Foro di Giulio.* Antonius Bellonus, cujus industriæ & beneficio integra *D. Leonis M. Opera*, quæ demum *Paschasius Quesnellus* ante annos XXV. in Gallia edidit, debemus, Vitas Patriarcharum *Aquilejensium* brevi stilo exaravit. Is, quæ gesta commemorat *Paullus Diaconus* ab ipsis Patriarchis & *Longobardorum* Principibus in Civitate, seu Castro *Forojuliensi*, semper Civitati *Austriæ* tribuit. Quo manifeste declaravit, se *Forum Julii* non aliam quam nostram urbem putasse. Fuit *Candido* æqualis.

Si exteris Scriptoribus rem agere vellet *Palladius*, qui in uno, aut altero triumphum canit, quibus in aliud intentis *Utinum* pro *Forojulio* oscitanter excidit, tot tantosque, numero, auctoritate, & doctrinæ merito illustres, producerem, ut cum sane pœniteret excitatis testibus vadationem stitisse. Unum tamen non prætermittam, qui dignitatis nomine, & doctrinæ famâ omni exceptione major, futilia quæ in adversum jactan- 379
tur argumenta, uno veluti ictu retundit. Is est Cardinalis *Norisius*, qui in Dissertat. de V. Synodo Cap. IX. §. 4. ita loquitur: *Henricus Palladius Lib. IV. Rerum Forojul. contendit Utinum est Forum Julium. Mihi tamen hæc opinio probari nequit; nam Paullus Diaconus civis Forojuliensis Lib. V. Cap. XXIII. de Gestis Longobard. de Sclavis scribit:* Congregata valida multitudine voluerunt super *Forojulianorum* castrum irruere. Et venientes castra metati sunt in loco, qui *Broxas* dicitur, non longe à Forojulio. *Cum vero Vectaris Dux provinciæ cum paucis contra barbaros moveretur, ait:* Quem *Sclavi* cum paucis venire conspicientes irriserunt dicentes, Patriarcham contra se cum Clericis adventare: Qui cum ad pontem *Natisonis*, qui ibidem est, ubi *Sclavi* residebant, propinquasset, cassidem sibi de capite auferens, vultum suum *Sclavis* ostendit. *Ex his constat, Utinum non esse antiquum Forojulium, longius enim abest à Natisone Fuit autem Forum Julium urbs provinciæ quondam primaria ac Principum sedes. Cluverio, Sabellico, aliisque doctioribus est* Cividal del Friuli *ad Natisonem.* Jam quibus diversa opinio placet, liberum sit, Eminentissimo Viro judice, inter *indoctiores* censeri. Porro *Broxas*, de quo *Paullus*, locus est ad quartum à *Forojulio* lapidem, hodie quoque vestigia nominis retinens, ipsiusque urbis porta, quâ illuc itur, *Broxana* adhuc vocatur. Hunc ejus situm digito monstrat diploma *Berengarii* Regis, datum Mantuæ *Felici* Diacono anno DCCCLXXXIIX. Ind. VI. ubi *Broxias* dicitur esse *in finibus S. Joannis in Antro*, uti sane etiamnum est, intermedio *Natisone* flumine, in cujus angustiis tertio ab urbe milliario pons lapideus occurrit. Ut vani sint & ridiculi, qui *Broxas*, & Pontem *Paullo* memoratos, alibi somniarunt.

* Rursus viam ad metam importune intercipit nescio quis lapis, cui veluti de cœlo lapso pæana decantat Palladius *Lib. IV. pag.* 67. Profecto constitueram, ut indicavi, argumenta, quæ in adver- 380
sum scribuntur, transmittere, quod ea refellere nec temporis hujus, nec operæ sit pretium. At quoniam res mihi cum saxis hucusque fuit, atque in hoc uno fundamenta solidiora se posuisse putat *Palladius*, qui adeo impotenter sibi plaudit, ut veritus non sit sacris verbis abuti: *Veritas de terrâ orta est, & justitia de cœlo prospexit*; illud propterea, ne rudioribus antiquitatum imponat, manibus elabi non patiar. *Dum Utini*, inquit Palladius, *anno salutis millesimo quingentesimo decimo septimo novi celeberrimi Palatii fundamenta jacerentur, effossa fuit marmorea tabula, in qua literæ incisæ nostram sententiam de Foro Julio Utini à Cæsare constituto mirifice firmant. Hæ autem sunt marmoris notæ.*

C. IVL. CÆS. D. P. IMP. OL. CXVIIIC. A. P.
VT. GEN. IVL. FOR. S. INST.
VN. NO. PRO. SVMP.

Quas quidem notas eruditissimus vir Camillus Camillus sic interpretatus est. „Cajus Julius Cæsar Dictator perpetuus Imperator Olympiadis centesimæ „octuagesimæ secundæ anno primo *Utini* gentis „*Juliæ* Forum secundo instituit, unde nomen pro„vincia sumpsit. „Hæc ille. Hic Annus MDXVII. edendis spuriis fœtibus malo suo fato destinatur: nam & numismata Triumvirorum protulisse, memini *pag.* 324. At *Cæsarianæ* inscriptionis longe recentior est ætas. Tunc vivebat *Joannes Candidus*, qui si tam grande testimonium vidisset, certe senten-

tiam de vero *Forojulio* mutasset, lapidemque historiis suis, quas quartum post annum luci tradidit, inseruisset. Ceteri quoque Scriptores *Utinenses*, quos recensui; insigni monumento edocti, non dubitassent *Forum Julii* in urbem patriam revocare. Quid *Joannes Dominicus Salamonius*, qui editâ anno MDXCVI. prolixa defensione pro caussâ *Utinensi*, occasione superius indicatâ, nil intactum, quod ad *Forum Julii* Utino asserendum
381 pertineret, reliquit? Ea itaque inscriptio, non dicam tabulam marmoream, quam nusquam gentium extare audio, iis scribentibus nondum procusa erat. Si quæras artificem, dabo Monachum quendam *Camaldulensem* Germanum *de Vecchiis*, inter cujus scripta, quæ *Utini* consarcinavit circa annum MDC. primum apparuit. Nam & hic idem Civitatem triumviralem, de qua *pag.* 324. molitus fuit, aliaque id genus commenta, quæ videre est in ejus MSS. *Utini* asservatis. At sane non satis ad fraudem peritus, atque ingeniosus fuit; cum undique falsitatis argumenta in aperto reliquerit, quæ, quisquis antiquitatem vel summis labris degustaverit, statim deprehendit; & quidem scite subodoratus est etiam Schönleben *Annal. Carnioliæ Par. II. ad ann. Mundi MMMMII.*

Julius Cæsar bello *Gallico* implicitus anno U. C. DCCII. *Alexiam* & *Avaricum* expugnavit, ac *Vircingentorigem* in suam potestatem adduxit. Dictaturam primam iniit anno DCCV, quam brevi dimisit, aliam anno DCCVII. tertiam insequenti, *perpetuam* vero nonnisi demum anno DCCIX. At nostri lapidis præclarus auctor novam Chronologiam invexit, & eo ipso anno DCCII. cum quo concurrit annus primus Olympiadis centesimæ octogesimæ secundæ, *Cæsarem* Dictatorem *perpetuum* fecit, ingenti septem annorum prochronismo. Quod satis esset ad falsi crimen. Præterea insolens est *Italicam* inscriptionem per Olympiadum notas signare. Quamvis enim apud Halicarnasseum *Lib. I.* & Solinum *Cap. I.* Olympiadum annos cum annis Consulum *Romæ* in acta publica relatos legamus; nondum tamen in vetustis *Romanorum* saxis Olympiadas incisas uspiam vidi. Quid vero integra inscriptio primis tantum vocabulorum literis exarata? Hoc sane ab usu antiquitatis abhorret: nam quamvis siglas frequentissime, & notas compendiarias sparsim lapidibus insculptas observemus, nusquam tamen verba omnia sub hujusmodi involucris sunt perscripta; ne veteres ipsos æque ac nos sensus inscriptionis omnino lateret, 382
uti notavit Eques Ursattus *Marmor. Erudit. Epist. II. pag.* 13. At noster erubuit fortasse plenis verbis, & aperto ore fabulam suam canere. Quid Forum *secundo* institutum, tanquam si aliud pridem conditum fuisset? Quid ea verba, *unde nomen Provincia sumpsit?* Cum constet longe à Cæsaris ævo nostram Provinciam appellari cœptam *Forojuliensem.*

Ceterum cum *Utinum* in veteris *Fori Julii* jura immerito irrepsisse contendo, me nihil ei detractum velle dignitatis, nihil amplitudinis, atque honestamenti sancte profiteor. Sua maneant nobilissimæ urbi decora, suus honos, quam ædificiorum splendore, opum affluentiâ, frequentiâ civium inter illustriores jure & merito numeramus; atque Patriarchalis amplissimæ Sedis, quam hodie Illustrissimus *D. Dionysius Delphinus* sanctissimis moribus & magnis virtutibus implet, summique totius provinciæ magistratus gemino ornamento auctam & condecoratam, jam in principem regionis locum reponimus. Hinc illi nil opis alienæ laudis, nec est cur gloriolam hanc nobis invideat: ut dum nos jure nostro vetera extollimus, ipsi abunde pulchrum atque magnificum sit præsentibus lætari.

F I N I S.

383

FRAGMENTA INSCRIPTIONUM
FRATRUM ARVALIUM.

Ut operi nostro, quod jam in exitu est, gratiam aliquam apud Eruditos compararem; splendidam appendicem adjeci. Fragmenta sunt marmorum, quibus acta & ritus Fratrum Arvalium *continentur, illustriora ceteris, quæ hucusque prodierunt, cum rerum quarundam novitate, tum etiam copia. Inventa ante annum fuisse memoravi* Cap. VII. ad Inscriptionem M. Aquilii; *& nonnulla rarioris pretii tunc excerpta observationibus illustravi. At nondum satisfactum Orbi literario arbitratus sum; nisi integræ inscriptiones emitterentur. Eas summa fide & diligentia ex autographis saxis descripsi, & sæpius contuli cum exemplari excepto in charta ipsis saxis fuligine infectis impressa, ita ut in area nigra Characteres albi & maxime conspicui appareant. Cui industriæ ne literulam quidem effugisse certus sum. Atque ideo cum Lector offenderit voces aliquas diversimode sive in hisce nostris, vel in aliis* Gruteri, Sponii, *&* Fabretti *Tabulis exaratas, non vitio nostro id tribuat, sed quadratarii inconstantiæ; nisi potius easdem voces varie scriptas & pronuntiatas tunc temporis velit. Hujusmodi sunt*, patremis *&* patrimis, Berbeces *&* Verbeces, Vaccam *&* Baccham, Mænianum *triplici forma exsculptum, nempe per E simplex, per Æ & AE*, conmolendæ *&* conmolandæ, *& si quæ alia id genus. Præterea diversam scripturam ab aliis* Arvalium *Tabulis non semel observavimus. Gruterianæ habent* coinquendi, *Fabrettianæ* tetrastylo, *nostræ* coinchuendi, tetrastulo, *nam sæpius Romani* y *Græcum per* u *reddebant. Porro ex nostris corrigas eundem Fabrettum, qui* Carcares *&* Meflianus *scripsit, cum sit legendum* carceres *&* Mefitanus; *atque iterum quod hanc vocem, PRAEVNTE, unico E scribendam contendat, eo nomine carpens* Gruterum *&* Sponium, *nam manifeste in nostra est, PRAEEVNTE; ut dicere possis utrumque modum in more positum fuisse. Accentus acuti frequenter in prima Tabula signatur, nunquam in secunda: in hac nullum uspiam punctum voces distinguens, in illa ubique reperies, præterquam post præpositiones* in, ad *&c. quæ etiam junguntur sequenti verbo. Porro observatione dignum in ipsa prima tabula diversam formam characterum repræsentari*

A *tari. Decretum adsignationis locorum in Amphitheatro capitalibus literis seu quadratis, quæ* 384 *vulgo usurpantur in vetustis inscriptionibus, eleganter & affabre est exaratum. Cetera rudiori manu, & forma ipsa literarum duplo minori, nec lineis ita concinne & ad normam ductis. Ibi A more vulgato; hic ad instar λ Græci, & aliquando etiam absque superna pedis productione, ut videre est in exemplo mox producendo. Fortasse quod ea locorum adsignatio honori esset Collegio* Arvalium*, memoriam magnificentius ad posteros voluerunt transmittere. In secunda Tabula præterquam nusquam puncta, & accentus, ut dixi, apparent, characteres, si scripturæ faciem spectes, similes videntur; at certe deformiores sunt, inæquales & inter se confusi. Ut inde conjicias, scribendi quoque modum centum annorum spatio aliquantulum defluxisse. Nam prima Tabula scalpta est anno epochæ* Christianæ LXXXI. Titi *postremo, secunda ann. CLXXXIII. ex præscripta nota Consulum; nempe* M. Aurelio Antonino *Aug. IV.*
B *&* C. Aufidio Victorino II. *Obiter corriguntur vulgares Fasti, qui* Victorino *prænomen* Marci *imponunt; ejusque secundus Consulatus, de quo aliqui dubitarunt, confirmatur. Specimen characterum utriusque tabulæ damus; neglectis aliis, qui in decreto adsignationis notantur, cum ubique eorum exemplar prostet.*

INLVCO·DEAE·DIAE

IN LVCO DEAE DIAE

C

Haud ineptam observationem addam, à loco, ubi saxa hæc Arvalium *sunt reperta, deductam. Lucus Deæ* Diæ *situs erat* viâ Campanâ apud lapidem V. *ut dicitur in inscriptione* Arvalium *apud* Gruterum pag. 121. *Fabrettus in* Charta Topographica III. Dissertationi de Aquæductibus *præmissa, & in postremo* Opere Inscriptionum p. 481. *viam* Campanam, *contra* Holstenium, *collocat inter viam* Appiam & Ostiensem. *Verisimile est nostra hæc marmora posita olim fuisse in luco Deæ Diæ,* Viâ Campanâ, *atque inde ad usum fabricæ exportata in vicinam viam* Ostiensem, *ubi inserta erant muro cujusdam domus, quarto ab Urbe lapide. Quo mirifice firmatur* Fabretti *de situ Viæ* Campanæ *opinio.*

Ceterum prima Tabula alta est pedibus tribus cum dimidio, lata pede uno semis. Limbi inferioris pars magna deest; anguli dexteri pars in superiori. Secunda in latus complectitur tres 385
D *pedes cum dimidio, unumque cum dimidio in altitudine; atque inde cum latior sit quam alta, in tres columnas dividitur. Cum utriusque prolixiores lineas nostra pagina non caperet, continenti verborum serie excusas dedimus. Capita tamen seu initia versuum suis locis sunt reddita; nisi quod hic introrsum recedunt ad Typographi commoditatem, & usum. Puncta Lapidem fractum indicant. Sed fracturæ locus ductu recto & continuo non potuit designari ob paginæ angustiam.*

Prima Tabula.

.... ANVS. CO
.... AIRVS. MISIT. QVOS
E .... VESPASIANVS. AVG. CAESAR.
DIVI. F. DOMITIANVS
.... C. VIPSTANVS. APRONIANVS. C. IV-
NIVS. TADIVS. MEFITANVS. T. VERATIVS
.... MPELVS. VOPISCVS. ARRVNTIVS. CATELLIVS. CELER. TI. IVLIVS. CANDIDVS.
MARIVS
.... Q. TILLIVS. SASSIVS
... DEM. COS. III. K. IVN. IN DOMO. L. VENVLEI. APRONIANI. MAG. AD PERAGENDVM. SACRIFICIVM. PER. FRATRES. ARVALES. EPVLANTES. ET. FRVGIBVS. MINISTRANTIBVS. PVERIS. INGENVIS. PATREMIS. ET. MATRIMIS. SENATORVM. FILIS. REFERENTIBVS. AD ARAM. IN PATERIS

M. TILLIO. FRVGI. T. VINICIO. IVLIANO. COS. VII. IDVS. DECEMBR. IN. CAPITO-
F LIO. IN. AEDEM. OPIS. SACERDOTES. CONVENERVNT. AD VOTA. NVNCVPANDA. AD RESTITVTIONEM. ET. DEDICATIONEM. CAPITOLI. AB IMP. T. CAESA *sic* λ E. VESPASIANO. AVG.

IN COLLEGIO. ADFVERVNT. L. VENVLEIVS. APRONIANVS. C. VIPSTANVS. APRO-
NIANVS. L. VERATIVS. QVADRATVS. L. POMPEIVS. VOPISCVS. ARRVNTIVS. CA- 386
TELLIVS. CELER. C. IVNIVS. TADIVS. MEFITANVS. P. SALLVSTIVS. BLAESVS

L. FLAVIO. SILVA. NONIO. BASSO. ASINIO POLLIONE. VERRVCOSO. COS. XVIII. K. FEBR. IN LVCO. DEAE. DIAE. PIACVLVM. FACTVM. PER. CALATOREM. ET. PVBLICOS. EIVS. SACERDOTI. QVOD. ARBOR. A VETVSTATE. DECIDIT. EXPIANDVM. PORCAM. ET. AGNAM. OPIMAM.

L. VEITIO. PAVLLO. T. IVNIO. MONTANO. COS....... K. MAIS. IN LVCO. DEAE. A
DIAE. PIACVLVM. FACTVM. PER CALATOREM. ET. PVBLICOS. EIVS. SACERDOTI. OB FERRVM. INLATVM. IN AEDEM. SCR *sic* PTVR. CAVSSA. PORCAM. ET. AGNAM. OPIMAM

ISDEM. COS. III. IDVS. MAIAS. IN LVCO. DEAE. DIAE. PIACVLVM. FACTVM. PER CALATOREM. ET. PVBLICOS. EIVS. SACERDOTI. OB FERRVM. DE. AEDE. ELATVM. PORCAM. ET. AGNAM. OPIMAM

LOCA. ADSIGNATA. IN AMPHITEATRO.

L. AELIO. PLAVTIO. LAMIA.
Q. PACTVMEIO. FR *sic* NTONE. COS

ACCEPTVM. AB. LABERIO. MAXIMO. PROCVRATORE. PRAEF. ANNONAE. L. VENNVLEIO. B
APRONIANO. MAG. CVRATORE. THYRSO. L.
FRATRIBVS. ARVALIBVS. MÆNIANO. I. CVN. XII. GRADIB. MARM. VIII. GRADV. I. P. V. GRADV. III. PED. V ; S-) F. PED. XXXXIIS. GRADV. I. VNO. PED. XXIIS. ET. MENIANO. SVMMO. II. CVN. VI. GRADIB. MARM. IV. GRADV. I. VNO. P. XXIIS. ET. MAENIANO. SVMMO. IN. LIGNEIS. TAB. LIII. GRADIBVS. XI. GRADV. I. PED. V. ‒ ‒ ε--- GRAD.
XI. PED. VS ‒ ≡) F. PED. LXIIIS ‒ ‒ ≡ ε
SVMMA. PED. C XXVIIIIS ‒ ≡ ε

387 L. FLAVIO. SILVA. NONIO. BASSO.
ASINIO. POLLIONE. VERRVCOSO. COS

III. NONAS. IAN.
MAGISTER. C. IVNIVS. TADIVS. MEFITANVS. COLLEGI. FRATRVM. ARVALIVM. NOMINE. VOTA. NVNCVPAVIT. PRO. SALVTE. IMP. TITI. CAESARIS. DIVI. F. VESPASIANI. AVG. PONTIF. MAX. TRIBVNIC. POTEST. COS. VIII. ET. CAESARIS. DIVI. F. DO- C
MITIANI. COS. VII. ET IVLIAE. AVG. LIBERORVMQ. EORVM. VICTVMIS. IMMOLATIS. IN CAPITOLIO. QVAE. SVPERIORIS. ANNI. MAGISTER. VOVERAT. PERSOLVIT. IOVI. O. M. BOVES. MARES. II. IVNONI. REGINAE. VACCAS. DVAS. MINERVAE. VACCAS. II. SALVTI. PVBLICAE. VACCAS. II. ET. IN PROXIMVM. ANNVM. NVNCVPAVIT. PRAEEVNTE. L. POMPEIO. VOPISCO. C. ARRVNTIO. CATELLIO. CELERE. IN EA. VERBA. QVAE. INFRA SCRIPTA. SVNT.

IVPPITER. O. M. SI. IMP. TITVS. CAESAR. VESPASIANVS. AVG. PONTIF. MAX. TRIB. POTEST. P. P. ET. CAESAR. DIVI. F. DOMITIANVS. QVOS. NOS. SENTIMVS. DICERE. VIVENT. DOMVSQVE. EORVM. INCOLVMIS. ERIT. A. D. III. NON. IAN. QVAE. PROXIMAE. P. R. Q. REI. P. P. R. Q
.... INT. ET. EVM. DIEM. EOSQVE. SALVOS. SERVAVERIS. EX. PERICVLIS. SIQVA. SVNT.
..... EVM. DIEM. EVENTVMQVE. BONVM. ITA. VTI. NOS. SENTIMVS. DICERE.
...... ATV. QVO. NVNC. SVNT. AVT. EO. MELIORE. SERVAVERIS. AST. TV..... D
.... INE. COLLEGI. FRATRVM. ARVALIVM....
BVBVS. AV.....
.... IM
...... VRATIS. II. VOVIMVS. ESSE. FVTV....
...... TIBI. IN. EADEM. VERBA NO.....
..... ESSE. FVTVRVM....

388

Secunda Tabula.

IMP. CAES. M. AVR. ANTONINO AVG IIII
C. AVFIDIO VICTORINO II COS E

IN CAPITOLIO Q. LICINIVS N........ RVM ARVALIVM VOTORVM SOLVTORVM ET NO...... AVSA PRO SALVTE IMP. CAES. M. AVRELI *locus abrasus* ANTONINI....... M. GERM. MAXIM. PP. COS IIII. FRATRE---- ARVALES CONVENERV...... VS NEPOS MAG. CN. CATILIVS. SEVERVS M. VLPIVS ASTIVS PRMA......... IMMOLAVIT Q. LICINIVS NEPOS MAG. IOVI O. M. BO....... MAREM IVNONI REG. BOVEM FEMINAM MINERVAE BOVEM FEMINAM......... LVTI PVBLICAE P. R. BOVEM FEMINAM

ISDEM......... VII IDVS IANVAR IN PRONAO........... FRATRES ARVALES SACRIFICIVM DEAE DIAE INDIX...... Q LICINIVS NEPOS MAG. VELATO CAPITE CONTRA ORIENTEM..... QVOD BONVM FAVSTVM FELIX FORTVNATVM SALVTAREQVE SIT. IMP CAES M AVRELIO *locus abrasus* ANTONINO AVG PIO SARMAT GERM MAXIMO P M PP COS. IIII OPTIMO MAXIMOQVE PRINCIPI DIVI M ANTONINI FIL DIVI ANTONINI NEPOTI DIVI HADRIANI PRONEPOTI DIVI TRAIANI PARTHICI F
ABNEPOTI DIVI NERVAE ABNEPOTI SENATVI P R Q FRATRIBVSQVE ARVALIBVS SACRIFICIVM DEAE DIAE HOC ANNO ERIT ANTE DIEM XVI KAL IVNIAS ROMAE ANTE DIEM XIIII K IVN IN LVCO ET DOMI XIII K IVN CONSVMMABITVR DOMI ADFVERVNT IN COLL Q LICINIVS NEPOS MAG CN CATILIVS SEVERVS M VLPIVS ASTIVS PR M ANTONIVS IVVENIS

L. TVTILIO PONTIANO GENTIANO COS VI ID FEBRVAR IN LVCO DEAE DIAE Q LICINIVS NEPOS MAG OPERIS INCHOANDI CAVSA QVOD IN FASTIGIO AEDIS DEAE DIAE FICVS INNATA ESSET ERVENDAM ET AEDEM REFICIENDAM IMMOLAVIT SVO-
389 VETAVRILIBVS MAIORIBVS ITEM AD AEDEM DEAE DIAE BOVES FEMINAS II IANO PATRI ARIETES II IOVI BERBECES II ALTILANEOS

Co-

A

Columna Secunda.

MARTI ARIETES ALTILANEOS II IVNONI DEAE DIAE OVES II SIVE DEO SIVE DEAE OVES II VIRGINIBVS DIVIS OVES II FAMVLIS DIVIS VERBECES DVOS LARIBVS VERBECES DVOS MATRI LARVM OVES DVAS SIVE DEO SIVE DEAE IN CVIVS TVTELA HIC LVCVS LOCVSVE EST OVES II FONTI VERBECES II FLORAE OVES II VESTAE OVES II VESTAE MATRI OVES II ITEM ADOLENDEAE CONMOLANDAE DEFERVNDAE OVES II ITEM ANTE CAESAREVM DIVIS N XVI VERBEC IMMOLAVIT N XVI M HERENNIO SECVNDO M EGNATIO POSTVMO COS III ID MAI

IN LVCO DEAE DIAE Q LICINIVS NEPOS MAG OPERIS PERFECTI CAVSA QVOD ARBORIS ERVENDAE ET AEDIS REFECTAE IMMOLAVIT SVOVETAVRILIBVS MAIORIBVS ITEM AD AEDEM DEAE DIAE BOVES FEMINAS II IANO PATRI ARIETES II IOVI VERBECES II ALTILANEOS MARTI ARIET ALTILAN II IVNONI DEAE DIAE OVES DVAS SIVE DEO SIVE DEAE OVES II VIRGINIBVS DIVIS OVES II FAMVLIS DIVIS VERBE-
B CES II S II LARIBVS VERBECES II MATRI LARIVM OVES II SIVE DEO SIVE DEAE IN CVIVS TVTELA HIC LVCVS LOCVSVE EST OVES II FONTI VERBECES II FLORAE OVES II VESTAE OVES II VESTAE MATRI OVES II ITEM ADOLENDAE CONMOLENDAE DEFERVNDAE OVES II ITEM ANTE CAESAREVM DIVIS N XVI VERBECES IMMOLAVIT XVI

ISDEM COS XVI K IVN IN DOMVM LICINI NEPOTIS MAG FRATRES ARVALES PRAETEXTATI SACRIFICIVM DEAE DIAE TVRE ET VINO FECERVNT IBIQVE DISCVMBENTES TORALIBVS SEGMENTATIS MINISTRANTIBVS PVERIS PATRIMIS ET MATRIMIS SENATORVM FILIS AELIO AVIOLA ET ACILIO SEVERO ET M VLPIO BOETHO ET 390
CL SVLPICIANO CVM PVBLICIS AD ARAM RETVLERVNT ADFVERVNT IN COLLEGIO Q LICINIVS NEPOS MAG. CN CATILIVS SEVERVS T FL SVLPICIANVS M ANTONIVS IVVENIS P PESCENNIVS NIGER M VLPI ASTIVS PR

ISDEM COS XIIII K IVN IN LVCO DEAE DIAE Q LICINIVS NEPOS MAG AD ARAM INMOLAV . . . . . PORCILIAS PIACVLARES II LVCI COINCHVENDI ET OPERIS FACIENDI IBIQVE BACCHAM HONORARIAM ALBAM AD FOCVLVM IMMOLAVIT SACERDOTES IN TETRASTVLO CONSEDERVNT ET EX SACRIFICIO EPVLATI SVNT SVMPTISQVE
C PRAETEXTIS ET CORONIS SPICEIS BITTATIS LVCVM DEAE DIAE SVMMOTO ASCENDERVNT ET PER Q LICINIVM NEPOTEM ET CATILIVM SEVERVM PROFLAMINEM AGNAM OPIMAM IMMOLAVERVNT PERFECTO SACRIFICIO OMNES TVRE ET VINO FECERVNT DEINDE CORONIS IN LATIS SIGNISQVE VNCTIS PETRONIVM PRISCVM EX SATVRNAL . . . PRIMIS IN SATVRNALIA SECVNDA MAG FECERVNT ET FL SVLPICIANVM FLAMINEM

Columna Tertia.

NOMINAVERV . . . . .
EPVLATI SVNT POST EP . . . . .
SVPRA CARCERES ASCENDIT ET SEC . . . . .
CATILIO SEVERO PROFLAMINE VICTORIS . . . . .
Q LICINIVS NEPOS MAG CN CATILIVS SEVERVS T FL . . . .
D NIVS NIGER M VLPIVS ASTIVS PRAETORES ISDEM COS III . . . . . .
Q LICINI NEPOTIS MAG FRATRES ARVALES AD CONSVMMANDVM S . . . .
IBIQVE INTER CENAM LICINIVS NEPOS MAG CATILIVS SEVERVS
IVVENIS PESCENNIVS NIGER VLPIVS ASTIVS DISCVMBENT . . . .
ALBIS TVRE ET VINO FECERVNT MINISTRANTIBVS PVERIS PATR 392
FILIS EISDEMQVE ET XVI KAL IVN EASDEM FRVGES INLIBATAS . . . .
PVERI RICINIATI CVM PVBLICIS AD ARAM RETVLERVNT DEIN . . . .
CANIPAS CONTIGERVN QVAS PER CALATORES DOMOS SVAS M . . . .
EST SPORTVLIS ✕ OT PACTVMEIO MAGNO L SEPTIMIO FL . . . .
IN CAPITOLIO PRO SALVTE IMP CAES M AVRELI COMMODI ANTO . . . .
FRATRES ARVALES CONVENERVNT ET IMMOLAVIT CN . . . .
OM BOVEM MAREM IVNONI REG BOVEM FEMINAM A . . . .
SALVTI BOVEM FEMINAM PROVIDENTIAE DEORVM . . . .
L COSSONIO EGGIO MARVLLO CN PAPIRIO AELIANO . . . .
E OB FERRI IN LATVM SCRIPTVRAE ET SCALPTVRAE M . . . .
. . . . . STRVIBVS FERTISQVE PER M VSTIO NARCISSO KALAT . . . .
C OCTAVIO VINDICE XV K IVN . . . . . ET . . . .
PIACVLVM FACTVM OB FERRI ELATIONI SCRIPT . . .
RACTI PORCA ET AGNA STRVIBVS FERTISQVE . . . .
KALATOREM ET PVBLICOS FRATRVM ARVALIVM

(*Quæ hic* pag. 392. Edit. vet. *habebantur*, *monebat Auctor addenda ad* Cap. X. Inscriptionis M. Aquilii, *ejusdem Edit.* pag. 143. *quod & in nova* Monumentorum Veteris Antii *impressione nunc observatum.*)

INSCRIPTIONES 393

F AQUILEJENSES ET FOROJULIENSES,

antea ineditæ.

Absolutis integri Operis typis, *monenti amico*, *ne Inscriptiones* Aquilejenses, *quarum satis uberem collectionem*, *à* Capodaleo *pridem adornatam*, *apud me esse sæpius memoravi*, *orbi literario inviderem*, *obtemperare constitui.* *Quamquam enim plerumque nuda tantummodo nomina contineant*, *quod olim me ab hoc consilio avertebat*; *cum ex ipsis nominibus familiarum plura sint hactenus ignota*, *haud ingrata hoc titulo Antiquariis futura per-*

spex

spexi. Habes itaque Lector Inscriptiones Aquilejenses, *aliasque variis provinciæ* Forojuliensis *locis extantes, ineditas omnes, atque in hanc diem à nemine, quod sciam, vulgatas. Nam quas* Gruterus, *&* Reinesius *jam ediderant, omisi, nonnullasque præterea quas à nobis acceptas,* Fabrettus *volumini suo postremo inseruit.*

A

1
D M
SVRTIAE TYTY
CHENIAE. PA
PHRODITVS. F
VICTOR. FILI
MATRI. PIENTI
D. S. B. M
Aquilejæ in fronte domus Bassettorum.

2
NYMPHIO
FILIO. ANNOR. III.
NYMPHODOTVS. PLOCAMI
DIVI AVG. L.
SER
In domo quadam Capituli.

B

3
AMICIS. LIBERALIBVS
In Turri Campanaria S. Siri.

4
C. MINATIVS C. F
AFRICANVS
M. MINATIVS. C. F
VEIVI. FECERE
In quadam domo Comitum de Strassoldo.

C

5
OSSA. CATIAE
Q. L
COMPSINIS
In quadam domo Capituli.

6
PATROCLO. SVMMARVM
VLPIVS. PRISCVS
ANIMAE. MERENTI
In ædibus Trevisanorum.

D

7
CN. OCTAVIO CN. FILIO
PAL. VITALI
CN. OCTAVIVS. ZOSIMVS
ET TITIA AGRIPPINA
L. D. D. D.
In Ecclesia diruta S. Siri.

8
AVRELIVS. DOMITIANVS
BENF. LEGI
AL. VIXIT.
ANN. XXXX. MILIT
AVIT. AN. XX
ACCEPIT. MISSIONEM
In quadam domo Comitum de Strassoldo.

E

394 9
C. LVCRETIVS C. L
ISIDORVS
LVCRETIA. C. L
SVRISCA
VIV. . . . .
In alia domo Capituli.

10
L. PETRONIO. . . . .
M.XI D XXIX. PETRONIVS VETTIANVS
ET. MAGIA DAPHNIS
PARENTES
Ad S. Joannis.

F

11
C. MARIO. L. F
SEIAI 7. L. ALETIAI
MATRI
MARIAI. C. F. PRIMAE
SORORI
MARIA. C. F. SECVNDA
In Pago Luseriaci.

12
AELIAE. SOSIOLAE
FILIAE. DVLCISSIMAE
MINVTIVS
SOSVS. ET
AELIA
PRIMITIVA
PARENTES
In viridario apud duas turres.

13
SALIA. PRAETORIS. L
OPTATA. V. F
SIBI. ET. SVIS. ET
ANDIS. C. F
CONIVGI. ET
AVFIDIA. E. C. L
LYRICAE
FILIAE. SVAE

14
C. METTIVS
M. F. TRO
MIL. CHO. II. PR
MIL. ANN. X
In quadam domo Capit.

15
FABIA. L. L
LOGAS
V. F. SIBI. ET
FABIAE. L. L. NADI
SORORI
C. ASPAMIO. SACRO
PRIMIGENIO. F
EORVM. ANN. XII
In alia domo.

16
ANTISTIAE FELICVLAE
ANTISTIA
SINTICHE. LIB
PATRONAE. PIENTISS
ET ANTISTIAE. FELICVL
FILIAE
LIBERT. LIBQ. POSTQ. EOR
H. M. H. N. S
L. M. IN FR. P. XXV
IN AGR. P. XX.
In alia domo Capituli.

17
LOCVS
M. T. POSI
CELADI
SIBI. ET SVIS
IN. FRONTE
PEDES. XX
IN AGRVM
PEDES. XXXII
Inter rudera palatii Patriarchalis.

395

A

18

CAESILIA. Q. L
CINNAMIS
DINDIAE. LAVRIDI
DELICATAE. SVAI. ANN
NATAI. XXIV. HIC. CONDIDIT. OSSA

In domo Capituli.

19

TERENTIVS
NICO. CLARAE
SABINIANAE
CONIVGI. DVLCIS
SIMAE. POSVIT

B

20

D. M
SERVIAE
CERVOLAE
ET PRIMITIVO
ALVMNO. A. XIII
OBITIS
CAECILIA
PLVSIS. V. F. SIBI. ET
TREBIAE. MAXIM

21

C

Q. CLAVDIO. HERCLIANO
CLAVD. MYCALAE
CONIVGI. KARISS

22

M. MAMMIVS. M. F
NIGER
C. M. F. CHILO
V. F

23

T. ALFI. ARISTON
SIBI. ET. SVIS
D LIBERTIS
LIBERTABVS
L. Q. P. XVI

Ad S. Lazari.

24

T. DECIDIVS
7. L. AVCTVS
V. F. SIBI. ET. LIB
L. M. IN. FR. P. XVII
IN. AGR. P. XXXII

25

E

T. ARRIOLENVS L. L. . . .
HILARVS
T. ARRIOLENO L. L. . .
LICCEO

26

D. M. S
AMPVLENAE. Q. F
SECVNDINAE

27

L. M
C. STERTIN
ZOSIMI
F ET. T. VARON
MERCVRI
ET. VARONIAE
MERCVSSENAE
MACERIAM. MERCVR
ET. MERCVSSENA. V
PECVNIA. SVA. FECER
IN. FR. P. XX
IN. AGR. P. X

28

CAETRANAE. T. F
RVSTICAE
SEX. CAESERNIO
COMMVNI
T. POMPONIO
GEMELLO
SEX. CAESERNIVS
CAESER
F. S. F

In domo apud Moniales.

396

29

L. AEBVTI. TROPHIMIAN
Q. V. A. VI. M. IIII. QVI. INFIR
MAT. EST. A. I. M. IIII. AEBV
TI. CORINTI. ET TRO
PHIMA. PARENT. F. DVLC

In ædibus Santinorum.

30

T. RVFFELLIVS. T. L
DEMETRIVS
RVFFELLI. T. L. SECVND
VIVI. FECERE
T. RVFFELLIVS. T. L. ACASTVS
T. RVFFELLIVS. T. L. ACHIBA
RVFFELLIA. T. L. SILENIO
RVFFELLIA. T. L. DOTILIA
T. VEIVS. T. L. PHILOSTRATVS
IN. FR. P. XVI. IN. AGR.
P. XXXVI

Apud easdem Moniales.

31

SEPTIM. MARCIAN
OPT. LEG. II. AD
P. F.
PRO. SALVTE
SVA. ET. SVORVM
V. S. L. M

Prope Monasterium.

32

VETTIAE
L. L. SABIN
AE. ANN. XXVI
POSIT. C
TITVRIVS
VERVS. M. S

33

AVRELIVS. HYLASE. LYLA
TIS. F. VIX. ANN. V. M. VII
IVLIA. MATER. POSVIT

Extra Ecclesiam Belinensem.

34

D. E. I. M
P. AELIVS. MERCVR
Q. TES. SIG
NIVS. MAXI
MIAN. PATR
PRO. ST. AVR
VICTORE
V. S. L. M

Prope Monasterium.

Ph. a Turre.

35
A D. I. M
FL. EXVPERAT
AGENS. IN. LVSI
FL. SABINI. P. P
AEL. SEVERVS
AGENS. LVST
AVR. FLAV. PV
LEG. III. . . .
. . . .
VALER. VALENS
SIGN. LEG. XIII. GEM
LVST. AVR. ZENON
B D. D
V. S. L. M
Ibidem.

36
MINICIALAE
SECVNDAE
ANNORVM. XV
AEMILIA. T. F
PROCVLA. MATER. F.
Ad S. Ægidii.

Christiana. 37
C PALATINO
FLA. ANTIO. CONIVGI
BIINII. MIIRIINTI. F. C
QVI. VICSIT. ANNIS. XXXVI.
IN. PACII

38
397 VIOLAE
PLAVTI. AQVILIN
PRIMITIVOS. CONIVG. ET
PRIMITIVAE. VERNA
CONIVG
D FILIAE. EOR

39.
D. M.
ONESIMVS. IVSTO
NEPOTI. INFE
LICISSIMO. QVI
VIXIT. ANNIS
N. III. M. IIII. DIEB. XV

40
AVRELIVS. VIN
E CENTIVS. AVRELI
AE. IVVENTIAE
CONIVGI. PVDICI
SSIMAE. FOEMINAE. CVM
QVA. VIXIT. ANNIS. XX
VIIII. D. XI. SINE. V. QV

41
D. M
IVLIO OPTATO
V. F
LEGIONIS. X
F GEMINAE.
IVLIA. VIT
OPTATA
. . . ANA
. . . POSVIT
In domo rurali.

42
D. M.
M. LYCIN. TROPHIM
NVMISIAE. ANTONIN
CONIVGI. CARISS
L. M

43
D. M
AVR. SOSIVS
V. L. IIII. F
V. F. S. ET
IVL. VALENTI
. . . .
In Insula Gradensi prope Aquil.

44
C. LORENTIVS
TESITON. VIVVS
POSVIT. SIBI

45
TVLLIAE. SEPTIMINAE
ANIMAE. INNOCENTISSIMAE
QVAE. VIXIT. ANNIS. VI. MEN
VIII. DIEBVS. VIII
TVLLIA. PRIVATA
MATER. INFELICISSIMA.

45 *
CATALVS. CALLAEI. F.
NATIONE. SEQV
EQV. ALA. SCVB. L
SESQVIPL. MILIT
ANNOS. XXII
H. S
In domo prope S. Stephan.

46
VISENA. L. F
TERTIA
VIV. FEC. SIB. ET
C. SETTVMIO. C. L
NICOMACHO. ET
VISENAE. C. L. PROCVLAE
VISENAE 7. L. CVPITAE
VISENAE 7. L. POTESTAE
L. VARIO 7. L. CRHESIMO
ET. SVIS. L. L
Ibidem.

47
VLPIA. MARTIA. QVI. VIXIT 398
ANNOS. XL. ET AVREL. APER
VIX. ANN. X. ET AVREL. ABEN
TIVS. VIX. ANN. T. VIII. AVREL.
SILVANVS. ANN. IIIIS. DIE G XIII G
CONIVGI. ET. FILIS. CARISSI
MIS. POSVIT
Ibidem.

48
THALLO
C. P. E
CONSERVI
DE. SVO
In pago Tertii prope Aquil.

49
T. ATTILIVS. T. F
PRIMVS
POMPEIA. M. F
RVFA
IVLIA. CALISTI
L. ARCHENIA
V. F
VARIAE PRIMAE
L. M. IN. FR. P. XVI
C. P. P. XXX
In pago Cerviniani.

---

* Numerus 45 in priori editione bis erat positus; nec mutare quid voluimus, ne, ubi ex sequentibus quædam ab aliis Scriptoribus juxta priorem editionem citentur, Lector offendatur, aut aliquid mendi irrepsisse suspicetur.

50
LOCVS
L. GAVI. L. F
CELERIS
Q. QV. P. XX
Ibidem.

51
L. M
C. GALERI
HILARI
IN. FR. P. XVI
IN AG. P. XXXX
Utini ex Aq. apud Gurgos.

52
L. M
Q. LVCILI. FLORI
ET. C. TETTIDI
PRIMI
IN. FR. P. XXI
IN. AG. P. XXII
In Cerviniano ad S. Martini.

53
MODESTO
PRINCIPIS
TI. CAESARIS
Utini ex Aquileja apud Nobb. de Gurgis.

54
L. GAILONIO
CORIN. III. LIB
FIDELI
L. GAILONIO. L. F
IVSTINO. MIL. LEG
II. ADIVT. BIIGAVAE
L. GAILONIO. L. F
IVSTO. FRATRI
GAILONIAE. PRIM
LIBER
Ibidem.

55
L. POMPONIVS
SILVANVS
MIL. LEG. XI
H. S. E
Ibidem.

56
L. CASSIVS
C. F. POL. PAR
MI. CHO. XII
V. ANN. XXVI
H. S. E
Ibid.

399 57
D. M
ROMVLO. BIZEGO
NI. FIL. NEMISENO
VIATRIX
MARITO
OPTIMO
BENEMERENTI
Ibidem.

58
VALERIAE. MESSILLES
QVAE. V. A. XXX. D. LVI
IVLIVS. GORGONIVS
QV. MEC. A. XIIII
D. LVI. CONIVG
CASTISSIMAE
Ibidem.

A *Christiana*
59
PARENTES. FILIAE
SVAE INNOCENTISS
IMAE. AMANTIAE. QVI
VIXIT. ANNOS
PLVS. M. VII. M. V
DEPOSIT. PRI
DIAE. NONAS. IV
LIAS. IN. PACE
In domo æditui Cathedralis Aq.

60
B LEVCAE. ANSPA
NIAE. L. OCCVSIA
VENVSTA. MAG
DEAE. OBSEQVEN
TI. D
In porticu Ecclesiæ S. Felicis ex M.S. Marcanovæ.

61
ATTICVS
TRIM. OBIT.
In portu Romatino.

62
MALCHVS. ET. EV
PHEMIA. CVM SVIS
C DE. DONIS. DEI
VOTVM. SOLVER
Aquil. ad S. Felic. ex Marcan.

63
Q. MVTILL. SVRAE
ACCIANO. NEPO
TI. X VIRO STILIT
IVD
Ad S. Stephani extra urbem ex eodem.

64
A. VECTIARIO
MARTIALI. A
MICO. OPTIM
D L. ELPIDIVS. DIA
DVMENVS. STA
TIANVS
Ad Belignam ex eod.

65
L. CERVONIVS
HOSIMVS. SIBI. ET
CASSIAI PYRRHAI
VXORI. ET. SVIS
V. F
IN FR. P. XII. R. P. XXVI
E *In portu Romantino vico S. Christophori.*

66
D. M
C. LAECINIACV. .
MAXIMVS. SIB
ET VIDIAE. PESTV.
TAE. VXORI
LIBERT. LIBERT
V. F
Concordiæ.

67
L. CALIVS. M. F. CREMONA. . 400
CONCORDIA. DECVRIO QVAES. . .
F OPERIS. PVBLICIS. IN. BITHINIA FVIT. .
CLA CREMONA MALLIOLO. FRATRI.
ET. IN. OPERIS. PVBLICIS IN ASIA. ET. .
In Agro Concordiensi.

68
C. FVLVIVS. S. F
M. MVTTENVS. A. F
L. IV. *sic* VLIVS. C. F
L. TROSIVS. M. F
MAGISTREI
In portu Romatino.
Ph. a Turre.

69
ANTHVSA
TROILO
CONTVBERNALI
Ibid.

70
TRVTTIDIA. SEX. L
PRIMA
SIBI. ET. LIB. LIB. Q
SVIS. T. F. IVSSIT
Concordiæ recèns inventa.

71
OCTAVI. ALEX
XANDER. QVI
VIXISTI. AN
NOS. XXVII.
Ibid.

72
Q. FABIO. CAEMIANO
ADVLES
PROB. QVI. VIXIT. ANN
XVII. M. VI
D. XXII. TVRRANIA
SESTIA. FIL. DVLCISS
Ibid.

73
M. FOVSCVS. C. F
LICNVS
PEREGRINATOR
C. FOVSCIVS. C. F
BALBVS. V. F
SIBI. ET. SVIS
Glemonæ ex Valvasono.

74
S. S. . . . . .
PECVNIA. REFECERE. ET
INAVRATA. IN. FASTIGIO. V.
ET. SIGNA. DVO. DEDERVNT
. . . NIO. P. L. PRINCIPE
POTITIOR. SEX. L. ARGENTILLO
MAG. VIC.
In Julio vulgo Zuglio. Alias vide apud Palladium.

A

75
P. VEIDIVS. C. F
BIRRO
PONTIA. SEX. F. TERTI
VXOR
VEIDIA. P. F. MAXVMA
In Opido S. Danielis apud Dominican.

76
D. M
CAMPILEAE
APRODISIAE
ANN. XX. M. X
B *In Urna inserta turri campanariæ pagi Moimaci apud Forumjulii.*

77
M. IVVENTIVS
M. F. CLA
OCLATVS. VET
COH. VIII. PRAET
T. F. I. SIBI
In Ecclesia Plebis supra Tulmetium ex eod. Valvas.

Hanc quoque Inscriptionem, paulo ante priorem editionem absolutam, Aquilejæ inventam, cum subjuncta explicatione Auctor in fine post Indices subjiciebat.

C. FIRMIDIVS
C C. F. AEM. RVFVS. SVESS
AV. RVNC. A. MIL. CoH. VI
PR. MILIT. ANN. VII.
L. POMPILIVS. L. F. VOL. CELEI
COMMILITO TIT. D. S. P

In Apographo ad me transmisso primum vocabulum tertii versus ita interpunctum visitur. Sed legendum est, AVRVNCA. Designatur enim, ex indicio quoque antecedentis vocis, SVESS, patria C. Firmidii, *Suessa Aurunca*; quo nomine vocat coloniam in Campaniâ, nunc *Sessa*, Vellæus Paterculus *Lib. I. Cap. XIV.* ubi deductiones Colo- D niarum recenset; & Frontino *de Coloniis* itidem memoratur, apud quem cum vulgata lectio habeat *Arunca*, emendanda venit etiam ex nostro lapide. *L. Pompilius* Commilito Firmidii, cui TITulum De Suo Posuit, erat ex Coloniâ *Celejâ*, cujus cives censos fuisse in tribu VOLtinia, ex hac inscriptione discimus. *Celeja*, vulgo *Cilla*, celebris fuit apud veteres colonia in *Norico*, dicta *Claudia*, ut primus omnium observavit Fabrettus *Cap II. pag.* 104. ex lapide *Gruteriano* 386. 3. cui alios addas, *pag.* 482. 7. & 497. 10. & 11.

FINIS.

INDEX NOMINUM ET RERUM NOTABILIORUM.

Aqui-

Fo-

FINIS.

ADDENDA ET EMENDANDA,

A Viro Excellentissimo Justo Fontanino, *pro sua in nos benevolentia, benigne procurata, & transmissa. Quæ cum, impressione jam finita, advenerint, hic exhiberi debuerunt.*

Pag. 3. lin. 40. post terseram, *adde*: Collectionem vero inscriptionum, quas proferam, adornavit *Josephus Capodaleus* Utinensis, à Secretis *Canonicorum* Aquilejensium, libro Italico, quem inscripsit: *Fragmenta Aquilejensia.* Hujus libri autographum *servat* V. C. *Justus Fontaninus*, mecumque illud communicavit.

P. 17. lin. 51. post 242. *adde*: Strabo *Lib. XIII.*

P. 18. lin. 25. post *gnition*, adde: Plures vates Deos factos, inter quos ipse *Helenus*, vide apud Clementem Alexandrinum *Lib. I. Stromatum pag* 334. *Amphiaraus* & *Amphilochus* habuerunt oraculum apud eundem *in Admonitione ad Gentiles Lib. I. p. 9.*

P. 20. lin. 18. post abiit, *adde*: At *Gisbertus Cuperus* literis ad me datis die 8. Augusti 1707. monuit, in Lapide *Fabrettiano*, quem ipse suis oculis lustravit *Amstelodami*, quo nuper *Româ* perlatus est, scriptum esse: DEF. CARNVNT. hoc est DEF*uncto* CARNVNT*i*. Quare Deus hic *Carnuntes* explodendus est.

P. 30. lin. 3. post Gentiles, *adde*: Vide Catullum *Epigr. XXXIV.*

P. 37. lin. 17. lege: *Timavus.*

Ibid. lin. 28. lege: S. A. P. PROSAI.

P. 40. lin. 12. lege sic: Hirtius Lib. VIII. Cap. XLVI. in fine, *Cæsarem*, ait, in *Gallia* citeriore jus dixisse, atque hæc addit: *ac paucos dies* &c.

P. 50. lin. 8. lege: *Desticia Philenides Liberta* &c. *Serva.*

P. 63. inscriptioni ultimæ *adde* Prænomen Q.

P. 64. lin. ult. post *condita*, adde: De *Troade* hæc habet Lib. XIII. pag. 594. *Nunc etiam Romanorum Coloniam excepit, & est una de urbibus nobilibus.*

P. 66. lin. 6. post autumat, adde: *Forum Julium* in *Umbria* putat etiam Salomon Cellarius *in Origin. Medic.*

P. 67. lin. 17. post chæ, *adde*: qui passim à Scriptoribus ea de causa *Forojulienses* vocantur; & ipsa Civitas dicitur *Metropolis Aquilejensis* in Concilio à *Paulino* Patriarcha celebrato A. 795. cujus hæc sunt verba: *Episcoporum contubernium apud Foro-Julium municipium, metropolim Aquilejensem, coacervatum.* In testamento *Caroli Magni* inter *metropoles Ecclesias* recensetur.

P. 67. lin. 48. post dicitur, *adde*: Initio libelli *Concilii Francofurtensis* sub Hadriano I. *Paulinus*, Præsul Aquilejensis sedis, numerans Episcopos ait: *Collegis Fratribus & Consacerdotibus nostris Liguriæ*, AUSTRIÆ, *Hesperiæ*, *Æmiliæ.*

P. 75. lin. 67. post *adornatam*, adde: *mecumque* à Clarissimo Fontanino, *ut alibi dixi, communicatam.*

FINIS.



Ph. a Turre. G

JOANNIS BAPTISTÆ GOYNÆI,

Pyrrhanensis,

DE

SITU ISTRIÆ LIBELLUS,

Ubi

Ejus Regionis simul Nomen, Termini, Civitates, Ingenia, Eruditi, & Soli Natura, elegantissime & solidissime pertractantur;

Cum

Præfatione & Emendationibus

JUSTI FONTANINI,

A Cubiculo honorario Summi Pontificis Clementis XI.



LUGDUNI BATAVORUM,

Sumptibus PETRI VANDER Aa,

Bibliopolæ, Civitatis atque Academiæ Typographi.

PRÆFATIO TYPOGRAPHI.

Non rarum ſaltem Libellum, ſed & res rariſſime deſcriptas Tibi, *Benevole Lector*, hic offerimus elegantiſſime pertractatas. Sunt iſtæ, lucubrationes eruditiſſimæ *Joannis Baptiſtæ Goynæi*, Pyrrhanenſis, *de Situ Iſtriæ* inſcriptæ. Eæ ut nunc prodire queant, nos adjuvit benignitas Reverendiſſimi ac Excellentiſſimi Domini, *Juſti Fontanini*, *a Cubiculo honorario Summi Pontificis Clementis XI.* qui earum tranſmiſit apographum, a plurimis, quæ ob librarii vitium irrepſerant, mendis multo labore emaculatum. Indicavit ipſe præterea non ſolum loca Auctorum, quæ *Goynæus* generatim laudaverat, ſed addidit etiam Præfationem, quæ Lectorem tum de Auctore noſtro, tum de hujus Libri elegantia pleniſſime inſtruet. Qui Liber cum egregium eruditis promittat commodum, noſtrum duximus eum omni, qua fieri potuit, exhibere elegantia. Nomina propria, quæ in hiſtoricis cardinem rei conſtituunt, Allegationes, & alia, quæ id requirere videbantur, ut eo facilius pateant, diverſis a contextu expreſſimus literis. Indicem tum Capitum, tum Nominum & Rerum Notabiliorum adjunximus, qui omnia, quæ hic habentur notatu digniora, ordine optimo monſtrabunt uno intuitu. His ut feliciter, *Benevole Lector*, fruaris, precamur. Vale.



JUSTI FONTANINI,
A Cubiculo honorario Summi Pontificis Clementis XI.

PRÆFATIO
IN
JO. BAPTISTÆ GOYNÆI,
LIBELLUM
DE
SITU ISTRIÆ.

Istria *postrema* Italiæ *Regio*, *quæ in priscis*, *&* *medii ævi monumentis ob belli pacisque artes celeberrima est*, *quæque primum Regulis suis*, *postea* Romanis, *&* *utriusque* Venetiæ *Correctoribus*, *deinde* Græcis, Francis, *propriis Marchionibus*, *Patriarchis* Aquilejensibus, *&* *tandem* Venetis *paruit*, *hactenus idoneis scriptoribus*, *saltem editis*, *caruit*, *qui dedita Opera universam regionem*, *Civitates*, *populosque*, *pro dignitate*, *posterorum memoriæ commendarent*. *Non defuere antiquitus Viri ingenio clari*, *qui* Istriæ *bella literis consignarent*, *interque hos eminuit* Hostius, *cujus maxima laus est*, Maronem *alicubi sui imitatorem habuisse*, *teste Macrobio* Saturnaliorum Lib. VI. Cap. III. *Sed* Hostii *Poëmata a* Gerardo Joanne Vossio *memorata* in Libro I. de Historicis Latinis, Cap. XVI. *tempus edax nobis invidit*: *post quem*, *demtis fortasse* Flavio Blondo, M. Antonio Sabellico, *aliisque Rerum* Venetarum *scriptoribus*, *ceteri omnes provinciam maxime illustrem pene indictam reliquerunt*, *si unum excipiamus* Petrum Copum, *Istrum ex opido* Insula, *qui A. D.* 1540. Venetiis *ex officina typographica* Francisci Bindoni, *rudi lingua* Italica *opusculum* de Situ Istriæ *vulgavit*, *&* Nicolaum Manzolium, *Justinopolitanum*, *qui eadem pariter lingua*, *&* *stilo æque rudi*, *ab se confectam* Istriæ Descriptionem *in lucem emisit* Venetiis *apud* Nicolaum Bizzardum *A. D.* 1611. *uterque breviter & jejune argumentum copiosum pertractans*.

Sed tandem inventus fuit Joannes Baptista Goina Piranensis, *sive*, *ut ipse dici voluit*, Goynæus Pyrrhanensis, *qui post Sæculorum memoriam patriæ honori consulturus*, Istriam *universam eleganter & accurate Latino sermone describeret*, *cujus lucubrationis apographum olim mecum humaniter communicavit V. C.* Apostolus Zenus, *sed ob vitium librarii tot mendis fœdatum*, *ut non parvum laborem in illo emaculando exhauserim*, *&* *in locis auctorum indicandis*, *quos* Goynæus *plerumque generatim laudaverat*. *Vixit ille medio Sæculo XVI. interque auditores* Romuli Amasæi, *Bononiæ* Græcas Latinas*que literas publice profitentis*, *excelluit*, *ibi enim* Romuli *Scholam longe florentissimam defendit contra* Sebastianum Corradum, *virum pariter literarum gloria conspicuum*, *qui eam læsisse videbatur in politissimo* Dialogo de Vita Ciceronis, *cui* Egnatii, *vel* Quæsturæ *nomen imposuit*. *Liber* Goynæi, *opido rarus*, *quem nuncupavit* Priamo Polæ, *sive* Polano, *ut vocat*, *a* Pola *Civitate*, *in qua ejus majores dominos fuisse*, *in hoc Libello* de Situ Istriæ *testatur*, *hujusmodi inscriptionem præfert*: Jo. Baptistæ Goynæi Pyrrhanensis Defensio pro Romuli Amasæi auditoribus adversus Sebastiani Corradi calumnias. Addita disputatio de conjungenda sapientia cum eloquentia, & enumeratio auditorum Romuli, qui ex priori & posteriori Schola prodierunt. Bononiæ in Officina Vincentii Bonardi Parmensis *MDXXVII. in* 4. *In ipso vero libro* Arnoldum Arlenium, *æque ac* Polanum, *Amasæi discipulum*, *alloquitur*; *laudaturque* Goynæus *in vestibulo Operis* Ode Latina *Petri Angelii Bargæi*, *&* Elegia Græca *Francisci Robortelli*. *In summa opus istud amplissimum* Romuli *encomium*, *ejusque auditorum in utraque Schola* Patavina *&* Bononiensi *luculentam enumerationem complectitur*, *quam alibi damus in nostra* Bibliotheca *sive* Historia Literaria Aquilejensi. *Goynæi autem Cardo Querelarum adversus* Corradum *in hoc vertitur*, *quod* Amasæanos *auditores traducere videretur*, *quasi omnem mentem & cogitationem*

nem

nem ad habendum verborum delectum converterent, rerum cognitionem ipsam plane contemnentes; in aucupandis Ciceronis *voculis, laboris & operæ insumerent plurimum, & omnem sapientiæ curam abjicerent. Hoc* Goynæus *falso dictum esse ab eo tradit, qui vix unum aut alterum diem* Bononiæ *esset commoratus; & de* Romuli *auditoribus, arroganter pronunciari, quorum admodum paucos vix de facie nosset, tantum abest, ut cum iis de studiis fuerit collocutus: Hæc* Goynæus *in* Corradum, *antequam ejus* Quæstura *typis ederetur* Bononiæ *apud* Anselmum Giacarellum *A. D. M D LV. in* 8. *in qua sane de* Romulo *semel, iterum, & tertium honorifice loquitur, &* Goynæum *de se inique conquestum hisce verbis contendit pag.* 3. *ubi* Pierio Valeriano *sciscitanti, anne accusatorem aliquem habuisset, Corradus,* fortasse multos, *respondet*, ut sunt homines ad vituperandum, quam ad laudandum propensiores: sed ego de nemine audivi nisi de Joanne Baptista Goynæo, vicino tuo, Pieri, (*nempe ex Istria, Venetiæ finitima, in qua est Bellunum, Pierii patria*) juvene erudito, & ad dicendum parato, qui nihil in Venere, ut par est credere, quum invenisset quod carperet, Sandalii tamen crepitum reprehendit. Nam quum de Quæstura ipsa ne verbum quidem fecisset, calumniatus est me nescio quid paullo iniquius de Romulo Amasæo scripsisse: quem virum, ne sim, nisi ita colo & observo, ut uni Pompilio filio, præterea nemini concedam: quod & ipse agnoscit, nec jam Goynæus ignorat: qui postquam vere cognovit, me alium esse atque ipse sibi finxerat, nihil habuit antiquius, quam ut meam sibi gratiam per communes amicos conciliaret. Itaque nunc mihi est, ut qui maxime, carus. *Quod ad* Romulum *attinet, certe* Corradus *eum cum laude memoravit etiam* in Præfatione ad Epistolas Ciceronis ad Atticum. *Hæc de* Goynæo *memoriæ succurrunt, cujus Librum non ingratum eruditis futurum ominor, tum ob sermonis elegantiam, tum ob rerum notitiam, non sine ope criticæ artis prolatam: cujus quidem rei illud argumento est, quod* Cap. 1. *quum citasset* Catonem *ab* Annio *vulgatum, cui necdum quisquam larvam detraxerat, quique postea* Sigonium *ipsum decepit, ut mendacem statim refellit.* Quietum *Istriæ flumen non esse* Nauportum *ostendit: quod postmodum* Istri *confixerunt, ut* Emonam *Pannoniæ I. Civitatem, ad quam ab antiquis scriptoribus* Nauportus *locatur, non* Labaci *in* Carniola, *sed apud* Civitatem novam *in* Istria, (*quam tamen* Geographus Ravennas Lib. IV. Pag. 204. *Sæculo VII. Græce* Neapolim *dixit*) *quærendam esse suaderent. De* Justinopoleos *conditore hæsitando disceptat, neque jactatam inscriptionem, jam a viris doctis explosam, adducit. Pugnam quidem pro* Alexandro III. *Pontifice* Venetos *inter & Cæsarianos ad* Salborium, *ubi* Otto *Friderici I. filius captus fuerit, ut rem veram memorat; sed quum nondum quisquam de ea dubitaret. De* Istro *amne, a quo* Istria *originationem traxerit, non vulgaria etiam prodit, ut alia præteream, cuique legenti facile obvia. Quo tempore hanc suam lucubrationem* Goynæus *scripserit, inde eruimus, quod* Copum *sæpe refellit, &* Petrum Paullum Vergerium, *ut adhuc* Justinopolitanum *Episcopum, laudat. Quum vero* Copus *librum suum ediderit A. D.* 1540. *&* Vergerius *Episcopatu dejectus, palam ad* Lutheranorum *castra defecerit A. D.* 1549. *teste Hieronymo Mutio* in Epistolis Catholicis Lib. I. pag. 41. *postquam virus suum jam in vulgus sparsisset A. D.* 1548., *quemadmodum ejusdem Mutii* Vergerianæ *patefaciunt, hinc constat opus* Goynæi *confectum inter A. D.* 1540. *&* 1548. *Nequid vero dissimulem, dum auctor phrasi suspecta, & Catholicis insueta,* Vergerium *ipsum, aliosque unum & alterum, immodice ornat,* Hieronymum *autem* Mutium, *tunc* Istrorum *doctissimum,* Vergerio*que, & aliis conterraneis suis, ejusdem farinæ hominibus, non parum invisum, silentio premit* in Cap. V. *ubi Claros* Istros *recenset; hinc vereor, ne* Goynæus, *ex* Justinopolitana *diœcesi* Pirani *civis, & in utraque* Germania *juvenis olim vagus,* Vergerianis *partibus forte aliquando studuerit, & propterea etiam periculum aliquod incurrerit, de quo subobscure loquatur* in Literis Italicis ad Paullum Manutium *in* Nova Collectione Epistolarum Virorum Illustrium *Venetiis edita A. D.* 1574. Lib. IV. pag. 120. *Idem Mutius* in Epistolis Catholicis *proxime adductis* Lib. I. pag. 48. *ait nonnullos ex* Istris *Vergerii Sectatoribus palinodiam cecinisse. Ceterum in tanta luce literarum siquæ* Goynæanæ *lucubratiunculæ, ex remotiori antiquitate sumtæ deerunt, hæc supplere facile poterit summa industria Philippi Cluverii* in Italia Antiqua Lib. I. Cap. XXI.

AUCTORIS
Ad Pyrrhanensium Adolescentum Academiam
PRÆFATIO.

Cum superioribus hisce annis, *Adolescentes Studiosissimi*, ex *Istria* decedens, multarum gentium & nationum loca regionesque peragrarem, & per *Japides* primum, deinde *Carnos*, *Tauriscos*, *Noricos*, *Pannonas* superiores, *Rhetos*, universamque prope *Germaniam* & *Galliam Belgicam* iter haberem, nullam ego majorem unquam capiebam animo voluptatem, quam cum itinerum meorum rationem cum antiquorum auctorum, qui de his regionibus memoriæ aliquid prodidere, assidua lectione conferebam. Verum etsi magnam quidem eam per idem tempus sentire videbar, cum tamen ad patriæ terræ situm considerandum mentem cogitationemque applicavi, tunc demum perfectam & absolutam eandem percipere incepi: tunc reliqua externa sordescere mihi sunt visa; tunc denique hanc unam mirari, & ejusdem spectaculo pasci in primis placebat; neque id quidem, ut ego arbitror, fortasse immerito, quando, ut Ovidius ait Lib. I. de Ponto Eleg. III. vers. 35.

Nescio qua natale solum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non sinit esse sui.

Quod & apud *Homerum* sæpenumero *Ulysses*, & *Lucianus* in Patriæ Encomio, confirmare videntur. Quapropter cum in schedulis meis jamdudum dissipata quædam atque dispersa de hac ipsa patria nostra domi jacerent, honestum sane, ni fallor, me desiderium cepit, ut ad vestram, & reliquorum *Istrorum* meorum voluptatem, hæc, in unum redacta libellum, in manus hominum emitterentur, in quo quidem labore meo, si nihil aliud vel fructus, vel voluptatis, plane percepero, spero vos tamen omnes & diligentiam meam, & meam in patriam pietatem probaturos esse, nam ut *Lucillius* ille poëta gravissimus, *Tarentinis* & *Consentinis* suis tantum scribebat, ita ego paucis *Istris* meis hunc libellum edidisse, intelligi cupio, ex quorum tamen numero si qui forte exstiterint, pallio & barba sapientiam prætendentes, qui mea, ut alias facere consueverunt, naso adunco suspenderint, hos quæso rogate, Adolescentes, ut vigilias meas plane discerpant, modo meliores ostendant suas, nam quod ad vos ipsos pertinet, ea vultus & animi alacritate libellum meum, ut spero, excipietis a cive vestro, & studiorum aliquando etiam adjutore, quo excipi debet qui de patria terra pertractans, vobis dicatur. Valete.

INDEX
CAPITUM.



JOANNES BAPTISTA GOYNÆUS,

Pyrrhanensis,

DE

SITU ISTRIÆ.

Caput I.
De Istriæ Nomine.

ISTRIÆ igitur nomen unde fuerit ei impositum, variæ sunt Auctorum sententiæ. *Cato* quidem *in Originibus* ab *Istro* duce, in hanc regionem a *Jano* misso, dictam affirmat; nonnulli vero ex *Græcis* scriptoribus, ut idem ait, ab *Istro* flumine, cui cognomen *Danubio*, nominatam arbitrantur, unde *ramum ejusdem in Istriam effluere, & in mare Adriaticum mergi*, fabulantur: ex quibus certe verbis facile colligi potest, primam quidem opinionem *Catoni* satis probari, alteram vero haud omnino placuisse, eam tantum ob rationem, quod nullum sua ætate ex *Istro* ramum in *Adriaticum* descendere maxime nosset, quod & Strabo *Libro primo* contra *Eratosthenem*, & Plinius *Lib.* III. *Cap.* XVIII. adversus *Cornelium Nepotem*, sentire videntur: quo in loco etsi *Ovidii*, *Aristotelis*, & *Pontani* sententia in Meteoris, eorundem opinioni occurrere possem, qui & fontes & flumina, & maria denique ipsa temporis spatio mutari ajunt, ita ut vel occultentur & lateant, ubi prius exstabant; vel nova etiam appareant, ubi nulla jam fuerant, supersedebo tamen in præsentia hoc labore, & veram tantum esse *Græcorum* opinionem ostendam, qui ab *Istro* fluvio appellatam *Istriam* asseruere, & præsertim cum *Latini* prope omnes scriptores in hoc consentiant, inter quos *Justinus*, in primis gravis historicus, *Lib.* XXXIII. *Cap.* III. ita scribit: *Romanos quoque Cimbrici belli tumultus, velut ultor sacræ pecuniæ, insecutus est. Ex gente Tectosagorum non mediocris populus prædæ dulcedine Illyricum repetivit, spoliatisque Istris, in Pannonia consedit. Istrorum gentem fama est originem a Colchis ducere, missos ab Æeta Rege ad Argonautas, raptoremque filiæ persequendos; qui, ut a Ponto intraverunt Istrum, alveo Savi fluminis penitus invecti, vestigia Argonautarum insequentes, naves suas humeris per juga montium usque ad littus Adriatici maris transtulerunt; cognito quod Argonautæ idem propter magnitudinem navis priores fecissent: quos ut avectos Colchi non reperiunt, sive metu Regis, sive tædio longæ navigationis, juxta Aquilejam consedere, Istrique ex vocabulo amnis, quo a mari concesserant, appellati.* Hactenus quidem *Justinus*, ex cujus verbis *Cato* refellitur, & *Istriam* ab *Istro* Flumine nominatam comprobatur. Sed ad *Justini* parumper verba attendamus: *juxta Aquilejam*, inquit, *consedere*: quibus verbis adductus *Blondus* Forum-Julii in *Istria* contineri falso existimavit. Per *juga* autem *montium* transtulisse humeris *Colchos* navim, *Justinus* asserit, quod & *Plinius*, a diligentioribus scriptum esse testatur, quorum gravissimorum Auctorum sententiam quia *Blondus*, *Zacharias Lilius*, *Pius*, & infiniti prope alii Geographi collaudarunt, nos etiam ab eorum opinione non recedemus, *Istrorum*que nomen atque originem a *Colchis* ductam esse dicemus, qui per *Istrum* navigantes in *Savum* delati fuerint, & in-
A de, ut ait *Plinius*, in *Nauportum*, cui nomen ab ea caussa sit impositum, quod *navis* fuerit *portus*: quam tandem ad *Adriæ* littora humeris transvexerint: quo in loco duplici ratione mihi reprehendendus est *Petrus Copus*, qui ad ipsius *Plinii* & *Justini* verba connivens, per *Quietum* fluviolum, quem *Nauportum* ipse appellat, navim delatam in *Adriaticum* ait; cum tamen humeris eam translatam usque ad littus *Adriaticum*, apertissime Auctores isti testentur: & rursus quod *Nauportum* pro *Quieto* intelligat, cum pro illo potius, qui medium interfluit *Labacum*, sive *Lubianam*, esset accipiendum: quod & *Georgius Pirckeimerus*,
B & *Franciscus Irenicus*, & veritas etiam ipsa, ostendunt; quippe inde humeris traductam navim in *Adriaticum* nemo negavit, qui fluvium eum, ut ego ex opidanis percepi, cum per *Carnos* in in *Germaniam* iter haberem, cum *Savo* & *Istro* commisceri intelliget. Qua quidem in re & *Zacharias Lilius*, & *Blondus* primi errarunt. Sed animadvertendum esse arbitramur, rectius omnino apud Strabonem *Nauportum*, quam *Naupontum* legi debere. Et hæc quidem de *Istriæ* nomine satis multa, si unum illud tamen addidero, Franciscum Irenicum *in Exegesi Rerum Germanicarum* insanire, qui *Istriam* ideo *Germaniæ* Coloniam
C esse nugatur, quod ab *Istro* Germaniæ flumine sit appellata; nam nusquam ille apud graves & doctos scriptores isto modo factas & deductas esse colonias inveniet; nec, si nomen ipsius *Istri* respiciat, *Germaniæ* fluvium, dici debere cognoscet, sed *Pannoniæ* potius; a confluente namque inferius ad *Euxinum* usque *Ister*, superius vero ad *Abnobam* montem, unde oritur, *Danubius* appellatur, teste *Appiano* in *Illyrico*, Strabone *Libro* VII. & Sabellico *Enneadis Sextæ Libro* IX. Navigarunt autem *Colchi* per *Istrum* tantum, non per *Danubium*. *Savum* enim ingressi, ubi confluit, in *Nauportum* devenere. Sed ad *Istriæ* terminos
D veniamus; quos tamen antequam enumeremus, *Petri Copi* erratum animadvertere libet, qui *Istriam* aliquando *Japidiam* fuisse dicit contra omnium scriptorum tum vetustiorum, tum recentiorum sententiam.

Caput II.
De Istriæ Terminis.

RUrsus hic mihi occurrit *Petrus Copus*, quem, ita me Deus bene amet, ut summo etiam amore prosequor vel ob id, quod studiorum similitudine mihi conjungitur, vel quod ex eadem regione & patria prope sit ortus, ex qua ego o-
E riginem duco. Verum non possum ei non contradicere pro veritate elicienda, pro qua etiam, ex *Aristotelis* sententia *Primo Ethicorum*, mea refellere sum paratus, si minus vera me prodidisse aliquis aliquando declaravit. Is igitur in suo quodam Libello *de Situ Istræ* inscripto, nescio quo consilio, vel cujus scriptoris auctoritate ductus, *Istriæ* initium a *Timavo* facere voluit. Cum tamen a *Formione* amne omnes eam incipere passim testentur, & usque ad *Arsiam* fluvium pertinere. Antiquus enim *Italiæ* terminus, nunc vero *Istriæ*,

auctore Plinio *Lib.* III. *Cap.* XVIII. *Formio* amnis: quæ Imperatorum tempore, teste Strabone *Libro* VII. longius propagata usque ad *Arsiam*, Istros etiam est complexa. *Istriæ* autem termini, ut *Zacharias Lilius*, & *Blondus* ipse testantur, hi duo fluvii. *Timavum* vero non in *Istria*, sed in *Japidia* defluere, certo scimus; ita enim gravissimus Poëta ait *Georgicorum Lib.* III. *vers.* 475.

Castella in tumulis, & Japidis arva Timavi.

Quod & ex Pomponio Mela *Lib.* II. *Cap.* IV. ex *Plinio* & *Strabone* colligi facile potest. Sed animadvertendum nunc ad illud, quod *Pomponius* & *Appianus*, in *Illyrico* Istriam comprehenderunt; quæ tamen posterioribus temporibus, ut ostendimus, ipsi *Italiæ* donata fuit, cujus forma, ut inquit Plinius [1], tanquam *peninsula* in Adriaticum mare *excurrit*, Latitudo autem *quadraginta millibus passuum*, & ambitus *centum & viginti duobus millibus* constat: a quo gravissimo Auctore non multum dissentit *Blondus*, cum iter per montes ex *Formione* amne ad sinum *Fanaticum*, vel *Phlanaticum* (vulgo *Quarnarum* appellant) quadraginta millium passuum esse testetur, & maritimum si quis conficiat, centum & viginti quinque constare affirmet. Hæc eadem a septemtrione habet *Japides*, quos *Japodas* Strabo vocat: ab occasu & meridie finitur *Adriatico*, ab Oriente *Dalmatiæ* jungitur. Verum cum in unaquaque provincia plura considerentur, nos tria in primis in *Istria* diligentissime examinabimus, & primum quidem Civitates omnes tum veteres, tum recentiores, deinde Hominum Ingenia, tertio Soli Naturam perpendemus: quibus perfectis & absolutis, extrema manus Libello nostro imponenda erit.

CAPUT III.
De Istriæ Civitatibus antiquioribus.

SI qua igitur est in tota *Istria*, quæ & nobilitate & antiquitate maxime excellat, est *Pola* in primis, meo judicio, quæ, ut *Pomponius* ait *Libro* II. *Cap.* III. quondam a *Colchis* fuit habitata, deinceps *Romana* facta Colonia. Cum cujus verbis concordare videtur *Plinius*, qui ab eisdem eam conditam fuisse dicit, & posterioribus annis eodem deductam a *Romanis* Coloniam, cui nomen esset impositum *Juliæ Pietati:* quo in loco minime prætereundum arbitror *Stephani*, Græci auctoris, errorem, qui *Polam* Illyrii opidum esse putavit: ex qua quidem nobilissimam & maximam *Gradonicorum* Patriciorum gentem *Venetiis* originem ducere tradit *Sabellicus*, & *Hadrianus Barlandus* in Libello *de Venetorum Ducibus:* cujus dominatum aliquando clarissimi & nobilissimi *Sergii Polani*, qui nunc *Tarvisii* habitant, obtinuere, nam cum *Bononiæ* ob capiendum ingenii cultum superioribus annis commorarer, id sæpenumero *Priamus Polanus*, adolescens optimarum artium studiosissimus, mihi narravit, audivique ex *Polæ* nobilioribus civibus. Apparent autem in eadem multa præclara atque illustria antiquitatis vestigia, & præsertim omnium, quæ in *Italia* sunt, pulcherrimum amphitheatrum: occurrunt hic Epigrammata antiquissima & frequentissima, quæ siquis legere optaverit, librum eum sumat in manibus, qui *Fuggerorum Augustanorum* jussu ex pluribus *Europæ* & *Asiæ* partibus, fuit collectus, ut silentio id interea transeam, quod *Pola* amplissimo & tutissimo portu sit a natura ornata, in quem *Romanorum* & *Gothorum* temporibus infinitus prope navium numerus reciperetur. Post eam, *Plinio* teste *Lib.* III. *Cap.* XIX. *Arsiam* versus opidum fuit *Nesactium*; cujus, quod sciam, nulla nunc memoria exstat, nisi forte, ut *Copus* conjectat, eo in loco fuerit situm, quod *Cisana* appellatur, ubi etiam nonnulla exstant antiquitatis indicia. Verum quominus ei assentiar, *Lib.* XLI. *Cap.* XV. *de bello Istrico* tractans, *Livius* facit, qui fluvium interfluere opidum dicit, cum hic nullus plane sit fluvius. Ab alia parte, quæ ad *Formionem* spectat, *Parentium* visitur, de quo *Plinius:* quod & admirabili quodam portu maxime excellit, & in quo summopere labitur *Stephanus*, Græcorum omnium Geographorum negligentissimus; nam non in *Istria*, sed prope Istriam *Parentium* esse ait. Exiguus est nostra ætate locus; & quia ventis meridionalibus est objectus, & potabilis aquæ laborat copia, non valde frequens, ubi etiam *Pullarias insulas*, appellatas, esse puto, vel prope *Polam*, de quibus Plinius *Lib.* III. *Cap.* XXVI. meminit, contra *Blondi Flavii* opinionem, qui *Justinopolitanorum* insulam *Pullariam* dictam fuisse olim existimat: quam ego potius a Plinio *Cissam* vocari puto: neque enim una tantum erat *Pullaria*, sed plures, quod ex ipsius *Plinii* verbis maxime patet; at *Parentii* multæ sunt tales, ut egomet vidisse recordor, quæ *Adriaticis* fluctibus objectæ portum tutissimum reddunt. *Justinopoli* vero unicam tantum, a Parentio, *Ægidam* statuunt, cujus ruinæ mari obrutæ, prope *Humagum*, æstu maris recedente, videri aliquando solent: quem locum incolæ, vim verbi *Græci* retinentes, *Italico* idiomate *Capras* appellant, licet *Copus* alter sentiat, de *Pyrrhano* nescio quid dictitans, ut *Palladius* etiam *Fuscus*, in libro *de Situ oræ Illyrici*, alibi *Ægida* fuisse innuens: & hæ quidem omnes ad *Adriæ* Littus sitæ sunt urbes. In interioribus autem partibus tres collocat Ptolemæus *Lib.* III. *Cap.* I. quarum alteram *Piquentum*, alteram *Pucinum*, tertiam *Alvum* nomine appellat. Priores duas, nostro sæculo non valde magnas, literis paullum immutatis *Pisinum*, & *Pinguentum* vocitamus. *Pucinum* autem istud aliud esse a *Castello* illo *Pucino*, unde vinum pretiosissimum, cui *Livia Augusti* [2] annos LXXXII. acceptos retulit, nomen desumpsit, ex verbis Plinii [3] percipi potest, qui in *Japidia* inter *Tergestum*, & *Timavum*, illud constituit, & nostra lingua *Prosecum* hodie nominatur; nam ab hac arce potius, quam a *Duino* (ut *Copus* innuit) dictum vinum arbitramur, quod sub hac maxime nascatur optimum, & longius a *Duino*, quam a *Tergesto* locus absit, unde si ab aliquo loco præterquam ab ipsa arce, quæ imminet, nominari debuisset, certe a *Tergesto* potius, præclara & illustri Civitate, & viciniori, quam a *Duino*, ignobili & obscuro opidulo, nominari debuisset. Post has, alias duas recenset Livius *Lib.* XLI. *Cap.* XV. quorum alteram *Faveriam*, alteram *Mutilam* appellat, quarum & *Nesactii* dirutione, in quod Principes *Istriæ*, & *Æpulo*, eorum Regulus, confugerant, bellum *Istricum* finitum fuit. Et hæc quidem quoad vetustiores regionis istius civitates pertinent; nunc ad recentiores transeamus.

CAPUT IV.
De Istriæ Civitatibus recentioribus.

ITa est autem natura comparatum, ut rerum omnium perpetua sit quædam vicissitudo ac immutatio: omnia siquidem, ut Aristoteles ait *in Libris de Cælo*, quæ oriuntur, necessario intereunt. Quapropter haud mirum certe videri cuiquam debet, si quemadmodum in reliquo *Italiæ* ambitu, ita in *Istria* quoque acciderit, ut, quæ olim claræ atque illustres Civitates exstiterint, harum vel plane nullum appareat vestigium, vel obscuriores, multo minores, & infrequentiores

1. *Libro* III. *Cap.* XIX.

2. Apud Plinium *Lib.* XIV. *Cap.* VI.
3. *Lib.* III. *Cap.* XVIII.

res effectæ fuerint; & rursus aliæ in eorum locum novæ successerint, quæ nunc temporis maxime floreant: ex quarum numero in *Istria* inter reliquas mihi præcipua videtur *Justinopolis*, a *Formione* quinque millibus passuum distans, quam *Istri* populi, *Sclavonico tumultu territi*, teste Sabellico *Enneadis* VIII. *Lib.* II. & Blondo *de Italia instaurata*, ex continenti in insulam confugientes, cui nomen *Capraria* fuit, condidere, & in gratiam *Justini*, qui tunc orientis imperium obtinebat, *Justinopolim* dixere. Incolæ autem adhuc *Capratiani* nominari consueverunt; quamvis *Enneade* VIII. *Lib.* IV. ex nonnullorum sententia dicat auctor idem, temporibus *Bucellini*, qui agrum *Istrorum* devastavit, eorundem principes homines ad declinandam Barbarorum injuriam, a *Justino* Seniore, qui *Justinianum* adoptavit, in hac insula collocatos, urbe ibidem ædificata, quæ ejus nomen retinuerit. Quod si verum esse statuimus, *Petrus Paulus* ille *Vergerius* Junior, *Justinopolitanus* Episcopus, omnibus ingenii & eloquentiæ laudibus ornatissimus, quod ejus bona cum venia & summa hominis reverentia, cui debeo supermaximam, dictum velim, in prælectione Juris Civilis lapsus fuit, qui a Justino *instauratam* ait, cum de *instauratione* nusquam sit mentio. Ab hac parum abest *Insula*, opidulum certe pulcherrimum, quod etsi ætate nostra junctum sit continenti, tamen procul dubio credendum arbitror olim in insula constitutum, unde illi nomen quoque contigerit: in quo quidem, ut *Petro Copo* assentior, ita de ejusdem antiquitate mihi plane venit in dubium, nam nullum de hac re auctorem habeo. Sed ab ista non procul abest *Pyrrhanum*, patria mea, ut Zacharias Lilius ait, *opidum nobile*, ut Blondus Flavius, *civitas*, & inter utramque *Aquaviva*, nitidus fluvius. Sed de *Pyrrhani* constructione apud nullum fere scriptorem legisse meminimus; magnam tamen sæpenumero, & fortasse veram facimus conjecturam, ab *Aquilejensibus* fuisse conditum: & hac quidem via & ratione, quam in præsentia exponemus. Legimus apud *Paulum Diaconum*, *Blondum Flavium*, & tandem apud omnes, qui de *Attila* aliquid prodidere, in *Aquilejæ* dirutione, & *Altini*, *Concordiæ Heracleæque*, captivitate, plerosque multos e Nobilibus, ut suæ suorumque vitæ atque saluti simul consulerent, ad loca maritima confugisse, ubi *Gradum* opidum, *Caprulas*, *Majorbum*, *Buranum*, & *Venetiarum* denique Civitatem condidere, sperantes scilicet, se ita tutos futuros a Barbarorum injuria & detrimento. Quod si ita est, ut certe nemo negare debet, quid prohibebit, quæso, quando dicamus, ex eis aliquos, naves ingressos, ad adversa maris *Adriatici* littora navigasse, ut ibi in tutum locum sese reciperent? Et præsertim cum ad hoc faciendum naves minime deessent: nam, teste *Herodiano*, *Capitolino*, *Paulo Diacono*, & *Blondo*, Aquilejæ nobilissimum erat emporium, quo undique convehebantur per *Adriam* peregrinæ merces, ita ut in iis partibus *Pyrrhanenses* mei consistentes paullatim ligneas domos ex vicina sylva ædificare inciperent, deinde ampliores & splendidiores cursu temporis fabricarent, idque in extremo ipsius maris littore, quo Barbari pervenire ex interioribus *Istriæ* locis minime possent? Quæ quidem nostra opinio si nonnullis morosis & invidis ingeniis minime satisfecerit, rursus afferam aliam conjecturam, quæ certe haud poterit improbari, nam, ut paullo superius etiam diximus, tum *Sclavorum*, tum etiam *Bucellini* temporibus si ob hoc fuit condita *Justinopolis*, ut ibidem tuto agerent a Barbarorum incursionibus Nobiles *Istri*; cur de *Pyrrhano* idem asserere nequeamus? Et præsertim cum eo plane in loco sit

A situm, ut difficile cum equitibus, tum peditibus ad illud aditus pateat: quod ita verum esse crediderim, ut falsissimum plane illud constantissime audeam affirmare, quod ajunt nonnulli, a *Pyratis* denominari; nam a forma potius *Pyramidis*, quam retinet promontorium, in quo est conditum, appellatum judicaremus, ut prætercam, quod tertio loco orthographiæ ratio, inde non esse dictum, maxime ostendit. Duos habet nobilissimos portus, quorum alter urbi inest, longe in mare projecta, & summis expensis exstructa mole, qua a ventorum & tempestatum injuria servantur naves; alter vero ab eodem non
B procul abest: & hic quidem majoribus navigiis sustinendis aptissimus, ubi sæpius ingentem eorum numerum ego conspexi, quæ, ut *Venetias* proficiscerentur, commodam tempestatem exspectabant. Eximia vero & excellens super omnes alias uni tantum patriæ meæ ex omnibus *Istriæ* Civitatibus debetur laus, quod *Genuensibus*, eam oppugnantibus, sola eis acriter restitit, reliquis omnibus ad eorum imperia facienda sponte, vel timore adductis, & a *Venetorum* obedientia alienatis, ut *Sabellicus* ipse testatur. Sed hæc de patria hactenus; a qua per quinque millia passuum distat *Salborii* promontorium, ad quod *Alexan-*
C *dri* III. Pontificis tempore, qui *Venetiis* sub olitoris persona latuit ob timorem *Friderici Barbarossæ*, captus fuis *Otho* Imperatoris filius, prælio navali commisso cum *Sebastiano Ciano* Venetiarum Duce, pro Pontifice dimicante; qua in re (Deum immortalem!) quantum lapsus est *Sabellicus*, qui *Enneade* IX. *Lib.* V. in Japidia *Salborium* esse crediderit, cum tamen in *Istris* sit constitutum. Inter *Pyrrhanum* & *Salborium* fluit *Draconius* (nunc *Dragognam* appellant) fluvius. A *Salborio* est *Humagum*, deinde *Civitas nova*, civitates ambæ ob aëris intemperiem haud omnino tutæ. *Humagum* tamen & portu, & clementiori cœlo alteri
D præstat. Post has supra *Parentium* & *Arupinum*, quod *Ruignum* appellant, opidum quidem haud spernendum, in *rupibus*, unde dictum, olim conditum, ut *Copus* asserit. Verum nos secus arbitramur, qui *Arupinum*, vel *Aurupinum*, in *Japidia* fuisse dicimus, ex *Appiano* in Libello, qui *Illyricus* est inscriptus. In mediterraneis vero sunt *Buleæ* & *Montona*, amœna & frequentia satis loca, & cum aëris clementia, tum etiam rerum omnium copia valde præstantia. Est *Dignanum* & *Grisignana*, *Primontium*, *Portula*, *Raspum*, *Castrum novum*, & infinita prope alia opidula, de quibus si quis diligentius proditum videre cu-
E pit, is adeat *Petrum Copum* & *Blondum*, in hac re diligentissimos, & ob hoc etiam ab *Istris* omnibus valde amandos. De *Stridonis* autem opido, quod *Sdregna* nonnulli vocant, ex quo ortum ajunt *Hieronymum* gravissimum & sapientissimum Ecclesiæ *Christianæ* propugnatorem, multa quidem dicenda essent, & præsertim contra *Wimphelingum* Germanum, qui supra vires etiam contendit, eum fuisse *Germanicum*, digna me hercle flagris dementia. Verum cum *Zacharias Lilius* & *Blondus* eum ex isto opido genitum testantur, haudquaquam temere ad horum gravissimorum hominum sententiam adjiciendum putavi; neque mi-
F ror etiam Erasmum Roterodamum *in præfatione in Hieronymi Libros*, non libenter omnino *Istrorum* judicio acquiescere, cum, exemplo *Æsopicæ* vulpis, quæ caudam omnibus aliis abscindendam vulpibus exhortabatur, quia casu suam absciderat, ita ipse, qui inter Barbaros natus fuit, *Dalmatam* potius, quam *Italum* optabat esse *Hieronymum*: neque id obstat, quod adducunt ex ejus Libro *de Viris illustribus*, eum ortum esse *ex opido Stridonis*, quod *in Pannoniæ & Dalmatiæ confinio*,

nio, positum fuit; quandoquidem maxima pars *Istriæ* a *Dalmatis* habitabatur: & *Pannones*, ut *Sabellicus* ait, quamquam si ad antiquos Geographorum terminos respexerimus, a *Dalmatis* sunt discreti; tamen prorogarunt aliquando longius limites, & partem *Illyrici* occuparunt, ut *Blondus* etiam ipse testatur, ita ut facile in hanc veniam sententiam, *Hieronymum* hac ratione esse *Istrum*, & præsertim, si vera sunt ea, quæ tradit *Blondus* de monumento *Eusebii* ejusdem patris. Sentiant quicquid velint cæteri vel invidi, vel iniqui hujus rei æstimatores. Sed de *Istriæ* Civitatibus satis, ut opinor, multa. Nunc ad reliqua, quæ promisimus, transeamus.

CAPUT V.

De Ingeniis Istriæ.

ISTRORUM Ingenia (quod ingenue fatendum arbitror, & negari minime potest omnino) mirum in modum mitia, atque ad humanitatem sunt maxime prona, licet Livius *Lib.* x. *Cap.* II. aliter sentiat, qui ferum *Istrorum* genus appellarit: durata laboribus corpora, & eorundem tolerantissima, si quæ alia usquam in tota *Italia* multa olim in armis cum adversus *Romanas* Legiones prope *Aquilejam*, & alibi sæpius, teste Livio *Libro* XLI. *Cap.* VI. *&* IX. tum contra *Venetos* forti & excelso animo, *Sabellico* auctore, gesserunt. Ad Literas vero a natura quasi facti videntur *Istri*, & nisi paupertas ipsa obstaret, maxima & excellentissima ex eisdem quotidie prodirent ingenia; nam ad quodcumque Literarum genus hi se converterint, summum in eo laudis & gloriæ fastigium occupant. Et ut a *Justinopoli* initium faciamus, *Petrus Paulus Vergerius* Senior, ex nobilissima *Vergeriorum* gente ortus, libellum edidit *de ingenuis Pueris instituendis:* quo uno ingenii sui monumento vel propter summam in eo *Ciceronianam* eloquentiam, vel propter morum præcepta sapientissima, tantam apud bonos omnes laudem meruit, ut post mortem immortalitatem sit consecutus. Hic carissimus *Carrariensibus* Principibus vivens fuit, quorum omnium vitas, ut *Patavii* visuntur, & breviter & eleganter conscripsit. Adde quod & postremo ab eorum interitu, *Sigismundo* Pannoniæ Regi, inter primos habitus fuit: ex cujus posteris nobilissimis tres eodem tempore fratres exstitere, quorum alter, qui *Aurelius* est appellatus, summo semper honore & pretio a *Clemente* VII. Pontifice Maximo affectus fuit; alter deinde, *Joannes Baptista* nomine, ob vitæ & morum integritatem *Polæ* Episcopus declaratus; tertius denique *Petrus Paulus* Junior, *Justinopolis* item Episcopus, humaniorum studiorum, & Evangelicæ lectionis studiosissimus, addo, omnibus magni & excellentis ingenii & eloquentiæ viribus præditus: ad quos accedit *Othonellus Vida* jurisconsultorum eloquentissimus, & eloquentium jurisconsultissimus, ut silentio prætercam *Georgium Bellum*, *Marcum Nutium*, & *Franciscum Grisonum*, juvenem eruditissimum, *Joannem Natalem a Navilio*, jurisperitos omnes, omnes politiorum literarum cognitione, & vitæ probitate clarissimos. *Nicolaus* autem *Vercius* tanta humanitate, morum & vitæ innocentia, tanto denique omnium virtutum & laudum genere præditus, ut ab omnibus perpetuo prædicetur, ametur, & observetur. Philosophi vero illustres, e senioribus, *Franciscus Zarotus*, cum interiorum studiorum scientia, tum morum elegantia admirandus. Ab hoc *Christophorus Vercius* mihi occurrit, qui tantos in Philosophiæ, & optimarum artium cognitione progressus fecit, ut magnum aliquando ab eo juvene sit perventurum ad patriam ornamentum: neque enim ex

A tanto ingenii acumine, & tam profunda rerum omnium scientia exiguum quidquam & leve exspectari vel debet vel potest. Deinde *Zarotus* adolescens, meo judicio, bonorum omnium studiorum cupidissimus, & incredibili humanitate, modestia, & pietate etiam præditus, cum de se aliquando documentum dabit, ut ejus nomine patria terra per se illustris multo illustrior sit futura. Prætermitto hic *Annibalem Grisonum*, & *Christophorum Zarotum*, qui in *Ovidii Ibin* Commentarios scripsit, viros omni laude, præconiorumque genere dignissimos. Taceo *Andream Divum*, senem optimum, a quo *Homerus*, *Theocritus*, & B *Aristophanes* in Latinum sermonem conversi sunt. Sed quonam te piaculo sileam, *Antoni Heli*, juvenem omnium, quos unquam noverim, præter literarum cognitionem, humanissimum, propter cujus singularium virtutum cumulum, a summis ecclesiæ omnium ordinum principibus amaris, coleris, in oculis ipsis haberis, a quo ego tam liberaliter, nisi animus alio conversus fuisset, ut, cum *Marcello Cervino* Cardinali Sanctæ Crucis quotidie essem, e *Germania* usque sum invitatus? O humanitatem liberalitatemque a me perpetuo prædicandas! Sed de te alias copiosius, mi *Antoni*. Reliqui sunt duo studiosissimi iidemque doctissimi C juvenes *Aloysius Carrerius*, & *Ambrosius Luscus*, de quibus alibi. Nunc ad propositum negotium jam revertar, & primum quidem, ut e *Justinopoli* jam discedamus, floret in *Insulæ* opidulo *Petrus Copus*, propter summam ejus industriam in *Istria* terra illustranda positam valde laudandus. *Pyrrhani* vero etsi multi olim ex *Vitalium* præclara familia, & ex *Goynæorum*, *Apolloniorum*que gente multi exstiterint laude digni, ad eos potius nostram orationem breviter convertemus, qui nunc clari & illustres vivunt, inter quos Jurisconsulti primi mihi occurrunt, *Marcus Petronius*, & *Marcus Antonius Venerius*, quorum alter D tanta morum & vitæ probitate, tanta librorum sacrorum cognitione excellit, ut quem cum eo conferam, habeam neminem; alter vero usque adeo admirabili eloquentiæ vi, & ingenii acumine pollet, ut perpetuo eum amarim atque suspexerim. Hos subsequitur *Nicolaus Goynæus* frater, a quo juvene magnum & patriæ & familiæ nostræ accessurum ornamentum summopere spero. In humanioribus autem studiis mirum est quantum excellat *Ambrosius Phæbeus*, & *Joannes Antonius Petronius* præceptor meus, a quo, tanquam a purissimo fonte, literarum latices hausi. Huc accedit *Petrus Rosignolus*, tanta *Platonicarum* re- E rum scientia, tam excellenti librorum sacrorum cognitione, tam multiplici rerum variarum notitia, ut semper ejus eruditionem fuerim admiratus. E Medicorum vero ordine unus tantum, sed is quidem talis, qui multorum instar haberi possit, *Joannes Antonius Apollonius*, Philosophiæ & artis Medicæ studiis, caritatis & benevolentiæ vinculo mihi conjunctissimus, cujus ego adolescentis ingenii præstantiam, & Medicinæ peritiam ita admiror, ut plane animum meum explere non possim. Sed transeo jam ad *Parentium*, in quo *Franciscus Panthera*, ut *Istrorum* omnium fere in postremo loco situs, ita (Deum immorF talem testor) cum aliorum quolibet conferendus, sive enim ad Philosophiæ studia spectes, sive Evangelii doctrinam in eo consideres, nemo eodem perfectior & absolutior reperietur. Verum hactenus de studiosorum hominum ingeniis; nunc de his, qui in armis & rei militaris peritia clari evasere, pertractemus, ex quorum numero *Justinopoli* ex *Tarsiorum* familia exstitere duo, quorum alter sub Pontifice Maximo militavit, & totius exercitus rector & gubernator creatus fuit, qui

qui cum unici filii sui interfectorem obvium sibi factum interimere posset, tamen inermi & ad genua abjecto vitam ipsam condonavit. Alter vero *Damianus* Reipublicæ *Venetæ* stipendia diutissime fecit, & summam etiam inde gloriam reportavit, ut taceam *Antonium Zarotum*, qui magna cum laude triremium Præfectus a *Venetis* declaratus, multas res præclaras edidit. Postremus vero mihi occurrit *Johannes Baptista a Castris* Pyrrhanensis meus, qui ob excellentis artis militaris peritiam, ob strenua & præclarissima in bello gesta, maximis a Republica *Veneta* afficitur præmiis, de quo quidem viro alias alii copiosius scribent fortasse.

CAPUT VI.

De Istrici Soli Natura.

INterea quæ maxime ad usum hominum expetuntur, quatuor præcipua in *Istria* reperiri consueverunt, & tria quidem copiosissima, ut vinum, sal, & oleum; reliquum autem, quod est frumentum, non omnino nascitur multum, quod sive soli ipsius ingenio, sive hominum negligentia accidat, asserere quicquam certe minime possum; credo tamen Poëtæ dictum esse verissimum, cum ait Georgicorum Lib. I. vers. 54.

Hic segetes veniunt, illic felicius uvæ;
Arborei fœtus alibi.

Quicquid autem fert, id in suo genere est præstantissimum; nam quod primum ad vinum pertinet, cujus apud Dioscoridem *Lib.* V. *Cap.* V. & Galenum *in Therapeutica* seu *Methodo medendi Lib.* VII. *Cap.* VII. *Lib.* XII. *Cap.* IV. & *in Methodo ad Glauconem Lib.* II. *Cap.* III. sub vini *Adriani* nomine fit mentio, & etiam *Lib.* IV. *Cap.* VI. & *Lib.* V. *Cap.* V. *de Sanitate tuenda*, ex eo genere mihi videtur, quod *Lib.* VII. *Cap.* V. Therapeutices οἰνώδη, hoc est, *vinosum* & potens appellat, contrarium videlicet ei, quod Hippocrates ὀλιγοφόρον, hoc est, *pauciferum* & *imbecillum* nominat ibidem apud *Galenum*. Oleum vero adeo excellens, ut [1] cum *Venafrano*, & quocumque alio laudatissimo conferri possit, in cujus facultatibus dijudicandis incredibile est quantopere deceptus *Galenus* fuerit, qui *in Methodo medendi Lib.* XI. *Cap.* XVI. *Lib.* XII. *Cap.* III. & *Lib.* XIII. *Cap.* XV. *amarum* & *astringens* illud asseruit, cum tamen experientia, rerum magistra, manifeste pateat, amaritudine & astrictione, vel actu vel potestate plane vacare. Quod & tributi loco pependerunt aliquando *Venetis* Istri, ut *Sabellicus* refert. De sale autem nihil est quod dicamus, quando id nobis fere constat, quantum in *Istria* proveniat, & quantum emolumenti inde capiat *Veneta* ipsa Respublica. Fructuum vero omnis generis maxima copia, & hi quidem dignitate inter reliquos *Italiæ* præcellentes. Quod & de omni piscium varietate dictum velim, de quibus etiam aliquando paucula adnotata in manus hominum proferemus. Sed hoc hactenus, quod ad *Istriam* regionem pertinere mihi est visum. Siquid autem fuerit, in quo hominibus doctis vel exteris, vel *Istris* etiam meis

[1] Ex Martial. *Lib.* XII. *Epigr.* LXIV.

A erraste deprehendar, æquissimo animo patiar commoneri, & præsertim a bonis & eruditis viris, a quibus summopere discere cupio. Verum ne qui fortasse malevoli nobis objiciant, *Ptolemæum* & *Livium* in *Istria* complexos esse *Tergestum*, quod nos tamen ab ea exclusimus, respondemus hoc pacto, ab his auctoribus non posse aliquem certos *Istriæ* terminos elicere, quum ex his, quos secuti sumus, certissimos & apertissimos colligere possit: & ideo nos illos potius dilucidioris doctrinæ gratia esse imitatos.

CAPUT VII.

De Timavi Ortu.

B REliquum est unum tantum, quod in præsentia nobis succurrit, ut de *Timavo* verba aliquantulum faciamus, de quo *Copus* cum loqueretur, haud exiguo errore ductus, juxta *Caciti* pagum inter Carnos *ex duabus ortum foveis* tradit. Quo in loco sciendum est in primis, dubium esse apud auctores, an *fluvius*, vel *fons*, vel *lacus* sit nominandus. Virgilius siquidem *fontem*, Livius *Lacum* Lib. XLI. Cap. V. Plinius vero & alii multi *Flumen* esse dixerunt. Locum autem, per quem fluat, inter *Tergestum* & *Concordiam* esse, *Pomponius* ait *Lib.* II. *Cap.* IV. & *Plinius* prope idem C fateri videtur. Quamobrem miror hac in re summopere *Flavium Blondum*, qui in agro *Patavino* eum, quem *Brentam* appellant, *Timavum* fuisse asserat, cum tamen vere *Meduacus* sit appellandus. Nam *Timavus* is omnino est, quem apud vicum *Sancti Joannis de Duino* ex pluribus fontibus, non autem *ex duabus foveis* tantum, ut *Copus* ait, conspeximus exeuntem; ita enim inquit Pomponius eodem Lib. II. Cap. IV. *Timavus novem Capitibus exsurgens, uno Ostio emissus:* cui cum *Virgilio* in hac re maxime convenit, nam & ille cum de *Timavo* loqueretur, *novem ora*, hoc est, *principia*, unde effluat, ei attribuit, sic enim ait Æneidos D Lib. I. vers. 246.

Antenor potuit mediis elapsus Achivis
Illyricos penetrare sinus, atque intima tutus
Regna Liburnorum, & fontem superare Timavi,
Unde per ora novem vasto cum murmure montis
It mare præruptum, & pelago premit arva sonanti.


Licet hic poëtice aliquantulum, ὑπερβολικῶς nimirum, rei parvitatem augeat *Virgilius:* quapropter rejicienda omnino in hoc est *Copi* ipsius sententia, qui ex *Caciti* foveis quibusdam ortum credat *Timavum*, & præsertim cum de hac ipsa re ita sentiat *Petrus Bonhomus*, Tergestinus Episcopus, Vir, (Deum immortalem testor) plane sin- E gularis; nam & totius antiquitatis est peritissimus, & summa humanitate, prudentia, sapientia, & Evangelicæ doctrinæ purissima & sincerissima cognitione excellentissimus; ut prætermittam *Bernardinum Balbum*, Jurisconsultum eruditissimum, in quo incredibilem quandam infinitarum prope rerum memoriam atque scientiam semper suspexi, amavi, & colui; quibuscum de *Timavo* aliquoties sermonem habenti mihi, ita esse, ut dixi, constantissime asseruerunt.

I N D E X

NOMINUM ET RERUM NOTABILIORUM.



F I N I S.





MARCUS ANTONIUS SABELLICUS.



MARCI ANTONII SABELLICI,

DE VETUSTATE AQUILEIAE ET FORI JULII

LIBRI SEX;

ut & ejusdem Carmen

VICENTINUS CRATER,

in quo continetur brevis Urbis Agrique

VICENTINI DESCRIPTIO.

Editio Novissima, prioribus multo correctior, Indice locupletissimo aliisque aucta.



LUGDUNI BATAVORUM,

Sumptibus PETRI VANDER Aa,

Bibliopolæ, & Typographi Academiæ atque Civitatis.

TYPOGRAPHUS
hujus editionis
LECTORI SALUTEM.



Aucis candide lector, quid in hac nova Marci Antonii Sabellici de Vetustate Aquilejæ editione præstiterim, te scire volui. Videbis hanc, variis mendis typographicis, quibus tres priores editiones scatebant, & cum quibus nostra hæc est collata, carere; quarum prima inpressa est venetiis A°. 1514. secunda Basileæ A°. 1560. tertia Francofurti A°. 1600. & cum in omnibus prioribus editionibus desideraretur Index, ne quid lectoris commodo deesset, curavi, eo accuratissimo, tam Auctorum, Nominum, Rerum, quam Verborum hanc novissimam editionem augeri ac locupletari, additis Doctorum Virorum in Auctorem nostrum Elogiis, ac Vita ejusdem. Utque quam elegantissime lucem aspiceret, nulli labori peperci nec sumptui; omnia etiam nomina Regionum, Populorum, Urbium, Fluviorum & Hominum, quæ dicuntur propria, diverso charactere a cetero textu exhibui: Fruamini ergo hac editione accuratissima, & Valete.

M. A. C. SABELLICUS
JOANNI HEMO,

Venetarum copiarum adversus Ferrariæ Ducem Provisori generali, SALUTEM.



Ultum diuque dubitavi Joannes Heme vir Clarissime, deberem ne hos nostros commentarios quos de vetustate Aquileiensis Patriæ proximis vindemiarum feriis scripsi, ad te mittere: an maturiore illorum æditione expectata, eos tunc tibi legendos tradere, quum te publica ista administratione levatum intelligerem. Videbam ego fore ut alieno tempore ad te missi viderentur, si quum tantam belli molem tuo consilio, prudentia & industria sustineres, eos mitteremus. Cæterum apparebat nos consultius facturos, si nostræ hujus lucubrationis æditionem in aliud tempus distulissemus: ut si non in nonum annum, quemadmodum Horatius præcipit, in nonum saltem mensem, quod facile fieri potuit, opus ipsum pressum videretur. Verum quia ita nobis constitutum erat, ut hæc nostra quantulacunque est lucubratio, tuo nomine in lucem quandoque exiret (nam cui Patriæ hujus aut studiosiori, aut amantiori res ipsa dedicari potuit, aut debuit quàm tibi? qui tua illa clarissima pretura omnium beneficiorum genere commissam tibi provinciam prosecutus, effecisti ut merita prædicatione non Patriæ prætor, sed pater ab omnibus dicereris) duo modò ad æditionem ipsam non properandam, sed præcipitandam (ut sic dicam) adhortari vel potius impellere visa sunt: & quod nimis longum erat ejus hominis à republica vacationem expectare, cui ob singulare ingenium mirumque in rempublicam studium non aliter quàm Atheniensi illi Phocioni omnibus suffragiis continuentur magistratus: & quod non ignorabam quam diligens esses nostrorum veterum Romanorum æmulus, qui sagati, & si majoris fortunæ fuissent, paludati quoque quum rempublicam rectè gessissent, ab ea lectione non abhorrebant, quæ antiquarum rerum cognitionem aliquam tradere potuisset: nec ab ulla quidem, quæ ad virtutem hominem instituere posse videretur. Quod quum ita esse certo scirem, non dubitavi hos nostros commentarios: qui tuo nomine, ut dixi, quandoque ædendi

dixerant, tibi in primis legendos in apertum referre: quos non modo non præmaturè, sed opportunissime quoque (ut ita loquar) emissos existimabo, si ea qua cætera soles mansuetudine, illos acceperis: ac quum quid ocii nactus fueris, legere non dedignaberis. Quod si in his quæ omnino parva sunt, nostrum ingenium à te probari sensero, dabo operam, ut quæcunque posthac scripserimus, quæ omnino diis juvantibus majora erunt, tuo solius nomine appareant. Vale.

AUCTORIS PROOEMIUM.

Etsi ex omni scriptorum numero, qui sunt, aut unquam fuerunt, nullus (uti ego existimo) aut certe quam paucissimi reperti sunt, qui quum ad scribendum accesserint, non suæ in primis laudi consultum voluerint (Neque mirum: Nemo est enim, qui non naturali quadam laudis cupiditate teneatur) Tantum tamen abest, aut ipse hâc viâ mihi laudem aliquam quæsiverim, ut quum in hac temporum novitate uberrimam scribentibus materiam propositam esse cernerem, in qua quantumvis eminens ingenium cum laude exerceri potuisset, ad obscuram (ut multis videbitur) ac pene ignobilem historiam animum adjecerim. Quippe qui *Aquileiensis Patriæ*, quæ (ut *Plinio* placet) quota *Venetæ* terræ portio est, situm atque res ab antiquissimis temporibus ad hunc diem in ea gestas scribere constitui: rem quis non videt ipso nomine facilem ac prope inutilem: altiùs verò inspicientibus arduitatis plenam ac longe utilissimam. Quod quum ita sit, certò scio non defuturos, qui nostros hos commentarios vix benè inspectos damnare incipiant, ac minimè dignos, quos legi oporteat, judicent: quandoquidem humilem, sordidam & (ut dicam) ineptam contineant historiam: quam cognoscere velle præter *Patrianos* ipsos nullius hominum intersit. Poteram (video) ita illis occurrere, haud novo exemplo a me factum quod unius provinciæ res situmque scribere sum aggressus: quum & *Græci* & *Latini* viri admodum illustres id plærique factitarunt: quo factum est, ut & res ipsa Chorographia, & hi qui in eo scribendi genere versati sunt Chorographi nominentur: quod minimè receptum esset, nisi hujusmodi scribendi ratio cum Geographiæ laude aliquid conjunctum haberet. Sed alia certe ratio est, quâ eos ab omni molestia liberamus. Siquidem nulli præterquam *Patriæ* incolis nostro hoc instituto gratificari voluimus, imprimisque *Utinensibus ipsis*: quorum civitas quum de me optimè merita esset: videremque in eâ nonnullos magni ingenii viros, de origine urbis hujus sollicitè quærere solere, eamque ut multa alia ad antiquitatem *Patriæ* attinentia in dubium trahere, visus sum mihi non officiosè tantùm, sed piè (ut sic dicam) facere, si monumenta *Patriæ* diligenter conquisita in unum collegissem, effecissemque ut non solum *Utinenses* ipsi, sed alii quoque eorum causam haberent, velut speculum quoddam, in quo totius *Patriæ* faciem rerumque in ea gestarum seriem intuerentur. Quisquis igitur in hos nostros commentarios quandoque inciderit, & monitum eum & rogatum volo, ut aut ab illorum lectione abstineat, si sua non interesse cognoverit: aut si legere inceperit perlegat. Multa in illis fortasse inveniet, quæ, ex secretiore veterum & recentium scriptorum penu eruta, haud indigna scitu existimet. Sed alii viderint quo studio sint hanc nostram lucubrationem excepturi. Ego, quod ad me attinet, omnia quæ volui me consecutum putabo: si quæ summâ fide & diligentiâ scripsero, illi apud quos gratiam inire volumus, probaverint. Sed jam ad propositam descriptionem accedamus, quam mox ab ipsis *Patriæ* finibus auspicabimur: si prius illud legentibus testatum reliquerimus, ex pluribus nominibus, quæ terra hæc sortita est (Nam & *Forum Julium* dicitur, & *Carniam* quoque dici posse non inficior, quod & *Plinius* & *Ptolæmeus* testantur) me libentius nomen illud usurpaturum, quod vulgus tenet: ut quicquid id terræ est, de qua dicturi sumus, cum ipsis incolis *Patriam* nominemus.

ELOGIA, VITA

Scriptaque Auctoris hujus Libri, è Virorum Doctorum Testimoniis excerpta.

JOANNIS PETRI VALERIANI

Bellunensis

CARMEN.

Quis nam Musa probatus est ad unguem?
Sincerissimus omnium Sabellus.
Scis quisnam omnia: quæ fuere: quæ sunt?
Peritissimus omnium Sabellus.
Quis dat singula quæ fuere: quæ sunt?
Facundissimus omnium Sabellus.
Quis linguæ Ausoniæ exprimit nitorem?
Latinissimus omnium Sabellus.
Quis nunc omnibus est ferendus ante?
Præstantissimus omnium Sabellus.

EJUSDEM

Edere si magnum est facta invidiosa Sabelli.
Quantum erit, invidiam quod superavit! opus?

Pauli

Marcus Antonius Coccius Sabellicus ad vicum Varronis in via Valeria, juxta Anienem fabro ferrario patre genitus, ingentem, & proprè ferream vim ingenii ad perdiscendas literas attulit, tanto proventu, ut planè imberbis apud Tyburtes ludum aperiret. Inde verò collecta mercede, & togula cœrulea excultus nobilioris doctrinæ cupiditate in Urbem ad Pomponium se contulit, à quo uberrimi ingenii merito, in collegium sodalium solemni cærimonia cooptatus, Sabellici cognomen tulit. mutabat enim nomen, qui in Quirinali sacra lauro coronabatur. In ea schola, quòd censura literarum acerrimis judicum ingeniis ageretur, multum sibi de incondita, & subagresti Latinæ orationis exuberantia detraxisse fertur. Nec multò post, Roma excedens, Utino in oppido, non procul ab Aquileia, nobiles regionis adolescentes docuit. Parta demum insigni nominis fama, quum regionem vetustatis authoritate percelebrem lepidè descripsisset, decantato etiam versibus Carnico incendio, & deplorata clade Sontiaca: idcirco eum Vicentini celebritate nominis exciti, ambitiosè duplicato stipendio conduxerunt. Nec ibi diu mansit, evocante Senatu Veneto, ea conditione, ut civitatis res gestas à fine Justiniani conscriberet, & trecentis aureis in gymnasio profiteretur. In hoc munere perutilem juventuti operam præstitit, quum in altero adulatione parum sobria rerum veritatem adumbrasse videretur. Sed in Enneadibus omnium temporum, ab orbe condito memoriam complexus, uti necesse fuit, ingenti operis instituto festinanter indulgenti, res illustres præclara cognitione dignissimas perobscura brevitate adeò vehementer offuscavit, ut excitatam uberrimo titulo legentium cupiditatem passim eluserit, quum omnia in acervum angustissimè coarctata, nequaquam certa effigie, sed exiguis tantùm punctis, & lineis annotata designentur. Id susceptum munus gnaviter secutus, scribendo ad septuagesimum fere annum pervenit, Gallica tabe ex vaga Venere quæsita non obscurè consumptus. De sepulchro autem, vivens & incolumis, tempestivè sibi cavit, scilicet degeneri filio diffisus, quem ex concubina susceperat: compositumque ab se carmen lapidi insculpsit: insigne quidem, & meritum elogium, sed certè honestius, si alieni ingenii pietas inscripsisset.

QVEM NON RES HOMINVM, NON OMNIS CEPERAT ÆTAS,
SCRIBENTEM CAPIT HÆC COCCION VRNA BREVIS.

LATOMI.

MAGNVS IN HOC TVMVLO IACET ILLE SABELLICVS ORBIS
CVIVS AD INGENIVM NON SATIS VNVS ERAT.
TEMPORA PERMODICIS INCLVSERAT OMNIA CHARTIS,
SERVIRE EXEMPLO QVÆ POTVERE ALIQVO.
IN VENERE INCERTA TAMEN HIC CONTABVIT: ATQVE
MALVIT ITALICVS GALLICA FATA PATI.
QVID IVVAT HVMANOS SCIRE ATQVE EVOLVERE CASVS,
SI FVGIENDA FACIS, ET FACIENDA FVGIS?

ex Hofmanni Lexico.

Marcus Antonius Coccius Sabellicus, *Vico* Varronis *in* Æquicolis, *oriundus*, *fabri ferrarii fil. animum à teneris annis ad studia applicuit*, *juventutis per pagos institutione aliquantillâ pecuniâ collectâ. Dein* Pomponii Læti *&* Domitii Veronensis *disciplinâ usus*, Romæ Venetiisque, *ubi humaniores literas professus est*, *inter literatores inclytum nomen est adeptus: scripsit* Historiam Enneadum, *à condito Mundo*, *atque ad A.C.* 1504. Rerum Venetarum ab Urbe condita. *De* situ Venetiarum *libros III.* Exemplorum *libros X.* De Venetis Magistratibus *librum unum.* Epistolarum Familiarum *libros XII.* Orationes *XII.* De Prætoris Officio *librum unum.* De reparatione Latinæ Linguæ *libros duos.* De Officio Scribæ *librum unum.* De Vetustate Aquilejæ *libros sex.* Poëmata Varia. *&c. Obiit A.C.* 1506. *ætat.* 70. *&c.&c.*



MARCI

MARCI ANTONII SABELLICI DE VETUSTATE AQUILEIÆ

LIBER PRIMUS.


Abet itaque *Patria* ipsa (ut ab ejus finibus ordiamur) à meridie eam partem *Adriatici* sinus, quæ est inter *Timavi* & *Liquentiæ* ostia: ad ortum, *Istriam* & *Iapidiam*. utraque ad *Illyricum* attinet. Nunc partem illam *Istriæ*, quæ est juxta eruptionem *Timavi*, *Chersum* vocant: & reliquum, quod *Iapidiæ* est, magisque ad ortum solstitialem vergit *Carniam*. A septentrione *Alpibus* terminatur, quæ olim ad *Noricum* attinebant. nunc confusis omnibus *Germaniæ* tribuuntur. Ab occasu partim *Bellunensi*, partim *Tarvisino* agro usqe ad *Liquentiæ* ostium cingitur. Talem igitur ad maiorem intellectum in mediterraneis lineam imaginemur, quæ ab ostio *Timavi* producta per *Tribusam* amnem, & citeriores *Iapidiæ* fines ad *Alpes* extendatur: hinc per *Alpes* ipsas præter *Ponteviam* & exteriora montanæ *Carniæ* loca in *Cadubrinos* exeat. Inde vero per *Bellunenses* & *Taurisinos* fines, in ostium *Liquentiæ* excurrat. Patet autem *Patria* circuitu stadiorum circiter duum millium: longitudine vero quingentorum viginti octo linea à *Pontevia* per *Vensonum*, *Utinum*, & Portum *Gruarium* ad mare extensa. Latitudo quidem ipsa, quæ lineam habet ab eruptione *Timavi* in mare per montem *Falconem* & *Aquileiam Sacilium* usque, quingenta & amplius continet stadia. Sed ad propositam singulorum locorum expositionem transeamus. Quæ ut aliquanto lucidior sit universam *Patriam* in tres regiones dividimus: quæ à meridie ad septentrionem porrectæ his limitibus perscribuntur inter *Liquentiam* & *Tiliaventum* flumina primam omnium constituimus. Huic proximam à *Tiliavento* ad *Natisonem*. Novisimam à *Natisone* ad *Timavum*. NUNC de prima illa dicere incipiamus. Maritima pars primæ regionis habet ad occasum *Liquentiæ* fluminis ostium. Oritur autem *Liquentia* non longè à *Pulcinico*, pluribus fontitibus eodem fermè loco scatentibus. sunt qui ex lacu *Bellunensis* agri quem domus stultè appelant, per subterraneos meatus huc fluere credant. *Plinius* ex *Opiterginis* montibus (quod miror) eum cadere tradidit: quum *Opitergii* fines quam longissimè hinc absint. Non longe autem ab *Liquentiæ* ortu fons uberrimus erumpit tanto aquarum impetu, ut quadrifido fluvio quaternis molarum rotis illico deserviat. eo accepto fit *Liquentia* navigabilis. Qui sexcenta & amplius stadia per aperta & palustria loca emensus, lenissimo tandem fluvio in mare evolvitur. Post *Liquentiæ* ostium *Caprulanæ* paludes occurrunt: quarum eruptio commodissimi portus vicem navigantibus exhibet. *Caprulæ* civitas, portus *Caprulanus* quem *Limen* amnis efficit. *Ligugnanæ* portus seu *Basilicæ Tiliaventi* ostium, primæ regionis terminus. Mediterranea descriptio ita se habet *Concordia Romanorum* olim colonia, nunc præter ædem, quæ divo *Stephano* est sacra, & quam paucissima tuguria, omnia fermè solo æquata sunt. Portus *Gruarius*, quem *Limen* amnis perfluit, semiemporium *Patriæ* hoc tempore, ob *Venetarum Germanicarumque* mercium frequentem illuc convectationem. *Corduacum*, Oppidum *sancti viti*, Abbatia *Sextii*, *Brunavacca*, *Servarolum*, *Fratrina*,

A *Mocta* juxta *Liquentiam*, *Brognaria* & ipsa in *Liquentiæ* ripa, Portus *Naonis*, *Spilimbergum Tiliavento* incubans, *Valuason*, *Porlilium*, *Sacilium* amænissimo *Liquentiæ* fluvio cinctum, *Canpa* in ulteriore ripa fluminis. sed *Patrianæ* ditionis *Pulcinicum* non logè à *Liquentiæ* fontibus, ut diximus. *Avianum*, *Maniacum*, montibus accubans inter *Medunam* & *Cilinam* impetuosissimos torrentes, ac tam vasti incrementi ut ad mille & amplius passus patentem alveum nonnunquam præcipiti inundatione impleant, *Medunum*, *Topium*, *Fanum*, *Castrum novum*, *Pinsanum* ad radices montium *Tiliavento* proximum. Locus satis sua naturâ: sed lon-
B ge magis *Savorgnanæ* familiæ (cujus ditionis est) in primisque *Nicolai* equitis viri præstantis ingenii cura & diligentiâ munitissimus. Non procul hinc in ripa fluminis *Osopium*, ejusdem ditionis, vivo saxo impositum. Reliquum regionis hujus montani *Carni* obtinent: qui locorum quos incolunt sterilitate pecuariam potius quam agriculturam exercent. habitant vicatim pulte vulgò & lacticiniis victitantes. Et hæc de prima regione. Nunc ad ejus, quæ huic proxima est descriptionem transeamus. De qua antequam dicere incipiam pauca de *Tiliaventi* flumnis ortu & ejus cursu referam. Labitur *Tiliaventum* ipsum ex *Alpibus* ab occasu sol-
C stitiali ad meridiem illico deflectens. *Maurum* montem appellant, in quo oritur, plures ignobiles amnes se illi per *Alpes* currenti insinuant: quorum *Fella* notissimus est, qui è *Ponteviæ* montibus labitur. ubi *Alpium* angustias evasit, *Ledram* accipit, qui in *Glemonensi* agro oritur. Nec multo post *Melonem*, quem *Cavacii* lacus efficit. Inde *Varianum*: hùnc accolæ corrupto nomine *Varmum* vocant. molliore inde fluvio in mare elabitur septingenta quinquaginta ab ipso fonte dimensum stadia. *Plinius* duplex *Tiliaventum* nominat, majus minusque. De minore illo nihil compertum habeo. Nec vi-
D deo quid auctor alioquin gravissimus sibi voluerit cum duobus *Tiliaventis*. quando ne ullus quidem fluvius huic proximus, aut naturâ similis extet, de quo illum locutum suspicari possimus. Est autem *Tiliaventum*, de quo notitiam habemus, omnium non *Patriæ* tantum, sed *Venetæ* oræ fluminum discriminosissimum ac transitu difficilium. Nam cùm aquæ vim vehat ingentem, raro tamen navis patiens est: quia nullis coercitus ripis pluribus simul, neque iisdem alveis, fluens, nova semper vada novosque gurgites facit. & ob eam rem pedibus vadanti periculosum. Post *Tiliaventi* ostium *Lignani* portus nobilissimus, quem *Stella* fluvius efficit: *Maranicarum* lacunarum eruptio, *Alsæ*
E fluminis ostium, *Natisonis* ostium secunda regionis terminus. Per *Natisonem*, (nam de mediterraneis hic dicendum est) ad sexaginta stadia *Aquileiam*, olim emporium, ex *Istria Illyricas* gentes subvehi solitas scribit *Strabo*. *Plinius* quoque *Natisonem* cum *Turro Aquileiam* perfluere tradidit. Cum plane constet *Natisonem* quattuor & viginti stadiis longè ab *Aquileia* currere. Siquidem *Turro* admixtus in *Sontium* amnem elabitur: nomenque porro amittit. Illud quoque mirari soleo, eundem *Plinium Ptolæmeum* atque alios complures de *Natisonis* ostio mentionem fecisse: de *Sontio* autem neque illos, ne-

que veterum scriptorum quempiam (quod sciam) quicquam tradidisse. Ego, quod ad priorem illam dubitationem attinet, aut diverso tunc alveo *Natisonem* fluxisse crediderim (quod facile fieri potuit) ut *Aquilejam* perstringeret, & sic illa quoque posterior dubitatio tolleretur: aut *Plinium Strabonem*, & reliquos æquivocatione nominum *Natisonis* & *Natissæ* deceptos. Nam amnis qui *Aquilejam* perfluit, *Natissa* dicitur diverso fonte & ostio à *Natisone* fluens. Non desunt qui dicunt, *Natissam* amnem paululum supra *Aquilejam* ortum habentem ex *Natisone* subterraneis cuniculis initium trahere: qui magis mihi divinare videntur, quam veri quicquam simile afferre. Cæterum illud quoque suspicari libet *Natisonem* ipsum *Sontio* secum mixto nomen olim abstulisse, ut qui nunc post confluentem *Sontius* dicitur, diversa tum ratione *Natiso* diceretur. Sed de his hactenus. De *Aquileja*, quæ proxima est, dicamus. Eam *Romani* condidere incumbentibus *Barbaris* (ut *Strabo* ait) impositam: Verum sive *Romani* nominis splendore ita contigerit, sive potius civium virtute & concordia, quibus civitates magnopere coalescunt, sive (quod fieri potuit) ipsa loci oportunitate, satis constat procedente tempore adeò opibus & fama floruisse, ut non propinquis tantum sed remotioribus etiam locis fulgore sui nominis tenebras induxerit. Id argumento est, quòd omnis fermè ora, quæ nunc finibus *Patriæ* continetur, ab ipsius urbis nomine *Aquileja* fuerit nominata. Extant præterea multa ad hunc diem in ea urbe monimenta, publicæ viæ magnificè & sumptuosè stratæ, pavimenta, æquæ ductus, sepulchra, ac plæraque hujusmodi alia, quibus amplitudo eximiusque ejus urbis apparatus facilè declaratur. Sed de origine & excidio ipsius multa in eo poemate dixi, quod de origine *Hunnii* heroico carmine scripsimus: ac cum locus postulabit multa quoque dicemus. Nunc ruinis pene obruta est. superest tantum antiquissimum fanum divæ virgini sacrum, satis opulentum ac vetusta præditum religione, cum numeroso clero & patriarchica sede. Sunt illi circumjectæ domus nonnullæ, quas pàrtim Canonici, qui illic hiberno tempore divinis rebus operantur, satis sumptuosè instaurarunt, partim coloni & piscatores quam paucissimi, qui ne ipsa quidem æstivi cœli intemperie ob inopiam inde pelli potuêre. Non longe ab *Aquileja Stasolidum*, *Cerviani* insula, quam *Revadula*; *Anphora*, *Alsa* (quam corrupto nomine accolæ *Ausam* dicunt) & *Maranicæ* paludes faciunt Castellum *Corpeti areæ Savorgnanæ* ditionis locus munitissimus: quippe qui olim *Sigismundum* Imperatorem longa obsidione fatigarit: nec tamen expugnari potuerit. *Stella* fluvius ex parte amœnissimis aquis castellum ipsum alluit. Optimi in eo temuli capiuntur. *Maranum*, paludibus undique circundatum: *Varianum* duplex superius & inferius, à proximo flumine utrumque (ut puto) dictum: *Belgradum*, *Quadrivium*, *Hunnium* caput & metropolis (ut sic dicam) *Patriæ*: Ejus arcem (ut fama est) *Hunni Attilam* regem in *Italiam* secuti condidere: quam ob rem *Hunnium* potius quam *Utinum* dicendum affirmaverim. Non desunt, qui *Utinum Cannonica* lingua *Affer* huc significare velint, alludentes ad ipsam arcis conditionem: quod ego à plerisque ejus linguæ peritis sciscitatus, haud quanquam ita esse comperi. Sive igitur id sit, quod vulgus tenet, sive, quod verisimilius est, id quod diximus, satis constans fama est arcem ipsam a *Barbaris* militari opere congestam. Quanquam non negarim, tum primùm tumulum aliquem nativum fuisse, illi quem communiverint. Nam seu ab illis, seu (quod magis credo) à recentioribus mœnia, quæ extant summo tumulo imposita fuerint, nullo pacto id fieri potuisset, nisi tanta moles stabili firmoque solo fundata esset. Sed de *Hunnii* origine plura suo loco dicemus. Nunc pauca de ejus situ: & civitatis statu subjiciam. Sedet *Hunnium* in medio ferme *Patriæ* suæ loco, satis amœno, non palustri, non montoso, duplici murorum ambitu cinctum, exteriore circuitu vigintiocto stadiorum: interiore verò circiter decem, Hunc ipsum interiorem pars *Turri* fluminis ambit: exteriorem illum profundissima fossa *Joannis Hemi* prætoris curâ annuo totius *Patriæ* labore facta, uti brevi epigrammate testati sumus: quod duabus marmoreis tabulis *Utinenses* publicè incidendum curarunt, quarum una juxta portam, quæ ad *Danielem* ducit, altera supra pontem suburbii *Glemonæ* affixa est. Mœnibus ipsis undique amœnissima prædia adiacent, Viteferis arbustis, & sationibus comparata. Prædia patentes campi excipiunt, & ad pabula animalium & ad pasturam idonei: quippe qui vim fœni ingentem, tùm *Utinensibus*, tùm circumjectis villis suggerant. Redeo ad apparatum urbis: in cujus medio arx eminens, velut specula quædam erigitur, cujus prospectus in universam *Patriam* extenditur. Accubat arci ad meridiem nova porticus, cum patenti areâ, è regione cujus magnificentissimum forum attollitur, columnis marmoreis, pulchroque pavimento ornatum: à fronte autem fori hujus mercatum vetus, nec procul hinc & novum: utrunque tabernis & officinis undique circundatum. Grandia deinde templa, collegia complura, & sanctitate & religione prædita. Transeo formosa mœnia, turres, perspicuumque portarum apparatum, venustatem, & amplitudinem privatorum ædium, viarum & locorum omnium decorem, mirificam puteorum quorundam altitudinem in ipsa pene tartara, (ut poetico utar verbo) tendentium, unde æstivo tempore gelidissimæ saluberrimæque hauriuntur aquæ. Et, ne ambitiosè facere videar, prætereo reliqua loci ornamenta: quæ singula si ordine enarrare pergam, non esset opus ad explendum libelli modum reliqua ad institutam *Patriæ* descriptionem pertinentia consectari, Breviter igitur ad ea, quæ dicenda sunt transeamus. *Butrium* stadiis quadraginta ab *Utino* locus & vino *Rosaciensi* æmulo & eximiæ vetustatis vestigio nobilis. *Cividatum*, *Natiso* prærupto & confragoso alveo intersecat. Oppidum, inter reliqua, *Patriæ* vetustate insigne. Liberet suspicari *Forumjulium* id esse, quod *Ptolomæus* post *Aquilejam* & *Concordiam* inte mediterraneas *Carnorum* urbes numerat, nisi nunc quoque extarent antiquissimi oppidi vestigia in montanis *Carnis*: quem locum proximi incolæ *Julium* vocant. Quanquam *Plinius Carnicum Julium* appellat & non *Forumjulium* illud in montibus situm: ut fieri possit, *Julium* diversum oppidum fuisse à *Forojulio*: quod illud in *Alpibus*, hoc verò ad radices montium sederit. Post *Cividatum Zuccum* occurrit montibus accubans, *Atimi*, *Savorgnanum* à *Sigismondo* Imperatore eversum, *Tricesimum*, *Fontana bona*. *Brachiachum*, *Cirignochium* (ditionem loci *Detalmus Cirignochius* Jureconsultus, vir facundissimus habet) *Phaganea*, *Morucium*, *Villa alta*, *Archanum*, *Sancti Danielis* oppidum, *Peræ*, *Caporiacum*, *Coloretum*, *Tercentum*, *Tarro* amni incubans (cujus fontes proximo loco *Illyricæ* gentes accolunt) *Pampergum*, *Arthenea* frequens vicus, *Bugia* ruinis obruta, *Glemona* ad radices montium, *Vesonum*, *Tiliavento* proximum, *Tulmetium* montanæ *Carniæ* caput tria millia passuum à *Julio Carnico* distans. Non procul hinc mons arduus & ascensu difficilimus est, eum *Crucis* vocant: ubi medio ferme ascensu prærupta rupes occurrit cum calle augustissimo militari opere munito ut ex vetustissimo epigrammate præcipiti saxo sculpto sed magna ex parte ob vetustatem abolito, datur intelligi. ejus principium hujusmodi est: *C. Julius Cæsar*. Reliqua tùm loci asperitate, tùm vetustate, ut dixi, legi nequeunt. Inter mon-

montem hunc, & *Tulmentium* (cujus proxime mentionem fecimus) *Moſcardus* labitur miræ rapacitatis fluvius: cujus alveo ſaxa inſtar doliorum præcipiti gurgite rotantur modo in ſummo extantia, mox ſeſe ad imum deprimentia. Haud procul hinc in ipſis *Alpium* anguſtiis caſtellum munitiſſimum, quod *Cluſiam* vocant, hic *Italiæ* clauſtra: paululum infrâ in eâdem convalle Abbatia illuſtris, quæ *Motii* dicitur. Reliqui ſecundæ hujus regionis incolæ *Alpes* tenent paſturæ potius quàm agriculturæ ob ſoli ſterilitatem ſtudentes. Supereſt ut de tertia regione dicamus: quam *Natiſone* & *Timavo* fluminibus terminavimus: ſed antequam de ea dicere incipiam, pauca de *Natiſonis* ortu nobis ſunt altius repetenda. Oritur *Natiſo* in *Alpibus* ad occaſum ſolſtitialem, atque ſtadia circiter octoginta ad ortum decurrit: hinc ad brumalem occaſum flectitur *Cividatum* uſque centum viginti ſtadia ſuper octoginta illa emenſus. hinc *Manzanum* uſque ſtadiis octo & quadraginta progreſſus: atque paulùm infrà glareoſo alveo areſcit, ita ambiguo fluvio ad ſtadia octoginta lapſus *Sontio* amni miſcetur. Labitur autem *Sontius* ex *Alpibus* juxta *Cranium*: primùmque à ſeptentrione ad occaſſum brumalem per abrupta loca & arcta adeo compreſſus, & præceps fluit, ut ne feris quidem centum viginti ſtadiorum ſpacio vadari poſſit. Inde ad ſtadia quadraginta per *Pletianam* vallem non ſine incremento decurrit: mox in confragoſas anguſtias rurſus deiectus totidem & amplius ſtadia emenſus prope *Caporetum* ponte longitudine pedum ſexaginta unoque fornice utramque fluminis ripam amplexo iungitur. hinc elapſus per *Caporetanam* vallem pene ubique vadabilis ſtadia circiter octoginta aliquanto minus decurrit. Ad exitum vallis *Tulmin um* occurrit, ubi illi *Tulminia* miſcetur. Cæterum locorum anguſtis tertio depreſſus *Hidram* amnem accipit, atque interim ſtadiis circiter octoginta progreſſus canalem, quam *Ronciniam* cognominant, illabitur: hic quoque ponte tribus fornicibus erecto jungitur: ubi *Goricianus* comes novam turrim ſuperioribus annis erexit. Inde vero per arctiſſimas convalles præcipitatus potius quàm lapſus è regione *Goriciæ* ponte eminentiſſimo nectitur: eoque ipſo ligneo tribus lapideis pilis impoſito. Demùm molliore fluvio quadraginta duobus ſtadiis prolapſus *Vipavum* accipit, atque navigabilis factus poſt centum quadraginta quattuor ſtadia miti alveo in mare evolvitur. Poſt *Sontii* ſive (ut veteres ſcribunt) *Natiſonis* oſtium *Gradus* inſula continenti proxima, patriarchica olim ſedes: *Monsfalco* mari incubans cum balneis ſaluberrimarum aquarum: *Timavi* oſtium cum parva è regione inſula, cujus fontes cum maris æſtu creſcere & decreſcere ſolitos ſcribit *Plinius*. Ortus autem *Timavi* ex finibus *Iapidiæ* eſt, quod *Cranium* nominari diximus. Verum non longe à fontibus progreſſus in proximum cuniculum quaſi manu factum præcipitatur atque ita abſorptus, diuque per ſubterraneos meatus lapſus tandem iuxta mare vivo ſaxo novem, ut *Maro* tradidit, ut autem *Strabo* & *Martialis*, ſeptem fontibus erumpit, continuoque navigabili fluvio in mare evolvitur. Sed de *Timavo* proximo libro copioſius dicemus. Nunc ad reliqua transeamus. Ad ripam *Sontii* nova civitas, quam *Hemopolim* vocant, cum *Sontiaca* munitione: eam equeſtri oratione complexi poema ipſum *Sontïacam* munitionem inſcripſimus.

A *Goricia*: *Cromo*, loco ædito ſitus: *Medeæ* mons, vitibus conſitus (de hoc quoque paulo poſt dicemus) *Roſacium* vini præſtantia *Falerno* & univerſæ *Campaniæ* æmulum: *Moſſa Licinii* vertex: *Tulminium* amæniſſimis fluminibus irriguum. *Portæ Plecianæ*, cum veſtigio vetuſtiſſimæ munitionis incumbentibus *Barbaris* oppoſitæ. Hæc ferme ſunt quæ de ſitu, fluminibus, oppidis, & cæteris *Patriæ* locis a me tradi potuere. Siquid vero prætermiſſum eſt, de quo dici oportuiſſet: non fraudi, aut incuriæ mihi detur (nam præter cætera fidem ac diligentiam tota hac noſtra lucubratione mihi conſtare volui) ſed rei potius difficultate id
B factum videri cupio. Quippe qui ob locorum inſcitiam non una coactus fuerim inveniendi uti ratione: ſed aliqua ex veteri lectione acceperim, multa per me exploraverim, plura vero ex ipſis incolis ſitus & locorum *Patriæ* non ignaris cognoverim. Quibus cum non eo inficias me in aliquibus falli potuiſſe. Sed quid hoc? Nemo (ut arbitror) ad hunc diem repertus eſt, cui in hoc ſcribendi genere perfecta & inoffenſa (ut ita dicam) ratio conſtiterit. Nunc quod reliquum eſt, pauca in univerſum de ipſa *Patria* ſubiiciamus. Quibus primi hujus libelli modus expleatur. Eſt itaque *Patriæ* ipſius facies quadrifariam diviſa: in
C paludes quæ mari adiacent, planiciem, colles, & montes. Paludes paſcua præbent, aucupia, & venationes nonnullas: piſcationibus quoque ſe diverſis locis non incommodas exhibent; planicies quæ his adiacet, partim cæduas ſylvas habet (unde vis ingens lignorum & ad navalem & domeſticum uſum *Venetias* convehitur) partim nudos campos paſturæ & pabulis animalium accommodos: cætera arbuſtis vitiferis, & omnium ferme felicium arborum genere conſita. ſationibus quoque diligenti cultu ab agricolis comparantur. Colles & ipſi vitibus frugiferiſque arboribus conſiti, longè aliis ſuaviora exhibent vina: ea præcipue *Germani*
D *Tranſalpinarum* mercium commutatione appetunt. Montes paſcua non infœcunda præbent: quo fit ut paſſim ipſi montium incolæ pecuariæ ſtudeant hinc non modica carnium, caſei, & domeſticarum pellium copia in propinquas urbes convehitur: teretium præterea arborum, ad antennarum & malorum navalium uſum, vis ingens, tabulæ, trabes, tigna, & multa hujuſmodi alia ad ædium ædificationem accommodata, non in proximas tantum, ſed remotiſſimas quoque oras deferuntur. INGENIUM, mores, & cultus hominum pro locorum diverſitate varii. *Alpium* incolis ſtupida verſutia ac feritas: & iccirco pernicioſior. Mediam
E *Patriam* tenentibus ingenium longe mitius, mores faciliores, & urbica quædam peneque affectata vivendi elegantia. Maritimis gentibus vigor quidam, & natura ad omne facinus promptior: ſed quæ non careat levitatis vitio. Cappillus flavus promiſcue maribus & fæminis, color candidus, mediocris ſtatura, ſermo varius, civibus & oppidicis prudens & accuratus, & *Veneto* aſſimilis. ruſticis ſemibarbarus: quippe qui plures, & omnes fermè peregrinas ſonet linguas. Spectaculis & choreis libenter coeunt: cælum ipſum clementiſſimum inter montes & maritima loca: In his, ut aſſolet aliquanto gravius, in illis vero ob *Alpium* vicinita-
F tem frigidiſſimum.

LIBER SECUNDUS

QVI PATRIÆ VETUSTAS INSCRIBITUR.

Nstituti operis ordo postulat, ut ubi de situ *Patriæ* abundè diximus, de rebus in eâ gestis dicere incipiamus. Quod quidem facillimum factu videri posset, si eorum vestigiis insisteremus, qui ad hunc diem de antiquitate ipsius terræ aliquid memoriæ prodidere: quippe qui ab *Aquileiensis* Ecclesiæ constitutione, aut paululùm suprà scribendi sumpserint exordium. Ego ne protritâ & quasi vulgari (ut sic dicam) viâ videar ingressus, longè altius *Patriæ* monumenta repetere institui. nec id facere sum ausus, quòd me eâ ratione res vetustissimas complecti posse confidam, quâ scriptores longè recentiora secuti complexi sunt. Illi enim propinquitate temporum, ac proinde materiam ipsam quasi oculis subiectam habentes, eam lucem, in quâ versati sunt, suis rebus facilè reliquêre. Nos verò rem longe difficiliorem aggressi ea in ordinem redigere conabimur, quæ ex omnium pene memoriâ exciderunt. Nam partim vetustate ipsâ, partim veterum scriptorum defectu, qui non sine magna Latinæ linguæ jacturâ interiere, accidit ut quâm paucissima ex illis, quæ supra ea tempora in hoc *Italiæ* recessu evenerunt, ad nostram pervenerint memoriam. Sed ego illa ipsa diversis (verum non multis) scriptoribus sparsim observata, eo quo potero ordine in unum colligam, & quasi ex pluribus disiectis & dissipatis membris corpus unum conficiam. Erit (quis nescit) illud ipsum informe: sed esto, dùm ne obtrectatores quidem ipsi (nisi apertè maligni videri velint) non negaverint satius esse id facere, quàm rem pati tantam in tenebris jacere. Et ne longiores simus, hinc enarrare incipiam, quis fuerit antiquissimus *Patriæ* hujus status, & quibus peregrinarum gentium motibus indigenæ ipsi (si *Carni* indigenæ fuere) sollicitari cœperint. sed priusquam de his dicam, ostendam breviter: unde acciderit quod præter cæteras *Italiæ* oras, hæc una fermè semper *Barbaricos* motus prima exceperit.

Italiam deciâ regione (cujus *Patriâ* hæc includitur) unum ex tribus *Europæ* promontoriis *Strabo* esse ait. atque id quidem scitè: nam undique ferme mari *Italia* alluitur, præter quàm à septentrione; quâ parte natura illam velut vallo quodam insuperabili *Alpibus* præmunivit. Ejus forma est (ut quidam tradunt) querno folio assimilis: quam *Appenninus* mons in hunc modum discriminat. Ab *Alpibus*, quibus supra *Massiliam* (ut *Polybius* tradit) junguntur ejus juga, profecta in *Liguriam* excurrunt: inde ubi *Anconem* usque processere ad *Adriaticum* se inclinantia, in *Garganum* montem exeunt. Demum ad meridiem progressa in *Leucopetra* dextro *Italiæ* cornu finem habent. Cum ita sit, ut *Italiæ* longitudo in *Apennini* dorsum consurgat: non video cur peninsula, aut quid aliud potius quàm promontorium dici possit. Cæterum alluitur ab ortu à meridie & occasu *Italia*, hinc *Adriatico* & *Ionio*, inde *Tirrheno* & *Ligustico*, à fronte *Siculo* freto. quibus lateribus penè semper tellus ipsa mansit inoffensa: si quidem nulli unquam motus minus *Italiæ* statum solicitarunt, quàm illi, quos mare velut levissimas nebulas in *Italiæ* littus effudit. Nam *Oenotrii*, qui *Siculos Barbaros* aliquâ *Italiæ* parte depulerunt, & *Aborigines* ab his geniti *Pelasgi* & *Arcades*, qui cum *Euandro* venêre, non tàm ad solicitandum antiquum *Italiæ*

A statum ex *Græcia* navigarunt, quàm ut bona indigenarum venia novas sibi sedes in eâ terrâ compararent. Illud autem argumento est: quod pulsis modico negocio *Barbaris* sese intra antiquissimos *Latii* fines (qui brevissimi olim fuere) fermè omnes tenuerunt. *Trojanorum* quoque adventus nulli æquè gravis fuiset, nisi *Latini* & *Rutili* temerè ad arma concurrissent. Neque *Pyrrhi* accessus in eam *Italiæ* partem, quæ olim magna *Græcia* dicta est moverit quemquam: qui cum de gloria potius (ut M. *Tullius* scribit) quàm de imperio, aut de vita à nostris pugnatum est. *Carthaginenses* quoque sub initium primi belli *Punici* cum eâ parte

B *Tarentinis* opem ferre tentassent, *Romana* in se arma irritarunt, magis quàm sollicitarunt. Aliam itaque viam invida fata ad evertenda *Italiæ* otia invenere, & ad eam terram laboribus instruendam, quam omnibus gentibus imperaturam videbant. Parum enim profuit naturam ferocissimis gentibus, quibus ea parte tantum *Italia* obnoxia erat, *Alpes* velut vallum quoddam opposuisse: si quidem *Barbarica* rabies diu arceri non potuit, quin superatis immensæ altitudinis jugis velut feræ rapacissimæ in subiectam terram irrumperent. Hoc enim recluso *Iuliæ Alpis* saltu una *Bituriges*, *Averni*, *Hedui*, *Ambarri*, *Carnutes*, *Alverici*, totque

C *Gallicæ* simul gentes *Bellloveso* duce in *Italiam* quasi in alium orbem, eumque ipsum longè optatum transcendêre. Hos procedente tempore subsecutæ sunt innumeræ aliæ *Gallorum* manus, quæ per multos annos assiduis motibus res *Italias* sollicitas habuere: quarum *Cymbri*, *Teutoni*, & *Ambrones* atrocissimi habiti, uno eodemque tempore, quia uno ob multitudinem non poterat, diversis locis *Alpes* recluserunt. Quid *Gothos* memorem? *Hunnos? Pannones? Illyricos?* totque alias *Barbaras* nationes? quibuscum non de gloria, non de imperio, sed de vita semper certatum est. Hac quoque parte tempestas illa *Punica Hannibale* duce, velut violentissi-

D mo Aquilonis flatu, in *Italiam* dejecta est. Sed quum plane constet *Alpes* ipsas non uno tempore, neque uno loco superatas: nulla tamen parte prius nec sæpius, quam eâ, quâ *Alpes* huic *Patriæ* incubant *Barbaris* patuisse proditum est. Nam quod de *Hercule* vetus fama tenet, *Livius* (ut plærique alii) fabulosum putat. Quod cum ita sit, breviter scribere pergam, quo primum tempore hæc terra peregrinis gentibus sollicitari cœperit: inde motus alios novitatesque rerum suo ordine quam diligentius potero subjiciam. Primos igitur mortalium, qui terram hanc tumultuosè attigerint, *Argonautas* fuisse crediderim. hos *Carni* primos

E omnium suis finibus appulsos videre. Fuerunt *Argonautæ* heroes, magnâque ex parte (ut fabulosa græcia tradidit) diis geniti: qui *Iasonem Æsonis* filium in *Colchidem* secuti sunt. historia notissima est. Verum ablato aureo vellere, quo nomine in eam terram navigarunt, quum *Medea* proditâ patris regiâ & *Absyrto* fratre, quem secum traxerat, discerpto, *Iasonem* sequeretur, veriti *Argonautæ*, ne *Colchi* angustias *Pontici* maris obsedissent, *Istrum* fluvium subiere: ex *Istro Savum*, ex *Savo Nauportum*. Cui nomen ab re ipsa inditum est. Constans fama est, navim *Argo* humeris trajectam *Alpibus*, ac flumine non procul *Tergeste* mari invectam. Quod

F *Argonautæ Patrianis* finibus consederint, Martialis carmen testatur:

Et

Et tu lædeo fœlix Aquileja Timavo.

Hic ubi ſeptenas Cyllarus hauſit aquas.

Fuit *Cyllarus Caſtoris* equus: qui unus ex *Argonautis* erat. Alluſit urbaniſſimus poëta, quum ſeptenas aquas *Cyllarum* bibiſſe ait, ad ſeptem fontes quibus non longè à mari erumpit *Timavus.* Sed ſi *Polybio* credimus (qui *Strabone* auctore tradidit omnes *Timavi* fontes præter unum ſalſas aquas habere) non video quomodo ſtare poſſit illud *Martialis.* Hic ubi ſeptenas: quandoquidem ex uno fonte, qui dulcem utique aquam haberet, & non ex ſeptem *Cyllarum* bibiſſe oporteat. Illud haud ſilentio præteribo eundem *Polybium* tradidiſſe, *Timavum* eo quo ſcatet loco, ab accolis maris fontem, & matrem vocari. quod eminentiſſimum poetam non latuit, qui de *Timavo* loquens: It mare præruptum (inquit) & pelago premit arva ſonanti. *Servius* quoque idem non ignoraſſe videtur: *Varronis* tamen non *Polybii* auctoritatem ſecutus. Illud autem quod ad *Timavum* attinet, mirari ſoleo eundem *Martialem*, *Timavum Euganeum*, quaſi *Patavinum*, appellaſſe ejus *carmen* eſt:

Laneus Euganei Lupus excipit ora Timavi.

Quaſi duo eſſent *Timavi* unus in *Aquilejenſi* agro, de quo nemo dubitat: alter in *Euganeis*: quod nuſquam alibi præter quam apud hunc unum & *Annæum Lucanum* quod ſciam, legere eſt. Sed poetas alioqui prudentiſſimos deceptos puto, quod *Timavum* intra fines *Venetiæ* fluere legerint. In qua regione *Euganei* fuere. Sed illud non viderunt, *Aquilejam*, in qua *Timavus* eſt *Venetiæ* finibus contineri: vel potius ad illud *Virgilianum* ſe retulerint: Hic tamen ille urbem *Patavi*: quum interim de *Timavo* poeta ſummus loqueretur: Sed conſtat locum illum longè diverſam recipere interpretationem. Eſt præterea mons *Patriæ* (quod ad fidem rei attinet qui vetuſtum ejus gentis teſtatur in hæc loca appulſum: *Medeæ* enim dicitur, quæ *Jaſonem*, ut diximus, ſecuta eſt: in illius cavernis noctu, & nonunquam interdiu ambiguas voces, & quaſi magicos ſtrepitus, qui *Medeæ* artes arguant, exaudiri fama eſt. Quod ipſum in eo poemate, quod *Sontiacam* munitionem inſcripſimus, teſtati ſumus. *Callimachus* quoque *Strabone* auctore ſcripſit, *Polam Colchorum* eſſe oppidum, quod illi adverſus *Medeam* miſſi condidere. unde intelligi poteſt eos fugientem *Medeam* ad hæc uſque loca fuiſſe ſecutos. Et hæc ante *Trojani* belli tempora. Everſo autem illo, conſtat *Antenorem* cum multitudine *Henetûm*, qui ſeditione è *Paphlagonia* pulſi ſedes, & ducem, ut *Livius* tradit, quærebant, in intimum ſinum *Adriatici* maris veniſſe, pulſiſque *Euganeis*, *Trojanos* & *Henetos* ea loca tenuiſſe, quibus modo *Patavium* eſt. Oppidum autem quod primo condidere, *Troja* dicta eſt: gens vero univerſa ab *Henetis* mutatâ litterâ *Veneti.* quorum opes eo uſque procedente tempore crevêre, ut à *Pado* flumine *Aquilejam* uſque omnis littoralis ora *Venetia* dicta ſit, ipſi incolæ *Veneti.* Quod cum ita ſit, haud dubium eſt *Carnos* non ſpectaſſe tantùm vel audiviſſe, ſed ſenſiſſe etiam pro tempore *Venetorum* arma: quippe qui tanquam victi in eorum, qui vicerant, appellationem conceſſerint. Cæterum *Maro* quoque tradit, *Antenorem* ad fontem *Timavi* perveniſſe, nec obſtat illud, quod ſcribunt quidam, eſſe *Timavum* quendam *Euganeum* (de quo quid ſentiam ſuperius dixi) quum aperte ſummus poeta de *Aquilejenſi* loquatur: ex eoque intelligitur, quod de novem *Timavi* fontibus interim mentionem facit: Unde (ait)

Per ora novem vaſto cum murmure montis
It mare præruptum.

Ad fontes enim alluſit: nam uno oſtio, eoque leniſſimò, & non novem, conſtat *Timavum* in mare evolvi. Fluminis autem accolæ, & hi qui locum viderunt, plures fontes eſſe ajunt, quàm illi dixerunt. Sub idem fermè tempus & *Diomedes Ætolus*, ex *Ilio* reverſus,
A cum cognoviſſet uxorem ſuam *Ægialen* infami amore *Cyllebori Stheleni* filii teneri, ex *Ætolia* pudore digreſſus, poſt laborioſam navigationem in *Italiam* curſum tenuit: ubi regnum poſtmodum adeptus eſt. *Diomedeæ* Inſulæ id teſtantur: & *Maro* qui auxilium à *Latinis* adverſus *Trojanos* ab eo imploratum prodidit, Cæterum *Strabo* in *Venetis* & in his (ut innuere videtur) locis, qui *Timavo* proximi ſunt, multa ſuo tempore monumenta extitiſſe ſcribit, quibus antiquus *Diomedis* in hac terra potentatus declaratur: & quod equus illi albus immolabatur, duoque luci oſtendebantur, alter *Junoni Argivæ*, alter *Dianæ Ætolæ* ſacer: in quibus feras adeo man-
B ſueſcere conſtabat, ut cervi lupis agregarentur, eaſque adventantium hominum demulcentem manum pati. & quod ſi quis earum canes inſectarentur, continuo ubi huc ventum eſſet ab inſectatione abſiſterent. Fama eſt virum quendam in his locis fuiſſe vadimoniis faciendis inſignem, in quem vel hoc nomine ferme omnes cavillarentur; hic cum in venatores forte incidiſſet, qui irretitum lupum haberent, rogatus joco ab his, nunquid vellet & pro lupo ſe vadem exhibere, ut illata ab eo damna perſolveret. ſic ſe belluam dimiſſuros, quum ſe id facturum dixiſſet, Lupum dimiſerunt: qui quaſi beneficium ſenſiſſet, permagnum equarum armentum, nullo
C cauterio notatum, ad vadis ſtabulum perduxiſſe dicitur. ille verò receptâ gratiâ lupi totam equabus inuſſiſſe: unde lupiferæ nominatæ ſunt, velocitate magis quam forma præſtantes. Sed ad ſua tempora hujuſmodi celebrem equarum progeniem, ait ille, non perveniſſe. Hæc & plura *Strabo*: quibus hanc *Venetæ* terræ partem, *Ætolorum* armis non ſollicitatam tantùm, ſed obnoxia quoque fuiſſe datur intelligi. Longo autem interjecto tempore, *Belloveſo* duce ab *Ambigato* rege avunculo, ad novas ſedes inveniendas cum *Singoveſo* fratre ex *Gallia* miſſo, *Gallicæ* gentes pleræque illum ſecutæ uno eodemque tempore in *Italiam* erupere. *Singoveſus*
D *Hercinios* ſaltus ſortitus eſt: *Belloveſus* vero *Italiam.* Is ut diximus, *Bituriges*, *Arvernos*, *Ambarros*, *Carnutes*, ſeu (ut alii ſcribunt) *Carnutos*, & *Alvercos* exciverat. Poſtquam in *Tricaſtinos* ventum eſt, quum *Alpes* oppoſitas cernerent, eaſque inſuperabiles nulla dum viâ (ut fama eſt) niſi ab *Hercule* ſuperatas, adiutis *Maſſilienſibus*, qui à *Phocide* profecti, *Galliæ* littoribus per id tempus appulſi, à *Salviorum* gente oppugnabantur, per *Taurinos*, ut *Plinius* ſcribit, in *Italiam* tranſcendere. Nec multò poſt ingens *Germanorum* manus duce *Elitovio* eodem ſaltu ſuperato in *Italiam*, favente *Belloveſo*, trangreſſa eſt, locaque juxta *Brixiam* & *Veronam* tenuere.
E hos ſecuti *Salvii*, *Boji*, recentiſſimique omnium *Senones*: qui non ſolum res *Hetruſcas* ultra *Apenninum* ſollicitarunt, ſed *Romanum* penè nomen deleverunt. Poſt *Senones* recens *tranſalpina* manus *Gallorum* in *Italiam* deſcendit. eos quoque primorum veſtigia ſecutos crediderim. *Polybius* circa *Ariminum* conſediſſe ſcribit: cum quibus *Galli Ciſalpini* & inprimis *Boji* coortâ inter duces diſſenſione conflixere. Quamobrem *Romanus* exercitus ad *Gallorum* impetum comprimendum comparatus audito conflictu, & quonam modo *Barbari* ſe ſæve domeſtico bello confeciſſent, quaſi confectâ provinciâ *Romam* retrò abiit. Sub idem fermè tempus &
F *Galli Rhodani* accolæ, à *Ciſalpinis Gallis* in *Italiam* acciti, tam valido exercitu *Alpes* ſuperavere, ut nullus unquam *Gallicus* motus magis *Italia* terrori fuerit. illud autem argumento eſt, quod nunquam in *Italia* majores copiæ conſcriptæ ſunt: & quod ad quadraginta millia *Barbarorum* cæſa, & decem millia capta, uno prœlio referuntur: cæſis eorum regibus *Comgolitano* & *Aneoreſte*, adverſus quos *C. Attilius*, & *L. Æmelius* conflixere. Illud quod ad tanti motus fidem attinet, non præteribo. Com-

parasse *Italiam* eo tumultu septingenta peditum millia & septuaginta equitum, *Polybius* est auctor. *Plinius* autem in numero peditum à *Polybio* non discrepat: equitatum verò plus dimidio extenuat. *Livius* trecenta hominum millia eo tempore *Italiam* armasse tradidit, non amplius. Adjicitur illud *Cispadanos* (quos diversitate locorum *Romani* scriptores *Transpadanos* vocant) his copiis non fuisse ascriptos. Sed quantæcunque fuerint tunc *Italiæ* vires (nam omnino validissimæ fuere) illud admiratione dignum est, quod sub id fermè tempus, quo ita in *Italia* adversus *Gallos* prosperè pugnatum est, florerentque *Romani* imperii, nec non sociorum vires, *Hannibal* cum quinque & viginti millibus hominum (*Polybius* scribit) *Italiam* tam ferociter invaserit. quanquam non desunt, qui eum longe majoribus copiis venisse tradant. Sed hoc non quærimus. Illud vero in dubium venit. propter quod prolixiorem hanc de eruptionibus *Gallorum* dissertationem suscepimus: hac ne parte *Alpium*, quæ *Patriæ* incubant, an diverso loco tanta *Barbarorum* vis in *Italiam* se effuderit: siquidem *Livius* scribit *Bellovesum* reclusâ *Alpe Julia* per *Taurinos* in *Italiam* transgressum: cujus vestigiis omnes fermè *Barbarorum* manus, quæ subsecutæ sunt institêre. Multa quidem sunt, quibus conjectare libet, his *Alpibus*, quæ nobis imminent, potius quam diversa parte illum erupisse. primò quod non video quam *Alpem Livius Juliam* rectius appellare potuerit, quam tradit ab illis primis reclusam, quam hanc, quæ *Juliensibus* imminet: quod autem *Julienses* fuerint *Noricis* & *Carnis* pene mixti, id argumento est, quòd nunc quoque oppidi vetustissimi vestigia in *Carnis* extant, quem locum proximi incolæ *Julium* dicunt: *Plinius* vero quod superiore libro ostendimus *Julium Carnicum* vocat, *Juliensesque* ipsos *Carnorum* gentem esse affirmat. Cæterum montanæ *Carniæ* regiuncula contermina est, quæ nunc quoque *Julia* dicitur. Nec obstat, quod per *Taurinos* dicas eos transcendisse. *Norici* enim vincinarum *Alpium* incolæ (ut *Plinius* scribit) *Taurisci* olim dicti sunt, quos & *Taurinos* dicere fas est. Hoc quoque tempore ultra *Carnos* in primis *Germaniæ* oris sunt incolæ qui *Tauri* dicuntur. Nec movere debet quemquam quod dixerim, *Tauriscos* eosdem esse, *Taurinos*. *Plato*, auctore *Plinio*, *Salassos Tauriscam* gentem esse tradidit. *Tauriscam* dixit & non *Taurinam*: quum *Ptolomæus* & alii *Salassos* ipsos *Taurinos* vocant. Accedit huc, quòd *Patriæ* incolæ qui *Carni* dicti sunt, fieri potuit ut à *Carnutis Galliæ* populis, quos *Bellovesus* secum traxit, diminutâ dictione unâque litterâ mutatâ dicti sint. Constat præterea, primos illos cum equitatu non modico in *Italiam* transgressos: qui si per *Taurinos* transiere (*Livius* ait) quid est quod *Hannibal*, quem eadem parte trasmisisse constat, saltum ipsum occlusum offendit? cujus rupes & prærupta loca igni & aceto frangere coactus est. Nempe oportuit patentem saltum inveniri, & tritissimo (ut sic dicam) calle apertum, per quem tot & tam numerosi exercitus prius transcendissent. Hæc omnia collegimus, ne cui videremur parùm considerate fecisse, quod multa de motibus *Gallorum*, atque aliarum *Barbararum* gentium eruptionibus in *Italiam* supra disseruimus. Non enim parum valida hæc argumenta visa sunt ad conjectandum, hac potius quam diversâ parte *Barbaris* in *Italiam* primum iter patuisse. Quod si ita accidit, quis labores? quis funera? quis denique tam longam malorum seriem abunde queat exprimere? quibus hanc terram per tot diversos motus, terrores, & discrimina diu obnoxiam fuisse putandum est. Contrà autem plura sunt, & magis verisimilia, quæ me admonent suspicari oportere, diversâ potius quam hac parte *Alpium Gallos* primum in *Italiam* transgressos: & quod non longe ab

A *Alpibus* in finibus *Italiæ*, quæ *Narbonensi Galliæ* proxima est, *Forum Julii* legimus: unde fieri potuit, ut *Juliam Alpem* à loco proxime subjecto *Livius* appellarit. Cæterum, *Galli Bellovesum* secuti, paulo post quàm à *Massiliensibus* digressi sunt: quos adversus *Salvios* juverant, *Alpes* superarunt: nec tantum iteneris fuissent emensi, ut ab extremis *Italiæ* finibus circumspectando *Alpium* altitudinem ad extremos hos pervenissent, quin interim longiores moræ tædio credibile est, vel per difficillimos saltus transmittere voluisse, quàm immensi penè itineris dispendium adire. Sunt præterea *Taurini Salassis* proximi: quanquam *Salassos* ipsos veteres qui-
B dam scriptores *Taurinos* appellarint. Sed illud præter cætera me in hanc trahit oppinionem: quod quoties *Gallos Alpes* superasse legimus, sub ipsum ferme semper discessum in *Circumpadanis* campis consedisse constat: quùm *Padus* ipse à *Patria* quàm longissimè distet. Hæc nos eo longiore dissertatione quàm fortassis res ipsa exigere videatur, prosecuti sumus: ut quod verisimilius legentibus videbitur, id & probare & tenere liceat. Nunc autem ad ea redeamus, de quibus inter omnes ferme auctores constans opinio est. Siquidem sub ipsum *Macedonici* belli finem, *Galli Transalpini* per saltus, ignotæ antea viæ, in *Italiam* transgressi in agro, qui
C nunc *Aquilejensis* est (ut *Livii* verbis utar) consedêre (ad duodecim millia armatorum fuere) adversus quos quum *M. Claudius Marcellus* consul movisset, continuò advenienti illi sese dedidere. Consul eis arma ademit: & cum armis quæcunque ex proximis agris diripuerant, aut secum ex *Gallia* asportarant. id *Barbari* indignè ferentes ad senatum legatos questum de injuria Consulis mittunt. Qui introducti exposuerunt se superante in *Gallia* multitudine inopiâ agri coactos ad quærendam sedem *Alpes* transgressos: quæ autem inculta per solitudines viderent ibi sine ullius injuriâ consedisse, oppidum quoque ædificare cœpisse. quod indicium
D esset, nec agro, nec urbi ulli vim se allaturos venisse: Nuper autem sese *M. Claudio* per nuntium sibi bellum denuncianti, nisi dederent, magis pacem parùm speciosam, quàm incertam spem belli præoptantes in fidem illius potius quàm in potestatem venisse. Post verò paucos dies jussos & agro & urbe, quam condere cœpissent, decedere: tacitè abeuntibus, quo terrarum possent, arma & omnia quæ ferrent à consule sibi adempta. Orare proinde senatum ne in se innoxios & ultrò deditos acerbius, quam in hostes sævirent. Increpiti sunt à senatu *Galli*, quod in alienum agrum irrupissent, oppidumque nullius *Romani* magistratus, qui ei
E provinciæ præesset, permissu ædificare cœpissent. Ex quo argumentari libet ante id tempus hanc terram in *Romanorum* potestatem venisse: quæ si (ut dixi) ante eam diem *Romani* fuerat Imperii, non dubium est sub initium secundi belli *Punici*, aut paululùm suprâ id accidisse: atque *M. Claudii Marcelli* auspiciis id factum, qui primus trans *Padum*, *Romana* signa trajecit, atque *Insubres* vicit, & *Istros*. *Polybius Liviusque* auctores sunt. Hunc ego eum *M. Claudium* esse puto, qui oppidum evertit ad duodecimum lapidem ab *Aquileja* invito senatu, ut *Plinio* actore *L. Piso* tradidit: atque id ipsum oppidum fuisse, unde *Galli* dejecti fuerant. Quod
F autem non longè ab *Aquileja* eversum oppidum *Plinius* dicit, ad sua tempora allusit. Nam cum *Galli* de quibus multa diximus, ex hac terrâ depulsi sunt nondum *Aquileja* erat condita, uti ex verbis *Livii*, superius recitatis potest intelligi. Cæterum bellum *Boicum* ob eam rem idem auctor inchoatum scribit, quod apparebat *Istros* non passuros novam coloniam loco sibi proximo conditum iri: de quâ mittendâ jam ex illo tempore patres consultare cœperant, *Latina* ne an *Romana* Colonia mitteretur. Placuit tan-

tandem *Latinam* mitti, quùm *Strabo* auctor alioqui gravissimus *Romanam* missam dixerit. quamquam coloniæ nomen ad jus *Latii* referri potest. Tria peditum millia (ut *Livius* scribit) in *Gallorum* agrum missa sunt, id est unde *Galli* paulò ante dejecti fuerant: quinquagena jugera peditibus data. Centurionibus centena. Coloniam autem ipsam *Aquilejam* nominatam puto, ab *aquilâ*, quæ *Romanis* signis olim insedit, ut *Annæus Lucanus* testatur: Signa (inquit) pares aquilas, & pila minantia pilis. Signiferi quoque ipsi *Romanarum* legionum Aquiliferi dicti sunt. Cæterum publica quoque ipsius loci signa ad hunc diem flavam aquilam habent. Aut fortasse ab irriguo loco, in quo sedet *Aquileja* nominata est: nam aquilam & aquilum colore ab aqua dictum *Pompejus Festus* testatur. Coloniam deduxere *P. Scipio Nasica*, *C. Flaminius*, *& L. Manlius Acidinus*, Triumviri ad hoc ipsum creati. Post conditam *Aquilejam*, quia *Romana* arma à *Barbaris* formidari cœperant, status *Patriæ* pacatissimus fuit. Procedente tempore *Cimbris Illyricum* tentantibus, atque ob idipsum *Patriæ* ocium locorum vicinitate sollicitantibus, non longe à *Noreja* seu *Norcia* ut alii scribunt, quæ in *Alpibus* est cum eis *C. N. Papyrius Carbo* conflixit, atque infectâ re (ut *Strabo* ait) abscessit, *Livius* infœliciter eo loco à *Romanis* pugnatum tradidit. Haud verò longo interjecto tempore, quum tres ferocissimæ gentes *Cimbri*, *Teutoni*, & *Ambrones* uno tempore in *Italiam* erupissent: *Cimbrorum* partem per *Noricos* descendisse *Plutarchus* ait. uterque exercitus *C. Marii* ductu & fœlicitate deletus: unus non longe ab *Aquis Sextiis*, qui locus *Alpibus* proximus est: alter ad *Athesim* fluvium. Trecenta quadraginta millia *Barbarorum* cæsa, & centum quinquaginta capta scribit *Livius*. *Plutarchus* numerum extenuat. Si autem per *Noricos*, qui proximas *Patriæ Alpes* tenuerunt, iter habuere, uti ex *Plutarchi* sententia habuisse constat, quod est, cur per hanc oram illos erupisse non credere debeamus? aut certè per proximos fines. Fuit autem motus ille universæ *Italiæ*, non modò locis, perquam eruptio facta est formidabilis. quare ejus tumultus *Patriam* hanc haud expertem fuisse crediderim: sed magnam potius ejus procellæ partem, aut sensisse, aut (quod magis credo) sustinuisse oportuit. Interim verò *Romana* arma, citro ultroque per hanc *Patriam* assiduis *Barbarorum* motibus gestata. ipsis *Patriæ* incolis pene domestica facta sunt: quippe qui interdum tres integras legiones huc in hiberna missas sustinuere. Quas sub initium *Gallici* belli, quod ultra *Alpes* gestum est, *C. Cæsar* duabus additis quâ proximum fuit, ut ipse scribit in *Galliam* traduxêre. Puto ego, eâ parte *Alpium*,

A quæ montanis *Carnis* incubat, legiones ipsas traductas, ubi excisam rupem militari opere cum inscriptione *C. Julii Cæsaris* esse diximus. Cæterum quoties bellum *Istris*, *Pannonibus*, *Dalmatis*, *Illyricis*, & *Germanis* illatum est, hac velut publicâ portâ *Romanis* armis accessus patuit & reditus *Cæsar Augustus* (ut *Tranquillus* scribit) *Aquilejam* usque sæpe progressus est, quùm externa bella per legatos moliretur. Sed quid hæc? proditum est à multis, *Aquilejam* urbem quasi proximum suburbanum à *Cæsaribus* & eorum familiâ frequentari solitam. Ibi enim *Juliam Augusti* filiam ex *Tiberio* nondum (ut arbitror) principe enixam *Tranquillus* scribit. quâ prole extincta *Tiberius* semper ab eâ B secubuit. Ego eo tempore *Juliam Aquilejæ* subsedisse crediderim, quo *Tiberius Illyricum* bellum omnium externorum post *Punica* difficilimum triginta (ut idem auctor tradit) legionibus triennio administravit: atque idem (quamvis *Augusti* litteris sæpius revocatus) exercituque interim summâ frugum inopiâ laborante strenuè confecit, domito *Illyrico* quantumcunque inter *Italiam*, *Noricum*, *Macedoniam*, *Danubium*, & maris *Adriatici* sinum patet. Quærat hic aliquis quid sit, quod ubi constet (velut in principio libri hujus diximus) latus hoc *Italiæ*, quod à *Varo* fluvio ad *Timavum Alpi-*C *bus* subjectum est, externarum gentium motibus præter cætera ipsius terræ loca fuisse semper obnoxium, hæc tamen *Patria* una omnium sæpissimè, ac maxime à *Barbaris* fuerit infestata. Ego, ne prolixior sim, brevi quod sentio dicam Nempe, si quis rectè consideret, locorum omnium naturâ (de iis loquor quæ *Alpibus* subjecta sunt) ita accidisse, haud sane mirabitur. Reliquum enim ipsius terræ haud longè à mari recedit. aut asperitate *Alpium* obstruitur. Cæterum quantumcunque illud est uni genti *Gallicæ* obnoxium videtur: hæc autem *Patria* præterquam quæ *Germanis*, *Illyriis*, *Dalmatis*, & *Istris* non tantum proxima, sed etiam contermina est: nescio quo nam modo ab *Alpibus* D ipsis enudatur, quam juxta hæc loca magis ac magis mitescunt, & quasi de industriâ sese superabiles exhibent: desinuntque tantam terram suo ambitu circuire, vadum amplissimum quasi patentem portam inter se & mare relinquentes: ut esset, unde *Barbari*, fœlicissimam alioquin terram, sine aliquo superandarum *Alpium* labore perpetua infestarent. Accidit huc propinquum mare, quod ad meridiem (ut superiore libro diximus) alluitur. quâ parte hæc terra non immodicos pergerinarum gentium ad hunc diem excœpit motus. Sed jam locus postulat, ut ad *Aquilejensis* Ecclesiæ conditionem transeamus, unde tertius instituti operis liber sumet exordium.

M. ANTONII SABELLICI

DE VETUSTATE PATRIÆ

LIBER TERTIUS

QUI HUNNICUM BELLUM INSCRIBITUR.

PUtabam ego, quando ad recentiorum temporum descriptionem ventum esset, difficilimam me lucubrationis hujus partem transegisse: siquidem illa, quæ duobus superioribus. libris continentur, quia neque certo loco, neque apud certum auctorem quæri potuerunt, haud facilem nobis indagationem præbuere. apparebat autem ex hoc ipso, utque deinceps scripturi essemus illa ipsa, E quando à compluribus essent illustrata, minus laboris habitura. Hac ego adductus opinione anhelavi, fateor, ad illorum lectionem, non aliter quam ad perspicuum fontem sitiens viator solet. Sed quàm bone deus illic omnia à nostrâ expectatione diversa invenimus! quippe quæ penè plus tenebrarum, quàm lucis legenti mihi offuderunt. *Pius* Pontifex, *Platina*, *Leonardus Aretinus*, & quidam alii qui citra humanæ salutis tempora scribere orsi sunt, etsi

si diligentissimi alioquin fuere, atque iidem latinissimi, quam paucissima tamen afferunt, quæ ad nostrum faciant institutum: atque ea ipsa siqua sunt, tam breviter exponuntur, ut manifestè appareat nihil eos minus voluisse quam *Patriæ* hujus monumentis consulere. *Paulus* autem *Diaconus*, & quidam alii recentiores eum secuti, qui ad res *Patriæ* penè universam referunt historiam, ab his quæ quadringentesimo ferme anno post *Aquilejensis* Ecclesiæ constitutionem gesta sunt, scribendi initium sumpserunt. Cæterum ea ipsa quæ tradunt, adeò inter se nonnunquam discrepant, ut neque temporum, neque rerum ratio, cuiquam constare possit. quo tertio volumine, & quæ inreliquum scribentur intercisam ac mutilatam (quod futurum non putabam) resarcire cogar historiam. Verùm dabo operam, ut in ipsâ rerum inventione ac dispositione id diligentiæ adhibeamus, ut quæcunque memoriæ tradiderimus ea ipsa sint non minus lucis habitura, quamsi omnia quæ ad historiæ consummationem requiruntur, nobis uno tempore affuissent. Sed ad *Aquilejensis* Ecclesiæ originem redeamus.

JAm primum illud planè constat post *Christi* regis nostri ad patrem ascensum, diebus Pentecostis completis, discipulos Spiritum S. accepisse: quo imbuti dogma salutis omnibus gentibus variis linguis perdicare cœperunt. Id vero ut facilius fieret, ne item frustra scriptum videretur à Propheta, in omnem terram exivit sonus eorum, terrarum provincias inter se partiti sunt. *Petrus* omnium princeps *Pontum*, *Galatiam*, *Bithyniam*, & *Cappadociam* sortitus, *Antiochenam* sedem annis septem tenuit. ubi vero *Asiaticas* Ecclesias diligenter firmavit secundo *Claudii* anno *Romam* venit, ut in eâ urbe quæ alioqui per id tempus rerum domina esset, apostolica sedes fundaretur. Pulso itaque hinc miraculorum certamine *Simone Samaritano*, quod magicâ arte universum ferme populum ad studium sui traxerat: conversus *Petrus* ad verbum dei propagandum, rogatur à multis, ut *Joanni*, cui in baptismate cognomentum fuit *Marco*, conscribendi Euangelii negocium traderet. quippe cujus vita & mores vulgo probarentur. Is ut *Hieronimus*, tradidit, in *Israel* sacerdotium agens, & secundum carnem *Levita* (id est appositus esset) ad *Christi* fidem conversus est, *Romæque* Euangelium scribit. Quapropter nonnihil illos vidisse arbitror, qui eum à *Petro Romam* deductum tradiderunt, scriptoque Euangelio, quod *Petrus* magnoperè probavit, continuo *Alexandriam* profectus est (*Philo Judeus* est auctor) ubi Ecclesiâ optime constitutâ octavo *Neronis* anno interiit. Sed miror *Platinam* magis unum *Philonem*, quam omnium fermè scribentium consensum secutum, id quoque tradidisse: quum constans fama sit, atque idipsum sacræ litteræ testentur, *Marcum* Euangelii auctorem prius *Aquilejam* missum: ubi quum miraculis & doctrinâ novæ Ecclesiæ fundamenta jecisset, *Romam* cum *Hermagora* venisse, atque sub hæc tempora in *Alexandriam* profectum. *Hermagoras* autem. in Ecclesiæ noviter fundatæ Episcopum à *Petro* electus *Aquilejam* reversus est: continuoque hic Seniores, Levitas, & Diaconos constituit. inde ad prædicationem Euangelii conversus Ecclesiam multis miraculis auget, & illustrat, maximamque populi partem ad lucem veritatis & fidem contrahit. verum reclamatibus apud *Sevastum*, civitatis præsidem, gentilium deorum sacerdotibus atque coràm minantibus se cum suis popularibus adhuc in pristia religione permanentibus, in eum impetum facturos, nisi illicò hominem maleficum (ita enim improbissimi homines nostros christianos appellant) tolleret: *Sevastus Hermagoræ* suadere aliquamdiu perstitit, uti à vano & periculoso absisteret instituto. Quum autem nihil proficeret, eum nervis *Cæsum* in carcerem conjicit: ubi multis operatus miraculis,

A atque plærisque interim ad *Christi* fidem conversis, *Sevasti* jussu cum *Fortunato* clanculum occiditur. Apparebat enim populum haudquaquam id laturum, si de ejus morte publicè statuisset. Sanctorum corpora *Pontianus* & *Gregorius* viri haud ignobiles nuper ad *Christum* conversi cum *Alexandriâ* fœminâ illustri extra murum civitatis sepelivere. Hæc habui, quæ de origine *Aquilejensis* Eccclesiæ referrem. verum quia ita comparatum est, ut quanto quis imperitior sit, eo promptior in vituperationem rerum alienarum esse soleat: sat erit hic eos monuisse (de imperitis loquor) quum initia Ecclesiæ *Aquiliensis* refero, deque ejus constitutione interim lo- B quor, non de mœnibus & tecto, sed de cœtu & conventu catholicè operantium me intelligere. Nemo est enim tam stultus, qui non videat, haud potuisse fieri, ut ædes aliqua, aut altare prætextu novæ religionis publicè per id tempus à *Christianis* poneretur: quippe qui non omnino multi essent, atque iidem ipsi magistratibus urbium ac pontentissimo cuique invisi. Ostenderem itaque Ecclesiam longè diversum ab ædificio significare: nisi planè viderem id plures, immò penè omnes intelligere. Illud locus hic non patitur me silentio præterire: usque adeò fœdam illam *Longobardicæ* tempestati *Barbariem* his terris resedisse, ut in C *Hermagoræ* pronunciotione ad hunc diem duo vulgò committantur *Barbarissimi*. Sub idem vero tempus, quo Ecclesia ipsa constitui cœpta est (ne qua interim his terris otia darentur) quum de imperii electione inter *Romanas* legiones certaretur, binaque hominum millia secundæ legionis à *Mæsiaco* exercitu *Othoni* missa auxilio essent, nunciatumque his in via esset, *Othonem* desperatis rebus ultrò mortem oppetivisse, *Aquileiam* usque ire (ut *Tranquill.* scribit) perseverarunt, quasi rumoribus minus crederent: ubi per occasionem & licentiam omni rapinarum genere in *Aquilienses* grassati sunt. Cujus nefandi sceleris veriti ne quandoque D sibi *Romam* reversis reddenda esset ratio, ac pœna subeunda: de nova Imperatoris electione inter se agitare cœperunt. & brevi quum summam imperii *Vespasiano* deferrent, causam illi adhuc dubitanti præbuere in *Italiam* maturius properandi, atque imperium ipsum ferocius invadendi. Procedente deinde tempore (ut sunt rerum humanarum vices, in quibus perpetuum, aut stabile nihil est: sed quadam velut successione bona malis mala bonis tenaciter hærent, ut neutrius status sit diuturna possessio) inter tot rerum discrimina & labores, fœliciora *Aquileiæ* tempora effulserunt, ut & aliquamdiu ab externorum armorum jactatione E quieverit, atque *Pii* qui *Ruffino* patre in ea urbe natus est, pontificatu fuerit illustrata. Eo autem sedente, ferunt L. *Aurelium* imperatorem inter *Concordiam* & *Altinum*, quum curru veheretur, apoplexiæ morbo extinctum. hunc ipsum inter bonos potius quàm malos Imperatores quidam reponunt, quidam vero humani generis hostem ob vitia appellatum scripsere. Sed fuerit quantumlibet malus: haud tamen sævitia & impietate *Maximinum* superavit: qui aliquibus interjectis Cæsaribus illi successit. Hic sextus à *Nerone christianos* persecutus est. verùm quum *Aquileiam* obsideret, *Mammeæ* mulieris *Christianæ*, & *Origenis* mortem F immodice cupiens, à *Puppieno* cum filio *Maximino* occiditur. Ferunt in eâ obsidione *Aquileienses* fœminas capillos sibi ad bellicum usum secuisse, quum funes ad intendendos arcus & cætera instrumenta bellica deessent: atque ob idipsum in honorem matronarum senatum *Veneri* calvæ templum dedicasse. Nec multò post *Gothos Illyricum* & *Macedoniam* vastantes incredibili clade Imperator *Claudius* superavit. Quapropter aureo clypeo in curia, & in capitolio statuâ aurea a senatu donatus

tus est, Hunc in *Sirmio* mortuum fuerunt. *Quintilius* frater, qui in imperium successerat 17. sui principatus die *Aquileiæ* occiditur. In his quoque locis interjecto tempore *Constantinus* Imperator, qui inter *Constantini Magni* successores habetur, dum *Constanti* fratri bellum inferens parum caute pugnat, occiditur. *Constans* quoque XVII. sui imperii anno suorum fraude oppressus. *Constantius* utriusque frater imperium adeptus, quum *Arrianæ* sectæ studiosus esset, *Athanasiumque* & cæteros catholicos interim oppugnaret, *Liberium* Pontificem *Athanasii*, & omnium *Christum* cum *Patre* homousion prædicantium fautorem in exilium ejicit: quem *Aquilejam* peregrè progressum à *Fortunatiano* seu *Fortunato* (ut alii scribunt) *Aquilejensi* episcopo ad hæresim & discordiam sollicitatum ferunt. Scribit *Platina Theodosium* Imperatorem (paucis ut puto interjectis annis) apud *Aquileiam*, *Maximum* tyrannum, *Gratiani* interfectorem oppressisse. His temporibus *Ruffinus Aquilejensis* ecclesiæ presbyter non pauca acutissime scripsit. Extant inter cætera ejus epistolæ, immò invectivæ potius ad *Hieronimum* & rursus *Hieronymi* ad eum: quæ haud mutuæ æmulationis indicio carent. Distat tamen non parum uterque ab altero eodem scribendi genere: densior ille, hic copiosior: ille arctius pugnat, hic latius: ille acumine nititur, hic vero pondere: verum non omninò elegans ille, hic autem non solum elegans, sed comptus etiam: & brevi talis, quem pro *Ciceroniano* ad tribunal *Dei* increpitum (ut ipse testatur) credere possis. Sed video quam interim inepté faciam homo omnium pene litterarum expers, qui tantorum virorum ingenia, velut alter *Aristarchus* trutina suspenderim. *Virgilianum* itaque illud testati: Non nostrum inter vos. notum est carmen. Ad illud revertimur, quæ ad *Aquilejensis* ecclesiæ res attinet. Siquidem præclarum fuit duos excellenti ingenio viros, & quasi bina *Christianæ* fidei lumina in ea ecclesiâ eodem tempore refulsisse. De *Ruffino* nemo dubitat. *Hieronimus* autem se baptismatis lavacro *Aquileiæ* insignitum in symboli expositione testatur. Quo fit, ut vel in eâ urbe eum natum confiteamur, oportet, vel certè non procul inde: quippe quem *Aquilejensis* parochiæ vel ex hoc ipso fuisse manifeste appareat. Per id ferme tempus *Gothi* duce *Alarico Italiam* invasere: de quorum adventum priusquam dicam, ut brevius potero, de origine & successibus gentis ordine edisseram. Sunt *Gothi*, qui non multum diversâ appellatione *Getæ* olim dicebantur, origine *Scythæ*. Hi sedes *Tanaidi* proximas in *Europâ* habuere. Ferox genus hominum & ad mortem promptissimum: *Trogus* eos in *Asia* constituit, eorum gesta inter *Asiaticas* res referrens. *A. Lucullo* olim victi ex *Mysia*, in quam provinciam primum irruperant, ejecti sunt. Cæterum procedente tempore constat ejus gentis oratores ad *Augustum* venisse gratiâ petendæ pacis missos. *Ablavius Gothus* tradit ab *Agrippa Danubium* transire conpulsos, sub *Domitiano* reversos: adversus eos *Opius Sabinus* primùm: inde *Cornelius Fuscus* missi, suâ & exercituum clade infeliciter pugnarunt. *Cornel. Tacitus* est auctor. *Trajanus* princeps eis pacem petentibus dedit *Antoninus* cognomento *Caracalla* tumultuariis quibusdam præliis eos fudit. *Gordianus Dannubium* versus moventes, ab instituto itinere magis avertit, quam superavit. Non multo post *Vesogothi*, quæ prius per se *Romana* arma irritaverant, junctis sibi *Ostrogothis* (in duas enim gentes *Gothi* divisi sunt, in orientales scilicet & occidentales. Id *Germanica* linguâ sonant ipsa nomina) *Mysiam* & *Thraciam* fœdissimâ populatione devastaverunt: trecenta armatorum millia fuisse feruntur. *Decius Pannonius* a *Philippo* Imp. adversus hos missus pluribus preliis superatus infecta re *Romam* rediit. Occiditur interim *Philipus* cujus morte provincia in *Vesogothos* dilata est. cum *Gallo* deinde pacem Barbari instaurarunt. Sed non multò post per occasionem *Thraciam* & *Macedoniam* occuparunt. Compressit autem eorum ferociam, viresque retudit *Claudius* Imp. cui secundo cognomen fuit, trecentis millibus *Barbarorum* cæsis, duobusque millibus navium submersis. Hic est ille *Claudius* cui ob res bene gestas clipeum in curiâ & in capitolio statuam auream senatum decrevisse diximus. *Aurelianus* princeps quæ *Claudio* successit, *Canabium Gothorum* regem res novas molientem ad ripam *Danübii* magno prælio vicit, abductæque ex eâ pugna sunt decem mulieres in triumphum, quæ virili habitu acerrimè pugnarant. titulus autem qui in triumphó prælatus est, significabat eas ab *Amazonibus* ortas. Eosdem hostes *Constantinus Magnus* ex *Sarmatia*, quam occuparant depulit: atque per id ipsum tempus multis cladibus attriti se aliquamdiu intra natalis soli fines tenuere. Sed hic quoque *Vesogothi* non multo post ab *Hunnis* dejecti, *Danubium* trajecerunt: ac sine fœdere aliquo à *Valente* Imperatore accepti, fame & injuriis ob *Valentis* avaritiam adacti arma corripuere, evictoque *Valentiniano* exercitu in *Thraciam* populabundi ingressi sunt. Nec multò post & *Valentem* ipsum obvium factum magna strage superant, & occidunt: *Constantinopolimque* victoria elati obsident. Sed obsidio ipsa irrita fuit. *Gratianus Valenti* successit: quæ *Theodosio* viro impigro ex *Hispania* accersito *Vesogothos* pluribus præliis superavit, *Gratianus* victor cum *Athanarico Vesogothorum* rege fœdus percussit. Quo mortuo, *Barbari* rege carentes, imperio aliquandiu suam militiam impenderunt. Verum procedente tempore *Arcadio* orientalis res imperii administrante *Vesogothi* stipendio privati in *Pannoniam* secessere, *Alaricumque* regem ex nobilissima *Baltorum* inter *Gothos* familia sibi constituunt. Cui *Radagisus* & ipse *Gothus* cum ducentis millibus se junxit. Horum duorum auspiciis *Gothi Thraciam*, *Pannoniam*, *Noricum*, & *Illyricum* fœda populatione grassati, in *Italiam* irrupere, *Romamque* ipsam quondam rerum dominam cœperunt: in quam captam omni sævitiæ & ignominiæ genere grassati sunt. Tum vero urbs *augusto* (ut *Ennius* ait) augurio condita desiit esse quæ fuit: anno sui natalis Millesimo sexagesimo quarto: *Christianæ* verò salutis quadringentesimo duodecimo. Hæc ego de origine & incrementis *Gothorum* longiore fortasse sermone quam res ipsa exigere videbatur, persecutus videri possum, & quasi alienum a nostro instituto fecisse: quæ tam multa de ea gente retulerim, cujus motus adhanc terram nihil fermè attinere videatur. Ast ego post urbem *Romam*, quæ calamitosa illa tempestate omnibus malis concussa est, nullam aliam *Italiæ* oram motibus illis magis obnoxiam fuisse crediderim quam hanc terram, quam irrumpentibus illis primum occurrisse oportuit. Nec me illud movet, quod nemo scribentium aperte tradat, qua *Italiæ* parte facta sit irruptio: quum verisimillimum sit circumjectis provinciis (ut diximus) vastatis proximum facilimumque fuit hosticum transmisisse: Cæterum constat post *Atthilæ* mortem *Gothos* rursus *Italiam Aquilejensi* orâ devastata invasisse: uti suo loco dicemus. De his itaque quum toties dicendum esset: non ab re sum mihi visus facere, si quam alio loco haud ita fortasse oportuno dicenda erant, nunc quum primum mentio illorum incidit, dixerimus. Sed ad *Atthilæ* gesta interim veniamus. Quem non multò post primam *Gothorum* irruptionem, recentia forte illorum vestigia secutum, in hanc miseram *Italiæ* oram venisse constat. Verum antequàm illius gesta attingamus de *Hunnorum* origine, quorum rex ille fuit, quam paucissima dicenda sunt. *Priscus* quidam non parvæ auctoritatis homo, quippe qui apud *Theodosium* Juniorem epistolarum magister fuit, scriptum

reliquit se ab Imperatore oratorem missum in *Scythiam* ad *Hunnorum* reges. Unde intelligi potest *Hunnos Scythicam* esse gentem. Regnum ejus gentis, per id tempus *Atthila* & *Belda* seu *Bleda* (nam utrumque scriptum reperio) fratres habebant. Is ingentibus fluminibus transmissis ait se ad eum locum pervenisse, ubi *Indigoja Gothorum* fortissimus *Sarmatarum* dolo occubuerat: nec procul inde vicum fuisse scribit, ubi *Atthilæ* regia erat. vicus in ambitum amplissimæ urbis patens, lignea mœnia habebat, atque ea ipsius ex tabulis facta, quarum compago ita solidum mentiebatur, ut vix ab intentis oculis posset junctura deprehendi. Triclinia præterea ambitu prolixiore distincta, porticusque non sine regali decore constructas. Aream ad hæc in medio patentem amœnissimis ambulacris undique cinctam: Cujus dignitas, & amplitudo regiæ aulæ speciem præ se ferebant. atque hanc ait fuisse per id tempus *Atthilæ* regis sedem. Huic autem pater *Mundzeticeus* fuit: post quem *Octar* & *Rhoas* fratres regnum tenuere: quibus mortuis *Atthila* cum fratre regnare cœpit. Fuit autem ipse *Atthila* superbus incessu, huc atque illuc circumferens oculos: ut elata potentia in ipso quoque motu corporis appareret. Ad hæc bellorum amator (sed ipse manu temperans) consilio validissimus, supplicibus exorabilis, forma brevis, lato pectore, capite grandiore, minutis oculis rarus barba, canis aspersus, simo naso, tetro colore originis suæ signa præ se ferens. Hinc puto natam esse fabulam, quam nobis ex historia *Gallica* pro thesauro quodam nuper oblatam non sine risu legimus. Erat in ea scriptum ex *Ostrubaldi Hungariæ* regis filia & domestico cane natum *Atthilam*: atque ejus nefandi concubitus illum semivirumque canem semicanemque virum (ut *Ovidianum* carmen imitemur) manifesto oris argumento crimen prodidisse. quasi vero non satis aperte posteritas ipsa riserit, quæcumque olim *Græcia* de *Minotauro* fabulata est. Sed ad *Hunnorum* gesta redeamus. Quibus eam invadendæ *Italiæ* causam fuisse crediderim, quia cognovissent primo in cursu feliciter *Gothis* evenisse, quæ nuper eam terram invaserant. In spem itaque majoris potentatus erecti *Pannoniam*, *Macedoniam*, *Mysiam*, *Achajam*, & utramque *Thraciam* brevi tempore flamma ferroque devastant. Sed cum *Atthilæ* consilia ad invadendam *Italiam* spectarent, atque *Bledæ* fratris auctoritas expeditionem ipsam remoraretur (quippe qui longiorem militiam dissuadebat) factum est, ut dum ille *Budam* urbem muro cingere studio parat, fratris fraude peremptus sit. *Atthila* ubi suis auspiciis rem gerendam vidit, junctis sibi *Ostrogothis*, *Gepidis*, *Marcomannis*, *Quadis*, *Herulis* & *Thuringis*, quingentis millibus armatorum *Germania* ex parte populata, *Galliam* ingreditur: nec multo post in *Tholosanis* campis magno prælio ab *Aëtio Patricio* & *Theodorico Vesogothorum* rege victus est, sunt qui scribant ea pugna utrinque ad centum octoginta millia cecidisse: ipsumque *Athilam* post suorum fugam (si acrius hostes institissent) de morte sibi consciscenda cogitare cœpisse. Verum instaurato exercitu ad priorem fermè magnitudinem per *Germaniam* in *Illyricum* venit, brevique *Tragurium*, *Sibinicum*, *Belgradum*, *Jaderam*, *Segniam*, *Polam*, *Parentium*, *Emoniamque* expugnat ac diripit. *Valentiniani* copiæ inter *Arsiam* fluvium & *Tergestinum* sinum factæ sunt *Barbaris* obviæ: eas *Atthila* minimo negocio fudit. Quæ ita prælio victæ sese *Aquilejam* receperunt. Progressus *Hunnus Aquilejam*, quum appareret opulentam ea tempestate urbem haud facile capi posse, eam obsidione cingere pergit, atque reliquum *Patriæ* ferro & flamma fœdissimâ interim populatione vastat. Sub tam periculosi belli initia, magnam mortalium vim ex continenti in insulas, quæ plurimæ sinu *Adriatico* jacent, confugisse fama est. Hic vero referre libet, quod de eversione *Aquileiæ*

A à scriptoribus admodum paucis accepimus, ac primum illud inter omnes ferme constat, obsidionem ipsam in tertium annum dilatam: quod penè incredibile dictu est, ut urbs, etsi non ignobilis, non tamen opulentissima (quippe quæ nullum unquam imperium habuisset: immò ne libertatem quidem, quando ad eam diem *Romanis* armis paruisset) quingenta & amplius *Barbarorum* millia tam diu sustinuerit: quum paucis ante annis urbs ipsa gentium domina à Gothis & viribus & numero *Hunno* inferioribus, capta & direpta fuisset. Sed situm loci fuisse crediderim, & natura & humano ingenio ad omnes hostiles conatus arcendos longè munitissimum. Cæ-

B terum ipsam maris proximitatem non parum contulisse ad levandam obsidionem credibile est: qua parte auxilia & commeatus undique obsessis interim subvehi potuerunt. Constans fama est (uti libro primo diximus, etsi auctores rei non quales velim habeo) per id tempus *Hunnii* arcem *Atthilæ* jussu militari opere communitam. unde & loco nomen inditum esse affirmare ausim: nam *Hunnium* dicendum potius quam *Utinum* contenderim, ut factum sit nomen ab *Hunnis*, quorum rex *Atthila* fuit. Verum procedente tempore (quod vulgi incuria evenire solet) quod prius *Hunnium* dicebatur, *Utinum* dici cœptum est. Nec me movet ridiculum quorundam commentum,

C qui tenent, *Utinum Pannonica* lingua nescio quid significare ad molitionem attinens: quum neque *Atthila*, neque *Hunni Pannones* essent, sed *Scythæ*, ut diximus: verum hæc omnia primo libro copiosius tractavimus. Venio nunc ad obsidionis eventum. Tradunt quidam, nec hi quoque satis illustres, per id tempus *Aquileia Menapum* quendam cum *Orico* fratre sive (ut alii scribunt) *Arico* præfuisse: qui quum diu urbem concordi imperio tutati essent, sive longiores obsidionis tædio, sive quod magis credo rerum inopia, sive quæ fieri potuit in majorem spem erecti (quippe quibus ob diuturnam, & quasi segnem obsidionem hostis vilescere cœpisset) omni-

D bus copiis constituunt cum hoste confligere, decem armatorum millia in aciem deducta dicuntur, nec *Hunnus* detrectavit pugnam: quippe qui hostem numero sibi imparem cerneret. Verum quia ex paucitate ipsa apparebat desperatione potius quam spe ulla vincendi in aciem descensum, cautius sibi confligendum ratus, omnibus diligenter prospectis *Barbarus* in hostem vadit. Ajunt in his campis, ubi nunc *Mereti* villa est esse dimicatum: atque ex ipso eventu pugnæ nomen loco inditum. Quod haud verisimile videtur, ut tam infirma manus adversus invictam aciem tam longe ab Urbe, quæ interim obsideretur, processerit. Sed sive hoc loco, sive alibi,

E quod magis credo, pugnatum sit: constat primo congressu tanto odio & ira esse utrinque concursum, ut multa hominum millia momento temporis conciderint, atque ex ipsa fœdissima hominum strage uberrimos sanguinis rivos mediis campis fluxisse. Sed cum utrinque impigrè dimicaretur, accidit, ut ipsi duces facti sint sibi obvii, qui neutro alterum refugiente continuo conversis in se hastis confligunt: quo congressu fama tenet *Atthilam* equo dejectum, in summumque discrimen adductum: ac facile eo die tantorum malorum caput interire potuisse, nisi ab *Hunnis*, & his qui proximi erant, defensus, continuoque equo impositus fuisset. Magnus

F undique huc concursus factus est: ac majus atrociusque prælium, quam alibi, circa duces ipsos commissum. Sed dum ea parte, qua plurimum laboris erat impigre *Oricus* pugnat grave vulnus accipit: quem pugna excedentem, ac cruore respersum quum infirmæ & jam dudum per se fluctuantes manus vidissent, illico terga vertunt. Instat *Barbarus*: nec fundit fugatque tantum, sed passim quoque palatos hostes obtruncat. *Menapus* neque adhortationi-

bus

bus neque minis semel fugatam aciem in pugnam revocare potest. Fortuna igitur inclinante, quod unum potuit summi ducis præstitit officium: extremo enim agmine pugnans ferocissimumque hostem excipiens suorum aciem usque ad mœnia tutatur: fuissetque sub ipsum ingressum pro portis cum periculo laboratum, hostisque civi mixtus forsitan urbem irrupisset, nisi ab iis, qui præsidio civitatis relicti erant, è mœnibus vis telorum ingens in hostes conjecta esset. Quare *Barbari*, & cæde, & pugna pariter abstinuere, multa hominum millia utrinque occubuerant. *Atthila* suos omnes sepulcro dedit: Idem & *Menapus* fecit, paucorum dierum induciis ad id ipsum impetratis. Interim verò post tantam suorum stragem dejectus omni spe *Menapus* tuendæ amplius urbis, *Oricum* graviter vulneratum cum infirma manu in proximam maris insulam mittit. Ferunt eam olim *Malgradum* dictam: inde verò *Gradum*. Eo sub ipsum *Atthilæ* adventum uxores, liberos, senes, preciosamque omnem suppellectilem ab *Aquilejensibus* missam scripserunt quidam. Paucis inde interjectis diebus *Atthila* structa acie pro mœnibus urbis aliquandiu stetit: ubi verò hostem ad pugnam elicere non potuit, illico jubet vineas, aggeres, turres, aliaque opera bellica in muros urbis erigi, quasi nova via, ubi alia ratione non posset hostem aggressurus, & *Menapus* nocte, quæ diem illum secuta est, dispositis per turres & propugnacula in speciem armatorum, ligneis simulacris, cum his, qui secum subsederant, silentio noctis *Gradum* transmisit. Orta luce *Hunnus* jubet machinas mœnibus admoveri. Interim ferunt quendam regi nunciasse se pro comperto habere urbem omni præsidio destitutam: idque se ex eo conjectare, quod aquila proximo simulacro impune sedisset. Sunt qui scribant. *Atthilam* Ciconiæ augurio confirmatum: quum tædio longioris obsidionis infecta re abscedere instituisset; conspicatum, ajunt, fuisse ciconiam pullos suos, quasi alio migraturam extra urbem deferentem, atque ex eo futuram civium fugam auguratus, in incæpto perstitisse. Quum itaque desertam esse urbem appareret, jussit continuo signa inferri. At-

A que hoc maximè modo *Aquileia* urbs nobilissima capta & eversa est. Nam ubi *Barbarus* ingressus est, eam suis diripiendam præbuit. Præda verò haud tanta fuit, quantam hostes animo conceperant. Nam ut diximus, preciosissima quæque sub hostis adventum in proximam insulam delata fuerant Non desunt tamen qui scribant, & civium & omnis opulentiæ fuisse refertam urbem, quum direpta est, prostitutasque vulgo fuisse feminas. Quarum una, quum cerneret vim pudicitiæ suæ paulo post illatum iri, ne eam impune amitteret, sese ex edito loco in subjectum flumen præcipitem dedisse. Cæterum ignis jussu regis passim ædibus injectus est,

B ac momento temporis urbs clarissima incendio absumpta. Hic lector velim te parumper humanarum rerum conditionem considerare: quamque stulte homines faciant, qui hæc terrenarum rerum ornamenta, velut imperia, opes, magnificosque urbium apparatus, tanquam perpetua, & omnino stabilia bona laudant, mirantur & extollunt. Ecce vel ex hoc, quod dicam, contemplari licet, quanti ea omnia sint facienda. Uno ferme eodemque tempore *Roma* gentium domina, amisso imperii fulgore, ignominiose capta ac direpta, solitudinis & ruinæ plena suo augusto solio, velut *Priamus* ille ad aram *Hercei Jovis*, miserabiliter concidit: nec interim illi,

C aut provinciæ, quas domuit, aut Reges, in triumphum duxit, aut ipsa vetus gestarum rerum memoria quicquam profuit. Nec *Aquileia* alterum *Italiæ* lumen diu illi superstes fuit. Sed quum maternos cineres indignamque ruinam attonita spectaret: ipsa quoque non minore clade oppressa est. De origine ipsius priore libro abundè diximus, verum non ignoro fuisse quosdam è numero ignobilium scriptorum, qui tradiderint. *Aquilejam* ipsa *Roma* longe antiquiorem, æqualemque *Patavio*, *Altino*, & *Concordiæ*: quippe quas uno ferme tempore à *Trojanis*, qui cum *Antenore* venerant conditas affirmare audeant. Quod an verum sit, quum *Livium* audiverint, ipsi videbunt. Verba *Livii* superiore libro, quum de *Gallo-*

D *rum* eruptione in hanc *Patriam* loqueremur recitavimus.

M. ANTONII SABELLICI

DE VETUSTATE PATRIÆ

LIBER QUARTUS.

QUI BELLUM LONGOBARDICUM INSCRIBITUR.



Cogitanti mihi atque sæpius animo reputanti calamitosa illa *Hunnici* belli tempora, dubitatio quædam non parva occurrere solet, sitne verum illud quod vulgo dicitur: nullum esse tam gravem casum, nullum tam acerbum fortunæ vulnus, quod non tacita quædam latentis boni comitetur necessitas? Ego & si illud cujusmodi sit affirmare non ausim: nescio tamen quo nam modo ex his, quæ tempestate illa evenere conjectare, atque colligere soleo, adagium illud haud omnino carere ratione. Nam si quis hinc acerbissimos illorum temporum casus, incendia, clades, urbium excidia, & reliqua mala, quæ hæc *Venetæ* terræ ora per id tempus perpessa est, perpenderit: inde verò *Augustam* unius urbis originem, quæ *Romano* cadente imperio: velut divina quadam providentia, nasci visa est, ut esset ubi meliore fato illud sua sede depulsum, perpetuo quiesceret: is certè intelliget lucem hanc, quæ tenebras illas secuta est,

E non æquilibrium tantum facere sed præponderare etiam omnibus malis, quæ ex tempestate illa fœdissima orta sunt. Nam si nomen, gloriam, divitias, potentiam suspicimus (hæc enim ferme sunt, quæ mortales mirari solent) quid *Aquileia*? quid *Concordia*? quid Altinum? quod universa *Venetia* tunc habuit? quod cum unius *Venetiarum* urbis splendore, opulentia, & imperio comparere possimus? Fuit (fateor) tunc aliquod *Venetæ* gentis nomen: sed non tamen usque quaque celebre, aut multis notum: quod ne universa quidem *Italia* adhuc bene nosset. Nunc contra nulla est tam remota tellus, nulla tam *Barbara* natio, ad quam *Veneti* nominis fama non

F pervenerit. Transeo maris imperium, tum provincias, tot urbes, tot clarissimas insulas, quot illorum hoc tempore parent imperio: Transeo quoque res terra marique gestas: quæ plane arguunt, aut nullum alium ad hunc diem populum, aut certè hunc unum extitisse, qui per omnia *Romanæ* gloriæ & videri, & dici possit æmulus. Quod quum ita sit, haud

ſcio, an bene actum fuiſſe cum hac *Patria* & reliqua *Venetæ* terræ ora per id tempus dicendum ſit, potius quam mali quicquam accidiſſe: quando eam bellorum tempeſtatem perpetuum lumen non tantum his terris, ſed univerſæ etiam *Italiæ* peperiſſe manifeſte conſtet. Sed qua id ratione contigerit, non ab re fuerit in prima parte hujus quarti libri breviter enarrare: quod ſane faciam, ſi prius pauca de his, quæ ab *Hunnis* poſt *Aquileiæ* everſionem in *Patria* geſta ſunt, retulero.

CApta & everſa *Aquileia*, continuò *Hunnus Concordiam* verſus movet. Regebat per id tempus eam urbem Regulus quidam *Janus* nomine. Is audito *Aquileiæ* excidio, ratus, quod erat, hoſtem non multo poſt affuturum *Ariadnam* conjugem cum regia gaza in proximas maris inſulas præmiſit: ipſe urbi præſidio eſſe voluit, quæ ab hoſte ferociſſimo brevi capta & incenſa eſt. INDE *Altinum* & alia plæraque *Venetæ* oræ oppida direpta, ſoloque æquata ſunt: Per id tempus *Aquilejenſes* (ut diximus) *Gradum* commigrarunt, *Concordienſes Caprulas*, *Altinates Torcellum*, *Majorbium*, & *Amorianum*. *Patavini* cum ſacris & precioſa ſuppellectile *Rivumaltum* tenuere: in medio ferme *Venetiarum* locus ille eſt hoc tempore. Hic *Patriæ* urbis facies conſpici cœpta eſt ædibus in ſpeciem novi oppidi non temere diſpoſitis, magnus undique in eum locum factus eſt concurſus, ingens nobilium manus velut in novam civitatem evocati cum liberis, ſacris precioſiſque rebus convenere. VII. Cal. Apr. jacta fuiſſe prima urbis fundamenta ſcripſerunt quidam, in quibus eſt *Laurentius Monacus* Patria *Venetus*. Nec ex ignobili colluvione gentium, quod in magnarum urbium originibus ſæpe eveniſſe conſtat, nova civitas conflata eſt: ſiquidem uti quiſque tum propotens, ac valde nobilis fuit, ita ante alios *Hunnum* reformidans (quippe quem nobilitati infeſtiſſimum noverant) fugam occupavit, novæque urbis tutiore loco ædificandæ auctor fuit. Verum quia plané conſtat, qui fuerint *Venetiarum* conditores: locus ipſe poſtulat, ut de ejus gentis origine aliquid altius repetamus. *Venetos Trojana* ſtirpe ortos eſſe, auctor eſt *Cato Livius Henetos* ex *Paphlagonia* ad *Trojam* militaſſe ſcribit: qui amiſſo *Pylæmene* duce *Antenorem* in *Italiam* ſecuti ſunt, pulſiſque ſua ſede *Euganeis* (ex eo ſcilicet ſolo, ubi nunc eſt *Patavium*) mutata littera *Henetos* cum *Trojanis Venetos* appellatos, quidam vero auctores ſunt, *Venetos* ab *Heneto* rege dictos, qui ex *Illyrico* profectus eam oram, quam poſt *Veneti* tenuerunt, occupaverit. *Strabo Gallicam* eſſe gentem *Venetos* autumat: ea conjectura adductus, quod *Veneti* inter *Belgas* rei maritimæ gloria olim illuſtres fuerint, cum quibus *C. Cæſar* in *Britanniam* primo tranſmiſſurus maritimo prælio conflixerit. Sed *Livii* veriſimilior ſententia eſt: quum conſtet *Venetos Adriatici* ſinus accolas ipſam oram tenuiſſe, antequam *Gallica* gens ulla in *Italiam* tranſierit, quod ſi ita eſt, uti *Livius* ſcribit, *Venetiarum* origo ad *Trojanos* & *Latinos* referenda eſt. *Patavini* ab *Antenore* ſunt: *Aquilejenſes* & *Concordienſes*, qui ex proximis inſulis in novam urbem migraſſe dicuntur, *Latini* & *Romani* coloni fuere. Primi ejus urbis magiſtratus Tribuni fuerunt: ut idem *Laurentius* tradidit. Verum civitas libero jure & ad imperandum nata, continuo rei maritimæ ſtudio pollere cœpit: brevique ejus opes in tantum crevere, ut mari terraque finitimis terrori eſſent. Procedente tempore eorum imperium ad ortum propagari cœptum; multaque in *Dalmatico* ſinu *Epiro* & univerſa *Græcia* (quas provincias procedente tempore ſuæ ditionis fecere) & in ora *Pontici* maris non pauca geſſere: moxque ad *Tanaim* uſque *Veneta* arma promota ſunt. Rurſus & in *Syria* per ſe non pauca, multa quoque ſociali bello ab his geſta referuntur. Nota ſunt *Friderici* Imperatoris tempora: quem navali prælio victum, captumque ad Apoſtolicæ ſedis obſequium retraxere: nota & illa inclyta victoria circa *Clodiam*, qua *Genuenſium* vires demum acciſæ ſunt. Tranſeo mille alia: quæ tum ſua materia ardua & ſublimis eſt, tum etiam rerum copia & amplitudine eximium quoddam, & (ut ſic dicam) ſupra humanum exigerent ingenium, ut dignè ſcribi poſſent: non autem tenue & aridum, quale me à natura ſortitum fateor. Sed cum plura & ampla ſint, quæ de invicta ipſius urbis potentia dici poſſent, illud clariſſimum & memoria digniſſimum videtur, quod quatuor & viginti annos *Mahometum* potentiſſimum *Turcarum* Imperatorem duobus everſis imperiis, regibus non paucis ſuo regno pulſis; provinciis quoque pluribus ſubactis, ſuperbientem, procul *Italia*, ad cujus imperium anhelabat, ſuis viribus nixi arcuere. Sed noſtri conſilii non erat ad res *Venetas* divertere: verum quia locus ipſe poſcere videbatur, ut aliquid de *Venetiarum* origine diceremus, hæc breviter & (ut ſic loquar) curſim attigiſſe contenti erimus. Nunc ad *Atthilam* redeamus. Domita itaque *Veneta* terræ ora, *Atthila* flagellum Dei ſe ad terrorem hominum vocitans, *Vicentiam*, *Veronam*, *Mediolanum*, & *Ticinum* pari clade affligit. Cæterum his geſtis, quum *Romam* verſus infeſtis ſignis moturus eſſet, *Leo* Pontifex res *Italiæ* miſeratus circa *Mincii* & *Padi* confluentem fit illi obvius. Hic *Alarici* exitu propoſito, quod ſtatim capta urbe defunctus eſſet, ne ultra progrediatur, & monet, & orat, obtemperat Pontificis optimi conſilio, & monitis *Atthila*. Ferunt ea cauſa inprimis motum, ut illi obſequeretur: quod ad colloquium congreſſus viſus eſſet ſibi *Atthila* cernere duos viros ſtrictis gladiis ſuo capiti imminere, atque ſibi interim mortem minitantes, niſi Pontificis dicto obediens eſſet. *Petrus* & *Paulus* Apoſtoli fuiſſe crediti ſunt. Inde itaque digreſſus *Atthila Pannoniam* repetit: ubi non multo poſt cum jactabundus diceret, ſe rurſus *Italiam* vel majore clade invaſurum, fluvio ſanguinis è naribus nimia crapula manantis, cum *Ildicone* uxore cubans ſuffocatur. Eadem nocte, qua *Atthila* extinctus eſt, *Marcianus* per quietem (quum *Conſtantinopoli* eſſet) imaginatus eſt arcum *Attilæ* fractum ſe cernere. Poſt *Atthilæ* mortem paucis interjectis annis, *Zenone*, qui Orientis Imperium per id tempus tenebat, perſuadente, *Theodoricus* Gothorum rex, qui loca *Conſtantinopoli* proxima infeſtans omnibus terrori eſſe cœperat, ex *Thracia* cum conjugibus & liberis, cumque rebus omnibus per *Sirmium* & *Illyricum* in *Italiam* tranſiit. *Odoacri* copiæ illi in hanc terram irrumpenti circa *Sontium* amnem occurrerunt: quas magno prælio *Theodoricus* fudit, quidam tradunt *Odoacrum* ipſum huc uſque progreſſum. Regebat per id tempus *Italiam Odoacer* tyrannico more: quippe qui tumultuaria declaratione ab exercititibus, qui in *Italia* erant adverſus terrorem *Atthilæ* comparati, Dux appellatus eſſet. Fuſis, ut diximus, ad *Sontium Odoacri* copiis, *Gothi* urbes proximas, oppida, & brevi quicquid *Hunnica* rabies non abſumpſerat, populi, *Ravennam* contenderunt: ubi *Odoacrum* aliquandiu obſeſſum, inde in ſuam poteſtatem redactum occidunt. *Theodoricus* autem & poſt illum *Gothi* ſub diverſis regibus *Italiam* annis circiter ſeptuaginta tenuere, ultimus Regum omnium *Totilas* fuit, quem & ipſum flagellum *Dei* appellatum accepimus: quod in urbem *Romam* & univerſam *Italiam* atrociſſimè graſſatus eſſet. Hunc *Narſes* quidam à *Juſtiniano* in Italiam miſſus vicit & occidit: nec multo poſt *Tejas* Gothorum dux ab eodem *Narſete* victus eſt. Qua clade accepta, *Oſtrogothorum* gens penitus interiit. *Veſogothi* autem in *Hiſpaniam* cum *Alanis* prius conceſſerant: ubi duæ gentes adeo coaluere, ut ex duobus nominibus factum ſit unum. *Cathelani* enim dicti, quaſi

quasi *Gothi Alani*. Nec multis interjectis annis *Longobardi*, qui (ut *Pius* Pontifex tradit) a longitudine barbæ dicti sunt (Non desunt tamen, qui aliam afferant interpretationem) in *Italiam* erupere. Ii ex *Scandinavia* insula *Germanici* Oceani oriundi sunt. Nam qui primum inde profecti sunt, diversis acti erroribus, in *Pannonia* tandem consederunt: ubi duobus & quadraginta annis sedes habuere: hinc à *Narsete*, cujus supra mentionem fecimus, exciti *Alboino* rege in *Italiam* transmissere. Ferunt hunc *Narsetem*, quum de imperio, deque ipso *Italiæ* statu optime meritus esset (quippe qui *Gothicum* nomen deleverat immensosque Barbarorum exercitus aut straverat, aut procul *Italia* arcuerat) ab invidis lacerari solitum, litterisque & falsis criminationibus apud *Sophiam Justini* uxorem: quæ *Orientis* Imperium ob conjugis dementiam administrabat. Ea vero uti femina, quæ sua natura credula est, & ad odium prona, eum ex *Italia* cum ignominia verborum ad se vocat: scribens, jam tempus esse, ut eunuchus ad lanam, & pensa rediret. Ea iniquo animo ferens *Narses* respondisse fertur, se talem orsurum telam, quæ inextricabilis suis æmulis esset. His itaque commotus, *Alboinum* undecimum *Longobardorum* regem in *Italiam* per legatos accersit, ad quod facinus, ut facilius traheret, fama est *Narsetis* legatos suavissimos ex *Italia* fructus secum detulisse: ac nunciasse Regi earum genetricem esse terram, in cujus possessionem vocaretur. Proinde *Narsetis* nomine regem & suos properare jubebant, si rapa, & ipsa *Pannoniæ* sterilitas a *Longobardis* deseri possent. His itaque *Alboinus*, nec non spe futuræ societatis erectus (quippe qui antea *Narseti* fœdere junctus fuerat: auxiliaribus in *Longobardis* (ut *Paulus Diaconus* scribit) *Narses Gothorum* gentem magno prælio vicit, quos in *Pannoniam* multis militiæ præmiis ornatos remisit) ingenti *Barbarorum* manu per *Sirmium* in *Italiam* transcendit. Per id tempus gravis pestis tota ferme *Italiâ*, sed in *Gallia Cisalpina* gravissima orta est, multaque prodigia facta sunt nam & acies quædam igneæ cum cruore madentes cœlo apparuere: nivis præterea vis tanta in imos campos dejecta est quanta nunquam alias. Tota itaque *Venetæ* terræ ora sub ipsum adventum in potestatem redacta. Continuo *Alboinus Gisulfum* nepotem suum *Foroiulianæ* provinciæ cum valida hominum manu præfecit: ducemque *Forijulii* declaravit. Vulgus tenet, quod & *Paulus Diaconus* affirmat, *Forum Julium* fuisse, quod nunc peculiari nomine *Cividatum* appellant. Omissis igitur quæ à *Barbaris* ipsis ducentorum & amplius annorum spatio in reliqua *Italia* gesta sunt: de his quæ eorum duces intra *Patriæ* fines gesserunt ordine dicemus. Scribit *Platina Italicum* nomen ea tempestate deleri potuisse, nisi afflictis rebus sanctissimi viri succurrissent, in quibus *Paulus Aquilejensis* Antistes certe habendus est: qui *Alboinum Italiam* ingressum longe mitiorem, quam illius natura pateretur suis reddidit. Scribunt quidam hunc ipsum *Paulum* ex *Aquileja* cum thesauro ecclesiæ *Gradum* transmisisse, quam novam *Aquilejam* appellaverit. *Gisulpho* autem *Forojulianum* ducatum obtinente *Helias*, qui uno *Probino* interjecto ipsi *Paulo* patriarchæ, cujus proxime mentionem fecimus, successit, in hæresim lapsus est, tria *Chalcedoniensis* conventus capita non recipiens. Verum errorum suum non multo post fassus ad officium rediit. Inde *Pelagii* pontificis permissu conventum viginti episcoporum habuit: quo *Gradensis* ecclesia totius *Venetiæ* metropolis declarata est. Hunc ajunt utilem epistolam à *Pelagio* accepisse, quam divus *Gregorius* quum adhuc Cardinalis esset, scripserat. *Pius* pontifex hæc omnia ad *Severum* Patriarcham, qui *Heliæ* successit, refert: Post cujus obitum. *Aquilejensem* ecclesiam divisam esse scribit, *Gisulfo* duce *Joannem Aquilejensi* ecclesiæ præficiente: Pontifice vero *Claudianum Gradensi*. Sed alibi *Candianum* pro *Claudiano*, & *Sisulfum* pro *Gisulpho* scriptum reperio. Sed *Sisulfo* malè vertit, quod ausus esset rerum sacrarum administrationem usurpare: nam per eos dies, quibus ita sacrilege, ne impie dicam, operatus est, *Cacanus Avarum* rex ex *Norico* in *Italia* transcendit: cui cum *Sisulfus* magna suorum manu obviam processisset, ab hoste magno prælio superatur & occiditur: *Rhomilda* ejus uxor cum *Grimoaldo* & *Rhodoaldo* adhuc pueris (*Thasso*. nempe & *Caco* jam adolescere cœperant) nec non cum his, qui prælio supererant, intra *Forijulii* mœnia se tenuit: quæ audita Sisulfi conjugis morte studiose communiverat. Nec tantum id oppidum *Longobardi* tueri parant: sed *Cromonem* etiam, *Hemas*, *Osopium*, *Arteneam*, *Rheuniam*, *Jlemonam*, & plæraque alia loca ad omnes hostiles impetus sustinendos comparata. *Avares* interim hosticum ingressi omnia ferro & flamma populantur, atque *Forumjulium* ipsum, ducalem sedem obsidione cingunt. Apparebat interim *Longobardorum* res in tuo fore: nisi unius feminæ immoderata libido publicam fortunam præcipitasset, nam dum forte *Rhomilda* hostem mœnibus obequitantem conspicata esset, ejus forma & vigore capta intemperans femina oppidi deditionem pollicetur, si se in uxorem duceret, non recusat conditionem *Barbarus*: sed per internuntium dat illi fidem in futuras nuptias. Traditur itaque oppidum hosti, quod illico dato signo direptum est, emissaque oppidanorum turba pluribus locis subjectus ignis, momento temporis omnia miserabili incendio absumpsit, ita ut ne vestigia quidem loci ulla hoc tempore extent. Hæc *Pius* pontifex. Quæ si ita se habent, *Paulus Diaconus*, qui ejus rei auctor est, videat quomodo oppidum, quæ *Cividatum* appellat, *Forumjulium* esse possit: cujus vestigia non modo non evanuere, sed inter oppida *Patriæ* locus ipse hoc tempore frequentissimus sit. *Avares* everso oppido quum *Longobardos* captos in suos fines traherent, pollicentur se captivos in *Panoniæ* finibus unde venerant, velut pristinis sedibus collocaturos. Nam ex *Pannonia* ut diximus *Longobardi* venerant. Ubi vero in campum, quem sacrum appellant ventum est (eum enim locum futuræ cædi destinaverant) continuo impuberes feminasque sortiti, omnes majores natu dato signo trucidant. Inter trepidationem illam & tumultum ferunt, *Sisulphi* liberos arreptis equis salutem sibi effugio quæsivisse: quorum *Grimoaldus* minimus natu, quum a quodam equite, qui eum fugientem assecutus fuerat, in hostium castra traheretur, dicitur brevissimo ense, quali scilicet tenera illa ætate uti poterat, hostem obtruncasse, conversoque in fugam equo se fratribus junxisse. Rex interim ob jusjurandum celebrat sceleratas *Rhomildæ* nuptias: atque una nocte ea pro conjuge utitur, postero die illam duodecim robustissimis militibus prostituit, qui mutuis stupris die nocteque eam turpiter vexarent. Novissime vero palo ad hoc ipsum humi defixo, tali non alio dicens dignam marito, affigi jussit. Hic exitus fuit *Rhomildæ* feminæ nequissimæ, quæ documento esse potuit omnibus sui sexus, ne libidinem (quod sæpe faciunt) pudori & & saluti anteponerent. Filiæ autem spectatæ pudicitiæ fuisse traduntur, quas Reges & summi duces suo connubio dignati sunt. Per id quoque tempus *Leupichis* quidam admodum puer inter reliquos populares ab *Avaribus* in captivitatem adductus est. Ferunt hunc jam adultum, *Lupo* duce in patriam reversum. Qui quum domum æquatam solo offendisset. a propinquis adjutus eam instauravit, duxitque uxorem, ex qua *Arrichem* filium habuit. Ex hoc *Varnefridus* natus est: ex *Varnefrido* & *Theodelinda Paulus* Monachus *Cassinensis Longobardicæ* historiæ scriptor. *Caco* igitur & *Thasso Sisulphi* filii in *Patriam*

quasi postliminio reversi ducatus administrationem suscepere. Ii ultra *Patriæ* fines eam *Germaniæ* partem suæ ditionis fecere: quæ nunc vulgo *Zelia* dicitur. Ego vero non *Zeliam*, sed *Juliam* dicendam puto. *Paulus Diaconus* tradit *Slavos* eam terram suo tempore tenuisse, certe tamen *Norici* pars fuit olim. Quum itaque opibus & celebritate ipsi fratres florerent, miraque concordia ducatum administrarent, *Gregorii* Romani Patricii fraude periere: quos ille quum ad se *Oppitergium* magnis pollicitationibus traxisset, ubi oppidum ingressi sunt, continuo clausis portis cum delecta comitum manu trucidavit. Nec juvenes fortissimi inulti periere: Sed ubi vim apertam fieri viderunt illico strictis ensibus aliquandiu pro salute decertarunt: mox vero omni evadendi spe amissa, ne inultum id hosti foret, facto in oppidanos impetu ingentem stragem edidere: donec fortiter dimicando occubuerunt. *Thassonis* caput *Gregorio* allatum est: cui ille ne perjurus videretur, barbam recidit: ea enim spe *Thassonem* ad se traxerat, ut ubi primam juveni Barbam recidisset, in heredem, ut mos gentis fuit, videretur habiturus. Post *Thassonis* & fratris cædem *Grasulphus Sisulphi* frater ducatum adeptus est. Verum *Rhodoaldus* & *Grimoaldus*, quanquam vix adhuc adolescere cœperant, id tamen indigne ferentes, quod principatus paterni administratio ad patruum non ad se post mortem fratrum delata esset, continuo navim conscendunt, & in *Apuliam* navigant: ubi vero *Apulum* littus tenuere, *Beneventum* ad *Arrichem* pædagogum olim suum recta contendunt. Is per id tempus *Beneventani* ducatus res administrabat. Ab eo adoloscentes benigne accepti sunt: & filiorum loco habiti. Verum procedente tempore, quum *Slavi* (haud enim *Illyrici* dici possunt, quum natio *Illyrica* non sit, ut loco suo demonstrabimus) navi in *Apuliam* delati, in *Arrichem* impetum fecissent, & brevi, quum non longe a *Siponto* incaute pugnantem obtruncassent, à *Rodoaldo*, id haud impune tulere, nam & fusi magnaque ex parte cæsi a *Beneventanis* totiusque ducatus finibus ignominiose pulsi sunt: *Rhodoaldus* & frater post *Arrichis* obitum, *Ajonem* ejus filium, perinde ac fratrem & dominum, & amare & colere non destitere: atque propter consensum omnium, post *Aionis* mortem *Beneventani* principatus summa *Rhodoaldo* demandata est. Sed ad res *Patriæ* redeamus. Mortuo *Grasulpho*, quem post *Thassonis* & fratris mortem ducem creatum diximus, *Ajo* in ejus locum subrogatus est. Hic quoque nihil dignum memoria egit. Verum illud quod dicam casu potius quam meritis accidit: quæ enim præmia nihil merentis esse potuerunt? Illustris familia aliquandiu in eo oppido fuit, quæ quasi ab illo originem traxisset *Ajonis* domus cognominata est. Huic *Lupus* successit, quem ferunt ala equitum ea parte, qua vetusta olim via insula continenti jungebatur, *Gradum* trajecisse: atque omnes *Aquilejensis* ecclesiæ thesausauros spoliasse. *Grimoaldus* rex *Beneventum* profecturus *Ticinensem* regiam huic *Lupo* administrandam reliquit: qui absente rege quum multa flagitia patrasset, veritus ne quandoque illi reverso ratio suorum scelerum reddenda esset, ac proinde pœna subeunda, *Forum Julium* se contulit, ubi ducatum adeptus à *Griomaldi* imperio discivit. Verum quum minime expediturum appareret, ut inter *Longobardos* domesticum bellum gereretur, per legatos *Cacanum Avarum* Regem, *Grimoaldus* hortatur, ut adversus *Lupum* in *Italia* transiret: cui adventanti *Lupus* cum valida suorum manu occurrit ad locum, quem *Fluvium* peculiari nomine vocant: ibi triduo ancipiti marte pugnatum est. quanquam plures ex *Avarano* quam ex *Longobardico* exercitu singulis præliis cecidissent. Superante tamen *Avarum* multitudine, *Longobardi* amisso duce fusi ac magna ex parte cæ-

A si sunt: quam paucissimi qui ex funesta illa pugna evaserant, in *Patriam* reversi suis popularibus auctores fuere, ut castella & oppida communierent, quando victor hostis paulo post esset affuturus: hisque se pro temporum statu tutarent. Interim *Avares* fugientium vestigia secuti penè improvisi adsunt. *Patrianos* fines miserabili clade occupant: profana cum sacris ferro flammaque populante. Sed quum per ocium omnia fœdissimè vastarent, per legatos *Grimoaldi* interim *Cacano* nunciatur, ut a *Patriæ* vexatione abstineret, ac finibus; quando *Lupus* & sui satis pœnarum luissent, quam primum abscederet.
B His ferociter responsum est, *Avares* haudquaquam eam terram temere relicturos, quam jure belli suam fecissent: nec regem rectè facere, quod se socios regiæque dignitatis assertores, quos patriis sedibus in discrimen belli suam adhortatione traxisset, tandem militiæ præmio fraudare vellet. His *Grimoaldus* commotus exercitum in *Avares* quam validissimum parat. Sed quum sic quoque appareret, haud ita facile hostem his copiis superatum iri, ad terrendos eorum animos nova arte usus est. Accersitis namque *Avarum* legatis, qui forte per eos dies *Ticinum* venerant, continuo jubet per militiæ præfectos copias omnes, quas in *Avares* comparasset, per speciem
C recognitionis ordine traduci: quod cum pluribus diebus eædem acies, diverso semper armorum genere instructæ, processissent, immensi penè exercitus speciem præbuere. Quo spectaculo territi legati regi nunciant invictam aciem in *Avares Grimoaldum* comparasse, addiderunt ferocissimi Regis minas, quibus se intra paucos dies omne *Avarum* nomen deleturum profitebatur, nisi *Italia* primo quoque tempore abscessissent. His territus *Cacanus* (ajunt *Cacanum* ejus gentis lingua regem dici) *Italia* statim relicta in suum regnum abiit. Post *Avarum* digressum *Varnefridus Lupi* filius quum ad ducatum anhelaret, quasi per manus sibi à patre traditum, veritus *Grimoaldi*
D potentiam, quem patri infensum noverat, in *Carnuntum* ad *Slavos* confugit: Nunc *Carantanum* regiunculam illam nuncupari tradunt) ubi auxiliarium manu comparata, in *Patriam* quasi vi paternum principatum recuperaturus erupit. Apud *Hemas* (locus haud multum a *Forojulio* distat) tumultuose consedit; ubi valida *Forojuliensium*, acies illi occurrit. Ferociter utrinque concursum est, sed fusi demum cæsique sunt *Slavi*. In qua pugna ipse quoque auctor belli fortiter dimicans occubuit. *Vetharis Vicentinus* vir benignus & popularis *Varnefridi* morte ducatum consecutus est: cujus profectione ad *Grimoaldum* regem audita, *Slavi* collecto tumultuario
E exercitu in *Forojulianos* fines erupturi, castra ad *Broxacem* metati sunt, forte accidit, ut superiore die *Vetharis* ex *Ticino* in *Patriam* reversus esset: qui audito hostium adventu quinque & viginti comitatus equitibus illis obviam progressus est. Eum venientem hostes irridere cœperunt: clamitantes Patriarcham cum infrequenti clero sibi obviam venire. Ille vero ad pontem *Natisonis*, qui proximus castris erat, progressus caput casside nudavit, seque hostibus agnoscendum præbuit. Hic quidam fabulam potius quam verisimile quicquam videntur mihi tradidisse, mox enim agnito duce ajunt *Barbaros* perturbatos de fuga inter se agitare cœpisse, quum ad
F quinque millia hominum essent: in quos fortissimus dux invectus tantam stragem hostibus intulisset, ut quam paucissimi, qui suorum cædem nuntiarent, evaserint, quasi vero sic accidere potuerit, ut quinque ovium, ne hominum dicam millia à quinque & viginti equitibus tam turpiter confici potuerint, hoc certe est quod fidem historiæ inprimis abrogat, quæ ut *M. Tullio* placet, lux est veritatis. Quidam enim sordidi scriptores, ne qua sibi interim materia scribendi desit, aperta sequuntur mendacia: ex eoque fit,

fit, ut quum vulgi auribus ſtudent placere, fidem quæ inprimis hiſtoriæ ſcriptoribus conſtare debet, amittant. Ego autem potuerit ne id fieri lectoribus ſanæ mentis judicandum relinquo. Poſt *Vetharim Lautharis* dux declaratus eſt. Hic nihil memorabile ſuo ducatu geſſit. Ei *Rodoaldus* ſucceſſit. *Grimoaldus* interim *Longobardicum* regnum adeptus, quum inexpiabili odio *Romanos* perſequeretur, quod *Thaſſo* & *Caco* fratres ſub eorum fide, proditi ac cæſi eſſent, nacta occaſione *Opitergium*, ubi cædes patrata eſt, funditus evertit. Ejus fines *Tarviſinis*, *Cenetenſibus* & *Forojulianis* aſcripſit. Hic conjectari libet factum eſſe, quod hoc tempore *Opiterginus* ager ad *Patrianos* fines non attineat, qua opinione admirari nos primo libro diximus, *Plinium* ſcripſiſſe, *Liquentiam* fluvium ex *Opiterginis* montibus cadere. Quod fieri poteſt, ut quæ nunc *Patrianæ* ditionis ſunt, olim *Opiterginæ* fuerint. *Rodoaldus* autem cum per negocium Ducatu abeſſet, accidit ut ab *Alfrido Reuniano*, (Regulus ne hic *Reuniæ* eſſet, an obſcuro loco natus, incompertum habeo) conſpiratione multorum principatu pulſus eſt. In *Iſtriam* itaque aufugit: inde *Ravennam* tranſmiſit, hinc ad *Copertum* Regem *Ticinum* pervenit. *Alfridus* non contentus adhuc principatu fraude quæſito, in *Copertum* regem maximas quam poteſt armat copias. Sed uti ſæpius evenire ſolet, ut quæ male cœpta ſunt, malo non careant eventu, ſub primos conatus *Veronæ* captus, privatus oculis, in exilium ejectus eſt. *Ado* interim *Rodoaldi* frater aliquamdiu vicaria adminiſtratione Ducatui præfuit. Huic *Ferdulfus* natione *Ligur* ſucceſſit: homo lubricus & ad oſtentationem potius quam ad negotium natus. Hic materiam novi belli quæritans *Slavos* quoſdam ſubornavit. qui ſe auctores ſuis popularibus exhiberent tumultuario exercitu comparato in *Italiam* tranſeundi: quod illi negocium ex ducis ſententia confecere. Nam non multo poſt ingens *Slavorum* manus in *Patrianos* fines latrocinantium more effuſa eſt, magnamque vim pecudum in prædam abegerunt. Hos abeuntes *Sculthais* vir impiger ad inſequendum miſſus, quum aſſequi non potuiſſet, a Duce amariſſimis verbis increpitus eſt, & *Hargadh* (quod opprobrii nomen erat) appellatus: quam inſignem contumeliam ille indigne ferens exclamaſſe dicitur, utinam dux fortiſſime antequam vita nobis migrandum ſit, & virtutis & ignaviæ oſtentandæ utrique noſtrum occaſio detur, ut omnes intelligant, uter noſtrum ſit verior *hargadh*, nec vox incaſſum miſſa. Nam per eoſdem ferme dies valida *Slavorum* manus atque priore illa infeſtior adventare nunciatur: cui cum omnibus *Forojulienſium* viribus *Ferdulfus* obviam progreſſus eſt. Sed locus hic poſtulat, quando toties unius gentis mentio a nobis facta eſt, ut oſtendamus non conſulto feciſſe, quod *Slavos* magis appellare voluerimus, quam *Illyricos*: quanquam *Illyridis* partem incolant. Et brevi, præter illud quod magnos auctores ſecutus ſum, rationem habeo non A parvam, qua factum tueri liceat. *Slavi* ſiquidem natio *Illyrica* non eſt, ſed longe ab *Illyrico* nata. Nam *Vandali* a quibus *Slavi* originem cœpere in extremis *Germaniæ* partibus ſedes habuerunt: *Plinius* eſt auctor. Eos tumultuantes *Tiberius* & *Druſus* fratres auſpiciis *Auguſti* principis, partem ultra *Rheni* ripas traxerunt, vicatim eos habitare coëgerunt: unde *Burgundiones* dicti. *Burgos* enim *Galli* vicos appellant. Reliqua gens quum circa *Tanaim* conſediſſet ſe *Slavos* a gente qua *Boſphoro Cymmerio* proxima fuit, nuncupavere. Horum pars *Mauritii* Cæſaris temporibus in *Dalmatiam* & *Illyricum* migravere, nomenque priſtinum tenuerunt. Qui longius B *Italia* conſederunt, partim *Boëmi*, partim *Poloni* dicti ſunt. Quod quum ita ſit, recte ſum mihi viſus facere, quum de his loquor, qui in *Illyricum* & *Dalmatiam* venere, nomenque priſtinum tenuerunt, ſi eos *Slavos* appellarem, non *Illyricos*. Quum igitur hoſtes, de quibus dicere inſtitueram munitiore tumulo conſediſſent, nec tuto locus parte aliqua adiri poſſet, tum *Sculthais*, memineris, inquit, dux fortiſſime quod me paucis ante diebus *Hargam*, ceu deſidem & inertem vocaris: hæc autem lux nobis occaſionem attulit oſtendendæ virtutis. Locus hic admodum opportunus hodie quid uterque noſtrum præſtare poſſit, arguet. Si proinde ille es, C quem magnificis verbis jactare ſoles, me adverſo tumulo in hoſtem vadentem ſequere. Valeat qui ad hoſtes ſegnius pervenerit. Stultus dux ſtultiſſimum ſatellitem ſecutus eſt. Cætera multitudo temerarios duces ſecuta collem ſublato clamore ſubiere. Nec *Slavi* in tanta occaſione ceſſarunt: ſed Saxorum temere jacentium vi maxima in ſubjectum hoſtem evolata fœdiſſimam ſtragem edidere. Inde ſuperiore loco incurſantes momento temporis eos, partim ſuorum cæde conſternatos, partim ipſa locorum difficultate titubantes fundunt ac trucidant. *Ferdulfus* & *Sculthais* temerarii facinoris hujus capita, imprimis merita morte occubuere: ſecundum eos omnis D pene *Forojulianæ* nobilitas eo loco extincta eſt. *Ferdulfo Corbulus* dux ſucceſſit: Hic cum *Ticinenſem* regem in ſe vertiſſet, privatus oculis exilio mulctatus eſt. *Pemo* in ejus locum ſubrogatur. Hic *Bellunenſis* patria fuit vir ſpectatæ probitatis: quippe qui quum uxorem antequam dux eſſet illiberali facie duxiſſet, nunquam adduci potuit vel ea id petente, ut aliam ſuperduceret: identidem illud prædicans, mores in conjuge non formam probari oportere, vocem me hercule ſummo viro dignam & minime eo, qui inter *Barbaros*, ſed mediis *Athenis* natus eſſet. Ex ea tres filios ſpectatæ indolis habuit, cum his adhuc pueris nobilium liberos, qui *Ferdulfi* E temeritate paulo ante. occubuerant, educandos diſciplinaque, militari inſtituendos diligenter curavit. Sed jam locus ipſe exigit, ut ab externis rebus ad domeſticas diſcordias tranſeamus: de quibus proximo libro ordine diſſeremus.

M. ANTONII SABELLICI

DE VETUSTATE PATRIÆ

LIBRIS QUINTUS

QUI BELLUM DOMESTICUM INSCIBITUR



NON ſatis erat quotam hanc *Venetæ* terræ partem externa arma ante *Trojani* belli tempora ſenſiſſe, ac deinceps longa quadam malorum ſerie peregrinis domeſticiſque motibus ad *Longobardicam* uſque tempeſtatem fuiſſe obnoxiam, niſi inteſtina diſcor- F dia & civilibus, ut ſic dicam laborare cœpiſſet armis. Sunt, (quis neſcit?) pernicioſa bella extrinſecus invecta. Sed longe quidem pernicioſiora quæ domi & quaſi in viſceribus ipſis oriuntur. Id ex eo datur intelligi, quod clariſſimæ civitates, quæ externis viribus vinci nequivere, ſuis tamen armis confectæ

fectæ facile corruerunt. Et ne a domestico recedamus exemplo, satis superque constat, *Romanum* Imperium tantum virtute armorum crevisse, ut suis viribus perpetuo stare potuisset, nisi civiles illud evertissent discordiæ. Quod si tanti imperii gloria hac una re concidit, nec ulla alia, an dubitet quisquam qualis futurus *Patriæ* hujus fuisset eventus, in qua externis armis pene ad internecionem accisa, domesticis & in ipsius terræ visceribus cœptum esset dimicari? nisi divina quadam providentia factum esset, ut quum jam vulnera ad præcordia descendere cœpissent: in *Venetorum* potestatem velut in portum quendam tutissimum concessisset & a *Patrianis* ipsis: in quo nullam futuram ventorum vim, nullos denique fluctus reformidaret. Quod quum ita esse appareret, non ab re fore duxi, si quintus hic liber ab ipsis domesticis discordiis exorsus in ea tempora decurreret, quibus hæc terra in *Veneto* præsidio conquievit.

SUccesserat *Joanni Aquilejensis* ecclesiæ antistiti (cujus proximo libro mentionem fecimus) *Martianus*: post quem usque ad *Callisti* tempora antistites septem interfuere. His sedentibus pene nihil memoria dignum (quod ad ipsam ecclesiam attineret) actum est. *Calistus* autem qui in *Sereni* demortui locum (Is enim illorum septem novissimus fuit) surrogatus est. quum ingenti vir animo esset, utpote qui non humili fortuna, sed loco clarissimo natus esset ægerrime ferebat patriarchicam sedem abscuro loco esse. Nam ab *Helia* patriarcha ad eam diem annis ferme centum *Cromone* fuerat: quum interim *Longobardorum* duces episcopum sibi *Forojuliensem* creassent: qui in luce hominum frequentique nobilium cœtu constitutus præstantioris fortunæ quam Patriarcha esse videbatur. Commotus rei indignitate *Calistus*, quod quispiam suæ diocesis antistes se dignior haberetur, *Amatorem* Episcopum, qui *Frederico* successit, sed alibi *Fidentium* pro *Frederico* legimus) *Forojulio* expulit, quo ipse cum Patriarchica sede paulo post migravit, atque ubi domus *Amatoris* fuerat, sibi & successoribus egregias ædes pro loci conditione erexit. Offensus *Pemo Amatoris* familiaris sui injuria, non mediocri ira in *Calistum* exarsit: sed novo bello occupatus iram & ultionem in aliud tempus distulit. Per id enim tempus trepidissimis nunciis allatum erat, ingentem *Slavorum* exercitum in *Forojulianos* fines erupisse. Non desunt tamen qui scribant prius debellatum esse cum *Slavis*, quam ullæ inter *Callistum* & *Pemonem* intercessissent inimicitiæ. Audito itaque hostium adventu Dux cum suis ad *Laurianum* illis occurrit: ubi triplici prælio eos magna strage superavit: quum *Forojuliensium* nemo interim cecidisset præter *Sigualdum* quendam: qui quum ea clade, quæ *Ferdulfi* temeritate accepta fuerat, duos filios amisisset, ac proinde in eorum ultionem duobus superioribus præliis strenuam operam navasset, multumque hostilis sanguinis hausisset, quum tertio prælio infestius hostem urgeret, nec ulla interim suorum adhortatione a pugna revocari posset, clamitans satis lætum se periturum, si multo hostium cruore orbitatem suam abluisset, factum est, ut ab hostibus interclusus fortiter adhuc dimicans occubuerit. Ex illo tempore *Forojuliana* arma a *Slavis* formidari cœperunt: quibus pacem petentibus *Pemo* haud renuit. Eodem itaque loco, in quo pugnatum fuerat fœdus percussum est, atque pacis conditiones datæ. *Pemo* autem præsenti victoria elatus, continuo ad exercendas cum *Callisto* immicitias conversus, facto cum suis impetu, eum modico negocio in potestatem suam redegit: quem vinctum ad Castellum *Pucium* traxit (sed *Punicum* pro *Pucio* legendum puto) unde eum in mare præcipitare statuerat. Verum quum ad locum ventum esset, continuo mutato consilio

A eum præsenti morte servatum in carcerem, & vincula conjecit. Quod ipsum ubi *Luitprandus* Rex, quo *annitente Callistus* patriarchicam dignitatem consecutus fuerat, audivit, vehementer commotus *Pemonem* ducatu privavit, atque *Rachim* ejus filium ducem declaravit. Id indigne ferens *Pemo* ad *Slavos* eo tempore socios cum multis claris viris, qui cum eo conspiraverant, transire constituit: quasi vi ereptam dignitatem asserturus. Verum *Rachi* ad Regem intercedente *Pemo Luitprando* reconciliatur: acceptaque a rege fide, uti neque patri, neque nobilium cuiquam, qui cum eo conspirassent, fraudi essent, & quæ in *Callistum*

B manum conjecissent, & quod de transitione ad *Slavos* cogitassent, egit *Rachis* cum patre, ut ad Regem cum suis veniret, quasi illi coram satisfacturus, ubi vero *Ticinum* ventum est, quum *Pemo* & sui in *Luitprandi* regiam venissent, continuo apparuit qualis esset regis in *Pemonem* animus. Nam *Rachi* sibi proximo loco assidere jusso *Pemonem* cum duobus filiis, quos secum duxerat, & reliqua nobilitate humiliore loco collocavit. Nec multo post facto silentio nominatim jubet *Pemonem* & omnes ejus defectionis socios comprehendi. Ferunt *Hastulfum* alterum ex duobus *Pemonis* filiis, quos patrem secutos diximus, dolore percitum gladium exemisse, ut Regem obtruncaret. Quod facinus juvenis ferocis-

C simus patrasset: nisi a *Rachi* fratre fuisset detentus. Hic omnis *Forojuliana* nobilitas cum *Pemone* capta in vincula conjicitur. Unus omnium *Herxemar* fertur per armatorum cuneum ferro sibi viam fecisse, atque in divi *Michaëlis* ædem velut in tutissimum asylum confugisse, quo facinore impunitatem à Rege impetraret, apud quosdam legere est *Pemonem* ducali dignitate mulctatum, nec ultra in eum sævitum: reliquos vero longissimo carcere cruciatos. In *Pemonis* locum *Rachis* ejus filius volente rege dux declaratus est. Hic gravissimum bellum *Slavis* intulit, *Carniolamque* eorum regionem populatus est:

D atque procedente tempore pro *Luitprando* rege cum fratre *Hastulpho* adversus *Spoletanos* egregia belli facinora edidit. *Callistus* autem regis jussu vinculis solutus in pristinam dignitatem restitutus est. Per hæc ferme tempora *Longobardorum* opes in *Italia* concidere: ubi ducentis & quatuor annis regnum tenuerant, quorum rex ultimus fuit *Desiderius*: qui a *Carolo Pipini* filio victus, cum uxore & liberis *Lugdunum* in perpetuum exilium traductus est. Verum non parvo interjecto tempore *Berengarius Forojulianus* dux *Longobardicæ* gentis cladem ultus est, apud *Veronam Lodovico* rege ab ipso *Carolo* prognato magno prælio victo cui capto oculos eruit, atque omni

E spe assequendi imperii, quod *Arnulfus* pater tenuerat, privavit. Ita Imperium quo *Franci* annis circiter centum potiti fuerant, ad *Longobardos* translatum est. *Berengarius* ipse ob egregia militiæ facinora non multo post tempore magno omnium consensu Imperator declaratus est. Ab eodem *Carolo*, qui *Desiderium* vicit (fuit enim, ut diximus, *Pipini* filius, & *Carolomanni* frater) *Paulus Forojuliensis*, *Longobardicæ* historiæ scriptor in *Galliam* traductus est, atque non parva honore aliquandiu apud ipsum regem habitus, sed quum in suspicionem venisset, quod de liberatione *Desiderii* regis cogitare cœpisset. (Nam florentibus *Desiderii* rebus fuerat illi cha-

F rissimus) in *Diomedis* insulam a *Carolo* relegatus est unde post aliquos annos fugiens in *Cassinense* Cœnobium ingressus, sanctissimam egit vitam: litterasque interim ad *Carolum* elegantes sæpius dedit & accepit. *Paulinus* autem *Aquilejensis* antistes præclara quædam ab eodem *Carolo* obtinuit privilegia, quibus res ecclesiæ non mediocriter aucta est, verum quia deinceps de his sæpius dicturi sumus, quæ ad ecclesiam ipsam attinere videbuntur: non ambigo quin multi a no-

a nobis expectent, ut & tempora, & patriarcharum nomina ex ordine colligamus. Sed non est cur eos vana expectatione frustremur. sciant itaque constituisse nos post rationem temporum, quam nobis omnino constare volumus, nihil ex his quæ ab aliis magis copiose quam utiliter tradita sunt, nisi quod memoria dignum videbitur sequi velle. Cetera vero quæ vel omnino levia sunt, vel talia, ut plus odii quam gratiæ sint nobis allatura, consulto missa faciemus. Successit *Paulino Ursus*, qui primus cum Pontifice cœpit agere de *Gradensis* ecclesiæ abusu. *Maxentius* vero qui illi defuncto surrogatus est annitente *Lothario Lodovici* imperatoris filio frequentissimo episcoporum conventu *Mantuæ* obtinuit, ut declararetur, eum, qui *Gradensi* ecclesiæ præesset, iniquum videri Patriarchæ nomen usurpare. Deposito itaque *Venerio*, qui tunc præerat, *Gradus Aquileiensis* ecclesiæ plebes judicata est. Nec longa post id tempus fuere *Patriæ* otia ab externis armis, nam *Frederico* sedente *Hungarorum* vis ingens in *Patrianos* fines effusa est, quos ille consilio & industria procul repulit. Tradunt quidam eos androphagos fuisse, id est, humanæ carnis comestores, eoque eorum incursum terribiliorem omnibus fuisse. *Platina* ingressos eos *Italiam* scribit, atque aliqua ex parte eam populatos: *Bavaros* vero qui longe ante *Hungarorum* accessum *Forojulianos* vexarant, ab *Henrico Caroli* præfecto superatos ac *Italiæ* finibus depulsos: quum *Bavarorum* alii, quos legimus, nullam interim faciant mentionem. *Leo* qui huic successit, quum graves pro libertate ecclesiæ exerceret inimicitias, à *Rhodoaldo* quodam *Longobardo*, viro inter suos populares opibus & auctoritate illustri, occisus est. Prorogata est illi pœna *Berengario* imperante. Hunc ego eum esse puto: qui imperium e *Francorum* manibus extorsit, verum post ejus mortem *Otho* primus & secundus imperatores quicquid *Rhodoaldus*, sacrilegæ cædis reus, inter *Plavim* & *Linquentiam* possiderat, *Aquilejensi* ecclesiæ addixerunt. Et quod ad ipsius ecclesiæ decus attinet, illud quoque memoria dignum videtur: quod frequentissimo episcoporum conventu, cui *Joannes* decimusnonus *Ravennæ* præsedit, annitente *Poppone Aquilejensi* antistite, declaratum est, sacrilege factum videri, quod hi qui *Gradensi* ecclesiæ ad eam diem præfuissent, patriarchæ nomen sibi usurpassent: *Ursonemque* qui tum forte præerat deponendum censuere. Ceterum ea occasione fretus *Poppo*, libros, calices, & omnem ecclesiæ apparatum quem *Longobardico* tumultu *Paulus* antistes illuc contulerat in *Aquilejense* sacrarium ex ipsa insula reportantandum curavit (quanquam non video quid reportari potuerit: cum constet *Gradensem* ecclesiam a *Lupo* duce *Forojuliano* suo & *Aquilejensis* ecclesiæ apparatu non multo ante spoliatam) erexitque sumptuosissimum fanum divæ virgini, cujus dedicationi *Joannes* pontifex prædictus, *Conradus* Imperator, duo Cardinales cum viginti episcopis interfuere. Constituit cœnobium sanctimonialium extra muros, quod donariis & profusissima largitione ditavit. Sub ipsam autem fani dedicationem declaravit pontifex, *Conrado* annitente, placere sibi, atque id ipsum videri, ut ecclesia ipsa mater esset viginti ecclesiarum, quarum Antistites *Aquilejo* præsuli per omnia parerent. Nomina earum consulto missa facimus. Auxit mirifice rem ecclesiæ *Poppo*, sed non minus *Gotepoldus*, qui uno interjecto Antistite ei successit. Hic cœnobium cum basilica divi *Stephani* construxit, accepitque, ut quidam tradidere (nam *Popponis* nihil meminerunt) *Fonijulianum* ducatum cum tota *Istria* dono ab *Henrico* tertio, quo annitente, *Gradus Aqailejesi* ecclesiæ tertio adjudicata est. Nec multo post idem *Henricus Carniolam Sighardo* patriarchæ largitus est. Non paucis interjectis annis, tradunt quidam *Honorium* secundum *Aquilejam* venisse. Quo

A tempore puto pontificem ipsum *Raimundum*, *Gulielmi* ducis *Austriæ* filium *Hierosolymitano Regno*, *ut Platina* scribit, præfecisse. Illud memoria dignum non præteribo: quod de *Voltherii* patriarchæ tumulo partim legimus, partim ipsi vidimus. Hic quum spectatæ vir sanctitatis fuisset, factum est. ut post ejus mortem marmorea arca, in qua ipsius corpus conditum fuerat aliquamdiu nullo adminiculo fulta in aëre penderit. Nos eam vidimus uno tantum angulo homo hærentem. Quantum autem *Voltherius* sanctitate polluit: tantum profecto *Gregorius*, qui uno interjecto præsule illi successerat consilio & fortitudine: quippe qui ab *Innocentio* quarto

B missus *Parmensibus* subsidio adversus *Fredericum* jam dudum imperio depositum, qui per id tempus *Parmam* acri obsidione urgebat. Ejus itaque auspiciis hostis victus exutusque castris est. Ferunt signa multa militaria ex ea victoria retulisse, quæ in *Civitatensi* ecclesia in tropheorum speciem suspenderit. Exercuit præterea gravissimas inimicitias cum Comite *Goriciæ* & *Carinthiæ* ducibus, ecclesiam infestantibus. *Philippus Carinthiæ dux Gregorio* defuncto in ecclesiæ antistitem electus est: quem *Gregorius* decimus confirmare noluit. Verum ubi ita præsidere non potuit, non multum diversa ingressus via est ad *Patriæ* administrationem capessendam: siquidem

C magno omnium consensu res summa sub præfecturæ titulo illi demandatur, atque sedes interim quatuor annis vacavit, quo tempore *Cividatum*, & quod *Forumiulium* appallari diximus a quibusdam, *Patrianis* regulis paucis per factionem tradentibus est oppressum. Optimi cujusque ac ditissimi bona continuo, aut direpta, aut publicata sunt ipsi autem partim capti & in vincula conjecti, partim in exilium acti. Sed non multo post per regis *Boemiæ* præfectum adhoc ipsum cum valido exercitu in *Italiam* missum oppidum receptum est, atque in pristinam libertatem restitutum. Per id ferme tempus *Raimundus* episcopus *Cumanus* (sed *Comachinus* potius

D legendum puto) ecclesiæ administrationem suscepit, ac primo quoque tempore fœdus cum *Goriciæ* comitibus percussit, *Saciliumque*, à *Gerardo Caminensi* recepit. *Veneti* interim in *Istriam* transmiserant, ubi quum aliquot oppida brevi tempore occupassent, *Tergeste* obsidere cœperunt. Id ægre ferens *Raimundus*, magno exercitu comparato *Tergestinis* opem ferre statuit. Sub ejus adventum obsidio soluta est: factaque ab oppidanis eruptione in *Venetos* sese ad naves recipientes, nonnulli cæsi sunt: quam paucissimi vero capti. Locus quem had procul inde *Veneti* munire cœperant funditus est dirutus. Nec ita multo post pax inter *Venetos* & *Raimundum* consecuta est. Foris autem

E pacatis rebus in ipsa *Patria* quotidie magis ac magis discordia gravesque inimicitiæ oriebantur. Nam per id tempus *Octobono* ecclesiam tenente, *Richardus Caminiensis Spilimbergum* infestissimo exercitu occupat: qui multis *Patriæ* regulis sibi junctis omnia loca circumjecta diu incursionibus infestavit: è quibus *Henricus Pamperginus* captus *Octoboni* jussu capite mulctatus est. Subsecuta interim & *Butriensium* defectio, qui *castellum* sua natura munitum præsidio & omnis generis commeatu majorem in modum refersere. Sed minimo negocio (quod nemo futurum sperabat) *Octobonus* oppidum recepit, receptumque funditus evertit, ipsosque defectionis auctores in vincula conjecit,

F eodem quoque anno *Castellum Porpetium* & plæraque alia loca feliciter expugnavit. Interim *Richardus*, cujus supra mentionem fecimus, ad *Octobonum* quasi illi satisfacturus venit: a quo quum benigne acceptus esset, simulque multa & magna impetrasset, ab eo digressus, quum domum iter intendisse putaretur, cum non parva suorum manu *Hunnium* repente invasit. In ipso tumultu *Spilimbergensis* quidam Regulus cæsus est: ipse autem fusis reliquis indecora fuga

sibi salutem quæsivit. Et ne qua interim malorum materia deesset: quum per id ferme tempus *Patavini* gravi bello a *Venetis* urgerentur, Ducesque *Austriæ* & *Carinthiæ* illis opem laturi cum magnis exercitibus hac iter facerent, fœdissimis latrociniis atque omni rapinarum genere *Patriam* afflixere. Non parva sunt quæ diximus, sed longe majora mala sunt per eos dies consecuta. Nam *Goriciæ* Comes ingenti vi hominum adversus *Bertrandum* Antistitem, & *Savorgnanæ* familiæ regulos, qui *Hunniensibus* juncti erant, in *Patriam* erupit, nulla alia belli causa prætedebatur nisi quod cetera *Patriæ* nobilitas videbatur ab his sua dignitate, in quibusdam fraudari, levis profecto & omnino indigna causa, propter quam *Patriæ* otium tam temere debuisset turbari. Sed certe aliud jam dudum hominum animi parturiebant: quod eos tandem parere necesse fuit. Continuo itaque venienti illi, velut socialis belli duci declarato, sese ferme omnes *Patriæ* reguli junxerunt: justi imo pene immensi exercitus formam implevere tot Regulorum appendices. Quo factum est, ut per multos menses in armis fuerint: nec se interim uno loco tenuere, verum *Faganeam*, *Savorgnanum*, S. *Danielem*, *Bugiam*, *Tricesimum*, ac plæraque alia oppida & vicos expugnavere. At Comes ipse non id impune tulit, nam cum hyems appeteret, ac *Patriani* reguli domum velut in hiberna dilapsi essent, quum *Goricianæ* copiæ *Braulinum* concessissent, repente *Hunnienses* ad hostem proficiscuntur, eosque trepidos, & ad pugnam se tumultuose expedientes parvo nogotio fundunt, eorumque impedimenta diripiunt, signa quam plurima militaria ex ea victoria relata, & in Basilica divæ virginis, quæ *Hunnii* est suspensa. Ceterum hostibus fusis *Braulinum* oppugnant: quod intra paucos dies vi captum diripiunt & evertunt. Quum ita res *Patriæ* sese haberent induciæ in certum tempus Apostolici legati interventu pactæ sunt. Nec multo post *Utinenses Faganeam*, *Sanctum Danielem*, & *Morucium* recepere. *Brachinus* Comes *Porlilianus Portus Naonis* præfectus auxiliari manu a *Spilibergensibus* regulis accepta, Castellum, quod *Turrim* vocant occupavit. Interim *Utinenses*, *Bugiam* fame domuere. *Bertrandus* Patriarcha *Sacilio* (sunt qui *Sacellum* pro *Sacilio* malint scribere) præfectus, quod paulo ante a *Richardo Caminensi* receperat, monitus dicitur a *Frederico Savorgnano* (cui mira familiaritate junctus erat & cujus consiliis non parum tribuebat) & quibusdam aliis, ne se in discrimen vitæ conjiceret: affirmantes se pro comperto habere, a multis esse ejus in mortem conjuratum. Tum ille magno animo & innocentia nixus se non vereri cujuspiam insidias respondisse dicitur: seque pro ecclesia, & ubique & semper, paratum morti occumbere, quod ita sane accidit. Nam quum *Hunnium* versus non multis comitantibus iter intendisset, ventumque esset ad locum, qui dicitur *Rinchinuele* non longe a *Spilimbergo*, illico ex insidiis coorti, qui ad hoc ipsum venerant, in eum impetum faciunt, atque omni comitatu metu disjecto, virum singulari innocentia præditum obtruncant. Fama tenet eo loco, ubi ejus sanguis fusus est, solum perpetuo exaruisse, ipsius corpus impii homines, non contenti præsenti scelere, in currum sustulere, duabusque impudicis feminis ad caput altera, altera ad pedes constitutis *Hunnium* misere. *Utinenses* ejus corpus honorificentissime acceperunt, atque in majori divæ virginis basilica, de qua paulo ante mentionem fecimus marmorea arca collocarunt, quæ quatuor lapideis statuis virginali habitu sculptis fulta est, ferunt ea simulacra esse quatuor virginum, *Euphemiæ*, *Dorotheæ*, *Teclæ*, & *Herasmæ*, quæ divi *Hermagoræ* temporibus martyrium passæ sunt. Evidentissimis miraculis locus insignitus est. Mira devotio & *Patriæ* assiduus concursus tumulum celebrat. *Marcus Barbus Aquilejensis* antistes, quum in *Germaniam* & *Pannoniam* superioribus annis profecturus, *Utinum* divertisset, inspecta miraculorum multitudine pollicitus est *Utinensibus* se post reditum cum pontifice & Cardinalium collegio acturum, ut *Bertrandus* ipse, qui nunc beatus dicitur, Canonico ritu sanctorum catalogo ascriberetur. *Nicolaus*, *Joannis Boëmiæ* regis filius; in ejus locum surrogatus est. Hic miro odio persecutus est non solum illos, qui in *Bertrandi* mortem conjurarunt, sed eos quoque qui adversus illum quandoque militassent. Nam *Goriciæ* comite sibi juncto, ac plerisque aliis illustribus viris, *Castellum Porpetium* continuo expugnat & evertit: atque *Joannem Franciscum* ejus loci regulum ex *Caprulis* quo confugerat, *Utinum* ad se retractum capitis supplicio affecit. Cujus caput lanceæ trunco affixum, toto oppido circumferri fecit. Eodem die *Armannum Carniolum* virum illustrem capi jussit, quem cum filio, & fratre in vincula conjecit. *Richardum Varanicum* per eos dies in potestatem suam redactum securi percussit. Nec multò post *Armannum* quoque quem in vinculis habebat eodem affecit supplicio. Nec his contentus *Tercentum* inferius funditus diruit (castellum ipsum proximum *Turro* amni fuisse existimo) cujus vestigia adhuc extant. memini me quum illic essem spectaremque ruinas loci, quærere solitum a nonnullis senibus, ecquid de eo loco accepissent a suis majoribus? nec quemquam inveni, qui diceret de ea re se aliquid compertum habere, quæ omnium oculis interim subjecta erat. At non possum non mirari ita ab ipso *Nicolao* antestite in *Tercentinos* & *Porpetios* regulos hoc nomine sævitum: quum nunquam apud eos, qui de ea re meminerunt, inter socios sacrilegæ conspirationis eorum quempiam inveniam relatum. Ceterum *Melfi* quoque pars magna ejusdem auspicio solo æquata est. Recepit & *Sofumbergum*, *Henricumque* ipsius castelli regulum, consortibus in exilium ejectis, penes se habuit: *Hunnienses* interim *Castellerium* demoliti sunt. Per id tempus *Carolus*, *Nicolai* antistitis ftater imperator *Romanorum* declaratus est. Is quum *Romam* proficisceretur, *Utinum* venit: quem abeuntem *Nicolaus* cum plerisque illustribus viris & regulis *Patriæ* officii gratia secutus est. Eorum nonnullos *Carolus* imperator postquam coronatus est pro ponte sancti angeli equestri dignitate donavit. In quibus fuere *Franciscus* & *Paganus Savorgnani*, *Odoricus Chucanicus* & *Walter Bertholdus Spilimpergius*. Defuncto *Nicolao*, cui *Ludovicus Mediolanensis* successit, Sancti *Danielis* reguli *Varanum* inferius occupant: depulso *Dethalmo* quodam, cujus ditionis locus fuerat. Verum quia præter omnium spem *Ludovicus* rem ipsam leviter vindicarat, & oppidum pro publico *Patriæ* decreto segnius restituendum curarat: id indigne ferentes *Walther Bertholdus* & *Henricus* fratres: qui *Dethalmo* propinquitate sanguinis juncti erant, arma capiunt, impetumque in res *Lodovici* faciunt, villasque aliquas conburunt, *Ludovicus* præsentem contumeliam vindicaturus continuo mittit, qui *Spilembergios* fines ferro & igni vastantes, ab hoste ignominiose pulsi in sanctum *Danielem* sese trepide receperunt, quum itaque hoc pacto intra fines *Patriæ* intestinis odiis disceptaretur ecce octingenti equites circa *Villam* novam a nullo ante provisi quasi terra geniti essent, aut cœlo repente missi apparuere; hos cum robore exercitus Dux *Austriæ* sequebatur, bellum *Patriæ* eo nomine illaturus. Quod *Glemonenses* cum *Pamperginis* regulis *Clusiam* Castellum munitissimum in augustiis *Alpium* occupassent, multaque *Vensionensibus* damna intulerant, & quod *Austrini* negotiatores fuerant a *Glemonensibus* & *Civitatensibus* & quibusdam *Patriæ* Regulis spoliati, a quibus res repetitæ fuerant, non tamen ad eam diem redditæ. Junxere se equitibus ipsis plerique *Patriæ* reguli rerum novarum cupidi, quibus appendicibus aucti in Sancti *Danielis* fines impetum fecere, ac villam qua oppido proxima est, igni absumunt.

Ad

Ad *Turriolam* deinde aliquot dies metati sunt. *Radulphus* dux cum *Frederico* fratre & quatuor millibus equitum *Goriciam* venit, inde in *Patriam* transgressus, continuo *Mansanum* & *Butrium* certis conditionibus cepit: Abbas quoque *Rosaciensis* illi se fœdere junxit. Inde castra *Hunnium* admota: ubi quum quatriduum stativa habuisset, *Lodovico* suo & *Hunniensium* nomine petenti pacem sub conditionibus dedit. Summa autem conditionum hæc fuit, ut *Lodovicus* cum duobus *Patriæ* regulis, qui publicè ad hoc ipsum electi essent, deberet *Viennam* proficisci, ubi ducem expectaret, inde una ad *Carolum* Imperatorem irent, quem arbitrum & Judicem omnium, de quibus disceptatio esset, constituerent. Publico autem decreto cum *Ludovico* missi sunt *Franciscus Savorgnanus*, quem à *Carolo* diximus, equestri dignitate donatum, & *Simon Valvasorius*. Interim *Utinenses* cum *Civitatensium* & *Glemonensium* appendicibus *Mansanum* injecto igni receperunt. *Butriumque* vi captum funditus evertunt, in *Cromonemque* impetum fecere, unde infecta re discessum est. Sub id tempus qui cum *Lodovico* iverant, reversi sunt, quum rem ob quam missi fuerant minime transegissent. Tradunt quidam rescivisse eos *Radulphum* ducem de legatorum morte agitare cœpisse. *Marquardus Lodovico* successit, hic quum sub primam ecclesiæ administrationem se *Carolo* insinuasset, essetque ab illo in socium acceptus, elatus tanti principis societate, *Caprulas* diripuit, atque incendio deformavit. Nec multo post *Marquardi* mors subsecuta: quem, nisi morte præventus esset, apparebat ultro *Venetis* arma illaturum. Ecclesiæ administratio *Philippo Lanchoni* Cardinali à Pontifice commendæ nomine demandata est. *Utinenses Savorgnana* domo annitente, ac plerique alii ex illustribus viris negarunt se id laturos: ut ecclesia & vetustate & origine illustrissima tam turpiter manciparetur. Verum *Philippus* vi quæsiturus, quod bona venia non dabatur, *Franciscum Carrariæ* principem cum valido exercitu adversus *Utinenses* & socios in *Patriam* mittit: qui a *Venetis* auxilio benigne impetrato magno animo venientem hostem exceperunt, variis casibus bellum in sextum annum protractum est, sed quum hostis *Savorgnanorum* opes præter cetera invisas haberet, essetque eorum nomini infestior, quippe quos videbat omne belli pondus sustinere (siquidem apud nonnullos scriptum reperio, totius rei summa cum *Patriæ* administratione sub ipsum belli initium omnium consensu *Francisco Savorgnano* equiti, cujus supra iterum mentionem fecimus, demandatam fuisse) Ut igitur eos, quos maxime oderat aliqua parte belli læderet, *Savorgnanum* totis viribus oppugnat, ac vi capit. Sed non longe inde *Utinenses* cum auxiliaribus *Venetorum* copiis hostem adpugnam exciere. Concursum utrinque ferocissime atque aliquandiu anceps Mars fuit. Verum fusus tandem hostis fugatusque est, ac tota *Patria* contumeliose pulsus. Moritur interim *Philippus*, post quem *Joannes Moravianus* ecclesiæ præsul declaratur: homo feroci temerarioque ingenio, nec interim modici sumptus, sed perditæ (ut sic dicam) voracitatis. Hic subornatis percussoribus *Fredericum Savorgnanum* virum clarissimum in divi *Stephani* æde, quæ *Savorgnanorum* ædibus accubat interficiendum curavit. Crediderunt quidam id eum molitum, quod ægræ tulisset *Fredericum* cum tota familia per id tempus *Veneta* nobilitate donatum: alii id factum voluerunt consilio & precibus *Helisabethæ* ejus novercæ, quæ post patratam cædem *Utinensium* jussu capta cum duobus civibus ejus facinoris consciis capitali supplicio affecta est. Nec *Joannes* id impune tulit. Nam non multo post quum *Utinum* venisset *Tristani* (ut ferunt) opera, ipsius *Frederici* filii in arce cæsus est, sunt qui dicant filio quoque quem sciebat sibi ob paternam

A cædem infensum, tentasse percussorem subornare, quod quum ille rescivisset, non ultra differendum ratus in ejus mortem conspirasse. Huic uno interjecto Antistite (quo sedente nihil memoria dignum accidit) *Antonius Gruariensis* successit: qui per *Gregorium* pontificem Patriarchica sede dejectus est, nec multo post per *Alexandrum* in eam restitutus. Eo Ecclesiam procurante *Portus Naonis* oppidani *Turrim* locum proximum furtim occupant, atque supposito igne, castellum cum *Joanne Raganensi* ejus loci regulo, uxore & liberis cremarunt. Ferunt *Fredericum* ejus filium casu potius quam consilio servatum. Quo scelere commotus *Antonius* in *Portum Naonem* B universam *Patriam* armavit, cœptum est oppidum obsideri, sed paulo post obsidio soluta est, major quidem motus animorum instabat: cæperat nempe *Patria* perniciosa seditione laborare, multis ad dignitatem Patriarchæ summa trahentibus pluribus parere recusantibus. Oritur grave bellum, quo ubique cum periculo laboratum est: Fuerunt qui per litteras solicitarent Regem *Hungariæ*, ut in *Patriam* transiret: aut validum sub præfecto mitteret exercitum. Interim *Glemonenses Fontanam bonam* furtim occupant: nec multo post *Utinenses* locum receperunt, quem *Tristano Savorgnano*, cujus auspiciis omnia gerebantur, tradiderunt. Sub id tempus *Pipus Florentinus* C cum decem millibus equitum ex *Pannonia* in *Patriam* erupit, *Utinumque* in potestatem redegit. *Tristanus*, qui summam rei ad *Venetos* semper traxerat, sub primam deditionis mentionem ad *Venetos* transfugit, magna clientum & amicorum manu. *Pipus* quum præclara belli facinora edidisset, corruptus (ut ajunt) auro infecta re in *Pannoniam* abiit: quem non multo post *Sigismundus* Imperator, a quo missus fuerat, ratus (quod erat) cupiditate auri provinciam demandatam non obivisse, eum liquefacto auro atque in fauces conjecto peremit: illud interim sæpius dictitans, Aurum *Tusce* sitisti, aurum bibe. Nec multo post cum quadraginta millibus hominum ipse D in *Italiam* erupit (sunt qui numerum valde extenuent) ac primo impetu *Savorgnanum* cæpit & evertit. *Tercentum* quoque non sine ingenti regulorum calamitate occupavit. Inde *Areas* obsidere cœpit: sed ea obsidio longa quidem & irrita fuit: & brevi cum circa oppugnationem ignobilium locorum multum temporis consumpsisset, nec videret se proficere, haud minus turpiter quam *Pipus* ipse in *Pannoniam* est reversus. Post *Antonium* Patriarcham, *Lodovicus Thechius* ecclesiam administrandam suscipit, mox inter hunc & *Venetos* ortum est grave bellum, adnitentibus illis ut *Tristanus* in *Patriam* reduceretur cum hominibus suæ factionis: quod *Lodovi-* E *cus* se facturum recusavit, sciebat enim se gratificari multis qui *Savorgnanæ* familiæ bona occuparant. Interim *S. Danielis* reguli cum oppidicis *Varanum* superius, occiso *Bertholdo* cum *Joanne Antonio* ejus filio expugnant, turrimque ejus castelli comburunt. *Veneti* quoque per eos dies *Sacilium* occupant. *Lodovicus* cum appareret vi omnino agendum esse, ad Regem *Hungariæ* profectus est. Interim *Cividatenses* ad *Venetos* desciscunt: a quibus in socios accepti sunt. Nec multo post *Lodovicus* cum 4000. *Barbarorum* rediit & cum appendicibus *Patriæ* in *Cividatenses* movit: qui præsidio a *Venetis* ante accepto intrepide hostem exceperunt, habita sunt stativa circa F oppidum ad quindecim dies. Vineta & felices arbores hostes magna ex parte populati sunt: qui vi frigoris & nivium casu coacti sunt inde infecta re abire. *Barbari* in regnum reversi sunt, quos *Lodovicus* quasi in exilium abiens secutus est. *Veneti* interea *Prata* oppidum evertunt, quorum nullum adhunc diem extat vestigium. Neque *Tristanus* in tanta occasione cessavit: sed cum hostibus suæ factionis egit: ut sibi una ex portis traderetur. Con-

stitutoque adhoc ipsum tempore cum *Venetis* copiis *Civitatensi* porta, quæ sancti *Gothardi* dicitur, urbem noctu ingressus est. Sed infecta re nocturno populi tumultu exorto discessum est: oppressis quam paucissimis, qui ferocius oppidanos temere occursantes invecti fuerant. *Thomas* quoque *Ranchonius*, qui ejus facinoris conscius fuerat, publice in quatuor partes dissectus est. Ita duobus ferme annis *Hunniensium* res in discrimine fuere. Verum quum appareret non esse, unde amplius auxilium sperarent: vanamque fuisse *Lodovici* expectationem in *Venetorum* fidem concessere, missis prius oratoribus, qui se & publicam fortunam in eorum potestatem traderent. *Veneti* legatis benigne acceptis decrevere, ut omnia jura, quibus ad eam diem eorum civitas stetisset, A integra *Utinensibus* manerent: nisi quod ad civiles discordias tollendas capitalia delicta, & cetera scelera, quæ non sine majestate vindicantur, sibi reservarunt. Ceterum illud inprimis expressum est, velle jubereque se, ædes, prædia, oppida, & omnia quæ *Savorgnanæ* familiæ bona fuissent, *Tristano* & suis sine fraude restitui: quibus annitentibus apparebat *Venetos* quasi per manus in *Patriam* ductos, ea *Utinenses* non abnuere, atque rebus integre redditis summo populi favore & lætitia in civitatem restituti sunt: qui felicissime ex illo tempore egerunt, ac nunc quoque ab illis prognati mira *Venetorum* & totius populi gratia agunt. *Utinensium* ditionem B universa *Patria* studio consecuta est.

M. ANTONII SABELLICI

DE VETUSTATE PATRIÆ

LIBER SEXTUS ET ULTIMUS.

QUI BELLUM TURCICUM INSCRIBITUR.



ACcidit mihi, quod & illi, qui postquam ex alto portum conspicere cœpit, remis cum omni nautico instrumento casu aliquo amissis, etsi rem in discrimen adductam videt, salutem tamen non desperat: quippe qui propinquum portum, vel naufragum se tenere posse non diffidit. Ego quoque quum a principio operis ad hunc locum certo auctore non omnino caruerim, factum est, ut ubi finem spectare cœpi, neminem mihi superesse videam, quem secutus, ultimam huic nostræ lucubrationi manum possim imponere. Puto ego (nec fallor) fuisse aliquos qui hæc quoque, de quibus ultimo hoc libro dicturi sumus, memoriæ tradiderint. Sed quia illi ipsi adhuc in obscuro sunt: restat ut quicquid laboris in eo est, id totum nostra industria & diligentia sustineamus: quibus paulum annixi spero superis bene juvantibus futurum ut cetera ad votum consecuti extremam (ut dixi) manum feliciter huic operi imponamus.

AUdita *Patriæ* defectione *Lodovicus* haud in re tanta cunctandum ratus, cum aliquot *Barbarorum* millibus per *Austriam* ducens in *Patrianos* fines tumultuose erupit. Primo impetu *Clusinam* arcem munitissimam in angustiis *Alpium* occupat: nec procul inde Abbatiam, quam primo libro *Motii* appellatam diximus. Apparebat in tanta rerum consternatione, hostes non mediocrem cladem reliquæ *Patriæ* allaturos: nisi *Venetæ* copiæ ad hoc ipsum missæ illorum conatus, cum adhuc in augustiis *Alpium* stativa haberent, opportuno adventu oppressissent. *Barbari* non tantum pugnam detractavere: sed ne venientem quidem hostem expectare sunt ausi: quippe qui incursandi populandique *Patriam* potius quam pugnandi consilio venerant: atque ita paucis post diebus quam tumultuari cæptum erat *Patria* omnis pacata est, receptis parvo negocio locis, quæ in hostium potestatem concesserant. Nec multo interjecto tempore cum aliquanto majore hostium manu *Ludovicus* in *Patriam* reversus est: atque sub primum impetum *Madsanum* per proditionem, nec non *Rosoacium* recepit, sed hæc quoque expeditio haud priore illa, de qua proxime diximus, felicior fuit. Audito *Veneti* exercitus adventu, continuo *Barbari Patria* excessere quos abeuntes ipse belli auctor secutus est, sed quum adhuc quoque res novas moliretur *Basiliensi* conventu defunctus est.

C Hæc tumultuosa tempora pacatior rerum status excepit: siquidem per aliquot annos pax subsecuta est, apparebatque cum hac *Patria* præclare actum, cui post tot & tantos motus contigisset in *Venetorum* præsidio conquiescere: nisi tacita quadam (quæ cujusmodi sit nescio) invidia, quæ humanam felicitatem diuturnam esse non patitur, factum esset, ut ab extremo septentrione comparatus hostis in *Italiam* quandoque irrupisset, qui *Patriæ* hujus otia non solum everteret, sed ferro & flamma terram ipsam, pene ad interitum affligeret. *Turcos* eam gentem vulgo appellant: alii *Turcas* dicendum affirmant. Hi *Melam* auctorem habent qui *Turcas* & *Tessagetas* non D longe a *Ripheis* montibus constituit, quos vastas ait incolere sylvas, ac ferinis carnibus victitare. Ceterum ratione quoque nituntur: ut quemadmodum *Getæ* dicuntur, *Sarmatæ*, *Scythæ*, & *Tissagetæ*, ita *Turcæ*, non *Turci* dicendi sint, sed consuetudo tenuit, ut *Turci* potius dicantur. Sunt itaque *Turcæ* ipsi origine *Scythæ*, & ex his (ut *Hieronimus Pio* pontifice auctore tradidit) quos inter *Hyperboreos* montes *Alexander Macedo* ferreis repagulis clausit. Hi *Pipini Gallorum* Regis temporibus *Asiam* invaserunt, *Alanos* primum, inde *Colchos* & *Armenios*, novissime minoris *Asiæ* populos: multi variique fuere eorum conatus: sed cum circa *Hellespontum* angulum E quendam occupassent, non destitere fraude potius quam armis suos fines propagare, donec nobilissimam urbem *Constantinopolim* oppressere. Quo successu elati, *Traces*, *Triballos*, *Macedones*, *Ætoles*, *Dardanos*, & *Acarnanes* brevi tempore subegerunt. *Mysiæ* quoque regem inde victum trucidarunt: *Peloponnesum* (quanquam horum quidam ante *Bizantium* captum *Turcorum* armis cesserant) dolo potius quam virtute adepti sunt, quam in suam potestatem redactam miserabili clade affecerunt. *Trapezuntium* quoque Imperatorem cum ipso imperio sustulerunt: & brevi quum duo jam imperia evertissent, quatuor regna, viginti provintias, ducentas F ferme urbes (ut *Bernandus Justinianus* orator Clarissimus deplorat in ea oratione, quam ad *Sixtum* pontificem habuit) *Christiano* nomini eripuissent & (quod omnium calamitosissimum fuit) quum *Euboici* freti angustias *Chalcide* expugnata reclusissent, late longeque eorum arma evagata, *Italiæ* fines, quod nemo futurum credidit, infestare cœperunt. Nec contenti adhuc limites ipsius terræ attigisse, feroci-

cissi-

ciſſimo conatu diffractis *Italiæ* clauſtris, in ipſa pene viſcera vulnus adegerunt. Quorum calamitoſas irruptiones ex ordine referam: ſi pauca prius de his quæ interim in ipſa *Patria* evenerunt breviter retulero. Dum adhuc procul *Italia Turcorum* opes (ita ut dixi) invaleſcerent, *Patriæ* ſtatus quum ab externis motibus ſatis pacatus eſſet, domeſticis diſcordiis non omnino caruit, quamquam ne illæ quidem ad eos qui in *Venetorum* fidem venerant magnopere attinere viſæ ſunt. Per id enim tempus *Portunaonia* civitas gravi ſeditione jactata eſt. Quum enim alii antiqua civitatis jura tuerentur, vellentque ſuo loco eſſe: alii ad præfectum arcis ſummam rerum omnium trahebebant. Erat autem præfectus tunc *Fredericus* quidam *Barchius*, homo natione *Italus*, ſed *barbari* faſtus & ſuperbiæ plenus. Hic indigne ferens publicam adminiſtrationem quorundam potententia ſibi denegatum iri, ad illorum conatus opprimendos novum in exteriore parte arcis poſticum deſignavit, id quo minus fieret, aliquandiu viri illi populares obſtitere, quorum *Mantuani* & opibus & auctoritate principes habebantur. Apparebat publicam fortunam in ejus manu fore qui arci præſideret: ſed audaci incepto ob publicum & privatum periculum abſtitere, pro tempore ſcilicet quieturi, quando ſe nihil obviam eundo proficere cernerent. Verum illud in primis eorum conatus avertit, quod ipſius viri auctoritatem non mediocrem apud *Fredericum* imperatorem eſſe conſtabat: Sed ne ſic quidem ferociſſimi hominis animus, præſenti contumelia exaſperatus, placari potuit; quippe qui in ultionem erectus, non multò poſt per internuntios magna ſpe prædæ quoſdam facinoroſos homines quam potuit occultiſſime ſobornavit, ut quantas poſſent copias contraherent, atque ad conſtitutam diem ſibi adeſſent, quam quum illi impigre feciſſent, momento temporis civitas nil tale ſuſpicans oppreſſa eſt, atque miſerabili modo direpta, ingens fuga ab optimo quoque facta: & inprimis ab his, qui ob priſtinas ſimultates ſciebant ſe præfecto inviſos. Multa & magna flagitia in miſeros cives edita: qui haud tam citò præſenti calamitate defuncti eſſent, niſi publico *Venetorum* edicto infeſtiſſimum præſidium juſſum fuiſſet abire, quod ipſum ut aliquanto maturius fieret, *Nicolaus Savorgnanus*, homo ſpectatæ inter *Patrianos* auctoritatis *Portunaonem* miſſus eſt. Per hos ferme annos *Turci* primum *Italiam* erupere. *Iſtria* fœde populata uſque ad *Sontium* amnem tumultuoſe devenere: atque villis aliquot circa flumen incenſis, multiſque mortalibus captis retro abire. Ex illo tempore publico nomine ad præſentiendos futuros hoſtium motus exploratores, quam longiſſime miſſi ſunt: ſpeculæ etiam quam plurimæ tum in ipſa *Patria*, tum extra conſtitutæ, magnus præterea equitatus ad præſidium *Patriæ* miſſus, qui per villas amni proximas diviſus eſt. Sed hæc omnia partim fefellit partim ſubito adventu turbavit hoſtis, qui non longo interjecto tempore pene ante affuit, quam domo profectus diceretur. Ingentem trepidationem attulit improviſa eorum eruptio: Nam ubi in ulteriore fluminis ripa conſpecti ſunt, cœptum eſt ab his trepidari qui citeriorem ripam præſidio tenebant. Sed ne aperte fugam meditari viderentur, facto impetu in quam pauciſſimos *Barbarorum*, qui ſub primum adventum tumultuoſe amnem trajecerant, ſecunda vigilia noctis in *Cerviani* inſulam conceſſere. Hoſtis autem quum ſub primam lucem nudatam præſidio ripam vidiſſet, præmiſſis qui loca proxima ultra amnem diligenter explorarent, ne in aliquas præcipitaretur inſidias, cognita præſidii fuga fluvium ſuperat, atque paſſim in prædam & populationem effunditur, incenſiſque villis aliquot in *Utinenſem* agrum irrupere, tria millia paſſuum ab *Hunnio* hoſtes conſpecti ſunt: atque ob hoc ipſum creditum eſt, eos ad op-

A pugnandum oppidum venire. Continuo ad arma conclamatum eſt: terror ingens univerſam civitatem invaſit. Clamor ploratibus feminarum mixtus, ſtrepituſque temere diſcurtentium terrorem augebant, vidi ego nobiliſſimas matronas cum cœtu puellarum in ſacris ædibus, inter altaria & ſanctorum imagines proſtratas, ſupinis manibus divinam opem implorare, ubique clamores & querelæ exaudiebantur: vix alia eſſe potuiſſet captæ urbis ſpecies. Creditum à multis eſt, in tanta conſternatione nobiliſſimum totius *Patriæ* oppidum facile eo die capi potuiſſe, ſi ad portas uſque hoſtes obequitaſſent. Sed illi quia ignari erant, quo præſidio ſe *Venetæ*
B copiæ recepiſſent, quas pridie in ripa fluminis conſpexerant, nec quo conſilio deceſſiſſent, ab effuſiore curſu abſtinentes, continuo ſe ad ſigna receperunt. Nec multo poſt magna mortalium multitudine in prædam acta *Patriæ* finibus abſceſſerunt. Et quia ob rem feliciter geſtam apparebat hoſtem non quieturum, ſed majore tumultu majoribuſque conatibus *Italiam* repetiturum placuit *Venetis* firma munitione obſtrui quicquid vadi eſſet inter *Goricianum* pontem, & *Aquilejæ* paludes, miſſi ſunt qui locum conſiderarent: & brevi conſtitit inter omnes munitionem ipſam commodius poſitum iri ſuper antiquam fluminis ripam, quæ aliquantiſper à recenti alveo diſtat. Ac-
C cita ad id opus ſunt publico decreto multa hominum millia, quibus *Citadinus Fratrinas* jureconſultus, homo ſingularis induſtriæ, præfectus eſt. Munitio autem haud uniformis fuit: ſed juxta paludes, ubi denſiſſima nemora fuerunt, ex craſſis proceriſque arboribus ſucciſis, atque inter ſe quadam inexplicabili ratione contextis conſtitit: apertis vero locis glebæ cum gramine in ſpeciem quadratorum lapidum reciſæ, in latitudine ſeptenum pedum locabantur ſuper illas ſaligni ſtolones, & virgulta quædam apta ad radicandum ſternebantur: mox & alia glebarum manus imponebatur. Ex hujuſmodi materia per aperta (ut diximus) loca eductum eſt opus: quod qui-
D dem pinnarum ſerie interjectiſque turribus urbici muri ſpeciem procul ſpectantibus exhibebat. Ceterum in locis quibus flumen vada habuit tranſitu faciliora, bina caſtra vallo & foſſa communita ſunt: eorum hæc *Gradiſcana* dicta illa vero *Folianica* a nominibus villarum, quæ in ipſis locis fuerant. *Folianica* illa poſt cladem ad ripam fluminis acceptam, de qua paulo poſt dicam, deſerta ſunt: altera vero præſidio ad hunc diem retenta, atque magna ex parte *Franciſci Throni* cura & diligentia, ad hoc ipſum publico decreto in *Patriam* miſſi, muro circumdata. De eo loco primo libro diximus. Opus autem à *Mundina* amne ad *Goricianum* pontem traductum,
E centum & amplius continet ſtadia: nunc pleriſque locis ſolo pene æquatum eſt, vel ea parte, qua glareoſa conſtitit materia, quam imbrium copia facile reſolvit. Ceterum è regione pontis, de quo proxime diximus, ex eadem materia conſtructus eſt agger in parvi caſtelli ſpecimen: ad quem tuendum miſſi ſunt pedites aliquot, inde bina caſtra mille circiter paſſus inter ſe diſtantia, majore præſidio firmata, ad tria millia equitum fuere, pedites quoque his adjecti. Sed pro numero equitum non multi. Apparebat itaque ex eo quod vada, quæ hoſti patuiſſent, inſuperabili obſtruſa eſſent munitione, & quod eadem illa haud infirmo tenerentur præſidio,
F fore, ut hoſtis *Italia* abſtineret. Iccirco tota *Patria*, velut nullum ab hoſte tunc periculum impendiſſet, pacatè agebatur, ſed quanto ſecurior fuit illius tempeſtatis ſtatus, tanto majore clade terra ipſa oppreſſa eſt. Nihil eſt quod in bello æque, ac ipſa ſecuritas obeſſe ſoleat. Ita ſane accidit, ut quum minime affuturus hoſtis putaretur, infeſto agmine in ulteriore *Sontii* ripa conſederit. De numero hoſtium inter eos, qui in caſtris fuere, minime

constat, octo *Barbarorum* millia fuisse quidam credidere. Alii numerum in majus extollunt. Ingens tumultus sub primum eorum adventum in utrisque castris exortus est, conclamatumque repente ad arma: fuissetque continuo in alterutra ripa concursum, nisi militem ad id utrinque se expedientem nox ipsa oppressisset. *Venetæ* utrorumque castrorum copiæ inter se junctæ insomnem noctem egere: jussi equites in stratis equis armati corpora curare. Imperium copiarum omnium penes *Hieronymum Veronensem* fuit, hominem à primis annis militiæ assuetum: qui clara, magnaque fecerat stipendia. Erant & alii complures illustres viri, *Joannes Antonius Caldorus* cum filio, *Anastasius Flamminius*, *Hercules Malvetius*, *Joannes Jacobus*, *Jacobi Picinini*, ducis olim clarissimi, filius, *Jacobus Badoarius*, *Philippus Nebulonius*, *Georgius Gallesius*, ac plærique alii, qui honestissime ordines ducebant. Inter hos ea nocte consultatum est, essetne aperto campo cum hoste confligendum, an castra potius tuenda? Quibus defensis apparebat hostem haud multo longius progressurum, quod tanto post se præsidio relicto, non esset sibi integrum retro, cum vellet, redire. Sed fato (ut ita dicam) eos rapiente cunctis speciosius visum est hosti, quacunque rumpere conaretur, occurrere. Universum itaque equitatum in tres grandiores turmas divisere, ut quadrato agmine non temere cum hoste confligeretur, ductores ipsi inter se turmas sortiti sunt. Sed dum hæc in *Venetis* castris geruntur, *Barbarus* interim non magis aperta vi quam insidiis agendum ratus, continuo circumacta suorum ala, sub occasum solis castellum, quod ponti imminebat, oppresso quo tenebatur præsidio, occupat, quam paucissimi in proximum pontem confugerant, atque se pilis, quibus imposita est, soluta, utrinque pontis materia, tueri parant. Sed illico telorum multitudine penè obruti in subjectum flumen præcipati sunt. Aberat locus a castris ipsis ad quatuor millia passuum. Quo accidit, ut nec oppugnatio ipsa aggeris cognita sit, nec, cum nocte illa tumultuose nunciatum esset, castellum cum præsidio oppressum crederetur. *Asabechus* autem (hoc enim illius expeditionis duci nomen fuisse accepimus, alii vero non *Asabechum*, sed *Marbechum* appellatum fuisse ajunt) ubi pontem in sua esse potestate vidit, locum ad insidias aptum circumspicere cœpit. Quo reperto intempesta nocte ad mille lectos equites tacito agmine fluvium transnare jubet (sunt qui credant eos ponte traductos) hisque imperat, in insidiis esse, atque intentos signum ad erumpendum expectare: quo accepto ex improviso hostem invaderent. Ubi verò illuxit, *Barbarus* expeditissimam equitum alam superato amne ad hostium castra, si nemo interim occurrat, ire jubet, atque portis obequitando hostem ad pugnam elicere injectoque certamine cedendo sensim ad insidiarum locum pertrahere. His autem aliquantisper à vado progressis *Hieronymus Veronensis* cum speculatoria suorum manu fit obvius. Reliquus equitatus in tres divisus turmas, uti jussus erat, non longè subsidio sequebatur. Continuo utrinque ferociter est concursum: sed *Barbari* momento temporis quasi victi de industria cessere. Cedentes victor urget, atque aperto campo palatos hostes insequuntur. Sed nemo omnium infestius *Barbarum* premere quam *Hieronymi* filius juvenis impiger, atque gloriæ cupidus, hunc ferocissimè pugnantem audax juvenum manus præsenti successu elata sponte sequebatur. Id ægrè ferre callidus senex, atque identidem clamitare, non esse temere instandum *Barbaro*, scire se eam gentem non nisi de industria tam leviter meditari fugam. Et quia in angustias locorum jam prope ventum erat, omniaque circumjecta loca suspitionis plena apparebant, jubet dato signo suos ab effuso cursu revocari. Tum *Barbarus* versus in in pugnam prælium ferociter instaurat: *Hieronymus* primam turmam præsto sibi subsidio adesse mandat: nam ex alterâ parte fluminis *Marbechus*, ut suis auxilio esset, tumultuose moverat, & jam vis ingens hostium in citeriorem ripam amnis transnaverat. Redintegratâ pugnâ hostis ad *Grammam* usque qui torrem per *Pogoretanas* valles præcipitatur, rejectus est. Hic dum totis viribus *Veneti* hostem urgerent, atque conatus eorum, qui superato fluvio suis opem ferre studebant, utpote ex superiore loco facilè sustinerent, & brevi quum in præsentem pugnam intenti essent, alacrique animo pugnarent, dato repentè signo ex *Licinensii* vertice, qui capitibus pugnantium ad lævam imminebat, *Barbarorum* manus ex insidiis coorta cum horrifico clamore & strepitu in subjectam turmam effunditur. Tantus pavor sub primum clamorem *Venetis* injectus est (apparebat enim se undique circumventos) ut momento temporis diceres, non eos esse, qui modo tam strenuè pugnabant. Sed ubi unicam spem salutis in armis esse cernere, paululum cedere conati sunt, ut apertiore loco res gereretur. Sed tam violenta impressio ex superiore loco ab hoste in eos cædentes facta est, ut in arctissimum locum compulsi se pugnæ expedire nequirent. Interim ferox *Barbarus*, & à fronte, & à dextrâ eos in orbem coëuntes, fœdissimâ strage posternit. Sic momento temporis prima turma hostium multitudine obruta est: & ad unum ferme omnes cæsi, præterquam paucissimi viri illustres, qui se hosti dediderunt. Ductores autem proximæ turmæ ubi primam aciem circumventam viderent, atque undique hostes ferociter, & cum horrifico clamore, ut mos est gentis, instare, cedere cœperunt, ut in apertam planiciem evaderent. Verum id tanta trepidatione factum est, ut illico fugientium species potius quam cedentium his quam in extrema acie constituti erant, præbuerint. Continuo omnes quasi victi circumspectare fugam cœpere. Adest interim victor hostis, turbatosque sua sponte ordines cum stridore invadit: quibus minimo negocio sólutis aperta fit fuga. Pro se quisque sine imperio in devia & proximos saltus evadere conatur, hos *Barbarus* passim insecutus sternit, atque fœdissimè trucidat, ad *Mossam* usque & ulterius cædes distracta est: pauci relictis equis, & armis abjectis in propinquos saltus abierunt. Ceciderunt in ea pugna *Hieronymus*, penes quem totius equitatus imperium fuisse diximus, cum filio, *Jacobus Badavarius*, *Anastasius Flaminius*, & plerique alii viri illustres. Reliqui ferme omnes capti. Nec victoria hosti incruenta fuit: ipso *Marbecho* duce graviter vulnerato, multisque ignobilibus cæsis. Sed quicunque in ea pugna occiderant, in unum coacervati, *Marbechi* jussu combusti sunt. Idque ex eo suspicari libet (nam nihil certi alioqui de hoc compertum habeo) quum in tanta nostrorum cæde nullus *Barbarus* repertus est. Idque ad terrorem injiciendum factum credibile est, quasi ita acciderit, ut tot hostibus cæsis incolumis acies *Barbaro* constiterit. In hunc maxime modum ad *Sontium* pugnatum est. Cujus cladis fama tantum terroris universæ *Patriæ* attulit, ut qui in oppidis erant vix se tutos futuros putarent. Frequens fuga nocte illa, quam diem pugnæ secuta est, ex villis & agris facta dicitur. Postridie autem cum jam multum diei, processisset, repente circa *Hunnium*, compluribus locis fumei globi attolli cœperunt: quibus cognitum est hostem adesse, atque momento temporis quasi inter *Barbaros* ita convenisset, quicquid villarum inter *Sontium* & *Tiliaventum* fuit, hostili manu deflragravit. Eram ego per id tempus *Tarcenti*, quo ob pestilentem annum ex *Hunnio* concesseram: auditâque clade ad *Sontium* accepta, in arcem, quæ vico imminet, cum multis mortalibus

libus me receperam, ex eo loco proſpectus in univerſam *Patriam* late patet: Inde atrociſſimum *Patriæ* incedium non ſine lachrymis ſpectavi, fœdum ſiquidem fuit interdiu videre tantum culti & amœni ſoli fumo & caligine opertum: ſed longe fœdius atrociuſque ſub primas tenebras, ac per reliquum noctis cernere aciem unam flammarum à *Sontio* amne ad *Tiliaventum* extenſam, ut nihil medium eſſe videretur, quod non ignis occupaſſet, quam ſpeciem ardentium villarum denſitas, quæ circiter centum numero fuere, exhibebat. Auſim ego affirmare, nullo unquam tempore tam atrox incendium a mortalibus viſum, niſi forte fabulis poëtarum credendum putamus, qui portentoſa illa de *Phaëtonte* mendacia confinxere, ſed nos hæc omnia copioſius in noſtris poematibus, quorum hoc cædem *ſontiacam*, illud incendium *Carnicum* inſcripſimus: multa perinde, quæ ad rei atrocitatem attinent ſilentio perterimus. Hoſtes ea nocte pluribus locis caſtra habuere. ubi autem illuxit onuſti præda, ingentique captivorum multitudine in unum coivere, atque in caſtra quæ adripam *Sontii* fecerant læti receperunt. Poſtridie mota ſigna & quum a flumine unius diei itinere receſſiſſent, abeuntium ſpeciem perbuere. Quod quum ita omnibus perſuaſum putarent, denuò haud minore tumultu, quam prius in *Patriam* eruperunt, denſo agmine ad *Tiliaventi* uſque ripam proceſſere, ſuperatoque impigre flumine cis ultraque pleriſque villis incenſis ingentem cladem *Tranſtiliaventis* attulere, plures ferme quam prius mortales in prædam acti ſunt. Hi ubi ad ſuos redierunt, continuo *Marbechus Patriæ* finibus exceſſit. Manſere aliquamdiu utraque caſtra ſine præſidio. Fuerunt qui conſulerent ea diruenda: Sed pluribus e republica viſum eſt, ea novo perſidio muniri debere. Atque ita non multo poſt *Carolus fortebrachius*, cum validiſſimo equitatu ad utrorumque caſtrorum perſidium miſſus eſt: quibus nuper initis, duciſque ipſius diligentia non præſidio tantum, ſed valido quoque opere munitis, ingens *Turcarum* manus ſub meſſium ferias in *Sontii* ripa tumultuoſe conſedit. Poſtridie *Barbarus* ſuperato fluvio ante *Gradiſcana* caſtra aciem explicuit, nullam pugnandi moram facturus, ſi hoſtis in pugnam deſcendere voluiſſet. Ille vero recentis cladis memoria territus ſuos intra vallum inſtructa acie quaſi per occaſionem erupturus continuit. *Barbarus* cum ad altam diem in armis fuiſſet, cerneretque hoſtem nihil temere commiſſurum, digreſſus inde ad quattuor millia paſſuum intra *Medeæ* montem & *Cromonem* caſtra locat. Poſtero die inter *Cromonem* ipſum & *Maſanum*, per apertas valles, ad radices montium convertit agmen. Triginta *Barbarorum* millia fuiſſe traduntur, qui per abrupta & confragoſa *Al-*

A *pium* loca, ipſis locorum incolis aditu difficillima, in eam *Germaniæ* partem evaſere, quam nunc *Zeliam* vulgo appellant. Ego *Juliam*, uti primo libro teſtatus ſum, potius dixerim, aut (quæ a vero non abhorret) *Ciliam*. Multa interim & horrenda, & quæ vix fidem ſibi vendicent, facinora, tum adverſus *Alpium* difficultates, tum etiam in audaces incolarum conatus per eos dies ab his edita. Quorum illud ſilentio indignum videri poteſt, quæ pluribus locis, ubi in abruptas rupes ventum eſt, equos veſtibus alligatos in ſubjectas crepidines demiſſos, ajunt, & inde in alias donec in imas valles eſſet deſcenſum. B interdum univerſus pene equitatus vel certe magna pars ejus (uti ex ipſis veſtigiis cognitum eſt) per adeo declivia loca perceps datus eſt, ut per ducentos ferme paſſus non modo illis locis pedibus quiſpiam vadere poſſit, ſed ne conſiſtere quidem, niſi virgulto ſeſe aliquo applicuerit. Eſt & illud non indignum memoriæ: quæ ubi per juga *Alpium* uſque in Montanæ *Carniæ* fines decurriſſent, nuntiatumque interim eſſet, montanos incolas juga montis, quæ *Lanceæ* dicitur, qua unicum eis iter in *Germaniam* patebat occupaſſe, intrepide ad locum progreſſi, neque immenſa montis altitudine, quæ in ipſa pene nubila verticem erigit, nec aſcenſus arduitate deterriti ſunt, C ſed ſubnixi ſcutis per adverſam rupem ad hoſtem repere, verius, quam dixerim ſubiere. Quo audaci incœpto territi, qui præſidio erant trepidare cœperunt: inde in fugam turpiter dilapſi, ingentis cladis hoſti materiam præbuere. Hæc ultima fuit *Turcorum* expeditio adverſus *Venetos* in *Italiam*. Nam parvo interjecto tempore *Veneti* cum *Mahometho* ejus gentis imperatore fœdus percuſſere: Ad quod publico nomine ſanciendum *Benedictus Triviſanus*, vir magni conſilii & auctoritatis, *Conſtantinopolim* miſſus eſt: unde certiſſimam *Venetis* pacem reportavit. Hic idem non multo poſt *Patriæ* adminiſtrationem ex prætura ſortitus, præter alia multa juſtitiæ & innocentiæ exempla, quibus publicum munus auſpicatus D eſt, domeſticas diſcordias & inveterata odia, quibus tota ferme *Patria* ad id tempus laborarat, ſapientiſſime ſuſtulit: atque nomina quædam peregrinarum factionum peſſimo exemplo inducta adeo reſtinxit, ut illorum memoria ad hanc diem prorſus obſoleverit. Verum divina quadam providentia id factum videri poteſt ut cujus opera hæc terra cum reliqua *Italia* graviſſimo bello quandoque liberata fuerit, eodem prætore domeſtica ſeditione liberaretur, Debebunt itaque ſemper *Triviſanæ* familiæ hoc nomine *Forojulienſes*, quod hoc ipſo viro auctore, & externa & domeſtica ſint otia conſecuti: quæ ex illo tempore, E unde *Patriæ* antiquitatem ſcribere orſi ſumus, ſortiri non potuerunt.

M. ANTONII SABELLICI

CARMEN, QUI

VICENTINUS CRATER INSCRIBITUR,

SEU URBIS AGRIQUE VICENTINI DESCRIPTO.

VNde recens hoc fluxit opus? quæ rara metalli
Materies? radiat quibus hæc fulgentis Olympi
Aemula imaginibus facies? dic verbis amicæ
Euganeæque decus gentis venerabile donum.
Quam vetus hic labor eſt? quæ te tellure repoſta
Artificum ſtatuere manus? an grata tonanti,
Nec niſi Sigæo dona hæc tractanda miniſtro?
Palladiæ ſunt artis opus? num Mulciber, antris
Trinacriis media poſitis incudibus Aetna,
F Prima Dioneæ Veneri ſolatia pacti
Conubii properans, nitidum curvavit in orbem,
An magis hic ille eſt, cujus nunc ſplendet imago
Siderea regione poli, qua lubricus anguis:
Quaque ardens ſtellis conſurgit Apollinis ara?
Forſitan & Bitiæ hoc auro jamque hoſpite capta
Pulchra propinavit Dido? vel victus Hydaſpes
Pellæum ſtupuit juvenem cratera tenentem?
Sunt hæc an potius (quoniam quæcunque vetuſtas,

Si

Si modo vera refert, mirata est) mersit & hausit
Multa dies? nec adhuc miranda toreumata cœli
Tam veteris restant? liceat mihi credere saltem
Partem hanc Mentorei mundo superesse laboris:
Aut Boethi: aut cujus, Rhodiam, revocatus ad aram
Euchius ipse suas fertur stupuisse ministras,
Spirare excusso credens præcordia thyrso.
Vel (si jam veteres artes fraudantur honore)
Junior hinc aliquis, natus melioribus annis,
(Credere si fas est) celebretur muneris auctor.
Ingenium felix, & felix dextera, cujus,
Aethere dum medio tellus suspensa retundet
Tethyos undivagæ ferientis littora fluctus:
Dum mundi solisque vices variabilis annus
Sentiet, & solitos servabunt sidera cursus:
Hic te semper honos, semper quæsita manebunt
Nomina, quæ violent non ulla oblivia lethes,
Plus uno manus una loco sibi vendicat ævi,
Aequat & æterno tantum sua fata labori:
Praxitelis Pario quantum non marmore dextra,
Quantum nobilibus tabulis non magnus Apelles.
Sit Venere insignis licet hic, sit ille Lyæo,
Quicquid clara Rhodos mirata est, quicquid & ipsa
Cecropis alta domus, nec non Iovis ara Triphilli,
Exemit longiqua dies. Euphranoris ille
Pastor in Idæis memoratus vallibus, uno
Qui vultu percussor erat, qui cultor amoris,
Quique trium judex (si vera est fama) dearum,
Parrhasique triplex longo labor excidit ævo.
Sustulit hæc ætas, ætas atque invida fata
(Heu) nimium meliora premunt, ac fortius urgent
Mortales quæcunque probant, hæc gurgite cæco
Involvunt, subterque tegunt oblivia lethes.
Sed tu sperne nefas dirum, tua fama superstes,
Tu quoque semper eris. Fuit impar muneris auctor
Fatorum, invidiæ at vivet pars una laboris.
Cui non longa dies obsit, non dira senectus.
Parcite posteritas, audaces parcite dextræ,
Hoc saltem violare decus, sit gentibus olim
Omnibus exemplar terræ, sitque æquoris instar,
Archetypusque poli, lunam gestantis & astra.
Hic campos spectare licet, lucosque virentes,
Hic nemora, atque altis dejectos montibus amnes.
Hic capreæ innixæ scopulis, damæque fugaces:
Territus hic onager, cursuque agitatus anhelo
Per rupes & saxa ruit latratus ad auras
Hinc atque inde canum per devia lustra resultat.
Hic plaga præcipites quæ torrida vergit ad Austros.
Nunc mediis Libyes passim venantur arenis.
Nunc sæva inter se committunt bella leones.
Haud procul hinc tellus, quam corniger obtinet Hammon;
Quam nudi Garamantes arant: post mollior ora
Notior, & pluviis Niloque admota tepenti,
Ecquando orbe brevi, tenuique in margine quisquam
Latius explicuit terram? proh dextera felix!
Ecce Indus, Tygrisque rapax, en clarus Hidaspes:
Et qua se prodit roseis aurora quadrigis,
Ignotos aperit saltus Gangetica tellus.
In lævam nunc flecte aciem, procul aspice mundi
Frigore damnatam, sævisque Aquilonibus oram.
En tibi vasta palus, nuper sulcata carinis
Sarmaticis, facta est (quis credat) pervia plaustris.
En Tanais volucri Meoticus incola cursu,
Et nivis immensæ, & Ripheæ rupis alumnus.
Si quis ad Hesperias hinc lumina flexerit undas,
Protinus hinc Calpe, inde Atlas, qui sydera fulcit,
Herculeæque procul succurrent ordine metæ.
Hac Tethym terræ infusam, lateque vagantem:
Cernere erit: medio non una hinc insula fluctu
Tollitur, in numerum sparguntur gurgite toto.
Et qua sæpe minax Tyrrhena per æquora lassat
Ceruleos Neptunus equos: qua triste carinis
Murmurat Ionium, & vasto sona Adria fluctu:

A Quaque frequens scopulis arctat sua bracchia Nereus.
Ac, velut ille nimis spaciosis fluctibus erret,
Ingemit, & fauces angustas invidet Hellæ:
Circuit Oceanus complexu cuncta supremo.
Inque patris gremio videas lasciva natare
Agmina Nympharum: quarum pars una bimembris
Sæpius eluso rident Tritonas amore.
Aut niveos exutæ humeros, sparsisque capillis
Delphinum insidunt dorso: pars altera somno
Depressos trudunt paulatim ad littora phocas.
Ast ego quid terras, portenta quid æquora tantum
Inspicio? heu nimium stulte mortalia curat
Cui cælum spectare datum quin protinus ultro
B Hoc super impositum summo quod prominet auro
Contemplamur opus. Late omnem signifer oram,
Circulus excurrens, bis senas ordine formas
Explicat: hic aries, infelix portitor Helles
Taurus, & anacum gratissima sidera nautis.
Carcinus hic ardens, Nemeesque infamia silvæ,
Mitis & Erigione, & tacitis quæ noctibus æquat
Libra dies sequitur chelas mox scorpius ingens,
Scorpius, Æmoniæ cujus post terga sagittæ
Vicina regione micant: his proximus instat
Ægoceros, superas qui mergere nixus ad auras
Haud procul Idæum puerum miratur & urnam:
Ultima templa tenent pisces, quos mater amornm
C Mersa Palæstina pro se dedit hostibus unda.
En piger Actophylax, juxtaque immobilis Arctos,
Frigida plaustra polo vicina: en lubricus anguis:
En aliæ rerum sparsæ per climata formæ.
Quas numerare labor. liceat mihi discere tandem
(Nam tua forma satis nota est) quæ terra? quis amnis?
Quod mare? quæ demum ditissima littora tantum
Materiæ peperere decus? num turbidus Hermus?
Num Tagus, an potius flavi vada frigida Rheni?
Aut hanc, quum Latiis Ephireia mœnia flammis
Procubuere solo, subita tum mersa favilla
Ac resoluta rogo speciem traxere metalla?
Sæpe & Callaicis hæc grandia munera terris
D Hesperiæ legere manus: hæc legit arenis
Sæpe etiam Libycis Garamantidos incola terræ.
Sed quid multa moror? certat quocunque parata est
Vena loco: veterem dextræ superare laborem,
Contra perstat opus centumque insigne figuris
Contempto in se oculos convertit & ora nitore.
Ecquis tale Deus, tam grandia dona putasset
Ad vatis ventura manus? qui nuper honesto
Qui modico contentus erat? cui tota suppellex
Lectulus, & lecti comites pia cura libelli?
Haud aliter quam quum subitum per inania fulgur
Concidit, atque simul mentem, simul ipsa recursat
Lumina flamma micans, late stupor omnia complet:
E Sic humiles stupuere lares, tenuesque penates,
Sic mihi tota domus, postquam per tecta refulsit
Fictilibusque meis inspecta est aurea lampas.
Ha quanto melius inter gemmata nitere
Pocula, dignus eras Phrygii quem dextra Ministri
Sisteret ante Iovem, ob quod Iuno fleret & Hebe.
Vel poteras (quia vana ferunt convivia cæli)
Regales ornare dapes, mensasque beatas,
Inter mille micans pateras, chrysendeta mille:
Ut dubias inter stellas, & sidera vesper,
Aut matutinis surgit quum roscidus horis
Lucifer ac toto spargit sua lumina mundo.
Sisque licet similis reparanti cornua Phœbæ,
F Purior electro, Venerisque decentior astro:
Denique sis talis, quo non mea limina digna,
Quamvis grata satis, tanto non dignus & ipse
Munere censeri valeam: Vicentia pulchra
Non indigna tamen, Gentis fortuna, decusque,
Non potuit si nota loquor non tradere magna,
Hic mihi fas urbis primordia læta referre,
Euganeam sobolem fas hic ab origine prisca
Dicere, grata mora est mentem per læta vagari.

Exue-

Exuerat monstris nuper Tyrinthius orbem,
Consumptis superum fatis: jam sæva novercæ
Fregerat imperia, & tristes Euristicos iras.
Jam Tartessiacis opibus, spoliisque superbus
Geryonæ, occiduis victor remeabat ab oris.
Ille boves nitidas armentaque læta per omnem
Egerat Hesperiam: jam candida terga Pyrenes
Presserat, & geminos consumptis marte sagittis
Saxorum jactu obruerat per Celtica fratres
Littora. non præceps Rhodanus latusve maligni
Conatus tenuere viri: natura sed illi
Surrectos cælo scopulos Alpemque nivosam
Cursibus objecit mediis hic frigore sævo,
Abruptisque jugis luctatum perdidit agmen
Alcides. Passim multos errore viarum
Evictosque malis per saxa infamia fertur
Deflevisse viros: plantis pars magna perustis
In tumulis meliore solo consedit apricis.
Ast ubi læta satis Tyrinthius attigit arva
Ac tepidis se mersit aquis mersitque suorum
Torrida membra gelu, vernabant omnia circum
Molliter afflatu zephyri: perlucidus amnis
Gurgite cæruleo lætus, ripisque canoris
Frondentes passim lucos, camposque virentes
Sæpius inflexus cursu sulcabat amœno.
His verò (incertum est, capti dulcedine terræ,
An potius fessi longarum errore viarum)
Inclyta progenies, clarique a gente vetusta
Euganei sedere locis: vel forte secuti
Herculis imperium, qui ut claræ semina gentis
Post famam ignotis terrarum spargeret oris,
Magnanimos comites lætas sibi figere sedes
Jusserat, antiquumque decus virtute tueri.
Sed quæcunque olim (superum sic fata ferebant)
Lætæ causa moræ, tantum volventibus annis
Mox fortuna virum læti se rebus ad auras
Extulit ætheras: tantum crevere secundis
Gentis opes, latè ut gelidis ex Alpibus usque
Littus in Adriacum, qua flumina læta pererrant,
Qua saltus & rura nitent, gratasque Lyæo
Expediunt umbras frondoso vertice colles,
Cesserit Euganeo tellus antiqua colono.
Tempore jam ex illo facies mutata locorum,
Castella in tumulis, altisque in montibus arces
Argolicæ posuere manus. Vicentia nondum
Pulchra fuit, vel (namque incerta it fama per aures)
Non insignis erat: sed erat sine nomine tellus,
Inde adeo multis sese volventibus annis
Post Asiæ excidium consumptaque Pergama flammis,
Antenor patria profugus per tela, per hostes,
Erutus, Adriacis victor consedit in oris.
Tum Veneti, comites rerum sortisque futuræ,
Troica signa ducis melioraque fata secuti,
Euganeum bello victum pepulere vetustis
Sedibus, & victæ dant jura & nomina terræ.
Nec Venetis post longa quies: sed Gallia, crebris
Moribus infamis, Alpes penitusque repostas
Aspernata nives, subitis effusa procellis
Incautas evertit opes, atque otia fregit.
Illa ferox bello, rebusque elata secundis,
Non prius abstinuit, victriciaque exuit arma,
Finibus infessis quam prædæ in parte recepta est.
Hic vero incertum, Veneti nova mœnia prisci,
An Venetis mixti multo post tempore Galli,
Fundarint avibus lætis atque omine læto.
Felices animæ, quamvis odiosa vetustas
Nomina vestra tegat, semper mirabitur orbis
Formosam longè formosis mœnibus urbem:
Quam vestræ statuere manus. Nunc ludere Clio
Incipias, me moresque velim quæ nominis olim
Læti causa fuit: mox quæ certamina tellus
Præbuerit superis, quum nondum credita cuiquam
Cælicolum tutela loci regnumque fuisset.
Nupserat antiquo, si rite audita recordor.

A (Namque ego tum Cyrrham doctumque Helicona tenebam)
Montibus Euganeis Dryadum pulcherrima Fauno.
Audivere simul, cætuque adiere frequenti
Diique Deæque omnes, coles qui & rura gubernant,
Quæ fontes & stagna colunt, quæ flumina propter
Florida prata tenent, thalamo tædisque paratis
Pars festos celebrare choros pars vestibus ultro
Depositis saltu blando se mergere fluctu.
Hi nitidos laudare lacus, locosque virentes
Fluminaque & fontes, regnum sibi quisque locorum
Optare. Interea jussi discumbere lautis
Accubuere thoris, primus convivia Bacchus
B Exhilarat, mox culta Ceres: inde ordine cuncti
Certatim cumulant totis sua munera mensis.
Post epulas dulcesque jocos (nam sacra Lyæo
Instabant primisque jugis fervere Cithæron
Cæperat) assurgit Bacchus cetuque soluto
Primus abit, Satyri, montanaque numina Panes,
Atque graves vino servant vestigia Fauni.
Aestus erat comitesque trahens tardo agmine fessos
Sponte sub arboribus, gelidasque ad fluminis undas
Decubuit, tacitisque Deus per florea rura
Perque solum Phœbi patiens, tumulosque propinquos
Fert oculos, subito terræ dulcedine captus,
Ecquid, ait, nunquam ob Cererem mihi regna licebit
C Ex altis proferre jugis atque ima tenere?
Non me Naxos amet, non Orgia nostra Cithæron
Audiat, ad currum tygresque venire recusent:
Si deinceps terram hanc palatim assuescere nostris
Nec cogam imperiis, testis mihi Phebus, & ipsæ
Quas forte auspicio spaciantis fluminis undæ.
Cæruleusque pater, dixitque, & mitibus horris
Mandabat passim præcingi vitibus ulmos.
Affuit, atque nefas invitis auribus hausit
Bassarei furibunda Ceres: procul, improbe, clamat,
Quid mea regna paras odioso invertere cultu?
Quid tumulenta cohors ceralibus incubat arvis?
An ne ejecta domo totiens Semeleja proles,
D Cui, ne multa loquar, matris non contigit alvo
Esse satis, rigidis (demens) pro collibus arva
Presserit & Cererem regno exuet ille vetusto?
Adsit magna Pales, assint mihi Naides omnes,
Quæque novos ornant serris mea templa Napeæ.
Dixit: & avulsas alnos detorquet in hostem,
Perculsumque loco turbat, tum jussa secutæ
Naides assiliunt, passimque paventia fundunt
Agmina: nec genitor præcinctus arundine frontem,
Flumineis desedit aquis, sed gurgite toto
Fertur in adversos cuneos: Tum Liber & omnis
Cessit victa phalanx: jam jam per aperta ruentes
Diffugiunt Satyri celeres, Faunique bicornes.
E Errassentque diu rapido sub sole, propiquas
Ni fuga præcipites tumuli traxisset ad umbras.
Illuc multa gemens, cursuque agitatus anhelo
Liber, & infractum Dryadum decesserat agmen,
Hic tum læta Ceres ridens: habet improbus ille,
Inquit, agros, & quæ demens quæsiverat arva.
Ite, & culta Pales tumidis sub collibus ima
Occupet, ac solers densis obstacula rivis
Hostibus obicijat, serventque objecta Napeæ.
Vos Glauco genitore satæ mea cura, puellæ
Naides, has ripas & amœna fluenta tenere:
Cæruleusque senex, lætæ pars maxima pugnæ,
Quod semel est meritus servet per secula nomen.
F Solverit is quando primis conatibus hostem
Bacchilyona vocent, verum (si audita recordor)
Tempus erit, quando his campis hæc flumina circum
Qua tellus inarata jacet, formosa sedebunt
Mœnia, & humano splendescent omnia cultu.
Hic ubi terra leve intumuit, fruiturque sereno
Æthere, & allapsos gaudens circumspicit amnes,
Altius extabit sublimis turris ad auras,
Amplaque tecta fori niveo surgentia saxo:

Prætentasque duplex diffundet porticus umbras.
His objecta locis spatiabitur area latis
Frontibus: assurgent cælo pretoria contrà,
Intus & hæc igens olim sacrabitur ara,
An ne urbis genio, incertum, patriæve parenti.
Jamque age & hæc tumuli mollissima terga, propinquis
Fluminibus quæ obversa jacent vallesque virentes
Aspicite, & quæ sit facies mutanda docebo.
Non hic vultus erit semper, sed splendida passim
Limina, & aquata procedent fronte penates.
His quoque marginibus (quis credere posset? & illis
Fluminis adversi cultissima tecta sedebunt,
Perspicuique lares: spectabunt sæpe puellæ,
Najadas in vitreis undis, spectabitis illas,
Ac blando certare choro fortasse licebit.
Parcite sed cultu contendere, parcite forma.
Mortalis soboles genitæ, mortalibus, illæ.
Cetera sidereis poterunt certare deabus.
Tu quoque marmoreis superabere pontibus olim,
Tuque senex, fraterque tuus qui proximo Reuro
Irrigat, & navis patiens jam factus uterque
Illustres eritis terris: hæque agimine multo
Fervebunt, quas spissa tegunt nunc gramina ripæ.
Nunc vero Hesperias qua sol declinat ad undas,
Flectenda est acies, ubi frondens lucus opacas
Explicat ante oculos umbras, arx vertice summo
Gestiet assurgens cælo vicina videri.
Hinc longe incipient dextra levaque vagari
Mœnia, & ambiguum præscribere flexibus orbem.
Nec vicos memorare vacat, nec strata viarum,
Nec quibus illa modis sparsas per compita metas
Expedient, felix quæ hæc omnia viderit ætas!
Suspiciet rerum formam geniumque locorum
Forsitan Hesperia: at mores censusque beatos,
Cultoris populi totus mirabitur orbis.
Progenies haud ulla unquam tam grata fovebit
Hospitia, ac nulli sic publica munera curæ
Semper erunt. Gens infestis inimica tyrannis,
Servitii impatiens: quæ libertatis amore
Libera ab Adriacis undis huc transferet arma.
Inde novo imperio, magnaque sub alitis umbra,
Longius assueto lætis aget otia rebus.
Tum populo miranda fides, tum certus honorum
Cursus, & ingenti procedent tempora luxu.
Tum mollis cultus, convivia læta vicissim,
Nympharumque chori, & juvenum certamina mille.
Nec vetus interea studium cessabit habendi,
Sed majus virtutis erit: suus artibus altis
Hic locus, hic requies studiis, hic alta patebunt
Præmia, & optati meritis reddentur honores.
Denique tempus erit, quo, se dum verterit annus,
Pallas, & insignis clypeo Gradivus & hasta,
Nec non Phocaica præcinctus tempora lauro,
Phœbus in has migret terras. Hæc mœnia læti
Civibus immixti celebrent pergantque fovere.
Nutriet ingentes populos: urbesque potentes,
Hæc spaciantis humi facies, quam claudit ad Eurum
Adria: ad immotas Arctos, & plaustra Bootæ
Alpini imcumbunt scopuli: qua turbidus Auster
Quaque leves spirant Zephyri; hinc latus Apennini
Incubat, inde vagus sinuosis flexibus errat
Nobilis Eridanus. Sed tantum hæc divite cultu
Finitimas inter clarum caput exeret urbes:
Quantum inter corylos ripis fluvialibus alnus:
Aut frutices inter viburnaque lenta cupressi.
Vicerit hæc alias studiis civilibus olim,
Vicerit & terræ genio; rebusque secundis.
Mœnibus haud equidem nomen tam parva futuris
Causa dabit: sed quando ingens victoria fluxit
Rite meis votis, Bacchumque his vincere terris
Contigit, inde loco maneat Vicentia nomen.
Hæc ait & totis circumfert lumina campis
Edocet atque simul nomen, cultumque locorum

A Qui tum nullus erat, nec erant sua nomina terris.
Sed fatis audita refert. Hac, inquit, ad austros
Planities qua immensa jacet, subjecta propinquis
Collibus, & fratri placidis complexibus ultro
Reuro coit (quamquam fama cariturus & alto
Nomine) subque ipsum amplexum, subque oscula quosdam
Portus erit, statioque frequens adeunda carinis.
Nec procul his ripis rarissima tecta recumbent,
Tecta quibus tenues præbebunt nomina campi.
Inde Garis mixti vicinis vallibus Hunni
Æternum statuent famam, cultumque perennem.
Hic mihi præripies Bacchus pulcherrima terræ
B Jugera, &, immenso quum clauserit omnia muro
Papilioneis tradet servanda colonis.
Haud longe hinc geminas ubi sese scindit in undas
Bacchilyo & duplici domitus traducitur alveo.
Quaque humilem dumeta tegunt densissima collem,
Educet facili sublimes cardine postes
Mox Scrofina domus, nusquam tam larga patebunt
Hospitia, invisentque olim nec limina fasces
Sæpius ulla novi, surgent Culsania contra
Tecta bono spectanda solo, meliore colono.
Exin paulatim quæ dextera terra recedit,
Frustraturque oculos, dum sese montis ad ima
Ingerit, heu quanta hic nobis certamina fines
C Ancipites hostique dabunt, custodiet ille
Improbus apricos colles, ut prendat & arva.
Vos contra gelidos fontes clivisque perennes
(Nulla magis nam tela timet) conspargite rivos.
Sed sive hæc terris duplex Custodia nomen,
Sive dabunt potius vicini viscera montis,
Qui quondam effodient penetrare in Tartara jussi.
Jamque aderit nobis Rhœtorum a gente vetusta
Interpres legum, soboles oriunda Tridento,
Hisque admissa locis niveo de marmore postes
Erigat, & triplici cingat prætoria cultu.
Tum Bromius colles, vos prata, ego rura tenebo.
Interea præstat ne quid sibi vendicet ille
D Servari hæc, licuit semper sua jura tueri.
Heu quotiens nudis errasset collibus æstu
Jam medio, undarumque expers Leyæus & umbræ.
Ni Pagellanæ vastis penetralibus illum
Languida susciperent dejectum membra cavernæ.
Hic (heu) tutus erit medio jam sydere cancri.
Nec canis æstivi metuens turbabitur astro.
Sic satius quam quum late certavimus ambo
Palladis arbitrio, litis mihi Nantos & illi
Causa fuit, tellusque ferax cui barbara nomen
Res dabit indignum; sub judice vincere uterque
Certus erat: sed fraude nova tum victus uterque est.
Illa equidem haud hominum superumve exempla secuta
E Eximit ambobus dubiam intersata, sibique
Mox addidit humum, dictamque refersit oliva.
Vestit adhuc terram rarissima Palladis arbor
Sed tum pingue solum silva frondebit opaca.
Hic vero ad levam siquis modo lumina flectat,
Protinus aspiciet terras quibus Orgia nomen
Nostra dabunt: siquidem cursus spectabit anhelos,
Nocturnasque faces, ritusque ignara vetusti
Bacchica sacra coli, non mystica nostra putabit
Posteritas, campis soboles Podiana propinquis
Dives erit: nunc cuncta situ squalere vetusto
Aspicitis, jam tempus erit quo Mœsia nullo
Audeat his terris dives contendere cultu.
F Nec memorare vacat fuerint ubi prata Noventi
Qua Picafetinis mox Cullea rura nitebunt.
Illic Caltus erit; qua nunc nemora alta virescunt
Cognatis ambita vadis, Secletia contra
Discurrent procul adversis pomaria campis.
Nunc & ad Eoos ortus, qua gurgite rauco
Defertur Thesina rapax (advertite mentem)
Hic Portuna domus tectisque & turribus altis
Fontibus irriguus & lætis dominabitur arvis.

Hic cultus facilis: totis hic ludere ripis,
Mollibus hic herbis lentaque jacere ſub umbra
Fas erit, inde procul campis Barbanus opimis,
Criſiniumque ferax noſtro jam vincere cultu
Contendent Libyem; famoſaque regna Lycurgi?
Finibus his olim, conſerto marte, propinquas
Inter ſe populi fœdabunt ſanguine terras.
Nec minus uberibus regnis ac divite gleba
Dives erit ſoboles; teſquoſa Nucaria nomen
Cui dabit æternum, diveſque Thiennia proles,
Canuſianæis loca ſunt nunc invia fundis.
Ad boream rurſus volucrem gelidoſque triones
Flectite nunc oculos, totamque advertite mentem.
Hic ubi nunc viridi veſtit ſe gramine campus,
Mœnibus aſſurgent Berteſina regna, futuri
Clerini rus dite laris: gentiſque beatæ
Delitiæ molles, at qua fluit Aſtacus amnis,
Quaque tegunt ripas corili ſilvæque virentes
Florentes Cricoli Dreſina tecta nitebunt.
Culta Sueſſano procul hinc Santricia raſtro
Luxuriabit humus, viduas quas cernitis ulmos
Quaque nemus denſum blanditur mollibus auris
Rara Capiſtralis fumabunt culmina villæ;
Villa ſolo dives; medica ſed ditior arte.
Pomiferam Lupien geminique novalia ruris
Interjecta locis; hic qua ſe collibus offert
Blanda ſoli facies; gelidis quam circuit undis
Aſtacus; & cultæ magalia rara Subellæ
Cernere erit: tuque his una ſpectabere terris
Frivola; quæ ripis fluvioque impoſta ſonanti
Candida ſaxa dabis templis decora alta futuris.
Protinus ambiguo lapidoſa Maroſtica clivo.
Hæc quoque cauſa recens pugnæ; Bacchoque mihique
Ancipitis ni fallor erit: namque alta Briganti
Mœnia, & aëriis quæcunque in collibus arva
Vitibus apta ſedent, quondam conceſſimus illi.
Hic equidem ambigui vergit qua lucidus Aethon.
Feſſus ad Antipodas, turbabunt omnia fines
Indiſcreta locis, paſſim commixta jacebunt
Bacchica regna meis, ſubjectos mœnibus hortos
Ipſa colam: hæcque una mecum Pagella fovebit
Prædia grata domus, nec non Suffatia proles;
Magdalium Bromius tumulum, quem pampinus umbris
Veſtiet; at viduæ nunc ſunt ſine vitibus ulmi.
Perſpicui fontes, penetralia veſtra puellæ
Naides: inclament quamvis, Bacchoque recuſent
Contiguo manare loco, jamque ardua templa
Sint illi conceſſa ſemel, vos ima tenete.
En quæ nunc nulla eſt, ſed conſita vitibus olim
Coſta erit; aſpiciam inviſis concedere regnis.
Has Anguina colet tandem gens inclyta: ſedes
His quoque contiguas ſoboles Caldonia coles.
Sed nuſquam Satyri celeres Faunique bicornes,
Nec qui pampineis Bacchus moderatur habenis,
Tam nitidos rerum cultus, tam mite fovebunt
Imperium, quam ubi vitiferæ poſt luſtra Thienæ,
Tercentum ſteterint: gens hic Portuna ſuperbas
Extruet ingentis ſublimi culmine ſedes.
Sors privata domus: ſed qua non ditior agri
Ulla erit in Venetis terris, nec divite cultu
Lautior, hic geminæ ſtabunt ad ſydera turres
In medio thalami; atque altis laquearibus ampla
Longius excurrent magno penetralia luxu.
Porticibus nullis, nulla ſe mollius aula
Jactabunt Satyri, Satyriſque decentior Evan:
Finibus hærebunt mediis gens clara Thienni,
Tam lautis oriunda locis: haud longius inde
Qua ſeſe vario ſubducunt ordine colles
Jam Verulata domus cultiſſima regna tenebit.
Quid referam Carras? & quæ rigat Aſtacus arva,
Tot ſedes habitura novas, tot rite colonos?
Quid Sumane pater? quum culmina denſa ſedebunt

A Verticibus ſubjecta tuis? hic alta Plienis
Stabunt tecta viris: illinc Portunius Arctos,
Nec Scios inde procul (deductum nomen ab umbra)
Clara Scios, quondam claros habitura nepotes.
Mutia progenies malum ſplendeſcere raſtro
Coget, & aërias innectet vitibus ulmos.
Serviet & gratis Phœbo rudis inſula Luſcis,
Luſcis qui doctas olim Permeſſidos undas,
Lambere & Aonios audebunt ſcandere colles.
Longius hinc gelidi montes Arginia claudent
Arva jugis: nec non Bellaci ex arbore dicta
Interjecta locis vallis, quam perfluit Agnus:
Quæque dabit genti clarum Dreſinia nomen.
B At ſummota procul nimiumque abſtruſa revolvo.
Quin propiore ſolo fatalia ſtringimus arva.
En qua inculta jacet denſis adoperta ſalictis
Planities, urbis primo poſt mœnia greſſu
Gallicus occurret campus: quæ Braſchius heros
Braſchinæ ſulcanda dabit nova prædia genti.
Protinus hinc Ulmus, quique Ulmea ſtrata tenebit
Hippodromos rara hoſpitibus poſt tecta recumbent
Irriguis impoſta locis ac limite parvo.
Unde procul ſpectatur apex, qui vertice ad auras
Aſſurgens gemino, geminas ſublimius arces
Fulciet, & noſtris late dominabitur arvis.
Nuda nec adverſa totis ſpectabitis annis
C Quæ juga reſpondent: contra ſed vertice ſummo
Arx ſublimis erit, quæ proxima vergit ad auſtros,
Caligantis humi facies, qua fumidus aer
Humanos hebetat viſus, Leonicea Phœbo
Mœnia & Aonidum ſtudiis inſignia ſurgent.
Hic mea regna forent, noſtro ſerviret aratro
Pinguis humus: ni hunc qui ſqualentibus imminet oris,
Quique humeros Phæbo naſcenti pandit apricos,
Vitibus & patula collem conſeverit ulmo
Nævia progenies. nulla (mihi credite) terris
Nobiliore lacu fundet ſua muſta Lyæus.
Quid te Seregium memorem? quid ſaltibus imis
Quæ duce mox Brenno fundabunt mœnia Galli?
D Quoſve Maraneæ valles jam rite colonos
Excipient. ſteterintve altæ qua culmina villæ;
Nunc age, & hæc montis longiſſima terga propinqui,
Solibus incocta aſſiduis, quis crederet unquam
Gaudia quanta paret Bromio quam nobile regnum?
Et niſi ſe molli curvaret terra receſſu,
Effugeretque oculos, genium ſedeſque beatas
Cernere erat. nunc cuncta tenent declivia ſilvæ.
Aſpicient Coſtæ hic olim vineta columnæ,
Aſpicientque lacus, gelidiſque in fontibus undas,
Floccardoſque lares, fæcundaque raſtra minores
Laudibus extollent miris. nemo amplius hortos
Phœacum, aut nemus Heſperidum mirabitur ullus:
E Id nemus, is lucus toto memorabitur orbe.
Haud tam culta quidem quamquam vicina fovebunt
Portuni atque illis vicino limite Luſci,
His Michaelini Veneta de gente nepotes
Montibus accingent inſuetas vitibus ornos.
Nunc tantum volucres ignotaque luſtra ferarum
Cuncta tenent. quid jam fieri non poſſe putemus?
Jamque adeo læto ridebunt omnia cultu.
Illa ſoli facies ſpectat quam mollius Euros
Haud tunc talis erit, ſed plurima vitis & arbor
Conſita limitibus Bacchum traducere Nyſa
Geſtiet, & Phœbi doctas Helicone ſorores.
Mitis erit tellus genio, ſed mitior illa
F Hoſpite, qui claro Braſchorum ſanguine natus.
Jam ſenior ſacras complexus Apollinis artes
Haud tantum hoſpitio excipiet Parnaſſia lætus
Agmina, ſed vatum curas pietate fovebit.
Huc jam ſæpe aderunt, ſed quos mira arte propinquis
Finibus arborea tumulos præcinxerit umbra
Regulus. inviſet Phœbus Phœbique ſorores
Sæpius hunc, illæ lætum cognomine gentis
Romuleæ ornabunt numis lauroque virenti.

Ultimus hic vertex qui proximus imminet amni,
Mœnibus & validio circumdatus aggere, gratas
Præparat & Baccho ſedes, unde improbus ille
Deſpiciens campos & culta novalia peſſum.
Invidiæ (ha) quotiens ſtimulis agitatus iniquis
Fas omne abrumpet. non æquo aut legibus ullis
Indulgens, tumulo præceps ac fulminis inſtar
In mea regna ruet? non pax non fœdera nobis.
Certa aderunt nulla ambiguis concordia rebus.
Ille meis inſtans opibus, ſæpe horrida bella
Inferet, ipſa autem in antiquo cedere regno
Victa velim: contra perſtans illata repellam.
Nec prius inſidiæ, fœtæque ultricibus iræ
Sollicitudinibus, non denique triſte remittet
Hoc odium: quam ſit rerum mutatus & ordo.
Jam ſemel atque iterum vacuis mihi reddita regnis
Amplexu medio lachrymans Proſerpina dixit,
Infernos trepidare lacus, Herebumque pavere,
Conſortemque thori jam ferrea clauſtra parare,
Ex adamante fores, muroſque Acheronte refuſo
Cingere: ab Eliſiis audiri vota preceſque
Poſcentum promiſſa piis nova ſemina cæli.
Ille equidem mundi rector rerumque creator
Quem Styx atra timet, tellus quem pontus & æther
Creditur aſtrifero tandem dignatus olympo
Non qua luce poteſt, humili ſed opertus amictu
Humanum ſtatuiſſe genus ſervare vetuſto
Servitio, noſtroque inſtans avertere cultu.
Fatidicos dixiſſe ſenes, dixiſſe Sibyllas,
Jam fore ut intacta dignetur virgine naſci
Certa dei ſoboles, toto qui triſtia mundo
Nubila diſcutiat, portaſque refringat Averni.
Eximet hoc regnum, quod jam tot luſtra tenemus,
Noſque una Deus ille potens detrudet & Orco.
Vana ſuperſtitio. jam quos veſana vetuſtas
Credidit eſſe Deos, densa caligine merſi
Cultores cultique una verſabimur umbra.
Tum nova religio, terriſque enixa ſupernum
Regem diva parens, ſolis veneretur ab ortu
Littus ad Heſperium, gelidam qua ſuſpicit Arcton,
Quaque patèns tellus madido ſe ſubjicit Auſtro
Non tumulus, non vallis erit, non lucus, agerve,
Denique non littus, mediis non fluctibus ulla
Inſula, quæ divæ templum, quæ virginis aram
Non gremio complexa ſuo, pia thura ſit illi
Solemneſque datura preces. hæc ſæpius illa

A Dum fovet amplexus matris dumquè oſcula carpit.
Illachrymans ſecreta Deum mihi fata retexit.
His ergo fundata jugis (heu) virginis ara,
Quæque colant gentes ſublimia templa patebunt,
Hic vota excipient, circumque altaria donis
Suppliciter ſtabunt populi. tum noſtra ſilebunt.
Nomina, deſpecti ridens mendacia cultus
Poſteritas damnabit avos, qui turpiter unquam
Tam vanos finxere Deos: Immenſa fovebunt
Otia ſecuræ gentes, diſcrimine nullo.
Hos colles, & quæ ſub collibus arva videmus,
Paulatim duplici ſtudiis aſſueta labori,
B Triticeos fœtus, & nuptas vitibus ulmos
Haud invita ferent, omnes feret omnia tellus.
Hæc nos damna manent. ſed vos pia turba puellæ
Najades, & curæ quibus hæc ſunt arva Napeæ,
Aſſervate datos hinc atque hinc ordine fines.
Ac dum fata ſinunt lætis incumbite rebus,
Vivite contentæ his regnis, hac divite terra.
Sic fata, extemplo cœtu per amœna ſoluto
Flaventes diffuſa comas, pallamque recincta
Frugiferis invecta rotis ſua templa reviſit.
Sed cæptum dum carpit iter, mihi forte canenti
Affuit, hic ingens qua ſe Parnaſſia rupes
Fluminibus Permeſſe tuis perfundit & umbra,
C Gaudet odoratæ ſilvæ numeriſque canoris.
Tum mihi flava Ceres commiſſam ex ordine pugnam,
Præſidiumque datum terris, urbiſque futuræ
Et decus, & nomen, mirandaque fata retexit.
Tempore jam ex illo didici quæcunque peracta.
Nunc vates operoſe vides: jam deſine tantum
Munera mirari, genium ſi & proſpera rerum
Tempora, ſi mores ſpectes cultuſque benignos
Virtuteſque virum. hæc oculis & pectore toto,
Suſpiciens, mecum Aonio dignabere cantu.
Hæc Clio at mens obtutu tamen hæret eodem,
Nec valet expleri, decies licet anxius hora
Euganeæ decus hoc mirandaque munera gentis
D Aſpiciam: Eja age perſpicuum & memorabile donum
Vive diu, Pyliumque imple vel Neſtora totum.
Neſtora quid dixi vivas precor omnibus annis:
Siſque mihi, dum fata ſinunt, dum vita manebit,
Inſtar & immenſi pergratum pignus amoris:
Munificamque urbem mecum, atque urbis amicæ
Nomina magna colas: cui ſi concedere cenſu
Cedere muneribus credor, non credar amore.

FINIS.



INDEX
AUCTORUM, NOMINUM, RERUM ET VERBORUM.

Ma-

T.

V.

Z.

FINIS.



PAULI PINCII, DE TIMAVO FLUVIO,

Pro Vetustorum Opinione

DISSERTATIO:

NEC NON

JOVITÆ RAPITII, BALNEORUM,

Quæ ad TIMAVI ostia sunt,

DESCRIPTIO.

Editio novissima, vitiis, quibus priores scatebant, orbata, ac Indice aucta.



LUGDUNI BATAVORUM,
Sumptibus PETRI VANDER Aa,
Bibliopolæ, & Typographi Academiæ atque Civitatis.

PRÆFATIO
NOVÆ HUJUS EDITIONIS.
CANDIDE LECTOR.



ISSERTATIUNCULAM *hanc, quam in mundo esse multi non crediderunt, ideoque perraram, de* Timavo fluvio, *à* Paulo Pincio *conscriptam, & à Viro de Republica literaria bene merito adme missam, hic Tibi, optime Lector, offero. Non dubito opusculum hoc,. quod*

----- in exiguo corpore magna premit,

tibi gratum & acceptum fore. Idque eo magis quoniam huic Dissertationi, ad majorem rei in ea propositæ illustrationem opusculum, Editionis Venetæ *Anno MDLIII apud* Junctas, *inventu difficile,* Jovitæ Rapitii de Balneis quæ ad Timavi ostia sunt: *in gratiam non quidem Medicorum, sed hominum literatorum adjecimus, quorum Balneorum etiam* Pincius *in sua Dissertatione meminit. Sententias ac Demonstrationes auctores suas multis tum rationibus, tum auctoritatibus, tum auctoribus comprobant. Sed in recognoscendo Editionem* Pincii *Venetiis Anno MDLXVI. in* 8vo *editam animadvertimus, eam multis & variis typothetarum, seu Correctorum incuria erroribus admissis contaminatam esse, quibus nostram pro viribus nostris purgavimus. Loca quoque ex aliis auctoribus allegata, ut & nomina propria diversis à textu Characteribus, quod in ante dictis Editionibus erat neglectum, excudi curavimus, Indicemque, quoad fieri potuit excerpsimus, & in fine opusculorum addidimus. Cæterum Vale faveque.*

MARINO AC HERMOLAO GRIMANIS,

Clarissimi HIERONYMI Procuratoris, ac Equitis Filiis.

PAULUS PINCIUS.

S. P. D.



ICIT Tandem vestra apud me existimatio atque autoritas Mag. Domini, ut quæ mea esset de *Timavo* Fluvio sententia, litteris vobis significarem. A qua quidem re, multa, ut vera dicam, me diu retraxerunt, sed illud in primis, quod verebar, ne obtrectatoris maledicique conviciatoris nomen subirem. Quod illis obtingere solet, qui mortuis bellum inferre sibi proponunt, quemadmodum velim nolim, mihi est hoc tempore faciendum, si vobis, ut par est, morigerari voluero. Nam aliter si facerem, immemor profecto & ingratus animi in me propensi vestri, merito ab omnibus haberer & dicerer. Verum si curæ vobis erit, ut nostra hæc disputatio, in manus ne irrepat alienas, ut polliciti estis, & vobis petitioni à me vestræ satisfactum fuisse gratum, & mihi nomini vos meo prospexisse, non erit injucundum. At si secus forte eveniret, Ego quidem fidem meam liberavero, vos autem amplitudine & splendore vestro, defendere me atque protegere, æquum erit. Nam qui minus rectum, minusque honestum putet esse, quod à vestro jussu, vestroque profectum erit imperio, reperietur nemo. Reliquum illud est, ut quod ego, non ex me, sed impulsu vestro aggressus sum, boni vos ac æqui faciatis, majora fortasse inchoaturus, si hoc vobis gratum esse cognovero. Valete.

P. Pincius.

AD LECTOREM.

ARDUAM *sane atque perdifficilem, ne dicam invidiosam provinciam sustinendam mihi esse video opt. Lector, qui eos etiam, qui aliquot annis ante, animam egerunt, scriptis lacessere videar. A qua nimirum culpa, liberum me, & expertem, tum fore spero, cum hujus scriptionis atque editionis ratio, palam fiet: Quam etiam ex me, potiusquam ex alio, vere sincereque exponendam esse duxi, si illud in primis prælocutus fuero, quod ea est magnitudo Clarissimæ familiæ* Grimanæ *erga me officiorum, vel meritorum potius, ut qui ea noverit, desierit penitus admirari, cur munus hoc scribendi non recusaverim, aut quovis modo tergiversatus fuerim. Nam viginti fere ab hinc annis, fato proculdubio Divino evenit, (nam qui liberos instruunt optimatum, Deorum filios dicuntur instruere) ut* Marinus & Hermolaus, *duo ejusdem familiæ lumina, non tam natura, quam amore, studio, voluntate, probitate, & moribus, fratres vere germani, mihi operam dederint. Sub quo quid profecerint, meum non est referre, sed eorum, qui in negociis tum publicis, tum privatis tractandis de ipsorum prudentia, de doctrina, deque morum integritate, periculum fecere. Hoc num ipse perstrinxisse consensus ero, cujus etiam, certissimus testis esse possum quod in illis semper eos artibus elaborasse, animadverti, quibus eæ laudes comparantur, quarum gloriam à pueritia illi sunt admirati, qui ad dignitatem & gloriam nati sunt, hoc est, ut cum summa gravitate, summam haberent mansuetudinem, quod illis maxime necessarium esse, per quos Resp. esset administranda, non ignorabant. Hincque illud nomen, hinc illa orta est expectatio, quæ non solum oculos, & ora, sed animos quoque omnium ita in se convertit, ut universo ordini optimatum, admirationi jam esse cœperint: Neque hoc ab* Alcibiade, *aut* Aristide, *aliquove alio* Atheniensi, *aut* Romano *cive, sed ex Clarissimo sapientissimoque parente, optimi filii diduxere. In quo quidem parente, ea viget prudentia, ea temperantia, ea justitia, ea clementia, ea vitæ integritas, ea humanitas, ea doctrina, ea eloquentia, ea in patriam charitas, ut à Senatu ipso* Vento, *in Amplissimum Procuratorum Collegium, qui locus, supremæ proximus est dignitati, cooptari meruerit. Cum iis igitur filiis, tanto dignis parente, tantisque virtutibus prædictis, in* Istriam *navigare dum fuerit, ad ea invisenda loca, quæ illic habent amœnissima, ventisque adversis delati fuissent ad* Timavum *fluvium, neque dignus videretur locus qui à tantis scriptoribus, & ab uno* Virgilio *in primis, decantaretur, in eorum scriptorum facile venerunt opinionem, qui* Timavum, Brentam Patavinam, *non autem* Iapidiæ, & *juxta* Istros *fluvium esse, memoriæ prodidere. Qua de re, cum non semel, multus inter nos sermo fuisset, ab ea tandem sententia, multis tum rationibus, tum autoritatibus, tum autoribus, vix eos abstrahere potui. Sed ea lege atque conditione, ut omnem hanc disputationem, scriptis mandarem. Ego vero, qui rem in sinu, ut ajunt, futuram esse, nec unquam prodituram existimabam, lubens accepi conditionem, conscripsi, dedi. Verum res aliter successit. Continuo enim postularunt, & multis à me contenderunt in lucem, ut ederetur. At ego qui non eram nescius, quam parva accessio ad laudem, ex parva re, esset futura, & quam multum notæ, genus scripturæ mihi inusturum esset, nullis rationibus adduci potui, ut postulata concederem. Res postea, precibus agi coepta est; sed actum egere. Postremo adhibita fuit vis, atque imperatum, quod pro jure suo, facere poterant. Quibus difficultatibus obstrictus, non potui non obsequi, non parere, non vulgare. Habes nunc rationem Caudide Lector, hujus editionis atque scripturæ, ut si quando consilium meum tibi inceperit displicere, cujus id acciderit culpa, non ignores. Verum ne quid dissimilem, exemplo etiam illorum, adversus quos, effluxisse videbitur fortasse hæc disputatio, me excusatum iri spero, atque confido. Nam si nonnulli, verba facientes de* Timavo *admirantur, viros doctrinæ fama percelebres, deceptos ita fuisse ignoratione locorum, ut in* Istris & Liburnis, *quæsiverint* Timavum, *quem juxta* Patavium *delabi certum est, quibus verbis ab hoc falso crimine, & suspicione, non solum vetustos, verum etiam recentiores, quis vindicare poterit. nisi accusatio, in accusatores rejiciatur? optime, inquies tu, illi meriti fuerunt, de* Italia *potissimum nostra, cujus illustratores fuerunt laboriosissimi, neque ipse aliter sentio. Sed si aliis in hoc connivendum fuit cur illis magis lynceis esse licuit? an fuit quandoque fortasse, ut quod licet, non liceat? Hic ego rem jam definiam. Autorem nullum nominabo, sed si quis firmissime asseverat, Vetustos deceptos fuisse in constituendo* Timavo *fluvio, cum hoc mihi agendum esse, non solum fateor, sed etiam profiteor. Neque laudis ergo aut gloriæ, sed rei tantummodo illustrandæ gratia. Atque hujus conflictionis judicium, tuum esse volo & cupio optime Lector. Vale.*

PAU-

9

PAULI PINCII DE TIMAVO FLUVIO DISSERTATIO,

Pro Vetustorum Opinione.



NONNULLOS fuisse hujus sæculi viros, doctrina & forma præstantes, inter omnes constat, qui nomen *Timavi*, in illo tantum fluvio, qui *Patavium* præterlabitur, convenire, firme & graviter sustineant; neque alium ab hoc esse, qui ejusmodi nomen sibi usurpare possit. Idque multis & gravibus argumentis, ita esse contendunt, ut si illis fides aliqua esset præstanda, errasse procul dubio vetustos fateamur necesse est. At si quæ vera sunt ii tradidere, in errorem illos raptos fuisse, quilibet asseverare poterit. Ea igitur de re, rationibus ipse partim, partim etiam autoritatibus, pro viribus demonstrare conabor, vetustos vera de *Timavo* sensisse; eos vero deceptos, qui juxta *Patavium*, præterfluere prodidere. Meque id tum assequutum putabo, cum eorum argumenta, quibus ad hoc probandum usi sunt, confutavero. Quod ne ipsis quidem, si reviviscerent, molestum fore existimandum est, cum in locorum veritate investiganda, non parum, dum viverent, elaboraverint. De *Lucano* igitur primum sumptum est argumentum, qui de *Timavo* ita cecinit *lib.* VII.

Euganeo, si vera fides memorantibus, Augur
Colle sedens, Aponus terris, ubi fumifer exit,
Atque Antenorei, dispergitur unda Timavi.

His carminibus, nemini dubium esse potest, dicunt ii, quin aqua *Timavi Antenorei*, dispergatur prope *Aponum*, locum etiamnum, omnium sermone celebratum, & à *Patavio* non admodum
10 distantem. Quod si est, non in *Istris* amplius, aut *Forojuliensibus*, à nostris posthac erit requirendus *Timavus*, cum sit *Patavii*.

Alterum deinceps subsequitur, ex notissimo carmine *Martialis Epig. lib.* XIII.

Laneus Euganei, lupus excipit ora Timavi,
Æquoreo dulces, cum sale pastus aquas.

Si *Timavus* inquiunt fuit *Euganeus*, alius proculdubio ad præsens esse non potest, atque *Brenta* fluvius *Patavinus*.

Firmant postmodum opinionem, verbis *Lucii Flori*, qui *lib.* II. *de bello Illyrico*, dicit *Illyrici*, seu *Liburnii*, sub extremis alpium radicibus agunt, inter *Arsiam* & *Timavum* per *Adriaticum* littus effusi, regnante *Teutana* muliere. Hisque verbis affirmant, *Timavum* ab *Arsia* & finibus *Italiæ*, in quibus nuper requirebatur, plurimum abesse. Nituntur postremo autoritate, *Musati* Poetæ *Patavini*, in cujus sepulchro hæc Carmina adhuc inscripta videntur.

Condita à Trojugenis post diruta Pergama tellus,
In mare fert Patavas, unde Timavus aquas,
Hinc genuit vatem.

Atque his quatuor argumentis in suam nos trahere sententiam aperte nititur *Blondus Forolivienfis* in *Marchiæ Tarvisinæ*, seu in *Italiæ Transpadanæ* cum *Livio*: vel cum *Plinio* in *Venetiæ*, decimæ
A regionis *Italiæ descriptione.* Quod parum illi successum iri spero, si quem non fugerit *Lucanum* in primis poetæ tantum partes hic agere voluisse, non autem Cosmographi. Ideo poetarum more, id tribuit uni parti, quod à *Virgilio*, mira atque solita brevitate, universæ datum fuit regioni. Dicit enim *Virgilius*, aquam *Timavi*, per *Venetiam* defluere, *Lucanus* vero, per agrum *Patavinum*, qui pars est hujus regionis. Ut prætereaam, quod *Lucanus*, non ideo dicit *Timavi Antenorei*, quod *Timavus* sit prope *Patavium*, ab *Antenore* conditum, sed quod *Timavum Antenor* superavit, dum *Adriatici* sinus mare, penetrare vellet. Sique hoc parum illis suffragatur, multo minus suffragio erit 11
B *Martialis*, quem nemo adeo locorum ignarum fuisse existimabit, ut dixerit *Patavinos* tantum *Euganeos* vocitari, cum & *Veronenses* etiam, & alii populi *Veneti*, *Euganei* dicti sint. Nam quatuor & triginta oppida *Euganeis* fuisse, meminit *Cato*, apud *Plinium lib.* III. Ubi *Grajarum* etiam *Alpium* incolas, præstantesque genere, *Euganeos* appellat. Affirmat hoc *Livius* ipse *Patavinus lib.* I. his verbis *Casibus deinde variis, Antenorem cum multitudine Henetum venisse in intimum maris Adriatici sinum; Euganeisque qui inter Alpes ac mare incolebant, pulsis, Henetos Trojanosque, eas tenuisse, terras, gensque universa, Veneti appellati.* Horum autem Regio, autore *Plinio Venetia* est
C dicta, quæ ab Oriente *Formionem* habet fluvium, antiquum auctæ *Italiæ* terminum, sive *Pannoniam*, & inquit Paulus Diaconus *lib.* II. *& ab occidente Mintium, seu mavis Addam.* Et ne *Aquileja* antiqua privetur laude, addam hic, quod ille, cujus verba modo recitavi *Venetiæ* illam caput, olim extitisse, litteris mandavit, tantum abest ut ab *Euganeis* populis, nunc sit recjicienda, & *Antoninus* Imperator in *Itinerario suo*, in descriptione provinciæ *Italiæ*, *Venetia* inquit cum *Istris*, in qua est *Aquileja.* A *Volaterrano* quoque hoc prætermissum non fuit. Dicit enim *lib.* IV. *Termini Venetiæ provinciæ, quæ & Marchia Tarvisina vocatur, est Athesis, usque ad Timavum*
D *qui supra Aquilejam fluit.* Si *Veneti* igitur populi, ii sunt, qui prius *Euganei* dicebantur, perque eorum provinciam, id est *Venetiam*, fluit *Timavus*, *Aquilejæ*, seu *Iapidiæ* fluvius, cur accolæ ipsius *Timavi*, *Euganei* non erunt dicendi? examinavit locum *Domitius* etiam *Calderinus*, ne quem propria defraudemus laude. Nam Lupus in primis comendari dicit, si à marinis in fluviatiles aquas enatet, quales sunt, qui in *Liburnis*, ad ostia *Timavi* aluntur, ex quibus *Forojulienses*, suum garum conficiunt. Ejusdem sententiæ *Paulus* est etiam *Jovius*, optimarum litterarum, atque omnis antiquitatis scientissimus; Is in libello *de Piscibus*, loquens de sturione, *Timavum Aqui-* 12
E *lejensium* flumen esse, firmissimo probat argumento, ex his *Martialis* Carminibus sumpto. Sique iis assensus fuisset *Martialis*, ut ipsi putant, Ti-

Timavum profecto, juxta *Patavium*, non autem juxta *Aquilejam*, idem locaſſet autor, loquens de *littoribus Altini*, *lib.* IV. *Epig.* 24.

Et tu Lædeo fœlix Aquileja Timavo,
Hic ubi ſeptenas, Cyllarus hauſit aquas.

Redeo nunc ad verba *Lucii Flori*, quibus, (ſi quis ea recte examinaverit) in noſtram continuo ibit profecto ſententiam. Et quamvis non inter *Arſiam* & *Timavum* ſed inter *Arſiam* & *Titium* flumen, non uno in codice ſcriptum reperiam, quemadmodum & apud *Plinium lib.* III. *Arſiæ*, gens *Liburnorum* jungitur, uſque ad flumen *Titium*, tamen ſi *Illyrici* populi effuderunt ſe ab *Alpium* radicibus, inter *Arſiam*, & *Titium*, qui fluvius diſtabat ab *Aquileja* ſtadia CC. teſte eodem *Plinio* de *Iſtria*, ſed *Timavum*, cum *Blondo*, per *Adriaticum* littus, cur dicendum eſt, *Timavum* non *Iapidiæ*, ſed *Patavinum* fluvium eſſe? Niſi forte *Patavium*, *Illyrium* attingere velit aliquis, quod ut credam, vix adduci poſſum. Si quidem Pomponius Mela *lib.* II. *Poſt Phæaces* inquit *ſunt proprie, quos Illyrios vocant, tum Pyræi, Liburni, & Iſtriæ* & paulo poſt. *Tergeſtum intimo in ſinu Adriæ ſitum, finit Illyricum.* Quin & *Auguſtum*, tris egiſſe triumphos legimus, unum ex *Illyrico*, ex devictis *Dalmatis*, alterum ex *Actiaca Victoria*, Tertium ex *Cleopatra*. Sed & idem *Blondus*, ab hac de *Illyricis* opinione, non eſt abhorrens. *lib.* VIII. *primæ Dec. ab Incli. Imp.* At pluribus de hoc non agam, ne de re certa digladiari videar. Mutatum vero, (ſi quid hoc ad rem) per aquas *Patavas*, non intellexiſſe puto, quod *Timavus* ferret in mare aquas agri *Patavini*, hoc enim fieri nequaquam poterat, ſed quod per *Venetiam*, in qua conſtat eſſe ager *Patavinus*, *Timavus* ipſe prætergrediatur. His quatuor argumentis, invehit doctus ac eruditus *Flavius*, in viros noſtri ſæculi (cur autem vetuſtos non dixerit, divinare non auſim) qui in *Iſtris* & *Liburnis*
13 quæſiverunt *Timavum*, errore adducti locorum atque ignoratione ſenſus Virgiliani. Nam quamvis Poeta, novem fontes attribuat *Timavo*, non eſt tamen, quod ex ipſo numero quæramus ubi ſit *Timavus*, ſed in ipſo fontis nomine, amnem *Timavum*, Poetico more indicare potius voluit. Quod *Servium* etiam minime latuit, ita enim dicit. *Amant Poetæ, rem unius ſermonis, circuitionibus ducere, ut pro Troja, dicant urbem Trojanam; pro Timavo ut nunc, fontem Timavi, & paulo poſt urbem Patavi, pro Patavio.* hæc ille. At nihil facit hoc cum re noſtra, ni fallor. Neque enim quærimus *Timavum* ex fontibus, ex quibus exit, ſed ex loco, quo ingreditur mare. Si enim quis fateatur, *Timavum* eſſe amnem *Iapidiæ*, ſeu *Aquilejæ*, in ſcaturigine nihil laborabo. Prætereo hic, cur Poeta uſus ſit novenario numero, cum alii octo, alii ſeptem ora tribuerint flumini, quod notius id ſit, quam ut referri debeat. Qua etiam de cauſa, multifidum *Timavum* dixit *Martialis. Epig. lib.* VIII. 28.

An tua multifidum, numeravit lana Timavum,
Quem prius aſtrifero, Cyllarus ore bibit?

In quibus exponendis Carminibus, dolet *Georgio Merulæ*, quod dum aliqui, Vetuſtos veluti ſomniculoſos, corrigere ſtudent, in tantum ipſi prolapſi fuerint errorem, ut dixerint, *Timavum* eſſe *Brentam*. Cum *Brenta* fluvius *Patavinus*, *Meduacus* appellatur, eo nomine quo & *Bachilio*, qui ex montibus *Vicentinis*, ſicuti *Timavus* per *Aquilejenſem* agrum delabitur. Per ora vero novem, intelligit *Ilavius*, novem oſtia, his verbis. Superaſſe autem ea parte, unde, pro qua, per ora novem it mare præruptum, & premit ſtagnorum arva, pro campis & planicie poſita, ego autem cum *Mela*, per ora, fauces intelligo, at-
A que meatus orientium aquarum. Nam flumina, non ex oſtiis, ſed in oſtia profluere conſueverunt. Sed audiamus *Melam* ipſum, ut ubi nam locorum ſit *Timavus*, de ipſo etiam cognoſcamus. *At in oris*, inquit, libr. II. *proxima eſt à Tergeſte Concordia, interfluit Timavus novem capitibus exſurgens, uno oſtio emiſſus.* Deinde: *Natiſo, non longe à mari, ditem attingit Aquilejam.* Ultra eſt *Altinum.* Quid clarius, quidve apertius, dici po- 14
tuit? Audis jam *Timavum*, inter *Concordiam* fluere, atque *Tergeſtum*, non autem inter *Aponum*, & *Patavium*: novem Capitibus exſurgentem, non profluentem, uno tantum oſtio, non novem,
B emiſſum in mare? Idem etiam habetur ex Strabone lib. V. *In ſinu Aquilejæ, Diomedis eſt templi, & Timavus portus. Septemque adſunt fluviatilis aquæ fontes, mare mox interrumpentes lato & profundo ſane fluvio, è quibus reliquos, uno duntaxat excepto, ſalſas habere aquas*, Polybius autor eſt Locumque ipſum, fontem matremque maris, ab indigenis vocari. *Timavus*que ipſe, ut ait *Poſidonius*, è montibus delatus decidit in profundum, deinde infra terram abſorptus ſtadia circiter. C. & XXX. erumpit in mare. Neque aliter refert *Volaterranus lib.* IV. ex *Strabone* & *Mela*. Idem teſtatur etiam *Pleni*, de hoc flumine *lib.* II. *cap.*
C 103. & *de ortu Padi. lib.* III. *cap.* 16. Hoc ſi quis cum ſuis autoribus, recte animadverterit, non erunt. 13. quærendæ novem aperturæ littoris *Veneti*, ſeptemve maria expiſcenda ex *Antonini* Itinerario, ut multis Tum non *Timavus*, ſed *Eridanus*, in paludes, per has ſeptem feratur aperturas, quod indicant verba ejuſdem *Melæ*, quæ proxima ſubſequuntur, *lib.* III. Superiora, late occupat littora *Padus*. Et Plinius; agens de *Pado*, ſeu *Eridano*, ait *lib.* III. Quanquam deductus in flumina & foſſas, inter *Ravennam*, *Altinum*que 120. millia paſſuum tamen quia largius vomit, ſeptem maria dictus eſt facere, quæ ibi
D etiam recenſet, ſed quoniam aliena ſunt ab inſtituto noſtro, referenda non eſſe duxi. Sed *Herodianus* etiam, clariſſime hoc aperuit *lib.* VIII. Interea *Maximinus Ravenna* profectus, *Aquilejam* pervenit, tranſmiſſis paludibus in quas fluvius *Eridanus*, ac vicina exundant ſtagna, ſic ut per ora ſeptem maria appellant. Habes nunc quæ ſint ſeptem maria, & quæ aquæ ferantur ea, neque de *Timavo* verbum. Neque aliud ſignificaſſe *Claudianum* his Carminibus puto. *De* VI. *Conſ. Hono.*

Dixit, & antiquæ muros egreſſa Ravennæ,
Signa movet, jamque ora Padi, portuſque relin- 15
E *quit,*
Flumineos, certis ubi legibus advena Nereus
Æſtuat, & pronas puppes, nunc amne ſecundo,
Nunc redeunte vehit, nudataque littora fluctu
Deſerit, Oceani lunaribus æmula damnis.

Quod autem *Virgilius Timavum* appellaverit, fontem, vel ex parvo admodum ſpatio, curſus, factum eſſe dixerim, vel quod inſtar fontium egrediantur aquæ, ut eſt videre. Et hac etiam fortaſſe de cauſa, *Antoninus* Imperator, ter inter fontes connumeravit *Timavum*, his addens *Aquilejæ Galliæ*, nunquam autem *Patavii*, ſed & *Livius*, *Timavum* appellat lacum, ut infra dicetur.
F Licet poeta ad magnam aquarum copiam, difficultatemque tranſeundi oſtendendam, mare poſtea nominaverit. Quod tamen ex hiſtoria ſumptum adnotavit *Servius* ex *Catone* propterea quia ab incolis mare nuncupabatur. Quamvis non dubitem, quin ſatis jam probatum fuerit, nihil eſſe negocii *Timavo* cum *Brenta*, tamen ut res clarior adhuc fiat, declaranda ſunt carmina ipſius *Virgilii*, quibus explicatis, in alia fortaſſe omnia ibunt ſtudioſi atque fautores contrariæ opinionis.

An-

Antenor potuit, mediis elapsus Achivis,
Illyricos penetrare sinus; atque intima tutus,
Regna Liburnorum, & fontem superare Timavi
Unde per ora novem, vasto cum murmure montis.
It mare proruptum, & pelago premit arva sonanti.
Hic tamen ille urbem Patavi, sedesque locavit
Teucrorum. Virg. lib. I. *Æneid. v.* 246.

Unde per ora novem, id est, ex quo *Timavo*, per multas, per quas exit, fauces, it mare proruptum, hoc est, ingens aquarum fluit abundantia. Cum magno murmure montis, unde egreditur. Quæ copia aquarum, vicinos vastat atque depopulatur campos. Hic tamen, non ubi est *Timavus*, sed in hac regione, id est in *Vene-*
16 *tia*, tot periculis atque difficultatibus referta provincia. Ille urbem *Patavi*, sedesque locavit *Teucrorum.* Et ne quis putet, hujusmodi nos interpretationem somniasse: subjiciant verba Doctissimi *Donati*, qui in his explicandis carminibus summatim ita dicit. His carminibus venus magis dolere videtur, quod *Antenor* vilis & humilis respectu *Æneæ*; potuerit hostiles manus effugere, atque per medios hostium globos, & per inimicorum regna, tutus securusque transire, nec non superare fontem *Timavi*, & quia levissimum est transisse fontem, nam fontis significatione, nihil demonstratur difficultatis superatum, idcirco posuit, unde per ora novem, ut fons esset in solo vocabulo, re tamen vera abundantia sui opertis terris in alieno elemento, faciem pelagi demonstraret. Hic tamen ille urbem *Patavi.* In uno adverbio, & pronomine, grande pondus doloris adjecit. Hic inquit, hoc est regionibus hostibus, (non juxta *Timavum*) & per tot difficultates, sine cujusque molestia superatas, Ille urbem *Patavi. Nicolaus* etiam *Perottus*, non male de lingua latina meritus, de *Antenore* loquens, Hic *Venetias* inquit, venit, urbemque in ea condidit *Antenoream* primo dictam, à qua *Antenoridæ* vocitati, postea *Patavium*, deinde *Paduam*, eodem modo responderi posset ad eos, qui *Antenoream* urbem, *Altinum*, non autem *Patavium* fuisse dixerunt, quod *Patavium* non ab *Antenore*, sed à *Patavio* quodam *Venetorum* rege, conditum fuerit. Quæ tamen opinio, cum insigni nullo præsidio fulta sit, refelli potest nullo labore.

Quin & *Servius* non aliter interpretatur, cum per arva *Timavi Iapidis*, *Venetiam* exponit, & *Timavum* fluvium *Venetiæ*, libere nominat, ut paulo post. Hac illustri atque germana explanatione, nullus posthac reliquus erit dubitationi locus, ut arbitror. Et sicut *Antenorem*, *Patavium*, in *Venetia*, regione *Italiæ*, condidisse fatebimur, ita juxta *Timavum Iapidiæ* conditum, jure posthac, quilibet negare poterit. Sique rogaret aliquis, ubi nam audiatur hac tempestate, hujusmodi strepitus egredientis aquæ, cum nusquam major audiatur, exeuntium aquarum tranquillitas, tunc id me illi ostensurum profiteor at-
17 que recipio, cum ipse mihi itidem ostenderit, novem illa ora, per quæ in mare, tanto cum sonitu, fertur *Timavus.* Sique hoc non sapit palato illius, invisat ipse fauces *Timavi*, quod in tanto opere suscipiendo, prætermittendum non fuisset, & eo potissimum tempore, quo maximus fit refluxus maris, easque piscatoria ingrediatur cymba, ut ab incolis fieri solet piscandi gratia, & tunc de strepitu orientium aquarum, certior fit. Sed quamvis exiguus nunc admodum sit *Timavus Aquilejensis*, *Brenta* tamen fluvius *Patavinus*, non est adeo magnus, ut *Timavi* nomine, aut fama dignus videri debeat. Satis hucusque à me denuo probatum esse puto, quod *Timavus* alius sit flu-

A vius à *Brenta*, qua una in re, summa atque præcipua erat controversia. Verum ne quid supersit, quod desiderari queat firmioribus argumentis atque autoritatibus, idem confirmare experiar atque tentabo. *Strabo*, ad regionem *Carnorum Timavum* ponit. Hanc regionem, nos hodie *Forojuliensem*, & *Patriam* dicimus; quæ juncta *Iapidiæ* est regioni, quam nunc *Carinthiam* vocant, unde *Timavus* fluit novem oribus, & uno magnoque ostio labitur in mare. *Plinius* vero, *Timavum Aquilejensem*, non autem *Patavinum* nominat. & in *descriptione Venetiæ*, *lib.* III. *cap.* 18.
B *Alsa* inquit, *Natiso*, *cum Turro*, *perfluentes Aquilejam Coloniam*, XII. *Passus à mari sitam. Carnorum* hæc Regio, junctaque *Iapidum*, amnis *Timavus*, Castellum nobile vino *Pucinum*, *Tergestinus* sinus Colonia *Tergeste*. Et agens de *vinis generosis lib.* XIV. *cap.* 6. ait. *Julia Augusti*, LXXXII. *annos vitæ*, *Pucino retulit acceptos*, *non alio usa.* Gignitur in sinu *Adriatici* maris, non procul à *Timavo* fonte, saxeo colle, maritimo afflatu, paucas coquente amphoras. Hic collis, non procul nunc à *Tergesto* positus, *Prosech* vulgo appellatur. nisi alium prope *Brentam* excogitaverit aliquis, quod illi foret necesse, si adver-
C sariorum opinionem tutari vellet, contra *Plinium. Claudianus* etiam de *Timavo*, De *Tertio Consulatu Hono.* loquens, ita cecinit.

Illyrici legitur plaga littoris, arva teruntur
Dalmatiæ, Phrygii numerantur stagna Timavi.

Scierat equidem *Claudianus*, quod post *Illyrium*, & *Dalmatiam*, sequebatur *Iapidia*, pro qua, 18
Timavum provinciæ fluvium posuit Quem etiam *Phrygium* ideo appellavit, quod *Heneti*, qui ex *Phrygia* eo accesserant, illum superassent. Et ne faucium multitudinem prætermitteret, stagna *Timavi* numerata fuisse, dixit. Sed & *Vibius* etiam *Sequester*, in libello de fluminibus, fonti-
D bus, & lacubus, inquit. *Brenta ex tridentinis montibus*, *per Vicentinum*, *& Patavinum solum*, *juxta Venetias decurrit in Adriam. Timavus Aquilejæ Galliæ* fons. Neque aliter sensit *Andreas* ille *Mocenico*, qui *Cameracensem* in *Venetos* Conspirationem, copiose & ornate conscripsit. Quod autem *Timavus Iapidiæ* sit fluvius, ut ex *Plinio* ostendimus, *Virgilius* etiam ipse, luce clarius ostendit, *Georg. III. v.* 474.

Tum sciat, aërias alpes, & Norica si quis.
Castella in tumulis, & Iapidis arva Timavi.

Id est *Venetiam*, ut interpretatur Servius. Nam *Iapidia* est pars *Venetiæ*, dicta à *Iapido* oppido,
E cujus provinciæ fluvius, est *Timavus.* Neque *Iapidi* legendum putarim, cum mentio fiat de *Noricis*, quorum regionem, non in *Apulia*, aut in *Illyrico*, sed juxta *Carnos* posuit *Plinius lib.* III. *cap.* 20. & 28. Non gravabor etiam referre, quid in hæc carmina dicat *Antonius Mancinellus*, oculatissimus sane interpres, & ad eos saltem comparandus, qui contra sentiunt. *Iapides* inquit populi, & *Timavus* amnis in *Venetia* regione *Italiæ* sunt. Accedit ad hoc, carmen *Virgilii Eclog.* VIII. *v.* 6.

Tu mihi, seu magni superas jam saxa Timavi,
Sive oram Illyrici legis æquoris.

Ubi *Servius*,
F Ubi ubi es ò *Auguste*, sive *Venetiæ* fluenta transcendis, nam *Timavus* fluvius *Venetiæ* est. Sed de *Timavo* rogandus est in primis *Livius* ipse *Patavinus*, cujus testimonium, multorum instar, merito esse deberet. Is principium primi libri Quintæ Dec. bellum *Istricum* descripturus, sic orditur. *Profectus ab Aquileja consul*, *castra ad lacum Timavi posuit.* Imminet mari is lacus. Et paulo post. *Hæ naves ad proximum portum*, *in Istriæ fines*, *cum onerariis*, *& magno commeatu* 19
mis-

missæ sequutusque cum legio Consul, quinque ferme millia à mari, posuit castra. In portu, emporium brevi perfrequens factum, omniaque hinc in castra supportabantur. Deinde *Istri*, ut primum ad locum *Timavi*, castra sunt *Romana* mota, ipsi post collem occulto loco consederunt, & inde obliquis itineribus agmen sequebantur, in omnem occasionem intenti, nec quidquam eos, quæ terra marique agerentur, fallebat. Hoc sane in loco, extat nunc vicus Sancti *Joannis* nomine, & juxta arx munitissima, in vertice montis sita ad ipsum pæne *Timavum* flumen & portum imminens, quæ vulgo *Duyn*, vocitatur. Liceat nunc mihi obsecro, per te rogare eos, qui *Brentam Timavum* esse asseverant, ut nobis ostendant ubi *Brenta* immineat mari, ubi sit ejus portus, in *Istriæ* finibus, onerariarum navium etiam capax, & ubi consul, quinque fere millia à mari, castra ponere potuerit. Si dixerint *Brentam* esse amnem, portum autem *Venetum*, vel *Meduacum* cum *Strabone lib.* v. *Patavium* inquam à mari sursum navigationem habet, fluvio per paludes delato CCL. à magno portu stadiis. Portus autem ipse, eodem quo fluvius nomine, *Meduacus* vocatur, ostendendus erit adhuc collis, post quem *Istri* occultis itineribus, agmen sequebantur. Adde, quod si juxta *Brentam Patavinam*, portumque *Venetum*, pugnatum esset cum *Istris*, à *Livio* nunquam id prætermissum fuisset, neque in tanta laude, patrium defraudasset fluvium. Immo iisdem laudibus, quibus *Meduacum Patavinum* fluvium ornavit, *lib.* x. ob stragem *Cleonimo Lacedæmonio* à *Patavinis* illatam, hunc suum etiam ornasset *Timavum*. Neque Consulem *Romanum* ab *Aquileja* ad locum *Timavi*, ut *Istros* adoriretur, profectum dixisset, nisi prius *Istros* eo contendisse demonstrasset. Nam in *Istriam* ex *Aquileja* petituro, quid rei esse potest cum *Brenta?* At ne aquam in mari, qui dicitur, diutius quæramus, ad illud me confero, quod falsam non nullis fortasse genuit opinionem. Contendit *Flavius*, *Meduacum* amnem eundem esse cum eo, qui
20 passim *Bachilio* nominatur. *Timavum* vero, mutatione nominis, nunc esse *Brentam:* de autore hujus mutationis, ut de re in certa, in contentionem non veniam, tantum dicam, antiquos, nullo deceptos errore, hoc nomine usos quandoque fuisse, *Messalla* enim *Corvinus*, in libello de *progenie Augusti*, ita prodidit. *Antenor, per latissimas æquoris fauces, ad septentrionem conversus, hinc Dalmatas linquens, Illyricos, ac Liburnos, illinc Apulos, atque Picenum, ad caput maris Adriatici, cursum tenuit. Et relicto æquore, adverso flumine, quod Brentesia dicitur, sursum contendens, terra potitus sedem sibi suisque elegit.* Si *Antenor* per *Timavum*, hoc est *Brentam* contendisset, nonne ita *Timavum*, sicuti *Brentesiam*, nominasset *Messalla*? Fuerat profecto per idem tempus, *Timavo* flumini nomen impositum, quemadmodum *Brentesiæ*, seu *Meduaco*. Cujus tamen *Timavi* mentionem, ideo prætermissam à *Messalla*

A fuisse, arbitror, quod ad ea properabat, quæ de *Aenea*, à quo genus trahebat *Augustus*, erat dicturus. Sed unus adhuc restat scrupulus, qui male habet nonnullos. Dum enim *Blondus* conatur ostendere, *Meduacum* non esse *Timavum*; hoc est *Brentam*, aut contra, in medium adducit verba *Plinii*, quæ ita se habent *lib.* II. *cap.* 10. *Contra Timavum amnem, insula parva in mari est, cum fontibus calidis, qui pariter cum æstu maris crescunt, minuunturque.* Addam ipse etiam pro *Blondo*, quod idem alibi dicit *Plinius eodem lib. cap.* XXVI. *Claræ sunt insulæ ante ostia Timavi, calidorum fontium, cum æstu maris crescentium, juxta Istrorum agrum.* Hancque insulam (ait Blondus) *recto cur-*
B *sui Brentæ amnis, quem naturaliter per mediam urbem Venetam habebat, oppositam fuisse constat. Cui insulæ Castellum Olivolense, nomen impositum fuit, ubi ecclesia nunc sita est Castellana. Quod si nunc calidi non apparent fontes, non esse mirandum, quia non solum in littoreis & maritimis locis, in quæ sæpe maris desævit violentia, sed in mediterraneis etiam, montanisque firmioribus, multos aruisse fontes, invenimus.* Hæc ille. Bone Deus, quid nam audio? Horribilis profecto est cæcitas ista, 21
qua ea non videmus, quæ ob oculos existunt, & quæ nunquam fuere, confingimus, & comminiscimur. Contra *Timavum Aquilejensem*, juxta *Istrorum* agrum situm, non autem contra *Bren-*
C *tam Patavinam*, extitere, & adhuc extant calidi fontes, de quibus meminit *Plinius*. Vocanturque his temporibus, *Balnea Montisfalconis*, propterea quia, oppido illi sunt propinqua. quamvis ex diutina aquarum colluvione, non insula amplius sit, sed continens. Neque procul inde, inspicitur in littore scopulus arcis, vulgo dictæ *Belfortis*, sentibus atque fruticibus obtectæ. Antequam hæc loca, extat etiam nunc *Timavus*, vel amnem, vel fontem, vel lacum, velis illum appellare. Non *Patavinus* & juxta *Aponum*, sed *Aquilejensis*, & juxta *Istros* ut *Plinius*, sed in *Iapidia*, ut *Virgilius*, sed ad *Carnorum* regionem ut *Mela*, & *Strabo*, collocatus. Illum
D vero fluvium, quem novo ipse nomine *Brentam* appellat, à *Messalla*, *Brentesia*, à *Strabone lib.* v. à *Livio lib.* x. & à *Plinio lib.* III. *cap.* 16. *Meduacus* est appellatus, his verbis. *Accedentibus Athesi ex Tridentinis alpibus, & Togisono ex Patavinis agris, pars eorum & proximum portum fecit Brondulum, sicut Edronem Meduaci duo, ac fossa Clodia.* Si duos igitur esse *Meduacos* quis animadvertisset, non tantopere fortasse laborasset, ut nobis persuaderet, *Meduacum* esse flumen, quod nunc dicitur *Bachilio*, *Brentam* vero esse *Timavum.* sed ex *Livio* & *Plinio* potius dixisset, hæc duo flumina eodem appellari nomine, cum duo sint *Meduaci*. Et ita *Aquilejæ*, proprium reli-
E quisset *Timavum*, cum nihil aliud ob injuriam temporum ei relictum fuerit, quam fama rerum gestarum, atque regionis, celebrari; & *Patavinos*, in tantum non adduxisset *Brentæ* amittendæ periculum, & extremum pœnæ discrimen.

FINIS.


CARNIOLAE PARS.
Lacus Dobradi.
Arx.
MONS FALCONIS.
Fonticuli.
IAPIDIAE PARS
S. Ioan de Cherso.
FONTES TIMAVI.
VENETIAE REGIONIS PARS.
BALNEA MONTIS FALCONIS.
Natiso Fluvius
Duinum Minus.
Duinum Maius.
PUCINUM.
Castrum bel fortis.
S. Antonii Insula.
Posta Fluvius
TERGESTE.
AQUILEIA.
Sontius Fluvius
Sdoba Fluvius
Natiso Fluvius
SINUS MARIS ADRIATICI PARS.
Mugla.
HISTRIAE PARS.
PALUDES.
GRADUM.
SITUS FONTIUM TIMAVI.
Scala Milliaria.
1 2 3 4 5
Iustinopolis.

JOVITÆ RAPITII, BALNEORUM AD TIMAVI OSTIA DESCRIPTIO.

MAGNIFICO AC ILLUSTRI MARIO SAVORNIANO

THOMAS JUNTA

S. D.



IRA ac plane inaudita calidorum fontium natura, quos contra Timavi *ostia in parva insula cum maris æstu crescere pariter ac minui legeram, fecit* Mari *ornatissime, ut nefas putarem rei nobis tam vicinæ miraculum, non inserere iis commentariis quos de balneis & medicatis aquis confecimus. Itaque ex his literis quas ea de re ab* Jacobo Valvasone *homine erudito diligenter ad te missas nobis legendas tradidisti, tum loci formam, tum aquarum vim ac naturam, quam accuratissime fieri potuit descriptam, his quæ jam collegeramus, adjiciendam curavimus. Facit rursus vel præclara ista* Savornianæ *gentis nobilitas, ab iis majoribus ducta, qui non* Venetiam *modo regionem hanc, in qua plurimum semper potuerunt, sed totam prorsus* Italiam *virtutum suarum admiratione impleverunt, vel ingenii tui non militaris tantum rei scientia atque usu, sed omnibus ingenuis artibus instructi felicitas, vel respondens excellenti fortunæ liberalitas, & propensa ad benemerendum de omni hominum genere voluntas, ut te orandum putem, uti quamcumque potes opem naturæ in tua prope dixerim domo morborum remedia tibi pollicenti eo animo præstes, quo res maximas unus omnium optime & consilio regis, & virtute perficis. Vale.*

DE THERMIS, Quæ ad TIMAVI ostia sunt.



Ontis Falconis balnea ad meridiem spectant. In littore sita sunt, ad radices modici, atque amœni collis, quippe qui paulo plus mille passibus in longitudinem porrigitur, & in altitudinem haud ita multum attollitur. Quamvis autem fere totus è vivo saxo constet, humili tamen frutice vestitur, & amœnitate sua hominum ad se invitat aspectum; auget spectaculi voluptatem forma ac situs loci, quem si procul spectes, oblongum tibi currum spectare videaris. Insulam olim fuisse certum est, sed processu temporum junctam continenti, terra paulatim aggesta. Distant à mari balnea uno atque altero sagittæ jactu; à *Montefalconis* duobus millibus passuum, à Divi *Joannis Vico* (quem *Chersum* vocant) haud multo plus uno. Includebantur pariete quadrato cum piscina intus quadrangula quatuor aut quinque passuum in singulas partes patente, ambiuntur undique gradibus marmoreis in theatri speciem: eos gradus, verisimile est, mul-

A to plures olim fuisse, & profundius descendisse, cum locus adhuc celeber esset, nunc autem paucos admodum videas. Interius spatium repletum terra est, quam invexit aqua, quæ duabus à partibus ingreditur per fenestras duas tam latas, ut per earum alteram intrare homo facile possit; & quod mirum est, quamvis è saxo manare illam videas, pariter tamen cum maris æstu crescit atque decrescit. Aqua ipsa paulo salsior ac nitrosior quam *Aponi*: quod decoquendo *Utinenses* medici deprehenderunt. Tepor illi vicinus calori, ut plus quam tepidam, nondum tamen calidam queas dicere. Sapor & odor qui sulfuratæ. Minera balneorum pene tota salis gemmæ est, phlegma & choleram per inferiores partes purgat: emen-
B dat halitum & graveolentiam oris, consolidat, exsiccatque. Humores vero crassos in quavis corporis parte collectos attenuat. Extat liber, in quo manu multorum, qui sanati fuerunt, scriptum est, se multis annis mancos ac debiles propter varios abscessus humorum fuisse, & in his non pau-

cos iſchiadicos ad has aquas jumentis vectos, domum pedibus eſſe reverſos. Conſtans fama eſt inventam inter balnearum ædificiorum ruinas fuiſſe plumbeam laminam, in qua ſcriptum erat: AQUA DEI ET VITÆ, nec longe viſuntur magni cujuſdam ædificii veſtigia, ubi apparet fuiſſe periſtylon & exhedras, quales in antiquorum ædificiis fieri ſolebant: & hodie in monaſteriis paſſim viſuntur. Sunt qui affirmant, ut ad *Aponum Gerionis* oraculum, ita hic *Diomedis* fanum fuiſſe. Argumentum ſumunt è fragmentis veterum monumentorum in quibus vel ſuſcepti vel ſoluti voti indices durant literæ. Harum aquarum duobus locis *C. Plinius* mentionem facit *libro ſecundo cap.* 103. ſic. *Contra Timavum inſula parva in mari eſt cum fontibus calidis, qui pariter cum æſtu maris creſcunt minuunturque.* Et in *tertio* cum de inſulis loqueretur, clare inquit. *ſunt ante oſtia Timavi calidorum fontium cum æſtu maris creſcentium.* Huc accedit *Strabonis* quoque authoritas, qui ſcribit in ſinus Adriatici parte intima fuiſſe *Diomedis* fanum admirabili opera atque artificio extructum. Et in his omnibus regionibus, quæ Adriaticum mare attingunt, plurimum potuiſſe *Diomedem* affirmat. Idque inde oſtendi poſſe exiſtimat, quod in ſinu ipſo viſuntur inſulæ, ab illius nomine *Diomedeæ* nuncupatæ. Quodque ad *Garganum* montem, qui in *Adriam* procurrit, urbem condiderit, & ad ſimilitudinem ejus quod in *Peloponeſo* fuit, *Argos Hippion* nominavit, quaſi dicas alendis equis aptum, quod nomen in *Arghippam* primum, mox in *Agirippam*, ac poſtremo in *Arpos* corruptum fuiſſe creditur. *Venetia* porro tota, *Diomedi* quaſi heroi, candidos equos diu immolavit. In eadem lucus fuit *Aetolæ Dianæ* ſacrum, quem mira veneratione vicinæ gentes ſunt proſecutæ, eum lucum Deæ dicatum à *Diomede*, veroſimillimum eſt, qui meminiſſet illam avo ſuo *Oeneo* quondam fuiſſe iratam, & immiſſa immani bellua contemptum ſui tam ſevere ultam, ut domum regiam, & totam prope *Aetoliam* deſolaret. Ideoque ne ſe quoque domo profugum perſequeretur, ſacris, atque hujuſmodi placandam donis putaret, ſicut apud poetam *Aeneas Junonem* placare ab *Heleno* jubetur. Verum ſubjiciamus hic etiam ea naturæ miracula, quæ de *Timavi* fonte diligenter explorata ſibi & comperta idem *Valvaſon* affirmat, quando & tam vicina ſunt, & huic materiæ uſque eo quadrant, ut nullo pacto ſileri debuiſſe videantur, & lectori vel ob hoc grata ſint futura, quod in harum rerum mentione mirum videri jure poteſt *Poſſidonium*, *Strabonem*, *Pomponium Melam*, *C. Plinium* homines eruditiſſimos, cum de *Timavo* quaſi inſigni aliquo flumine diligenter ſcriberent, id quod erat in eo rarum in primis, atque inauditum naturæ miraculum, & ingenioſorum inſpectione dignum, vel neſciſſe, vel negligenter præteriſſe. Nam cum ex prærupto monte ac vivo ſaxo prodeat, ubi primum exæſtuans mare increvit, tanto impetu per multa ac lata ora prorumpit, ut mons magno & inaudito quodam ſono immugiat, aqua magis magiſque creſcens alveum fluminis non modo impleat, ſed exundans, non tam fluvius quam mare quoddam eſſe videatur. Rurſus ubi æſtus jam plane ſubſedit, ac receſſit mare, ex eodem illo ſaxo non jam amplius per patentia illa novem ſeptemve ora it præruptum mare, neque ut ait poëta, *pelago premit arva ſonanti*, neque magnum illud montis murmur perſeverat, ſed & lenis ſtrepitus auditur, & aquæ non permagna illa ora, ſed per crebra & anguſta foramina, quaſi per pumices ſpongiaſve à monte deſtillant. & cum jure poſſimus ſuſpicari. per ſubterraneos meatus ſalſas aquas ingredi, dul-

A ces redire, certum eſt. Hæ autem differunt ab iis quæ in parva illa de qua dictum eſt inſula, ſcatent, quod illæ prope calidæ ſunt, hæ frigidæ, illæ ſalſæ, hæ dulces, illæ odore ſulfureo, hæ nullo. Sed ne illud quidem omitti par eſt, quod tuis literis nobis proxime ſignificaſti in *Carnorum* regione locum eſſe, quem *Sanctum Cantianum* vocant, à *Timavi* oſtiis XIV. paſſuum millia diſtantem, ubi è radicibus montis fontium ſcaturigines prodire viſuntur, & ingens quædam aquarum vis per cavernas, neſcio quas, non ſine magno murmure labitur, & aquæ non procul inde abſorbentur, eæ per occultos, ut creditur meatus ac ſubterraneas vias ad *Timavi* oſtia perferun-

B tur, ubi quotieſcunque augentur aquæ, longe majus ſolito, murmur procul exauditur. Tunc enim & profundæ cavernæ, & imæ montis partes ingenti ſono, & horrendis quaſi mugitibus reboant, & à qua longe copioſiſſima prorumpit, quæ ſi decreſcens mare deprehenderit, intra fluminis alveum coacta, mirabili celeritate decurrit. Eadem ſi marini æſtus incrementis occurrerit, miris modis intumeſcens ſuo alveo non poteſt contineri: ſed hinc atque hinc exundans vicinos agros latiſſime contegit, & maris ſpeciem viſentibus exhibet. Hæc quæ de *Timavi* fontibus maximo in-

C cremento, & oceani æſtibus non abſimili comperta ſunt, ſi literati homines conſiderarunt, jam intelligent, quod hactenus nemo ſatis videtur intellexiſſe quid ſit, quod poëta, cum de *Timavi* fonte loqueretur, ſcriptum reliquit, *Virg. Æne. lib.* 1. *v.* 249.

Unde per ora novem magno cum murmure montis
It mare proruptum, & pelago premit arva ſonanti.

Durum enim videbatur quod *Timavum* mare & pelagus appellaret. & erat plane in explicabile, cur de *Timavo* hoc diceret, quod de nullo alio flumine neque ipſe, neque alius quiſpiam dixiſſet.

D Nunc autem jam planum eſt, eum proprie & ad rem accommodate locutum eſſe. Ut enim mare eſt, quod æſtu excreſcens per ſubterraneas concavitates in ipſa montis intima & quaſi viſcera ingreditur, recte dicitur mare & pelagus, eo tropo quo ex toto partem intelligimus, ut ſit mare proruptum prius occulte ingreſſi & prorupti maris pars, quæ mox non ſine magno murmure prorumpens atque exundans circumpoſitas terras late opprimit atque operit, aut vaſtat ſonantibus aquis illis è pelago ingreſſis & egreſſis, atque una cum maris æſtu vel exundantibus vel ſubſidentibus. Proinde mirum non eſt *Timavum* mare ab

E accolis nominari, ut *Varro* ſcripſit, vel maris fontem ac parentem, ut *Polybius* affirmaſſe dicitur. Siquidem tanta eſt aquæ prorumpentis vis, ut ibi maris origo cenſeri jure poſſit. Quod ſpectaculum miram philoſophis de fluviorum & fontium origine diſputandi materiam poteſt ſuggerere.

Verum hæc in gratiam literatorum hominum locuti ad miracula naturæ redeamus. Ea enim videri poteſt in decima iſta & ultima *Italiæ* regione *Venetia* voluiſſe vires omnes ſuas experiri, quæ hominibus quos in hac regione ingenioſiſſimos & ad maximas quaſque res aptiſſimos profert, non aquas modo medicatas, ſed vinum etiam non ſer-

F vandæ ſolum, verum etiam recuperandæ ſanitati aptiſſimum protulerit. Siquidem non longe ab iſta calidarum aquarum inſula, & *Timavi* fontibus, abeſt caſtellum nobile vino *Puccinum*, cui *Livia Auguſti* uxor octuaginta duos ætatis annos acceptos retulit. Gignitur in colle ſaxeo afflatu maritimo paucas coquente amphoras: neque aliud aptius medicaminibus judicatur. *Plinius* eſſe illud putat, quod *Græci* celebrantes miris laudibus *Pyctanon* appellaverunt ex *Adriatico* ſinu. Ponti-

tifi-

tifices, Imperatores Germani & *Britanniæ* Reges nostris temporibus quotannis inde petere consueverant. Incolæ servatum multis annis, & vetustate quoque pretiosum ægrotis in omnibus fere morbis præbent, & saluberrimum prædicant. Proinde *Valerius Martialis* poëta ingeniosus, genere *Hispanus*, quanquam *Romæ* diu, & in ipsa etiam *Campaniæ* amœnitate versatus, hanc tamen *Italiæ* regionem reliquis omnibus præfert, atque in ea concedi sibi portum ac requiem senectutis exoptat, non alia opinor causa adductus quam quod & cœli temperie & aquarum ac vini salubritate mortalium vitam non modo tueri, sed prorogare etiam possit, quod votum suum his versibus testatum reliquit. *lib.* IV. *Epig.* 24.

Aemula Bajanis Altini littora villis
Et Phaëtontei conscia sylva rogi,
Quæque Antenoreo Dryadum pulcherrima Fauno
Nupsit, ad Euganeos sola puella lacus,
Et in Cedæo Felix Aquileja Timavo,
Hic ubi septenas Cyllarus hausit aquas,
Vos eritis nostræ portus requiesque senectæ,
Si juris fuerint otia nostra sui.

FINIS.

SPEI AVG. SACCONIVS VARRO
TRIB. COH. I. MILLIARIAE
DELMATARAM
M. V. S.


SAS PROSAI
AQVILINI
VILLICI AVGG.
ET TITI JVLI
AQVILINI
JVLIA
STRATONIC . . . .
V. S.

Fragmentum.

. . . . TVT . . . .
VOTV . . . . . .
L.
. . . TILIA
MAT . . . . . .

INDEX MEMORABILIUM.

FINIS.



IOHANNES PIERIUS VALERIANUS.

Philologus Celeberrimus.

JOANNIS PIERII VALERIANI,
Bellunensis,

ANTIQUITATUM BELLUNENSIUM,

SERMONES QUATUOR;
Quorum ultimus,

FLAVIORUM NOBILITATEM,
ex antiquis in Agro Bellunensium memoriis exponit:

Olim primum e Bibliotheca Lolliniana in lucem editi.

Editio novissima, magis accurata, Indice locupletissimo aucta.



LUGDUNI BATAVORUM,
Sumptibus PETRI VANDER Aa;
Bibliopolæ, & Academiæ Typographi atque Civitatis.

PRÆFATIO,

Hujus Novæ Editionis.

BENEVOLO LECTORI SAL.

JOANNIS PIERII VALERIANI, Antiquitatatum Bellunensium *Sermonibus quatuor, quorum ultimus* Flaviorum *Nobilitatem ex antiquis in agro* Bellunensium *memoriis exponit, olim e Bibliotheca* Lolliniana *Venetiis apud* Jacobum Sarzinam *anno salutis* MDCXX. *in* 8vo. *editis, à nobis repetitis, & cum aliis Editionibus posterioribus bene collatis Præfationem* Aloysii Lollini *Belluni Episcopi præmisimus, imaginemque ipsius, quam sumpsimus* ex Musæo Historico JOANNIS IMPERIALIS, *addidimus; Vitam quoque, Scripta, Elogia & Epitaphia in hujus viri laudem composita, tam ex jamjam dicto* Musæo Historico, *quam ex* Theatro Italico Virorum Literatorum HIERONYMI GHILINI, *ac demum ex* Theatro Virorum eruditione clarorum PAULI FREHERI *mutuata adjunximus. Errata Typographica maxima quæque erasimus, & quæ emendationem respuerent, ut erant, reliquimus; diverso vero scripturæ genere, quæ æstimavimus insignia expressa curavimus, numerisque foliorum Editionis modo dictæ margini inscriptis, Indicem rerum verborumque affiximus. Quæ si tui, benevole Lector, stomachi esse sentiamus, plures ejusdem generis scriptores, animus fert, postmodum subjungere. Vale & his fruere.*

ALOYSIUS LOLLINUS
BELLUNI EPISCOPUS,
Bellunensibus suis P. S.

PIERII VALERIANI *Bellunensia* in hanc usque diem apud me in scriniis Musarum asservata, publici facere juris decrevi, eâ potissimum causâ permotus, ne vos, quos ego & meâ sponte, & ex suscepto multô magis munere omni, non

tàm virtutum Christianarum, quàm honestorum studiorum genere florentes cupio, antiquitatum urbis vestræ atque originis ignari in patria peregrinari videremini, simul labor iste tam præclarus viri eloquentia, & eruditione excultissimi, cujus equidem memoriæ, laudique vehementer faveo, extaret inter cætera illius monumenta testis, pietatis suæ in vos omnes. Quod & Patriæ vestræ, quæ tali alumno merito se jactat, perhonorificum; & vobis, qui tanto cive gloriamini non indecorum censeo futurum. *Romæ* enim habitus narratur apud *Gasparum Contarenum* Virorum sui sæculi, vel potius heroum optimum, doctissimum; qui non multo post tempore S. R. E. Cardinalis primum, deinde Episcopus *Belluni* declaratus, civitatem vestram tanti splendore nominis illustrat. Valete meâ curâ, & flagrantissimum meum in vos studium uberioris spe profectus alite. *Belluni* in stativis. Idibus *Junii* M. DC. XX.

VITA, SCRIPTA, & ELOGIA

JOHANNIS PIERII VALERIANI.

EX Bolzaniâ *gente* Belluni, Marchiæ, Tarvisanæ *Urbe pervetustâ prodiit anno Ch.* 1477. Urbano *patruo institutori successor, rarâ selectioris studii notitiâ perpolito. Ejusdem auspicio patrui, cui virtutis ergò* Leo X. *adhuc adolescens humanioribus literis informandus obtigerat,* Florentiam *hic appetens, aliquantisper in illo tunc* Græcorum *excellenti conventu egregiâ* Laurentii Medices *liberalitate excito moratus est, ubi Latino candori adeptam peregrinæ eruditionis præstantiam adjunxit, & nomen suum* Petri *in* Pierium *mutavit. In* Leonis *postea clientelam susceptus, indeque ab ejus obitu inter* Clementis VII. *digniores electus aulicos, eam modestiæ & integritatis laudem emeruit, ut ejus curæ* Hippolyti, Alexandri, & Catharinæ *nepotum educationem* Clemens *commiserit: eorum alter Cardinalis, alter Dux Patriæ primus, tertia* Gallorum *ex connubio Regina illustrem Præceptoris memoriam reddidere. Insito quodam mediocritatis affectu suis sat rebus consultum fore putavit, si honesto in otio ab urbanis exemptus curis sacra Musis facere pro lubitu posset: cujus rei fidem præstitit, cum primum* Justinopolis, *mox etiam* Avenionis *designatus Antistes utrumque honoris & pietatis munus constanter detrectavit, unicâ Protonotarii Apostolici & Comitis dignitate contentus.*

Tandem cumterreuas exosus ærumnas ad cœlestia quotidie aspirasset, fato functus est Patavii *A. C.* 1558. *æt.* 81. Venetiis *hoc ei positum conspicitur monumentum in externo pariete Templi* Fratrum Minorum:

D. O. M.
PIERIO VALERIANO BOLZANIO
BELLVNENSI,
CVIVS SI NEGOTIA DIV APVD SVMMOS
PRINCIPES CVRATA NORIS,
NIHIL EVM VNQVAM LEGERE, NE DVM SCRIBERE
POTVISSE DICAS.
SIN QVÆ MVLTA TAM DOCTA SCRIPSERIT
INSPICIAS,
NVLLI HOMINVM OTIA QVIETIORA CONTIGISSE IVDICES.
IO: CORNELIVS FANTINI PATRITII VENETI FILIVS,
ET FRATRES LOCVM AMICO SVO INTIMO
VNANIMES CONCESSERE.

In sepulchro ejus Patavii *ad S.* Antonium *Confessorem hæc Inscriptio legitur:*

PIERIO VALERIANO BELLVNENSI
POETÆ, RHETORIQVE AMPLISSIMO, CVIVS
PIA VMBRA NON POENITENDVM HIC
TVMVLVM SORTITA EST.
NAM VT OPTABILIS IN PATRIA ITA SPECIOSVS PATAVII SVPREMI OFFICII DECVS
FATO AMISSVM VIRTVTE RECVPERAVIT.
PETRVS CARRARIVS AC IOHANNES BAPTISTA ROTA PATAVINI VNANIMES
GRATO HOSPITI POS.

Petrus Carrarius.

Pieridas dum PIERIUS sectatur, & orci
Nil timet insidias, hunc fera mors rapuit.
Illa necem, æternæ ostentant hæ munera vitæ:
Hinc medius vitæ PIERIUSque neci.
Abstulit hæc annos tristes: at præmia laudum,
Atque animam hæ servant, invida mors moritur.

Incerti.


Valeriana ferens priscæ cognomina gentis.
Pontificisque Cliens magna Clementis in aula,
Clementis sumpto septeni nomine Petrus,
In curam excelsos Medica de stirpe nepotes
Sumpsit, Alexandrum nexu, Hippolytumque ligatos.
Fraterno (hic meritos crines labentibus annis
Purpureo texit velamine, cardo creatus,
Ille prior valido Florentia mænia sceptro
Invasit) jussusque sacras gestare thiaras,
Qua Justinopolis fortes consurgit in arces,
Avion, atque suam muris ingentibus urbem
Cingit; at oblatos solido neglexit honores
Consilio, Pindum genio, studioque sequutus;
Undè viro præstans accessit copia fandi,
Altaque condendi provenit carmina virtus.
Hic Antenorea tandem consedit in urbe
Præsulis in laribus sacrati, cujus honores
Expertus largos decies instantibus octo
Annis, extremo submisit lumina fato.

Georgii Rotini.

Obscura sub nocte notæ, quas Dædala finxit
Ægyptus, tacitæ delituere diù,
Denique depulsis patuere arcana tenebris,
Claraque Pieria symbola luce nitent.
Pieridum, cæcas errorum abstergere nubes,
Et studiis animos irradiare fuit.
Id porrò Musis donarit Apollo; suopte
Donat ab ingenio lumina Pierius.

SCRIPTA.

Hieroglyphica arcanas Ægyptiorum notas referentia. Libellus de infelicitate Literatorum libri duo. De Sacerdotum barbis declamatio ad Hippolytum Medicem. Poëmata, & opuscula varia. Castigationes & Varietates Virgilianæ lectionis. De Honoribus Matthæi Langii Epistola. Compendium in Sphæram Johannis de Sacrobosco. Antiquitates Bellunenses.



JOAN-

1 # JOANNIS PIERII VALERIANI ANTIQUITATUM BELLUNENSIUM

SERMO PRIMUS.

Uando ita nobis videtur viri *Bellunenses*, ut de Patriæ nostræ antiquitate dissseram, deque ejus conditore, & nominis causa, quæ apud veteres tradita repererim, historiam longa annorum serie intermortuam suscitem, minimè gravabor ea omnia memoria complecti, quæ hinc inde conquisita ad rem ipsam facere videbuntur. Quamquam id me non parum angit de origine urbis, scriptorum dubioprocul omnium testimonio antiquissimæ, & a *Romanis*,
2 ut palàm vobis faciam, in primis ornatæ; quam scilicet eo ipso tempore, quo illi maximè, rerum gestarum gloria florebant, vel ampliarint, vel Coloniam deduxerint, vix unum apud *Latinos* auctores extare verbum, coactosque esse nos rerum nostrarum peritiam, atque cognitionem a *Græcis* mutuari. Usque adeo a circiter ducentesimo post *Octavianum Augustum* anno exaruisse videtur scribendi vigor, immo quoddam quasi tædium litterarum, aut contemptio per tot ætates *Italorum* mentes detinuisse. Ac ne de patria nostra solum queri videar; Quot nunc in universa *Italia* urbes summa celebritate censentur, quarum origo penitus ignoratur? Commemorarem aliquot in nostra *Venetia*; multas in *Insubris*, atque *Liguria*: plures in *Etruria* & *Latio*, innumeras in *Campania*, in *Apulia*, in *Brutiis*, & universa *Calabria*, nisi vererer eos offendere, qui fabulis quoquo modo confictis aliqua sibi speciosiori origini applaudendum instituere. Id enim ferè omnibus accidisse video, quod in *Athenienfibus* Pausanias notat ἀθηναῖοι περὶ τῆς ἀττικῆς ἐσεμνολόγησαν. *Athenienses* quippe in *Attica* laudanda magnificè luxurioséque lasciviisse. Quocirca nobis eo magis lætandum, quòd quæ de nostræ urbis, si non prima origine, certè quodammodo renascentis celebritate dicturi sumus, non scriptorum tantùm testimonio comprobantur, verùm etiam antiquorum monumentorum inscriptionibus, atque operibus testatissima relinquuntur. Ut nulla mihi reliqua fiat dubitatio, quin hæc fidem faciant, quæ scriptores *Græci* litterarum monumentis tradidere, *Romani* cives in marmore conscripsere, majores vestri sculptis historiis, quæ superata vetustatis injuria vestris omnium oculis obversantur, agno-
3 scenda curavere, quæ qualia, & cujusmodi sint; quidque sibi velint, jam cognoscite.

Illud primum omnium constare vobis crediderim, quod veterum aliquot scriptorum consensu traditum, receptissimæ fidei fundamentum jecit, *Herculem Argivum* illum ut nostri prædicant, multarum Coloniarum auctorem, re benè in *Hispaniis* gesta, per feracissimam hanc *Italiæ* partem Civium suorum copias traduxisse. qui cùm ad *Mincii* vada pervenissent, regione ea omni, quæ
A intra *Mincium*, & *Arsiam*, & maris *Adriatici* littus, & *Alpes Rhæticas*, *Noricas*que media est, perlustrata; fluminibus tot, quæ & magna, & frequentia per oram omnem dilabuntur, inspectis: neque agri tantum fertilitate, verùm etiam & tumulorum atque convallium amœnitate, situ, opportunitateque comprobata planicie, quæ inter montes, & mare latè porrecta interjacet decursa, dixisse eos, Naturam locum alicubi quempiam uni oppido commodum exhibuisse, nusquam regionem unam multis, & magnis urbibus ædificandis ita idoneam, uti quam tunc admirabantur, com-
B parasse. orare itaque omnes Ducem suum; ut quoniam fatis jam terrarum peragrassent, longisque & laboriosis itineribus defatigati miserrima quæque pertulissent, rebus tot gloriosissimè gestis daretur tandem aliqua fessis quies, liceretque illis in tanta locorum opportunitate considere, condere oppida, metiri agros, & novum hoc regnum magnis *Græcorum* adoreis applicare. Nulla jam superesse pericula, quæ se *Herculi* recta in patriam conferre volenti objicerent, pacatam esse *Liburniam*, *Illyricum*, & *Epirum* omnem ad *Ionium*, ad *Ægeum*, & *Pontum* eorum esse colonias, aut parere *Græcis*: confectum denique esse
C quicquid armis effici posset, reliquum unum esse, 4
ut hoc laborum suorum & fidei præmium assequerentur. Ad hæc *Hercules*, qui videret nobilitatem suorum omnem id precibus deposcere, nihil gravatus, in arbitrio omnium esse respondit, mallent ne ibi considere, an secum in patriam triumphum agere, utrum præoptarent, gratum sibi æquè futurum. Considere igitur quotquot in eo exercitu nobilitate præstabant, & quoniam *Græcis* generositas, natalium εὐγένεια dicitur, quo nobilitati honos haberetur, regionem *Euganeam* appellari placuit. Partiti mox inter se loca, mon-
D tes, flumina, *Mantuam* alii in stagnis *Mincii*, ubi spatiosi lacus instar dilatatur, alii *Veronam* inter *Athesin* & Collem proximum, alii *Vicentiam* ad *Erethenum*, *Bassanum* ad *Medoacum* alii condidere. Nonnulli *Taurisium*, *Feltriam* alii, alii *Bellunensem* agrum multis oppidis munivere. Quamquam hæc non tunc nomina erant, neque ea oppidorum facies, quæ nunc conspicitur; verum ab aliis atque aliis ampliata deinceps cum forma nomina etiam commutarunt. aucta a *Mantho Etrusca* vate *Mantua* nomen ab ea mutuata sempiternum. Producta trans *Athesin* a *Breno Gallorum* Rege *Verona*, *Brenona* tunc, ut nonnul-
E li produnt nomine, mox *Verona* dicta, quam alii *Catone* de originibus citato *Veronam* a *Vera* familia *Tuscorum* nuncupatam volunt; sic aliæ quoque pro temporum vicissitudine statum & ipsæ suum expertæ. Sed enim quæ aliarum urbium origo, incrementum aut vicissitudo fuerit, iis ego quærendi negotium reliquam, quorum magis interest, nostræ Civitatis quod quærimus nomen unde ve-

nerit, mihi cura fuerit investigare, curque *Anaxus* fluvius ea de causa ita olim appellatus, quod
5 retro navigari non pateretur (id enim significatum *Græco* inest vocabulo) in aliud nomen transierit, aperire.

Ita fiet, ut quæ inter eruditos controversiæ temporibus his obortæ sunt, rei veritate cognita, sopiantur, & conditoris nostri, sive restitutoris potius nomen ad hæc usque tempora diu sepultum non sine vestra omnium commendatione, si meritos illi honores decreveritis, ætate vestra revivíscere videatur.

Sed anteaquam ad *Romana* tempora deveniam, quæ fuerit priùs *Euganeorum* conditio breviter repetendum. Nam illi cum otiosè satis res suas composuisse arbitrarentur, perque summam tranquillitatem vitam agerent, fortè accidit ut *Antenor Troja* capta extorris factus, cum magno *Paphlagonum Venetorum* exercitu, qui amisso *Pylæmene* Duce huic adhæserant, magna etiam *Trojanorum* vi auctus classem ad oram hanc appulerit, egressusque cum armis, *Græcos* hic habitare præmonitus omnes incursu subito ex oppidis, quæ per universam planiciem ab *Adriatici* ora ad *Padi* usque fontem, *Vesuli*que juga, & *Alpes* cæteras constructa erant imparatos, & secura nimium pace demollitos ejecerit, sibique regnum id asseruerit, & regioni omni *Venetiæ* nomen dederit. Profugi *Euganei*, nam hos nunc tantum attingemus in montes proximos confugere, & eorum multi valles, quæ supra *Vicentiam* amænissimæ sunt, occuparunt. Alii per *Medoaci* ripas evadentes *Bassani* recessus elegere. Bona pars *Anaxi* faucibus superatis in amœnissima valle, ubi nunc *Feltria*, *Bellunum*que urbes habentur, delituere, neque his contenti locis interiora etiam *Alpium* penetravere, secutique *Anaxi* ripas per juga *Norica*, & *Carnica* tumulos plerosque castellis communivere. Inter quæ
6 id præcipuum fuisse olim dicitur, quod ad *Anaxi* principia licet deletum, *Euganeæ* tamen nomen adhuc retinet, nisi vocabulum barbara incolarum vitiet enunciatio, dum *Agoniam* vocat. Frequentia hæc loca incolis & vallibus montibusque quoquoversum admodum populosis. Eorum autem qui propinquiores sunt nobis originem esse *Græcam*, etiamsi non faceret historia fidem sermo indigena comprobaret. Est enim is bona sui parte *Græcus*, magisque in fæminis quàm in viris deprehenditur. Viri siquidem finitimorum commerciis partim a *Teutonicis*, partim a nostris aliena vocabula mutuantur, fæminæ, utpote quæ vel raro, vel nunquam peregrinantur, linguæ patriæ incolumitatem diutius servavere. Commemorabat mihi *Urbanus* patruus Civis vester, qui *Alpes* has omnes animi gratia perlustrasset, *Homerica* se vocabula in montanæ hujus regionis aniculis frequentissima reperisse. quæ nobis interim dum ejus linguæ Poëtas interpretaretur, non sine conservatæ apud nos vetustatis admiratione designabat. Nam πάσαλος pro extante clavo in pariete, columnave, cui vestis, vel quid aliud appenditur. ἶνα pro viribus; *Homerica* locutio. μάχομαι pro percutio. γραῦ pro Avia, & alia plurima. tum herbarum nomina *Græcis* plurimum nominibus hic vulgo fæmellis agnita, & hujusmodi pleraque eodem apud eos significato, iisdem vocibus, quibus apud *Græcos* usui sunt, enunciantur, quæ vobis a me ideo memorantur, ut *Euganeos* apud nos præcipue consedisse non levi comprobem argumento. Quo vero pacto *Euganei Trojanos*, qui se jam *Venetos* appellaverant, sæpius infestarint, quotiens facta e vallibus eruptione oram omnem devastarint, prædabundique in tuta se receperint, puto sæpius recitari vobis ex an-
7 tiquis historiis audivistis: *Antenorem*que annis jam

A gravem, ne suorum tranquillitas totiens inturbaretur, coactum eos in societatem partemque Regni adsciscere: atque ita populus unus, una eademque regio ex *Euganeis*, *Trojanis*, & *Venetis*, qui *Paphlagones* erant, auspicatissimo nomine *Venetia* nuncupata, nos omnes *Veneti*. Ante *Herculem* vero *Phaethontem* huc *Colonias* deduxisse tam Poëtarum figmentis aliquot, quam Historicorum veterum testimoniis apparet; nam & saxa id indicant, quæ *Taurinensi* regione juxta *Padi* ripas *Phaethontis* aurigæ signo sculpta magno numero reperiuntur. Quod verò omnis ea planicies, quæ inter *Apenninum Ligusticum* & *Alpes Grajas*, *penina* juga, & *Vindelicos*, *Rhæticos*, *Noricos*que montes multis fluminibus alluitur & a *Pado* dissecatur *Venetia* fuerit manifestum est, quod *Eridanum* Poëtæ *Venetum* vocant. Meministis Propertianum illud:

B

Quantum Hypanis Veneto *dissidet* Eridano.

Quod verò ad negotium hoc pertinet, *Venetos* illos antiquiores per nostræ hujus regionis tractus habitasse, & superatis *Alpium* verticibus in *Pannoniæ* usque fines processisse, si quis antiquæ nolit historiæ fidem adhibere, testimonio
C est antiquissimus terminus litteris *Græcis* incisus, qui se nostro itinere, ubi *Juliam Albam* versus, *Alpes* transcenderis, ostentat. Quattuor is est lateribus insignis, quorum in primo litteræ hujusmo- 8
di leguntur.



D

Quod si vobis *Latinis* verbis inscriptionem explicari quæritis, ea est hujusmodi. *Troja* capta terminus *Væneti* progressi. Est verò ȣαινέτȣ per diphthongum, prima syllaba notatum, aut ejus temporis usu, aut imperiti, castrensisque scriptoris indiligentia, cujusmodi pleraque passim in urbe etiam *Roma* conspiciuntur. Vel ȣαινέτȣ factum a *Scythica*
E forsan, atque adeo *Pontica*, & barbara pronunciatione; ut medio inter *Augustum* & nos tempore scriptum ȣάλης, ȣαλεντινιανὸς, ȣαλέριος & similia plerisque publicis in monumentis aspicimus. illa politiores mox ad eruditi temporis usum reducentes correxere, & quod ad nostrum hoc nomen pertinet. ȣ. diphth. υ digammon esse voluere, & altera diphthongo. αι scilicet explosa ejusque loco. ε. substituto, *Venetus* quod in usu permanet fecerunt. Quam latè igitur exspatiatum sit *Venetum* nomen, quosque sibi fines asseruerit ex paucis iis, quæ retulimus satis manifestum esse arbitror. Successere
F inde *Romana* tempora, quæ per mille ferme annos omnem rerum in *Italia* gestarum celebritatem ad se contraxere, sive illi sociis & fœdere conjunctis 9
auxilio essent, seu bella ipsi moverent, & fines suos assiduè proferrent, totiusque *Italiæ* jus sibi denique vindicarent. cujus demum universæ imperio potiti, nihil impendio magis curaverunt, quam Barbarorum eruptiones, positis ad fauces omnes custodiis, prohibere. Eò legiones suas delegabant, provinciamque iis, quibus maximè fiderent commendare soliti erant. Legebantur verò potissimum ex *Romano* populo legiones, neque non

ex universa *Italia*, præcipuè autem ex oppidis sociorum, qui pari cum *Romanis* jure *Latii* donati essent.

Ita quæ ad *Tridentinas*, *Feltrianas*, & *Bellunenses* fauces observandas legiones adpositæ sunt, partim *Romæ* ipsius indigenæ Cives, partim *Volscorum* manus fuere, ex proximis quippe *Romæ* locis *Priverno* antiqua, *Setia*, *Prineste*, *Tybure*, & oppidis *Latini* nominis plerisque aliis; cujus rei testem *Catonem* appellat *Plinius*. Antea verò quam fauces hujusmodi *Romanorum* præsidiis occluderentur, exposita erat omnis *Italia* libidini Barbarorum, licebat illis quocunque tempore in agrum nostrum facere incursiones, bona deprædari, tecta quæcunque essent incendere, pecora, instrumentum hominesque captivos agere, ac omni feritatis genere in *Italos* desævire. Tutatus est *Julius Cæsar* partem eam per *Carnos*, quæ ab *Liquentiæ* hostio ad *Timavum* usque porrigitur, quæque in *Carnos* & in *Noricos* primis montium jugis sese incipit attollere, & ab eo *Julii foro* nomen nulla jam posteritate abolendum indidere. celebratur adhuc in *Carnis* via in saxei montis latus incisa, ubi *Latinis* litteris inscriptum C. IVLIVS CÆSAR VIAM INVIAM SOLERT. S. ET IMPENDIO ROTAB. REDD. *Vicentinos* saltus *Cassii*, *Proculi*, *Barbii*, *Veturii*, *Arrii*, *Fannii*, *Aurelii*, *Marcellini*, & alii ex totius *Italiæ* nobilitate defendebant, quorum adhuc monumen-
10 ta toto agro superant. *Veronenses* valles *Macri*, *Valerii*, *Secundi*, *Hortali*, familiæque aliæ sua claritate celebres insedere; nostras fauces inter *Julium Carnicum*, *Bassanensem*que agrum positas, *Sertoriani* milites defendendas eodem penè tempore susceperunt. Hinc *Sertorii*, *Flavii*, *Hostilii*, *Sertoriani*, *Turranii*, *Upsidii*, *Anisii*, *Proculi*, *Poëtici*, *Durenii*, *Cussonii*, *Secundi*, *Maximi*, *Præcellii*, & ut meos quoque attingam *Valeriani*, quos nunc vos *Bolzanios* ab agri cognomine qui sub *Medontis* Castelli, olim nostri ditione ad lapidem hinc tertium fuit, appellatis. Atque ita pleræque aliæ *Romanorum* familiæ speciosa tot, quorum vestigia passim in agro vestro cernitis monimenta reliquere. *Romani* itaque fuerunt, qui urbem hanc vestram ex oppidulo, quod prius in *Arcti* fluminis Clivo *Euganeo* olim, ut omnino confitendum est, muniverant, in eam, quam conspicitis speciem, auxerunt. *Romani Anaxi* fluvii nomen, qui nunc *Plavis* dicitur, in *Flavium*, de quo suo loco dicetur, commutarunt. *Romani* civiles leges municipio vestro proprias, consularesque titulos *Quiritium* more sanxerunt. *Romani* libertatem tam longa annorum serie, tanto studio custoditam vobis reparatæ vestræ urbis initio commendarunt. Ab his autem urbi nomen, quo pacto inditum sit, tempus est ut dicere jam incipiamus.

Apud Auctores *Græcos*, quorum præcipuus unus, qui rei, quam dicturi sumus historiam perstrinxit, *Suidas* in omnium habetur manibus, legere est *Romanos* milites, qui per vallem hanc omnem castellis communitis habitabant, constituisse unum ex oppidulis hujusmodi in ampliora spatia dilatare. Cumque situm alii alium, atque alium proposuissent, placuissedemum locum hunc, ubi nunc urbs posita est, quod ab occasu superioris Tropici ad Septentriones exporrecta staret planicies, & si non usque adeo ampla, quod tamen humo pingui, mollique uligine prædita erat, segetibus oppidò apta videretur.

11 A Septentrione *Arctus* re, & nomine fluvius profunda admodum valle, altissimoque clivo mænia per supremum ejus marginem ducta naturæ beneficio communiret. Ad brumalem ortum frons urbis angustior fieret, ubi *Arctus Anaxo* longè maximo flumini commiscetur, & eodem Clivo ad altissimi, rapidissimique amnis ejus ripam descen-
A deretur. Ad meridiem denique clivus idem circumductus sinuosi fluminis ambitu defenderetur, satisque esse una a campo fossa muroque ducto partem eam urbis diligentius præmunire, reliquas facies, utpote, quas situs ipse tutaretur, haud ita multo opere indigere. Accedebat huc fontanæ undæ commoditas affluentissima, quæ circiter quarto ab urbe stadio, magno adeo fonte pullulabat, ut in urbem ducta non modo locis publicis, plateisque omnibus usui futura esset, verùm etiam privatis ædibus abundè sufficeret. Fonti ipsi *Euganei*, ut verisimile est, *Græco* vocabulo rem significante, *Physteris*, quia παραφύειν pullulare
B est, nomen, quod adhuc permanet, indiderant. Ad hæc videbant *Anaxum* ipsum etsi rapidissimus esset, multaque abundaret aqua, altissimoque alveo glaream infidam secum assiduè traheret, ponte tamen, si non lapideo, saltem sublicio, ante ipsius urbis amnensis faciem jungi posse; Neque eos fallebant commoditates quæ inde futuræ essent in commeatibus ab utraque fluminis parte comportandis. ipsum denique fluvium a *Noricis*, *Carnicis*que *Alpibus* sed, ut uno verbo dicam, a *Tauriscis*, multis hinc inde collectis per singulas valles amnibus satis auctum, materiam ligni facti atque infecti plurimam, plumbi, stanni, æris, ferri,
C chalybis, auri etiamnum atque argenti, præsertim vivi copiam ex frequentibus toto eo *Alpium* tractu metallofodinis magno numero provehendam suscipere, 12
quæ omnia ratibus commodissimè convectarentur; quæque asportanda essent eodem invecta fluvio in *Taurisanum*, *Forojuliensem*que agrum sex plurimum horarum spatio, (ea est impetuosi fluminis velocitas) exponi posse, pedestre verò iter facientes primis castris in *forum Julii* procedere, primis in *Taurisanum* agrum ingredi, secundis in *Germaniam* inferri, secundis adesse *Vicentiæ*, *Patavio*que ita sive suis opem allaturi essent, sive incursanti ho-
D sti obviam ituri, locum ad hæc omnia commodissimum intuebantur. Quibus omnibus persuasi ex ritualibus *Etruscorum* libris, IOVI OPTIMO MAXIMO sacra primùm faciunt, *Martis Volcani*que, & *Vestæ* more suo numinibus invocatis aream complanant, mox tauro & vacca junctis aratrum circumducunt, & urbis auspicatæ faciem sulco primigenio designant, loco ducendis aquis tam publicis quam privatis fontibus non ignaviter excavato. Jamque templa, fora, Prætorium, publica, privataque ædificia describuntur, omniaque opera utilia, & commoda incolis futura locantur ædificanda. Senatulus mox ex antiquioribus &
E approbatis viris cooptatur, Quandrumviralis dignitas sub Consulari nomine instituitur, Ædiles creantur, Tribuni fiunt, Prætores, judicesque adleguntur. Neque sacerdotum, Poparumque & Saliorum ordines posthabentur. Non fabrorum, non Centonariorum, neque dendrophororum, non armorum, & aliarum denique artium collegia negliguntur. Orta interim est de nomine controversia, quod id honoris clari admodum plerique viri sibi adsciscere conabantur. Sed ne seditio hinc oboriretur, ad auspicia, uti gentis ejus mos erat, concursum est. Responsum ab Aruspicibus CASVM VRBI NOMEN DATVRVM. 13
F pax itaque rebus esset, continuareturque amœnissimæ habitationis ædificatio. Cum ecce tibi monstrosæ magnitudinis aper ex vici *Fortunii* faucibus in *Poliam Poetici* primum, id enim antiquum adhuc loco nomen, mox in *Sergianum* campum, & Montis *Servæ* radices eruperat, *Scalano*, *Saphortiano*, *Cusigio*, *Cavartiano*, *Nogarensi*que agris prædiisque devastatis, *Arctianam* inde valleculam transgressus *Flaviorum* planiciem, quæ parti, quæ a tergo urbis est, adjacet, furibundus invehitur. quaqua rueret clamorem excitari. Adcurrere hinc

inde *Romanos* milites, non Tribunos, non Præfectos, non Imperatorem ipſum *Sertorium* otioſos eſſe, circumveniri Aprum undique hunc e corona modò hac, modò illac fulminis inſtar elabi. vulnerare multos, plures ambagibus fallere, impetuoſo curſu omnes denique delaſſare. Præerat arci, cui urbs amplianda adjungebatur *C. Flavius Hoſtilius Sertorianus.* excitatus & ipſe *Calydonia* hac venatione, ita eam *Suidas* vocat, forti arrepto veru caſtello egreditur, atque Aper qui urbis novæ foſſas atque vallum ingreſſus erat illico fit obviam, hunc itaque convicio ſtatim appellat, & *Romano* more ad congreſſum invitat. Dirigit in eum dentes Aper, Ille imperterritus hoſtem aggreditur, fixoque intra collum atque armos venabulo immaniſſimam feram primo ictu exceptam humi proſternit, trajectaque in ima viſcera teli cuſpide tam diu terræ affixum continet, donec poſt horribiles fremitus ac iteratas vaſti corporis volutationes exſpiraret, quem mox in humeros ſublatum ipſe ſolus aliquamdiu per Caſtra geſtavit. Concurrere omnes admirabundi fortiſſimi juvenis virtutem in cœ-
14 lum efferentes. Suſtolluntque mox ipſi Aprum, & in rete conjectum tranſmiſſis hinc inde contis commilitonum cervicibus impoſitum in triumphi ſpeciem quoquoverſum per urbis deſignata mœnia circumferunt, quò fieret omnibus conſpicuus. *Hoſtilius* interim equo eo ipſo quo publico merebat invectus, & ipſe ſubſequitur.

Excitantur hinc, inde plauſus, acclamationesque inter quas una omnium iterata ſæpius exaudiebatur *Vir unus. vir unus. vir unus.* quod id incredibili admirationi eſſet, tam immanem belluam unius tantum hominis virtute concidiſſe. Excepta ea vox in cauſa fuit, ut quoniam ab Aruſpice reſponſum acceperant Caſum urbi nomen daturum, urbs ipſa *Virunum.* appellaretur. Scribunt enim *Græci* dum nominis hujus cauſam perſcrutantur, vocem hujuſmodi apud *Romanos* id eſſe, quod apud eos εἷς ἀνήρ. atque Aprum hunc in hunc modum urbi noſtræ nomen & auſpicia dediſſe. Quod ſi quæ apud Suidam ſcribuntur vobis recitari cupitis, ita illic habent: Βηρȣ́νιον ὄνομα πόλεως· νωρικοὶ γὰρ ἔθνος, ἔνθα συὸς χρῆμα θεόπεμπτον τὴν χώραν ἐλυμαίνετο, καὶ αὐτῷ πάντες ἐπιχορȣ̃ντες ȣ̓δὲν ἤνυον· μέχρί τις ἀνὴρ τὸν σῦν περιτρέψας ἐπὶ τȣ̀ς ὤμȣς ἀνέθετο· ὃ ἰόντι καὶ περὶ καλυδόνος μυθέυεται· οἱ δὲ νωρικοὶ ἐπεϐόησαν εἷς ἀνὴρ τῇ ἰδίᾳ φωνῇ τουτέσι βηρȣ́νȣς· ὅθεν ἡ πόλις βηρȣ́νιον ἐκλήθη. Aſt hæc video, *Latina* fieri depoſcitis, geram vobis morem. *Berunium* urbis nomen, *Norica* verò gens. ubi ſuis portentum a Deo miſſum regionem omnem devaſtabat, contra quem cùm omnes progreſſi eſſent, nihil quicquam proficere, donec vir quidam Apro factus obviam, eum & confecit, & in humeros ſuſtulit. cujuſmodi illud eſt quod ſue ſuper *Calydonia* fabulantur: *Norici* verò admirati
15 juvenis robur acclamaverunt voce patria vir unus, vir unus, quod *Græcè* ſonat εἷς ἀνὴρ unde urbs *Virunum* appellata eſt. Sed ne forte quis me fabulari fabulas arbitretur, mihique eò ſuccenſeat, quod initio aliorum fabulas, & commentitias hiſtorias carpere viſus fuerim, non diſſimilia tamen ego pro veris venditare aggrediar. hæc urbe de noſtra dici ab antiquis monumentum indicat, paucis admodum abhinc annis, dum *Stephania* baſilica reficeretur, terra erutum in quo ſcilicet hiſtoria hæc de Apro ab uno tantum viro confecto, deque eo in triumphi ſpeciem circumvecto pulcherrimo opere circumſculpta eſt. Et quoniam hac de ſermonem facientes peropportunè juxta fontem *Stephanium* conſedimus; Aſpicite obſecro monumentum ipſum e proximo. atque hic *Flavium Hoſtilium Sertorianum*, *Romanum* Equitem, multis & magnis honoribus inſignitum, cujus gloria vetuſtatis edacitatem in hæc uſque tempora ſuperavit, agnoſcite.

A Animadvertite quid ab hoc primùm latere ſit inſculptum, nonne præſtantis formæ juvenis, qui ſolus Aprum immanem venabulo trajicit? Hæc verò altera facies quam deſcribit hiſtoriam? Aſpicite primùm omnium vaſtum id corpus Apri conjectum in rete; conſiderate quem præ ſe ferunt laborem viri valentes illi, qui plagarum contis in collum conjectis obvolutum Aprum ſuſtulere. Videte *Hoſtilium* eundem in equo inſidentem, ut læta atque hilari fronte ſubſequitur. Obſervate turbæ concurſum, manuſque ipſas ad cœlum ſurrectas; Nonne inde inſignis illius victoriæ admirationem, plauſum, & acclamationem, & vocem
B etiam eandem ipſam quæ apud Suidam, *Virunus* ſonare, referrique ſubintelligitis? Nimirum hiſtoria hæc eadem eſt, quam ab auctoribus *Græcis* 16
traditam dicebamus. Quod ſi quis venationem in medio poſitam eſſe dixerit, unumquemque ſtudium ejus profiteri potuiſſe, non negabunt tamen, quicunque rem ita ſculptam inſpexerint, eam ad hiſtoriæ *Græcæ* argumentum plurimum convenire neque abſonum dixerit quiſpiam Aprum in cauſa fuiſſe, ut verbi nomen imponeretur. Cum Aper *Epheſiorum* urbi condendæ locum oſtenderit, ſus *Æneæ*, *Cadmo* vitula, *Ilo* bos, & paſſim apud auctores his ſimilia & noſtris longè etiam leviora con-
C ſcripta ſint. Sed age nihil contemur aliam quoque conditorii faciem contemplari. Eſt hic, uti videtis, juvenis ejuſdem effigies, quæ cervum comprehenderit, geſtus verò hominis ejuſmodi eſt, ut cornu alterum, quippe lævum, decutere connitatur, puto ut aliorſum id avertat, alterum in ſua ſtatione contineat. Hæc eſt viri *Bellunenſes* veſtræ urbis facies; quam ut facilè conjectari poſſumus *Hoſtilius* ipſe deſcripſerit. Nam facta eſt hæc urbs ad Cervini capitis ſimilitudinem qua & *Brondiſium*, unde illi nomen, quod ut *Seleucus* ſecundo linguarum ait βρέντιον *Meſſapiorum* lingua ſignificat *Cervinum caput.* Et ſi parva licet componere cum ma-
D gnis, habet & quandam magnæ *Byzantii* formam. Illa enim in procurrenti promontorio poſita pro fronte, quæ orientem Solem atque meridiem ſpectat, alluitur *Propontide*, a Septentrione anguſto mari a continente diſpeſcitur, ab Occaſu muro per planiciem ducto clauditur. Veſtra verò urbs in promontorii ſimilitudinem ab Occaſu æſtivo Capricorni ortum verſus exporrigitur, & a lato cervini capitis inſtar in anguſtum procurrit. Ab ortu hyemali neque non meridie altiſſimo Clivo, quem *Anaxus* ambitu flexuoſo lambit, cingitur, a Septentrione *Arcto* anguſtiori fluento ad imum 17
E clivum, qui ejuſdem eſt altitudinis, alluitur; donec in ipſius urbis conſpectu in *Anaxum* ipſum influat. ab occaſu tropici ſuperioris foſſa lata, muroque præalto munitur, pro urbis latere hoc area eſt, quæ ante portam primariam inſtar Theatri circumducitur ædificiis, atque hæc ipſius *Cervi frons* videtur. aures ut in cervo amplæ, ita ab area duæ longè patentiores plateæ porriguntur, publicis ambæ fontibus & privatis ædibus inſtructæ, quarum una Occidentem verſus, inter urbis foſſas, & longum admodum ſuburbium ducta Hippodromi uſum præbuit. Altera in Aquilonem verſa thermis vel Baſilicæ, vel utrique rei commoda
F olim fuit. Nam puer cum eſſem, & *Stephaniæ* Baſilicæ fundamenta ultima jacerentur, multa memini me magnorum ædificiorum veſtigia videre. Quotidie vero ex antiquis operibus lapidei alvei inde paſſim eruebantur, qui mox in Cives diſtributi privatis fontibus lacuum uſum exhibuerunt, ex eorumque numero eſſe celeberrimum hoc *Flavii* conditorium modò dicebamus. Sed, ut his omiſſis ad rem noſtram redeamus. Cornua quæ in ſculpto Cervo cernuntur ſuburbanas hinc inde vias domorum frequentia conſtipatas, & in plures An-

gi-

A giportuum ramos deflexas indicant, quarum quæ Occidentem versus tendit in plano est, quæ ad Septentrionem declivis, & ad fluvium *Arctum* dejecta. idque fortasse sibi vult cornu illud, quod læva manu deprimitur. Pro cervi verò oculis binæ in urbe vestra arces fuere, in duobus quippe murorum angulis, in his autem custodias esse mos est. & oculus custodiæ signum, quamvis quæ olim a lævo cornu erat, diruta nunc sit, & sola osten-
18 tet fundamenta, quorum etiam bona pars *foroniorum* Civium vestrorum ædibus occupatur. Optat cervus aquarum fluenta, optare videtur urbs vestra, ut exporrecto ad *Anaxum* rictu se inde pro-
B luat, ideoque linguam extra dentium claustra exerit. Hoc dubioprocul est suburbanum illud tot ædibus frequens a porta *Ruderum* toto clivo positum ad marginem usque fluvii, quod in ulteriorem ripam usque protenditur. Sed hæc forte nimis Poëtica videantur; quare ea potius consectemur, quæ ad *Flavii* nostri celebritatem pertinent, quique is fuerit ex ipsa Conditorii memoria perspiciamus; quæ quidem, ut videtis ita habet.

C. FL. HOSTILIVS
PAP. SERTORIANVS
LAVR. LAV. P. EQ. R. M.
SIBI ET DOMITIÆ
C T. FILIÆ SEVERÆ
CONIVGI INCOMPARA-
BILI.
V F
ΓΡΙΓΟΡΙ ΧΑΙΡΕ
ΟΡΕCΙ ΑΕΙ
ΜΝΗΜΩΝ

Hic est igitur vester *Flavius Hostilius Romanus* Eques multis, & magnis honoribus insignitus,
19 quem urbis nostræ conditorem arbitramur, in cujus gratiam *Anaxum* amnem *Flavium* appella-
D tum, mox corrupta voce in *Plavin* abiisse maximè verisimili conjectura dicebamus, quin & *Flaviola* planicies, quæ urbi contigua est, videtur ab eo nomen accepisse, cùm hoc præsertim in ea, uti vidimus, Conditorium repertum sit, quo super ambigere posse neminem existimamus; nobis igitur maximè lætandum, quòd *Flavii* nostri memoria vetustatis edacitatem in hæc usque tempora superarit. Sed age, quoniam ita vos cupere animadverto, inscriptionem ipsam, quibusdam litterarum notis, quæ punctis singulæ distinguuntur, obscuram luci dare, & quicquid in ea est ambiguitatis explicare aggrediamur, mox utrum *Bel-*
E *lunum* & *Virunum* idem esse possint, & quomodo nominis mutatio facta fuerit, si per otium licebit, examinabimus. Inscriptio est C. FL. HOSTILIVS PAP. SERTORIANVS. Quod puto vos non ignorare verbis his explicandum esse. *Cajus Flavius Hostilius Papinius Sertorianus.* Subsequuntur inde monosyllaba duo iisdem penè repetita litteris LAVR. LAV. Quod fortium Militum, & eorum maximè, quorum opera, & labore victoria triumphalis comparata esset, præmium erat. Sacris enim *Laurentalibus* quæ prius in *Aciæ Laurentiæ*, quæ *Romulum*, & *Remum*
F educaverat, honorem instituta Milites ii, quorum virtus in bello maximè enituisset nominatim celebrabantur, accedebatque virorum fortium titulis sempiternis, ut *Laurentalibus* laudati dicerentur. Istiusmodi inscriptionis forma aliquot litteris locupletior habetur eo monumento, quod *Feltriæ* victura vetustatis memoria conspicitur in hunc modum.

C. FIRMIO C F 20
MENEN. RVFIN. EQ. PVB.
LAVREN. LAV. DEC. FLAMIN.
PATRONO COLLE
GIORVM FAB. CENT.
DENDR. FELTRIÆ
ITEMQVE BERVENS.
COLLEG. FABR. ALTI
NATIVM PATRONO

In inscriptione hac pro LAVRENTALIBVS. LAVREN. una plus syllaba quam in nostra sit notatum videtis. Sed enim singulæ illæ litteræ P. EQ. R. M. magnam omnibus faciunt ambiguitatem. Quod ita consentientibus hujusmodi antiquitatum peritis interpretamur. *Publico equo* Romano *meritus* frequentissimum id titulis EQ. PVB. hoc est *equo publico* absque alia verbi merentis, aut militantis adjectione, quod nonnulli *equiti Publico* ineptè legunt. Nam *equo publico* nulla dempta littera habetur in plerisque veterum Epigrammatibus, ut in quodam *Forojuliensi*, quod heri *Ambrosius Regiensis* juventutis vestræ moderator optimus a se descriptum ostendebat. Ejus copiam mihi fieri jussi, quæ quidem iis litteris inscripta est.

T. VETIDIVS 21
T. F. SCAPT
VALENS
IIII. VIR IVR. DIC.
QVINQ. PONTI
SIBI ET
T. VETIDIO
POTENTI FIL.
EQVO PVBLICO
ANNOR. XX. M. IIII. D. V.
T. F. I.

Est & alia *Neapoli* sic inscripta:

M. VECTIO
M. F. PAPIO
EQVO PVBLICO
PRÆFECTO COH.
VI. THRACVM

Sunt etiam *Brixiæ* inscriptiones duæ in quibus 22
EQVO PVBLICO integre notatum est. Eas age jam accipite, ut locuples testimonium eorum, quæ supra diximus.

SERVILIO POLIAN.
EQVO PVBLICO
DECVRIONI
SERVILIVS VERVS
PATER
VT FIERET PETIIT
L. D. D. D.

C. RÆSIO
P. F. FAB.
ÆMILIANO
SENIORI
EQVO PVBLICO
OMNIBVS
HONORIBVS
MVNICIPALIBVS
PERFVNCTO

Ita declaratum est *Ciceronianum* illud in *Anto-* 23
nium. Ibi altera statua equo publico. Sed antea quam ex equo hoc descendamus, non dubitabo vobis dicere, in aliquot monumentis dici solitum, Exornatus equo publico, ut *Beneventi* antiqua admodum inscriptione legitur. Q. PLOTIVS. Q. F. QVIR. ROMANVS EXORNATVS EQVO PVB. & quæ sequuntur. Alibi legas habenti Equum publicum, ut *Romæ* ad portam *Appiam*

piam in jugo C. CORNELIO PRISCI F. HABENTI EQVVM PVBLICVM. alibi equo publico donato, ut apud *Cordubam* in *Hispania* SENECÆ TARQ. ÆD. Q. II. VIR. EQVO PVBLICO DONATO. Sciendum verò Equites apud *Romanos*, ut *Cicero* ad *Atticum* indicat ordini senatorio fuisse dignitate proximos.

Sed ut nihil relinquamus intactum in inscriptione *Vettidiorum*, Tria illa elementa subscripta T. F. I. nil aliud sibi volunt, quàm *testamento fieri jussit*. In *Hostiliano* locutiones quinque *Græcis* scriptæ litteris ΓΡΙΓΟΡΙ ΧΑΙΡΕ ΟΡΕΣΙ ΑΕΙ ΜΝΗΜΩΝ. Salutationis is modus est a rebus quarum studio salutatus afficitur. Vigila, delectare montibus semper memor. Sed enim ipsa scripturæ ratio non satis litterata est, cùm in locutione γρηγορι littera ea desideretur, quæ EI diphthongum faciat; sed minime mirum hoc, quia milites arma magis, quam litteras norant. Et unaquaque ætate passim multa ita deluxata, curta, inversaque observes, quod plerumque vocis, quæ in usu esset sonum potiùs quàm scribendi rationem sequerentur. Sed quoniam Epigramma illud, quod allatum *Feltria* vobis legendum tradidi, multas, ut video, inter
24 vos ambiguitates excitavit; operæ pretium fuerit eas explicare. vicinitas enim id juris habet, ut quæ honestè poscat, meritò debeat impetrare, quibus quidem declaratis adapertior nobis fiet via ad ea probanda, quæ de *Belluni* nomine vobis indicanda suscepi. Sed illudne in tam aperta re multum immoremur, manifestum, quod C. FIRMIO C. F. MENEN. RVFIN. tantundem est, ac si scriptum esset, CAIO FIRMIO CAI FILIO MENENIO RVFINO. Idque potius quod subsequitur interpretabimur. EQ. PVB. LAVREN. LAV. DEC. FLAMIN. PATRONO Idem esse ac si scriptum esset, EQVO PVBLICO LAVRENTALIB. LAVDATO DECVRIÆ FLAMINVM, vel FLAMINIÆ PATRONO. Sequuntur inde verba pleraque detruncata. COLLEGIORVM FAB. CENT. DENDR. FELTRIÆ ITEMQVE BERVENS. Id est COLLEGIORVM FABRORVM, CENTONARIORVM DENDROPHORORVM FELTRIÆ ITEMQVE. BERVENSIVM. Additum mox COLLEGII FABR. ALTINATIVM PATRONO. quippe COLLEGII FABRORVM ALTINATIVM PATRONO, Ita ut Collegia fabrorum, Centonariorum, & Dendrophororum pariter & *Feltriæ* & *Beruæ* fuisse, *Altini* fabrum tantum intelligatis, quorum firmius is patronus esset, *Beruam* autem ætatis nostræ peritiores *Bolzanium* esse volunt, *Plinianum* secuti ordinem, *Feltrini*, *Tridentini*, *Beruenses*. Quod verò FAB. & FABR. pro FABRVM possessivo casu numero multitudinis positum sit nemini dubium esse crediderim,
25 quoniam id inscriptionis passim habetur. Vnde verò CENT. pro CENTONARIORVM & DENDR. pro DENDROPHORORVM commentari didicerim aperiendum. Multæ sunt veterum inscriptiones, quæ hujusmodi locutiones litteris omnibus explicant, sed ut interim *Romanas*, quæ plurimæ sunt, præteream, quam *Brixiæ* an-

A tiquo monumento a se olim lectam & cum fide descriptam ad nos attulit Jurisconf. civisque vester *Theodorus Paganus* afferam. ita enim est:

COLL. FABR. ET CENT.
SEX. SEXTIO ONESIGENI
ORNAMENTIS
DECVRIONALIBVS
BRIXIÆ. VI. VIR. AVGVSTAL.
PATRONO COLLEGIORVM
FABR. ET CENTONARIOR.
ET DENDROPHORORVM

Et quod *Parmæ* incisum marmor ostendit mihi vir
B doctissimus *Georgius Anselmus*:

PRÆT. LEG. XX. VALEN. 26
VICTR. PRIMOP. LEG.
X. GEM. PIÆ. FIDEL.
CENT. LEGION. III. SCY
THICÆ. XI. CLAVD. XIII. GEM.
VII. GEM.
PATR. COL. IVL. AVG. PARM
PATR. MVNICIPIORVM FORODRVENT. ET FORO
NOVANTR. PATR. COLLEGIOR. FABR. ET CENT. ET
DENDROPHOR. PARMENS. COL. CENT. MERENTI

Satis igitur vobis liquet Centonariorum & Dendrophororum apud Majores nostros collegia fuisse,
C esseque nunc præcipuè. Erant verò Centonarii, qui centonibus vestibus militaribus contexendis operam dabant. Nam hujusmodi vestes vectigalis nomine publicè militibus impendebantur. & in hanc usque diem *Feltrini* hujusmodi crassioribus pannis contexendis plurimam impendunt operam. Dendrophori vero, ut *Græci* planè vocabuli significatum ostendit, ii sunt, qui ligni materiam, quæ per nostra plurimum flumina in *Adriaticum Venetias* assiduè convectatur traducendam redimunt, quos a ratibus ea materia contextis, ratiarios vocitatis, exercitores ratium *Vlpianus*. Quan-
D tum igitur ad *Hostiliani* Epigrammatis Intelle- 27
ctum pertinet, satis hactenus explicuimus, quidque *Græci* de urbis vestræ nomine tradiderint, intellexistis, quibusque conjecturis adducar in eam sententiam, ut si quis *Romanorum* Urbi vestræ nomen dederit, eum fuisse putem; cujus nomen & historia eadem ipsa, quam super Apro ab uno viro confecto, *Suidas* memorat, antiquissimo sculpta monumento conspicitur. Reliquum verò esset, ut unum vobis scrupulum eximerem, qui vos addubitare facit, utrum *Bellunum*, & *Virunum* eadem esse urbs credi possit, quod tamen ut vobis testatissimum relinquam, longè mihi faciliùs
E erit, quàm Historiam ex *Græco* fonte haustam de vestræ urbis origine nuper explicuisse. Sed quoniam satis hodie locuti sumus, & Sol jam inclinatus occasui proximus est, privataque plerisque vestrum negotia incumbunt, De chorographia, situque *Belluni*, quæque fuisse videatur in nomine demutationis causa, & aliis quibusdam ad urbis antiquitatem & gloriam pertinentibus in crastinum dicere differemus. Sapientissimi enim viri dictum memini, summo opere cavendum, ne vel juvandi studio simus apud quempiam importuni. Vos interim valebitis.

FINIS SERMONIS PRIMI ANTIQUITATUM BELLUNENSIUM.

JOAN-

28 JOANNIS PIERII VALERIANI ANTIQUITATUM BELLUNENSIUM

SERMO SECUNDUS.



Imirum video viri *Bellunenses* non ingratam vobis fuisse hesternam dictionem meam, quæ *C. Flavium Hostilium Sertorianum* verisimilibus quidem argumentis urbis ipsius vestræ si non Conditorem, certè vel ampliatorem, vel Coloniæ deductorem indicabat. Pro Indicio autem rei vobis placitæ accipio, quod adeo frequentes hodie ad audiendum convenistis, qui heri uno propè minùs viginti casu ad fontem *Stephanium* & ipsius *Hostilii* conditorium aderatis. Hodie verò cryptoporticum hanc omnem magno adeo numero complevistis. Dabo igitur pro viribus operam, ne vos huc accessisse pœni-
29 teat, si ulla patriæ vestræ non inani quidem gloria, si antiquarum rerum cognitione, si veritatis studio ducamini.

Illa verò primum omnium difficultas expedienda est, quæ diu doctorum quorumdam animos solicitos habuit; & in hanc usque diem aqua hærere coegit. Cum apud *Plinium* & *Ptolemæum Græcos*que nonnullos qui vel de situ orbis, vel de urbibus aliqua conscripsere. *Bellunum* inter *Venetas* urbes adnumerari deprehenderet, *Virunum* tamen quam eamdem esse asserimus, apud eundem *Plinium* videatur in ea esse oppidorum nomenclatura, quæ nonnulli ad *Ripenses Noricos* pertinere falso existimant. Quæ quidem loca recitata, examinataque explicatiorem opinionis nostræ intellectum efficient. Qui sit igitur *Plinianus* in regionibus his describendis ordo, videamus. Undevigesimo libri tertii capite percurrit, Primo *Plinius* oram *Venetiæ* maritimam, enumerat inde flumina ad *Oricum* usque, sed non ea per ostiorum, quibus influunt in mare ordinem, sed a fontibus quædam; atque hoc illud est, quod majori, minorique *Tiliavento* decursis *Anaxum* mox ponit, Quo *Varamus* defluit. Hinc oppida littori viciniora. *Altino*que per *Istriam*, *Liburniam*que usque procedit. Mox ad Mediterranea regionis ejusdem revertitur a *Cremona* ambitum omnem amplectitur *Acedum* usque *Bellunum*que provectus. Hinc *Vicentiam* retrovertitur, inde *Mantuam*. Sed agite nunc. Qua regionis decimæ parte, locoque sita sit *Bellunum* inspiciamus. Ita fiet, ut quæ spissa adeo videntur defæcata dicendo clarius elucescant. Sanè verba *Plinii* sunt. In *Mediterraneo* Regionis decimæ Colonia *Cremona*, *Brixia Cenomanorum* agro; *Venetorum* autem *Adria*, *Ateste* & oppida *Acedum*,
30 *Patavium*, *Opitergium*, *Bellunum*, *Vicentia*, *Mantua*, *Tuscorum* trans *Padum* sola reliqua. Videtis hic urbium ordinem, non tamen de situ sumptum, neque per Alphabeti seriem, cujusmodi fuere *Octaviani Augusti* commentaria, dispositum. Nam ab *Acedo*, quæ nimirum in Pontificum *Romanorum* actis *Ceneta* nunc est, urbs olim & magna, & opulenta, quamvis nunc magna sui parte vici speciem exhibeat, arce ipsa sola adhuc muro cincta. Ab hac inquam inter *Bellunum* & *Opitergium* media, *Tarvisio* præterito, quod nondum forsan urbs illa condita erat, *Patavium* provolat; inde veluti quodam aurigandi studio, repetito in contrarium
A itinere *Opitergium* revertitur, inde *Bellunum*, *Acedo* media. inde *Vicentiam* usque transcurrit immemor *Feltriæ*, quæ nunc inter has media; sed ipsa quoque ut nonnulli putant nondum extabat, quod absurdum dictu, cum statim *Feltrinos* & *Tridentinos* inter *Rhætos* enumeret. Ita apud *Ptolemæum* ordine magis tortuoso. *Venetæ* Civitates *Mediterraneæ* sunt: *Tridentum*, *Bellunum*, *Vicentia*, *Opitergium*, *Acedum*, *Ateste*, *Patavium*, *Altinum*. Neque hic ulla est *Tarvisii* memoria, perinde ac neque *Feltriæ*. Sed utcunque posita sint hæc a Cosmographis, agnoscunt jam illi *Bellunenses Venetos*, quos *Græci* dubioprocul modò *Virune-*
B *tos*, modò *Virunios* vocant. Juncturus inde *Plinius Venetis* & *Rhætis* provincias subsequentes, capite vigesimo incolas ponit *Alpium*, juxtaque *Carnos* inquit, quondam *Taurisci* appellati, nunc *Norici*, paulò post de *Noricis* ait, his contermini *Rhæti*. Inde, nobis hic ita relictis, per *Lepontios* transcurrit *Alpes* ad Confinium usque *Ligustici* maris, quibus prima supra vigesimum capite relictis, ad oram maritimam & ejus insulas descendit; Ac per 31
Liburnos ad *Titium* usque fluvium provehitur. Mox XXII. & XXIII. cap. a *Liburnia Dalmaticam* perquirit; productoque itinere ad oram usque
C *Macedoniæ*, qua parte *Adriaticum* attingit, ubi oppidum *Oricum* a *Colchis* conditum memorat, unde mox initium *Epiri*, inde ad *Carnos* & *Japidas* retroversus montana quæ ad Septentrionem reliquerat descripturus, principium capit a *Carnorum Japidum*que finibus atque *Rhætis*, inter quos nos medii sumus. Ait enim *Rhætis* junguntur *Norici*. quod quidem principium esse deberet vicesimi quarti capitis, si libri continui sunt in capita dividendi, in hunc modum. A tergo *Carnorum* & *Japidum*, qua se offert magnus *Ister*, *Rhætis* junguntur *Norici*. ubi animadvertendum est, quod in *Venetiis* & *Rhætis* describendis, ab meridionali parte *Bellunum* usque pervenerat, *Noricos* mox percursu-
D rus, qui a tergo *Carnorum* & *Japidum* incipiunt, & ad Septentrionem inde porriguntur, ab eadem in finibus urbe posita exorditur, inde ad magnum usque *Istrum* profecturus, unde mox iter dirigat in *Pannoniam*. Oppida verò *Noricorum* enumerat *Virunum* in primis, mox *Celejam*, *Teurniam*, *Aguntum*, *Æmoniam*, *Claudiam*, & alia, quæ hic non habeo necesse commemorare; præcipue cum mihi fides facienda sit *Belluni* nomen ex *Veruno* demutatum. Sed ut hæc planiùs intelligantur, non abs re fuerit, ut semel *Noricorum* fines investigemus. Capite XXV. *Pannoniæ* fines positurus
E *Plinius* a fronte ait *Scordiscos* esse, a tergo *Tauriscos*; eosdem autem superius *Noricos* appellarat. Et *Strabo Noricorum* aliquos vocari *Carnos*, *Tauriscos* alios scribit. Quod submonet apud *Plinium*, ubi *Anaxum* oriri ait in montibus *Tarvisinis*, *Tauriscis* 32
fortè legendum esse; nam apud hos omnino nascitur. Quamquam quod ad *Tauriscos* attinet, sunt litteratura nobiles admodum viri; qui hodiernum vulgi sermonem secuti, nostros hos finitimos, populos *Tautiscos* potiùs quam *Tauriscos* vocatos ab Auctoribus suspicentur, quod *Tauz* vulgo, qui *La-*

Latinè Teuton dicitur, & toto hoc *Alpium* noſtrarum tractu *Tauci* nunc appellantur, *Taurifci* tamen paſſim *Plinio* ſunt & *Straboni*; Quamvis *Eratoſthenes Teriſcos* ſcribat. & *Taurinos* Tertio *Polybius.* Apud *Stephanum* ſimpliciter Ταυρίσκοροι ἔθνος περὶ τὰ ἄγπεια. Sed quod eos *Eratoſthenes* per, e, prima ſyllaba ſcribi admonet, eoſdem & *Troos* vocari dicit; quod quidem conſenſum habet cum iis, qui *Antenoreos* quoque hac diffuſos tradunt, & in *Ripenſes* uſque *Noricos* penetraſſe; de quibus monumentum antiquum in Termini formam primo ſermone noſtro vobis indicavimus, quo minùs ridiculum videatur præclaros eſſe *Teutonici* nominis Heroas, qui ſe originem ab *Hectore*, & fratribus ejus duxiſſe profiteantur. Igitur ad noſtra redeamus. Palam eſt *Noricis* finitimum eſſe *Julium Carnicum*, ſi *Plinio*, ſi *Ptolemæo*, ſi noſtriſmet oculis credimus. Nam id vicinorum noſtrorum nomen adhuc perdurat incolume. *Japidia* nimirum ea eſt; Cujus bona pars nunc *Fori Julii* patria nuncupatur; de qua apud Maronem. *Et* Japidis *arva* Timavi. pars etiam ad *Iſtriam* pertinet. Sed eja demum urbem noſtram, ut video errabundam, palantemque perquiramus. *Forojulienſes* a meridie dubioprocul nobis ſunt contermini, ab Oriente *Carni*, a Septentrione *Noricis* inſerimur, iique *Taurifci* jam ſunt; ab Occaſu *Rhætos* ad ſe-
33 ptimum lapidem habemus. Extat *Antonini Auguſti* itinerarium, ſi modo illud *Antonini* eſt; utcunque tamen receptæ fidei commentarium habetur. Ibi digreſſis ab *Aquileja*, *Viruno*, Montana ſtatim offeruntur, quorum primi ſe nobis exhibent *Cathorini.* Nam eam *Norici* partem, quæ ſupra etiam *Anaxi* fontem, & rivos in eum amnem confluentes, per arctiſſimas profundiſſimaſque valles hinc & inde præcipitatos pertinet, in *Bellunenſem* uſque agrum, *Græco* vocabulo vulgus *Kathore* vocat, qua locutione populi montium accolæ ſignificantur. Tantundem enim eſt καθ᾽ ὄρη, quod per montes; ut ex hoc quoque nomine vere puriterque *Græco*, *Græcorum* gentes hic olim habitaſſe cognoſcamus, ne fabuloſum quis putet; quod heri *Euganeos* in hos montes ſe recepiſſe dicebamus. Hi vero a meridie *Carnos* finitimos habent, & aliquot eorum vicis imperant, gens civilibus admodum ornata moribus, ingenio, facundia, & rei cujuſlibet induſtria celebris, ante omnia autem fide in *Venetum* nomen incomparabili, & ob id legibus ſuis vivere permiſſa, Illuſtriſſimique Senatus *Veneti* liberalitate, tributorum, operumque omnium immunitate donata. Ab occaſu *Rhæti* nimirum ſunt, in quibus primum *Feltria* recenſetur a *Plinio*, urbs ea ad Occidentem Solem, *Belluno* digreſſis *Rhæticarum* prima brevi admodum ſe nobis offert itinere; & niſi oculis noſtris interpoſito colle ſummoveretur, jam nunc in conſpectu ex hoc loco eſſet.

Quinque igitur Gentium medii commoditates noſtras *Rhætis*, *Noricis* & *Carnis alpinis* gentibus, Campeſtribus verò *Forojulienſibus*, & *Venetis* communicamus, ita vicinitas in cauſa fuerit, cur modo huic, modò illi regioni adſcripti fuerimus,
34 quibus tam brevi ſpatio contermini ſumus. A *Rhætis* enim ſeptem non amplius paſſuum millibus diſtamus. *Noricum* a nobis principium, ut dictum eſt, ſumit; *Carni* proximè finitimi & ipſi ſunt, *Forojulienſes* contigui; *Tauriſani* ipſi quoque non procul, quamquam in *Rhætos* vicis aliquot ingredimur. Mediterraneorum *Noricorum* montana ad Septentrionem late obtinemus quorum aliquot Caſtella in tumulis Ditioni noſtræ ſubjecta ſunt. *Forojulienſes* verſus, quorum aliquando limes *Plavius* ante urbis noſtræ conſpectum fuit, & in eorum nos aliquando planiciem provecti non pauca ejus regionis oppida
A tenuimus, in aliquot tamen paſſuum millia porrigimur.

Quod verò *Plinius Noricos* ait produci uſque ad magnum *Iſtrum*, ut hæc rectiùs percipi poſſint, ſciendum eſt *Noricorum* populos alios *Ripenſes*, alios *Mediterraneos* appellari, ut in *Theodoſii*, *Honorii* & *Conſtantini* Imperatorum Commentariis aliquot obſervavimus. *Ripenſes* illi nimirum ſunt, qui per *Iſtri* ripam, & eam Agri partem extenduntur. *Mediterranei*, qui per *Alpes* in noſtram uſque regionem porriguntur ſub auſpicatiſſimo *Auſtriæ* nomine maxima ſui parte comprehenſi. Quod verò in hoc tractu, locoque, ubi noſtra
B urbs, *Viruni* ſit apud Auctores mentio, primùm *Suidas* rerum, locutionumque antiquarum collector apud *Græcos* diligentiſſimus teſtis eſt. qui Βήρουνον *Italicam* urbem agnoſcit, & nomen illi e *Romana* voce, quod heri dicebamus, inditum oſtendit. Neque magni faciam, ſi quis Apri hiſtoriam, quæ opere prorſus antiquiſſimo apud nos in marmore ſculpta eſt, eam eſſe quam enarrat *Suidas* contentioſius abnegarit; cum *Stephanus* in eo compendio, quod ex *Hermolai* Geographia con- 35
traxit, *Virunum* in *Noricorum* Mediterraneis ſtatuat, & *Italicam* urbem dicat, cujus hæc ſunt
C verba. Βέρȣνος ὡς Λούγδουνος ἰταλικὴ πόλις μεταξὺ τῶν Νωρικῶν (ita enim in caſtigatis codicibus non ὠρικῶν, ut in impreſſis hactenus habetur exemplaribus) τὸ ἐθνικὸν Βερουνήσιος, ὡς Λουγδουνήσιος· quod ita *Latine* reddi poteſt: *Verunum* ut *Lugdunum Italica* urbs in Mediterraneis *Noricorum*, Gentile nomen *Veruneſius*, ut & *Lugduneſius.* Porrò nuſquam loci urbs eſt ulla, quæ ſimul & ad *Noricos*, & ad *Italiam* pertinere poſſit, niſi una *Bellunum* noſtra. Neque tamen credideritis quæ modò Βέρȣνος modò Βίρουνος *Græcis* eſt quod alicubi perperam Βήρουνος per, η, ſcriptum eſt, eam eſſe poſſe *Veronam*, quamvis nonnulli capti ſint nominis vicini-
D tate. In *Rhætis* nimirum illa veterum quorumdam auctorum conſenſu originem a *Thuſcis* ducit, ſive ut nonnullorum eſt ſententia, de qua ſermone ſuperiore, a familia quæ *Vera* vocabatur; ſive *Debita* aliquando a *Breno* inde *Gallorum* Rege inſtaurata. At *Virunum*, uti oſtenſum ab *Euganeis* cœpta, a *Romanis* aucta, nomenque inde hoc adepta pertinet ad *Noricos.* Illa in prima planicie agri *Veneti Rhæticorum* montium radicibus adhæreſcit; hæc in valles has, citra ſaltus *Acedi*, & *Marinæ* Vallis jugum, reducta aliquantulum ab ejuſdem agri planicie receſſit.

E Illa ad amœnum *Atheſin Venetiæ* primæ. hæc ad *Plavium*, ſive *Flavium* jam dicere malueritis *Venetarum*, quæ ad Septentriones vergunt, urbium ultima. Quo loco illud animadvertendum eſt, nominis hujus æquivocatione factum, ut qui *Æneæ Pii* rerum *Germanicarum*, *Boemicarum*que volumina recentius deſcripſere *Veronenſes*, pro *Virunenſes*, qui nos ſumus eo loco poſuerint, ubi 36
de acceſſione ad *Othocari Boemorum* Regis imperium facta, ſcribit *Pius* eum *Auſtria* potitum in *Adriaticum* uſque littus fines porrexiſſe. Ad cujus auctoritatem *Virunenſes* (ita enim legendum eſt,
F non *Veronenſes*) *Feltrini*, *Tauriſani*, & *Forojulienſes* plerique alii ſeſe contulere. ita *Verona* non ſua, ſed librariorum aut ſcriptorum culpa, qui regionum ſitus non ita exploratos habebant, Barbarie illius temporis omnia permiſcente, multarum rerum memoriam, quas ne videar importunus, prudens præteribo, per æquivocationem enim bis ademit; quam facilè recuperare poſſimus, ſi ubi de Civitatibus, aut oppidis, inter *Auſtriam*, & *Forum Julii*, *Tauriſium*, *Feltrum*que agitur, quotieſcunque *Veronenſes* occurrerint, eruditus Lector *Bellunenſes*, ſive ut peritiores ubique ſcriptitarunt, *Virumnenſes*, vel *Viruneſios* repoſuerit. quod ſi parum

rum *Græcorum* fiditis auctoritatibus, recitavi vobis ex itinerario *Antonini* credito *Viruni* nomen, idque *Bellunum* esse probavimus. Quod si quis *Virunum* in *Ripensibus* esse contenderit, eamque esse, ut putare nonnullos video, quæ nunc *Neistat* voce *Teutonum* appellatur, videretur *Antoninus*, aut quisquis ille fuit vir dubioprocul accuratissimus itineris ordinem confudisse, cui, si hoc his demus dicendum fuerat. Ab *Aquileja.* montanis, *Virunum*, non autem ut dicit ab *Aquileja*, mox *Viruno* montana adiri. Vnde manifestum est *Virunum* ad eam pertinere partem, quæ citra *Alpes* est. Habemus & aliud testimonium, atque id re ipsa locupletissimum, quale, quantumque sit in urbe nostra Collegium eorum qui & enses, & arma reliqua fabricent, summa omnium commendatione celebrata nemo vestrum, nemo ex-
37 ternorum, nemo veterum ignoravit. quam gloriam *Jacobus Bellunensis* nostri sanguinis vir *Seravallem* quoque, ubi uxorem duxerat, eoque transmigraverat, paucis ante annis transtulit, & usque adeo auxit, alumnorumque educatione propagavit, ut nunc tota penè *Italia* Enses hujusmodi revera *Norici*, hoc est *Virunenses*, *Seravallici* ob Emporiorum vicinitates nuncupentur; Cum tamen *Seravallensium* officinæ minimè contemnendæ cultellariæ potiùs sint quam spathariæ, ut *Græcum* vocabulum Toga induam, in vulgus olim jam receptum; Cum præsertim *Vegetius* id agnoscat, & eo Gladios majores significari tradat. Hi vero *Belluni* tanto numero cuduntur, ut quamvis multæ sint eorum officinæ, nemo tamen manceps hujusmodi operum, quem mercatores poscunt numerum explere possit, sed pretio in futuri anni opera prænumerato omnes abeunt, quasi futuri anni frugem præmercati. Audite igitur ex *Constantinianis* commentariis, qualianam essent tributa, quæ illius temporis Imperatoribus solvebantur, Antiquissimo hujus œconomicæ libro, quem *Romæ* apud *Maffeos* legi ita notatum inveni, schola *Concordiensis* sagittarii. *Berunensis* Scutarii & armorum, & quæ sequuntur. Videtis apud hunc *Berunum*, apud *Antoninum Virunum* de urbe eadem dictum; neque suspicor quemquam ex peritis dubitare jam, quin illi unum eundemque locum intellexerint. Ita autem *Bellunensis* schola armorum erat ut *Mantuana*, quod in iisdem commentariis sequitur, Loricaria. *Cremonensis* scutaria. *Ticenensis* arcuaria. *Lucensis* itidem spatharia, quamquam nihil me offenderit (quando nonnulli hodie importunè admodum *Noricos* ab hoc tractu sum-
38 movent, neque cum fluviis in *Italiam* cadentibus commune quicquam habere contendunt; quorum ego descriptiones aliorum judicio reliquerim) aliam esse urbem juxta *Danubium*, quæ ut isti commentantur hodie, uti supra meminimus *Neistadt* barbaro vocabulo nuncupetur, olim *Virunum* appellatam. Nam ne *Chorographos* minùs inspexisse videamur, in *Germaniæ* climate *Virunum* a *Ptolemæo* recensetur, quod oppidum esse nonnulli alii volunt, quod vulgo nunc *Judenburk* appellatur. Quid vero mirum, si *Ptolemæus*, qui *Tridentum* in *Venetia* posuit, *Virunum* in primi *Norici* montis costa positam ad *Germaniam* pertinere crediderit? Præterea longè aliud est ad Parallelorum normam urbes supputare, aliud provinciatim, ut ita dicam, per Regiones singulas oppida dinumerare. Adhæc nonnunquam eorum, qui rerum potiuntur, Imperium, ampliatique reductivè fines; nonnunquam incolarum migratio, nonnunquam Coloniarum adventus. ipsa nonnunquam, ut hic accidisse potest homonymia, nomina locorum & gentium pleraque nunc repetierunt, nunc similia, nunc immutata protulerunt. Nam & *Bononia* in *Togata Gallia* una, &

A in *Pannonia* altera, *Ptolemæo* memoratur; est & *Bononiæ* Ducatus in *Avernis Bolonia* vulgo dictitatus. *Mediolanum* celeberrima in *Insubria*, in *Aquitania* Μεδιόλανον. *Stephano*, cujus civis *Mediolanius.* Una erat *Carthago* in *Lybia*, in *Hispania* altera. Non in nostra tantum regione *Veneti*, sed & in extrema *Galliarum* ora ad Oceanum Occidentalem *Julii Cæsaris* præcipuè bello celebres. *Feltrum*, ut nunc cognominatur proxima nobis civitas, alterum eodem nomine in *Umbris* oppidum Principibus *Urbini* familiæ cognomentum dedit. At fuimus nos, erimusque semper 39
æquivocationibus obnoxii, sive *Græcè*, sive *La-*
B *tinè* sive familiari nostri temporis vocabulo, urbis nostræ nomen enuntietur. *Civitalis* vulgo nunc urbs *Bellunum* est, *Civitalis* itidem alterum, atque id admodum nobile *Forojulii* oppidum. In *Apulia* quoque, atque etiam alibi oppida quædam sunt *Civitales* dicta, si ad *Latinum* confugiamus nomen, vestra urbs dubioprocul hodie *Bellunum* est. At & *Belon Ptolemæo*, & *Stephano* urbs in *Hispaniæ Bæticæ* situ memoratur *Turdulorum* patria, & eodem loco *Belonis* fluvii hostia describuntur accolæ *Belonii.* Ubi *Querquanas* fauces, *Leonicum*que secundo *Plavii* flumine egressi su-
C mus; In *Taurisanum* mox Campum ingressi, Montem *Bellunum*, olim oppidum, nunc vicum frequentissimo Emporio nobilem invenimus; quem locum, ut facilis conjectura est Majores nostri, vel ædificaverint, vel Coloniam deduxerint, aut ita omnino excoluerint, ut a se merito loco nomen indiderint. An scilicet putatis Ditionis vestræ fines his olim angustiis, quibus nunc circumscripti sumus, coarctatos? ut scilicet ad Meridianum & Occidentem Solem vix in octavum, aut decimum lapidem porrigerentur? Longè mihi credite longè latiùs extendebantur, perque *Casamattiam*, *Vadum Altum*, *Seravalli*sque fauces in
D *Forojulii* campos progressi multa obtinebatis; per alteras mox fauces *Ubaldinas*, quippe, & *Vallem Marinam*, *Fullonia*sque & *Collis alti* juga transgressi *Opitergium* usque ferebamini. Occasum verò versus in *Taurisanum* agrum dilatabamini. Ita montem *Bellunum* fortè condideratis, ita *Musculentum* tunc oppidum, nunc vicum, qui adhuc vestro paret Episcopo obtinebatis, ita anti- 40
quissimæ *Opitergio* jura dicebatis. *Castro Solici*, *Fileto*, *Franconi*, *Cendoni*, *Castro Caronis*, & *Fregonæ* & plerisque aliis locis, quæ nunc necesse non habeo commemorare leges imponebatis. Hinc illa olim fuit *Bellunensium* vis, & in re bellica
E claritas, ut *Forojuliensibus*, *Taurisanis*, antiquissimis *Venetis*, *Rhætis*, *Norici*sque finitimis terrori essent. Vos *Antenorem Trojano*sque ejus comites, reliquis in societatem *Euganeis* advocatis totiens bello lacessitis, pugnacissimasque gentes, quæ sub tam insigni duce militabant, ita demum attrivistis, ut pacem a vobis petere cogerentur, & in Regni participatum, solo ipsi contenti nomine cooptarent. Neque tamen antiquum, hoc est vestrum *Euganeæ* nomen ullo unquam tempore potuit aboleri. Vos præclara virtutis vestræ monumenta, *Flaviorum* civium
F vestrorum auspiciis in media *Verona* posuistis, ut pars ea arcus antiquissimi, via ad Icones indicat, inscriptione teste, quæ temporis injuriam evicit; Cujus pars hæc superat. TI. FLAVIVS. P. F. NORICVS IIII. VIR. I. D. reliqua dejecta sunt. Vos *Taurisanos* Regulos, vos *Utinenses*, *Aquilegiensesque* Præfectos non semel armis in sententiam vestram attraxistis. non semel beneficiis ita estis prosequuti, ut vel privatus civis vester, *Spiritellus* gente; quæ potens admodum in hac urbe olim fuit, inventus sit, qui privato sumptu exercitum bene magnum compara-

ret, & Eventu prospero, virtutisque ope optatam sociis *Forojuliensibus* victoriam afferret. Vos *Pemonem* Civem vestrum *Forojuliensibus* summæ integritatis, summæ continentiæ principem dedistis, cujus laudatissimos mores, & dignam Rege vitam ipsi ultro prædicare non desinunt, publicatisque per historiam rebus ab eo gestis, me-
41 moriam hominis nulla unquam posteritate defuturam æternitati consecrandam curavere. Vos denique *Venetos*, nunc rerum dominos, quod ipsi, quique res eorum gestas scribunt, neque inficiantur, neque dissimulant, ausi estis non semel bello provocare, fines eorum incursionibus devastare, signa vestra pro maris littore ante urbis aquosæ conspectum figere, & *Sabinorum Cinninensium*que instar, uti illi *Romæ* in collibus, ita vos nascentis in aqua urbis, potentissimæ olim futuræ incunabula solicitare. Ignari. s. inde mox vobis otium comparandum, unde tunc contentiones, & molestias aucupabamini. Fuit enim vobis *Joannes* Episcopus, penes quem erat totius rei *Bellunensis* summa, cujus auspiciis de *Plavii* hostio cum *Venetis* gravi admodum bello decertatum. Ita vos rates secuti vestras, vestroque invecti flumine, ditionem a *Noricis Rhætis*que *Alpibus* ad ipsum usque mare *Adriaticum* proferebatis. Quæ quidem omnia libentissimè vobis per Historiæ seriem commemorarem, fidemque iis quæ nunc obiter attigi facerem, deque Reip. vestræ regimine, quique temporum status, quæ conditio, quæ multis abhinc annis rerum vicissitudines fuerint, quo denique fato in hanc inciderimus rerum tenuitatem enarrarem, nisi instaret illud, quod tantum vobis negotium facessere videtur, ob eam, qua solicitamini ambiguitatem, quod *Bellunum* longè aliter sonat, quam *Virunum*, quasi *Judemburk* aut *Neistadt* ad vocem eam propinquiora sint, quæ nihil commune habent cum *Viruni* vocabulo, cum locutio *Bellunum*, cum *Viruno* usitatissima litterarum & mutatione &c. affinitate congruat. Quare necessarium est hujus demutationis causas vobis hodie declarare. Primùm autem omnium nemi-
42 ni dubium esse crediderim, quod ad primam nominis hujus litteram attinet, eamdem esse notam apud nos, quæ apud *Græcos* secundum in litterarum ordine locum tenet, alio tamen sono a *Græcis*; alio a nostris hodie pronunciari. Siquidem eam *Græci* consonantium primam cum enunciant, nos, V. consonantem scribere solemus; qui verò apud nos est BE *syllabæ-sonus* apud eos per VE exauditur. Hinc apud nos *Belus* & *Belides*, quod illi *Velus*, & *Velides* videntur enunciare. Hinc, superva pati fastidia, in antiquissimis aliquot codicibus apud *Virgilium*, & hujusmodi pleraque. Sciendum enim non *Græcorum* tantum, sed universæ penè *Italiæ* morem aliquando fuisse, ut nostrum illud digammon a *Martyrio Adamantio* nuncupatum B. littera notaretur. Utrum verò veteres eo, quo nos pronunciamus sono eam enunciaverint, an una eademque fuerit, ejus tam apud *Græcos*, quam apud *Latinos* vox, incompertum est mihi, qui videam non inelegantis eloquentiæ nationes in *Italia* plurimas V- digammon, per B *Græcaniorem* litteram & scribere, & enunciare. Contra verò legerim apud Etymologiarum auctores, *Græcos* Beta litteram ab ovium balatu originem soni desumpsisse. Oves vero non Ve, sed Be sonare unicuique est exploratissimum. Quod utcunque sit accipiendum, satis constat anteactæ ætatis inscriptiones conspici tota *Italia* plurimas in quibus B. littera, consonantium prima, digammi, sive, ut juniores dicere maluerunt, V. consonantis loco posita legatur; neque vos pigeat horum aliquot exempla, quæ nos excerpsimus ex vetustis memoriis auscultare. Illudque primum omnium in mentem

A venit quod pro VIXIT. BIXIT. *Romæ* plerisque locis notatum observavi. neque adeo multa vobis 43
recensebo, quæ quidem innumera sunt, paucissimis contentus testimoniis, quorum unum in æde D. *Sabinæ* ita habet. IVSTA QVÆ BIXIT ANNOS. L. MENSES V. DIES. XX. ubi etiam annos non annus *Græco* declinatu positum, quod quidem *Græcanicum* scribendi loquendique usum ætate ea in *Italiam* irrepsisse nulli dubium esse crediderim. Cum post exactos *Gotthos Itali* qui in *Græciam* transmigrarant postliminio demum rediere. Nam cum per tot annos tota *Italia* profugi *Constantinopoli* & in uni-
B versa *Græcia* commorati assidua *Græci* sermonis consuetudine contaminati *Græcam* in plerisque locutionibus pronunciationem imbiberunt. Tametsi aliquot etiam ætatibus ante *Gotthorum* adventum casus nostros *Græca* declinatione positos: & V. consonantem in B. transiisse compererio. Inscriptioni autem, quam supra posuimus, altera similis in æde D. *Cæciliæ* trans *Tyberim* FILIÆ DVLCISSIMÆ MELANTIO, QVÆ BIXIT ANNOS. III. M. VII. DIES. IIII. IN PACE. *Verecundus* nomen ita omnes scribunt, ut diversa sit a B. littera primæ in eo nomine notæ forma. *Romæ* ta-
C men legi antiquo in marmore notatum D. M. CLODIVS BERECVNDVS. Quid illud, quod BALERIA pro *Valeria* scriptum antiquo monumento apud *Andream Carisium Romæ* vidi. D. M. CASSIO BASSO BALERIA VERA POSVIT. Eodem modò ex longo tempore IVBENTVTIS pro Juventutis apud *Albertinos Romæ* legas, & OBIDIANVS pro *Ovidianus* habetur *Ameriæ* in hunc modum:

D. M. 44
CASSIÆ MON
D TANILÆ SO
RORI. L. CAS
SIVS OBIDIANVS FRAT.

Vnum illud propter argutum sententiæ leporem præterire non possum quod *Anxure* in agro habetur:

CÆLIVS ASPRENAS COMMODI
CÆS. NEGOT.
QVO NEMO MORTEM ALACRIVS
ADMISIT QVOD A SERVORVM
SVORVM SERVITVTE TANDEM
LIBER EVADERET
E HOC AVTEM TESTAM. CAVIT
POSTERIS INSCRIBI
BIX. ANN. LVII. M. IX. D. XI.

Non referam quod FLABIVS. in *Exquilino* legitur in pariete cujusdam vineæ, & eodem modô plurima. Urbemque hodie nobilissimam *Italiæ* videmus *Neapolim*, quæ familiari sermone plerisque locutionibus B. ponit loco V. digammi ut serbare pro servare, & similia, quod in quibusdam *Actii Sinceri* viri clariss. datis ad me litteris testari possum. Sed ut recentiora, in *Latinis* tangam, in nomenclatura Præsulum, qui
F Synodo, quam *Otho* Imperator *Christianus Romæ* celebravit affuerunt, *Joannes Berulensis* nominatur quia *Verulis* nunc *Verulanus*. atque etiam vice versa V. pro B. scriptum, ut in *Aventino Ro.* Æde. D. *Mariæ*, vonitatis pro Bonitatis. in *Exquilino* rursus Æde D. *Martini* Incomparavili & ad D. *Stephani* in monte *Cœlio Venemereti*, utrobique V. pro. B. sed accipite obsecro nobilem inscriptionem, ex celeberr. Urbe *Italiæ*, *Urbino* quippe:

C. VESBIO STEL.
VINDICI POPVLI
VRVINI

Sexcenta hujusmodi ubique lecta recensere possem, sed ut ad priora illa redeam VIRBIVS *Hipolyti* in vitam rursus restituti nomen, BIRBIVS olim scribebatur per B. locutionis initio eamque scriptionis rationem *Martyrius Adamantius* reprobare contendit eo opere, cui de B. digammo titulum fecit, quippe quod nomen inde sit deductum, quod *Vir Bis* fuerit, & quæ plu-
46 rima ponit exempla. Mitto quod *Fabius* & *Balbus* adhuc in usu per B. permanent, quæ tamen nomina idem *Adamantius* per *V*. *Favius* & *Balvus* veteres scriptitasse non inficiatur. Quin ut favor & favere per *V*. scribimus, & enunciamus, ita ille *Favium* scribendum præcipit, jam & *Fava* non *Faba* dicendum ex Analogia vel si *Faba* per *B*. recipiatur, quæ inde deducuntur *Fabor Faboris* & *Fabeo Fabes* per *B*. scribendum esset. quamquam non sum nescius, quantum ad *Fabii* nomen pertinet, *Fabios* olim *Fovios* appellatos; quod Princeps ejus gentis ostendisse dicitur quemadmodum *Ursi*, & *Lupi* foveis caperentur, ut auctor est *Sex. Pomp. Festus*. At enim cur Grammaticos, cur externa monumenta tot, & inscriptiones morosius conquiramus, si domi exempla suppetunt manifesta? *Feltrum* propinquissimam nobis urbem per *F*. consonantium quin tam omnes hodie pronunciant, & veteres ita scripsisse compertissimum. In historiis tamen, quæ ducentesimo abhinc anno contigerunt, *Scalano* præsertim bello *Veltrum* scribitur, quod *Sabellicus* diligenter observavit in historiæ ejus explicatione. Sed enim hæc a me non ideo dicuntur, ut res novas in re litteraria moliri velim; sed ut ex his tandem minimè vobis mirum fiat, si quæ prima fuit *V*. patriæ vestræ littera in *B*. tot ætatum mutationibus abierit. Nam de *E*, quæ successerit in locum *I*. multas vobis inscriptiones afferre possem, in quibus cedunt sibi vicissim hujusmodi litteræ: sed illa nimium vetusta missa faciam, quod pro *liber*. *Diana*. *Magister*. scriptitatum sit olim *leber*. *Deana*. *Megester*. per. *E*. at neglegentia per. *E*. quot in monumentis habetur? *Mauretania* per *E*. passim in *Hadriani* nummis. Pertæsum a tædet nunc omnes
47 dicimus, quod Antiquiores usque ad *Scipionis Africani* tempora *Pertisum*, per *I*. media syllaba enunciarunt; quam pronunciationem ipse cùm abeuntem retineret *Scipio* a *Lucillio* in Scæna mordaciter impetitus est, quasi id, ut facetior, & scire plus quam reliqui videretur, faceret. Contra *QVASE* per *E*. *T. Livii* manu scriptum *Quintilianus* asseverat IOVE DIE VICTORE pro IOVI DIEI VICTORI antiqua esse idem auctor affirmat. *Varro* quæ nomina sunt hodie *Mercurius* & *Commercium* apud veteres *Mercirius* & *Commircium* fuisse tradit. quod nunc omnes *Eleganter* per *E*. scribunt *Caper Eliganter* per i quod ab *eligo* esse opinatus sit scribendum clamat. At intelligo per *E*. antiqui ferè omnes codices habent. Quorsum autem hæc tam multa, tam ut ipsemet agnosco frivola? Eò nempe, ne quod *Vir*. in *Ber*. abierit ulla jam subrepat admiratio. Nam eodem modò, ex *Virginia Verginia* factum. & venerandum illud ex auspicio satæ virgæ, ut *Servius* tradit, *Virgilii* nomen, sive a *Virginali*, ut nonnulli asserunt faciè nuncupatum, alicubi non inficior, per *E*. prima syllaba de vulgi sermone scriptum reperiri, quemadmodum etiam virga vulgo nunc verga, & pro *Virgine*, *Vergine* dictitatur, quæ quidem scribendi ratio in *Virgilii* nomine bis aut ter in imperitioris sæculi marmoribus animadversa nunnullos optimè quidem litteratos,

A sed rerum novandarum forte nimium cupidos ita in sententiam traxit, ut non aliter quam per *E*. nomen enunciandum, scribendumque longa oratione disputarint. *Miror*, cum horum studia perpendo, cur non etiam. *L*. littera geminata *BERGILLIVS* ut ibidem habetur, scribi debere monuerint: eo enim modo identidem in eodem ipso 48 marmore, quod *Sutrii* esse ipsi citant, ut ipsemet oculis meis inspexi, scriptum cernere potuerunt. Sed ut rectè *Flaccus*, decipit exemplar vitiis imitabile, verum super hoc satis in Castigationibus nostris jam vulgatis dictum. Quod nunc instat, quantum pertinet ad primam *Belluni* syllabam abunde jam vobis factum arbitror. Nunc verò super *R* littera vestra omnis reliqua difficultas, sed
B numquid apud *Ovidium* legistis lenitudinis gratia *R*. in *L*. aliquot in nominibus mutari solitam? Unde cum is rationem afferre vellet, *Lemures* dicerentur. qui *Remures* prius a *Remi* nomine dicti fuerant, Manes quippe ejus, qui post parricidium illud perpetratum *Romulum* infestabant. Aspera, inquit mutata est in lenem littera. ita, quod nomen prius *Virunum*, facile mox *Græcorum* more *Berunum*, uti tot superius exempla recensuimus, enunciari cœptum, postmodum autem leniori
C enunciatione *Belunum* dictum, atque ita nunc *Romæ* in actis apud Pontifices scribitur, & ubique receptum habetur. Contra id, non tamen πάρεργον addam, quod asperiore sono *Byzantini Auram* pro *Aula* dicere solebant ρ. littera loco λ. enunciata. Hinc *Constantini Porphyrogeniti* tempore magna & ampla domus quædam, quæ scilicet *Constantinopoli* tunc Legatorum recipiendorum hospitio patuit, MEGAVRA id est ΜΕΓΑ'ΛΗ 'ΑΥΛΗ' quasi magna auladicebatur. Sed nos ad nostra. Obtinuit ad hæc usus, ut duplici. LL. *Belluni* nomen notaretur, veluti TERRA. *R* geminato, quod nomen, ut a *tero* procedit, vel quod ἔρα *Græcè* dicitur, ita
D unico *R*. in antiquissimis veterum Pontificum libris, ut *Victorinus* orthographia meminit habebatur. ejusmodique scriptionis rationem analogiæ re- 49 spondere ait *Varro*, quamvis usus obtinuerit, ut nunc passim *Terra R*. gemino scribatur, a quo quidem nomine *R* in *LL* geminum mutata TELLVS, eodem modo factum, quo *Bellunum* a *Beruno*.

Sed quod ad geminum *LL* in *Belluno* pertinet nos quoque antehac, quid sequeremur incerti, tam clara nondum cognita veritate, ejus vocabuli scripturam ad eruditorum, quos tunc observabamus, opinionem variavimus. Sed enim utcunque scribi placuerit, in medio posuerim, quod varia omni-
E no semper fuit hæc scribendi ratio. Siquidem consonantium geminatio penitus est ab antiquis repudiata, ut *Victorinus* & plerique alii veteres tradidere. Nam ANVS pro XII. mensium tempore, & LVCVLVS proprium nomen. atque etiam MEMIVS unum contenti *Sicilicum* supranotasse nulla consonantium geminatione scriptitarunt. Contra verò, ut idem *Victorinus* ait, voces, quæ nunc pressiore sono hujus litteræ *S*. dicuntur ut AVSVS. CAVSA. FVSVS. ODIOSVS & alia, per duo SS scribebant AVSSVS. CAVSSA. FVSSVS. ODIOSSVS. quod & veterum plerique tituli pas-
F sim ostendunt, quare nullam mihi faciunt ambiguitatem consonantes in hoc nomine, sive geminentur, sive simplices notentur. Reliquarum autem litterarum usitatissimas mutationes ita vobis ostensas existimo, ut neminem jam putem ambigere inter *Virunum*, *Berunum*, & *Bellunum* ullum esse discrimen. Cum igitur, quantum ad urbis hujus originem pertinet consona auctorum dicta recitaverimus, Conditorii *Flaviorum* historiam explicuerimus, palamque fecerimus, quod a *Græcis* est litterarum memoria proditum; marmore in 50 hoc nostro incisum esse; neminem tam destinato

A esse ingenio crediderim, qui non ultro fateatur,
omni rejecta controversia, nostræ nos urbis, si
non Conditorem cum longè, longè, inquam,
antiquior sit *Belluni* positi memoria, alio fortè no-
mine tunc nuncupati, certè ampliatorem adinve-
nisse, C. FLAVIUM inquam *Rom.* equitem,
Flavium triumphalem, *Flavium* harum faucium
custodiæ Præfectum, qui non campo tantum,
qui pro mœnibus est, *Flaviolo* cognomentum de-
derit; Verum etiam *Anaxi* fluvii nostri nomen in
Flavium commutaverit, quamvis prima ejus nomi-
nis littera, ut aliquando veterum mos fuit, densi-
tudinis sonum amiserit, & leniori littera mox *Pla-*
B *vius* dici cœptus, voce reliqua in diem usque no-
stram ferè integra permanente. Nam *Plavim* scri-
bimus in actis publicis, & vulgo *Piave L.* con-
sonante liquida in *I.* languidum versa, ut ex ad-
verbio *Latino* Plus, *più*; ex plano *piano*, ex pla-
cere *piacere*, & aliis similiter. ejuscemodi Etymo-
logiæ modus ne ridiculus videatur, in multis vul-
gi locutionibus tutandis usus est magnus etiam
Pontanus. Sed quoniam in *Plavium* incidimus
necessarium est super eo, quædam diligentiùs exa-
minare, cùm adeo multi sint, qui non urbem so-
lum nostram antiquo nomine defraudare conten-
dunt; sed tantum etiam amnem, tam exuberan-
tem aquarum vim evolventem, per altissimos *Al-*
pium apices avertere, vel in angustissimum aliquod
vas, ne usquam inveniri possit, abdere connitun-
tur; quasi magna *Venetiarum* planities ignoret, an
usque fluvii hujus magnitudo tam facile condi
possit. *Anaxum* enim alii pro uno ex *Tiliaventis*,
Plinianæ nomenclaturæ ordinem secuti, accipiunt;
cum tamen *Plinius*, neque in recensendis urbibus, 51
neque in fluminibus statuendis ordinem observa-
rit. Sunt qui *Plavium Silim* esse velint; quasi *Si-*
lis suo & alveo, & fonte conspicuus nulli sit. De
quo tamen, quæ vera mihi videantur, ne quid
de rebus vestris ad susceptum negotium pertinen-
tibus ignoraretur, eram hodie libentissimè relatu-
rus. Sed, quoniam dicendarum rerum copia ser-
monem longius traxit, atque opinatus fueram,
hodiernæ dictioni finem faciemus. Cras hoc eo-
dem loco, si convenire vobis adhibuerit, de *Pla-*
vio sermonem alium habituri sumus. nunc Vale-
bitis.

FINIS SERMONIS SECUNDI ANTIQUITATUM BELLUNENSIUM.

---

52 JOANNIS PIERII VALERIANI

ANTIQUITATUM BELLUNENSIUM

SERMO TERTIUS.

C HOdie viri *Bellunenses* de *Flavio* vestro
flumine dicturi sumus, quem hodie
nonnulli *Plabeam*, plures *Plavim* di-
cunt. Cosmographi veteres, histori-
cique *Anaxum* appellavere. De quo
tam ingenti, & in tam nobili *Italiæ*
regione medio quippe *Venetiarum* decurrente flu-
vio, nullam apud veteres liquidam extare mentio-
nem eruditi omnes ætate nostra plurimum admi-
rantur. Neque enim si profundissimum ejus alveum
toto *Bellunensi*, *Feltrino*que territorio, ripasque
altissimas alias super alias assurgentes nunc a dex-
tera, nunc a læva contemplemur, potest quispiam
D amnem esse novum opinari, prout plerisque locis
53 aliquando, nunc terræmotu, nunc interclusi in-
tra terræ viscera spiritus eruptione, nunc alio ca-
su aliquo accidisse memoriæ proditum. Verum
enimvero, ut in superioribus sermonibus disseru-
imus, manifestissimum est aliquot annorum mil-
libus eundem hunc amnem, eodem quo nunc la-
bitur alveo cursum continuasse. Quare mihi vide-
tur operæ pretium, quod tandem hoc Fluvii sit,
ubi oriatur, qua transeat, quibus ambagibus &
huc & illuc evolvatur, quæ, quamquam ingen-
tia sint ex eo emolumenta neque non commoda,
ubi demum commisceatur mari, non incuriose
E perquirere. Sic enim fiet, ut quæ hactenus super
eo perplexa fuerunt, nitida fiant, ambiguitatique
omni summota ipsa tandem veritas illucescat. Na-
scitur dubioprocul *Anaxus*, utar enim verô, vetu-
stoque ejus nomine, in *Alpibus Tauriscis* supra
montana, quæ vulgo locutione *Græca* adhuc in-
columi, uti superiore sermone dictum καθόρη nun-
cupabatur Amnis quidem, ut verisimile est, ab
Euganeis, *Græca* gente, ab *Hercule* in hac, ut
sæpe dictum est, *Italiæ* regione rude donata, eo
nomine ideo dictus, quod ob præcipitis cursus ve-
hementiam nullum Navigii genus retro in eo agi
possit. Id enim significatum *Græco* inest vocabulo.
Mons autem de cujus radicibus erumpit, *Scese* no-
men habet, quod *Latinè* præcipitia dicere possu-
mus. Imminet autem fonti crepido surrecta ad in-
star ardui cujusdam promontorii, defluitque pri-
mum in vallem admodum arctam, quæ pinis,
Abietibus, Alnis, & hujusmodi materia admiran-
dæ magnitudinis proceritatisque densissima per sta-
dia quattuor & viginti producitur donec in locum
deveniat, cui *Sappada* nomen est extra *Cathorino-*
rum ditionem. Mox inde per loca aspera & in-
accessa inter montium angusta provolutus in flu- 54
vium sibi parem incidit, cui *Cordibalo* nomen.
alius hic a nostro, qui *Bellunensem* agrum a *Fel-*
triano dividit. Huic inquam admixtus versus *Ca-*
thorinorum fines progressus XL. stadiis procul a
Sappada ubi *Duganem* Amnem in Comitatum ac-
cipit, *Comelegum*que ingressus *Cathorinus* fit, in-
fra *Comelegum* stadiis quattuor & viginti ad Vicum
Campolongum fertur, ubi amnis alius *Phrison* no-
mine influit in *Anaxum*, infra hunc ad stadia XVI.
aqua *Padula* est, quæ in conspectu ædis *Stepha-*
niæ Anaxo commiscetur. Nomen illi a Vico *Pada*,
juxta quem labitur profecta a monte *Crucio*, *Ger-*
maniæ proximo. Est hic ad meridiem Mons lon-
gissimus nomine *Mauria* a tergo cujus inter Me-
ridiem

ridiem & Occasum *Anaxus* iter vertit suum, cùm ex altero ipsius *Mauriæ* latere ortum versus utrumque *Tiliaventum*, majus & minus emittatur, qui ubi & ipsi abrupta *Alpium* evaserunt in plana mox *Japidiæ* effunduntur. Sed hæc narranda dimittamus iis, qui *Forojulii* res sibi scribendas suscepere. hinc ad stadia ferme LXXX. *Euganea* est, ubi amnis *Ansetius Anaxo* paulo minor admiscetur, & prius quam *Euganeam* antiquissimum inter illas *Alpes* locum attingat plenior jam fluit. *Euganea* autem suum adhuc nomen fere integrum servat; quo scilicet *Euganei* ab *Antenore* solum vertere, coacti magno numero se recepisse creditum. Hic autem portis, quas vocant, objectis, altaque munitione ab utroque fluminis latere, tam natura; quam arte excitata mirabiliter intumescit, quippe ad temporariam ligneæ materiæ emissionem, quæ succisa e surrectis hinc inde montibus per altissima præcipitia in ejus Alveum quotidie dejicitur:
55 stadiis mox circiter quadraginta totus trabibus, truncis tignisque cujusque generis, & quantitatis constratus, oppletusque ad *Stephaniam* ædem tendit; unde digressus quattuor circiter, & quadraginta stadiorum spatio *Boite* amne augetur, qui ortus ex *Mesorina* monte (qui ut *Græcum* indicat nomen, *Noricarum alpium* ferè medium tenet, ac per radices *Auruntii* plumbifodinis admodum celebrati emissus, ad *Plavium* nititur pervenire. Locus, ubi ambo junguntur amnes *Tripontium* appellatur, quod trium pontium capita ab una tantum ripa contigua ad alias in diversum divaricata porriguntur, itineribus uno in *Carnos*, altero in *Tauriscos* superiores, tertio in *Noricos* mediterraneos directis. Amne eo *Anaxus* itineris sui comite accepto infra secundum lapidem *Lozium* vicum invisit, & quarto mox *Cidolum* pontem, via *Norica*, *Carnica* verò *Laurentiacum*, qua iter est ad *Mauriam*. A *Cidolo* mox pagus *Duomilium*, & inde ad tertium lapidem Castellum in alta rupe, locus omnium eo tractu celeberrimus; ubi Præsidentium Conventus civilis cum primis vicus, & popularis totius ejus gentis administratio plebsque nuncupatur, quorum hominum ingenium, atque solertiam loco suo sermone superiori celebravimus. Infra Vicum hunc ad xv. circiter stadia *Pinarolanus* pagus admodum frequens offertur.

Hic amnis alter, *Boites* ipse etiam appellatus, qui ex *Ampitiis* emissus, castellumque, quod ab eo amne *Boetestanium* vocant, præterfluens, ubi per ardua Montium eorum loca *Pinarolo* jam proximus accessit, ab alta effusus crepidine parvo ab *Anaxo* intervallo præcipitatur in planum. Collectus verò *Boites* instructi Canalis alveum bene
56 magnum, aqua firmissimo, continuoque aggere suspensa in proximum deducitur *Anaxum*. Ab uno hujus Aggeris latere habitationes sunt locum incolentium, & hospitum diversoria. Ab altero continua excitata sunt ædificia serris frequentibus instructa tignis ligneis incredibili numero dissecandis, Taleas has in universum vulgus non ineptè vocat, cum etiam plantarum frusta ad propaginem, etiam per singulas gemmas incisa Agricultoribus antiquis Taleæ passim appellentur. Fabrum verò Collegia Taleas nominarunt frusta ex procerrimis arboribus piceis, abiegnis, larignis, quernis & similibus in truncos septenum, octonum & plurimum denum pedum longitudinem concisa, & tabularum, asserumve usibus destinata. Nam & *Catoni taliari* lignum *scindi* est, & præcidendo in effigiem aliquam informari, *intaliari* dicitur.

Hic verò incipit *Anaxus* esse ratium patiens. hic primum Dendrophori, quos nos exercitores ratium, ut sermone primo ex *Ulpiano* docuimus,
A incipiunt rates in certum ordinem colligare, viminibus enim obtortis ad instar restium lignorum capita singula perforata ita conjungunt invicem, ut nulla firmior sit ligatura, quippe quæ in udo non marcescat, ut restis, neque adverso impulsu frangatur, ut ferrea interdum catena. Mos autem plurimum servatur, ut unaquæque ratis Talearia quinis ordinibus, qui octonas singuli taleas accipiunt, porrigatur. Quorum primus & ultimus Remis sustinendis, exercitoribusque liberi concedantur, medius vectoribus inserviat, sive sub dio, sive sub Temporaria pergula vehi voluerint, secundus & quartus jumentis, & sarcinis
B adcommodetur. Non enim homines tantùm, sed
& Equi, & cujusque generis mercimoniæ com- 57
modissimè, velocissiméque convectandæ suscipiuntur. A *Pinarollo* stadio mox altero circiter & trigesimo Amnes etiamnum duo e contrario venientes apparent ostiis eorum modico spatio distantibus; quorum qui prior *Anaxum* influit a *Carnorum* latere est, & *Valmontina* nuncupatur, qui verò via *Norica* succedit *Malgo* nomen habet. Post acceptum istiusmodi fluentum ubi duo plurimum stadia descensum est, vicus est *Hospitalis* nomine, cum rivo modicæ aquæ, sed molendino aptæ.
C infra quem ad octo circiter stadia amnis *Tovanella* miscetur *Anaxo*, hæc a *Noricis*, a *Carnis* verò ad stadia xvi. *Trigon* amnis adest. Hinc terminus vicus via *Norica*, supra quem ad quattuor circiter stadia Munitio *Scardona* viam occupat. Ad unum inde milliarium post infra terminum, lapidicinæ incipiunt, quæ *Longaranum* usque porriguntur, hic arctæ, altissimæque fauces Castelli sunt jam diruti, olim munitissimi, unum scilicet ex his quæ *Maro* celebrat in summis *Noricorum* tumulis. Atque hic incipiunt *Lebactes pagani*, qui nomen ad hunc usque diem servavere marmoribus antiquorum incisum; *Lavaccii* verò vulgo appel-
D lantur. Inter hos octo circiter stadiorum itinere *Longarensis* vicus memoriis *Romanorum* celebris, quæ superant loco suo reposuimus. E regione hujus *Vajuntes* amnis est e *Cymolesia* emissus valle *Carnorum*; qui *Longareni* ædificia in *Anaxi* ripa excitata serras quippe molendinaque repentino perniciosoque auctu *Anaxum* supergrediens sæpe lancinat, & clades singulis ferè annis iterat infestissimas. quarto inde stadio *Mæsius* fluvius in altissima valle subsidens ponte superatur, qui via *Norica* progredientes a læva ad *Anaxum* mittit atque *Bellunum*
a dextra in *Claudias* ferrofodinas unde mox iter 58
est *Prusinonem* versus. *Mæsio* relicto paulò post
E *Desedranus*, aqua quidem modica sed infida, molestissimaque glarea transitur. ex hujus regione *Gallina* amnis labitur a *Carnis*, & paulò infra via *Norica* vicus *Fortunius* in colle supra nostri fluvii ripam assurgens, postquam stadio circiter decimoquinto Torrens fontanus ab Aquilonari *Servæ* montis parte profundam admodum glaream latè devolvit in *Anaxum*; Bona verò pars aquæ per Canalem ad *publicæ libræ Pontem*, vicum celebrem, ita nuncupatum ducitur, universo loci illius populo usui futura superne ultra pontem fossa illa est, per quam lacus *Casamattii*, sive *Varrami*, sive *Risini* dicere maluerimus, unde piscosissima, præ-
F sertimque optimarum anguillarum captura nobilis, in *Anaxum* defluit. Pons de quo modo, sublicius altis hinc inde ripis innixus, qui transmittit in viam *Juliam*, quæ *Seravallum* ducit. *Anaxus* hic inter utriusque Ripæ saxeæ angustias coarctatus neque plus quàm passus xv. occupare in latitudinem potest, sibi verò cavet ne juguletur altissima in saxum solidum excavata profunditate. Ponte hoc transvehuntur in *Germanias* illæ mercium moles, quæ *Venetiis* in nobile *Germanorum* emporio quotidie constipantur, hæque sarcinæ tam ingentes in hu-

jus pontis vico libra vectigali publica expenduntur. In campo bene spatioso juxta Pontem hunc vicus alter est *Pollia Poetici* nomine, per quem *Bellunum* itur. De *Paeticis Longareni* antiquissima legitur inscriptio super horilogio *Lebactibus Paganis* dato, in honorem *Claudii Neronis*, de quo inter monumenta reliqua diffusius. Infra Pontem *Anaxus* amplo nimirum alveo, eodemque glareosissimo dilatatur, multisque hic & illic divortiis evaga-
59 tur, & regressibus conciliatur stadiis circiter xx. hac & illac provolutus sub ipsam urbem nostram promuntorio ad instar peninsulæ opposito, quem *antam Græca* voce appellant, in angustum cogatur, velocissimo illo impetu aliquantulum sedato. non enim plus quam passus circiter xxx. maximo in diluvio occupare potest. ab *Antæ* promuntorii vel peninsulæ potiùs tergo *Arctus* fluvius, qui de proximi *Servæ* Montis faucibus emissus, per vallem, quæ fluvio nomen dedit, arctissimam eluctatus *Belluno* urbi succedit. ac postquam bonam sui partem spathariis officinis, fulloniis, molendinis, tinctoriis alveis, serrisque materiariis oppido condonavit, altera per spatiosam glaream diffusus in ipsius urbis conspectu *Anaxo* commiscetur. Pars autem aquarum altera, quam operis quas enumeravimus concessit per imum urbis Clivum firmissimo canali ducta ædificiis illis altero sub alterum continuantibus, a Septentrione, ab ortu, & a meridie occasum versus circumvecta urbem ipsam reddit quasi peninsulam. hortis vineisque circumcirca passim a mœnibus per altum admodum clivum ad ipsum usque Canalem fœlicissimè consitis. Ne verò aliter urbis situm, quem pro re satis primo Sermone descripsimus, importunè repetamus; a meridionali urbis porta continuus statim vicus gradatim descendit, & ad fluminis ripam latè porrigitur, tot ædibus frequens, ut oppido satis magno sit dare nomen idoneus, sublicio ponte longissimo passuum quippe quinque supra quinquaginta in alteram transmittit ripam, quæ & ipsa vico est altero constipata. Partem hanc & hinc & inde incolunt ratium exercitores, atque hic unicus est portus toto flumine, statioque tanta tigno-
60 rum & materiæ frequentia quotidie occupata, ut longissimus ripæ totius tractus assiduè contiguis fere ratibus prætexatur. aliis abeuntibus, & aliis e vestigio succedentibus; Vectigal autem amnis hujus & piscatus jurisdictio majori ex parte *Bellunensi* est addicta Præsuli. Hic *Anaxus*, ut elegantia sentiunt ingenia, & superiùs indicavimus, tempore *Sertorii*, qui provinciam ad arcendas Barbarorum incursiones a *Viruno Veronam* usque sortitus erat, *Græcum* amisit nomen. ab *Euganeis*, ut palam est, inditum; & in sempiternam, ut superiùs dictum, *Flavii Hostilii Sertoriani* memoriam *Flavius* appellari cœpit, qui postmodum asperioris litteræ sono in leniorem mutato *Plavius*, mox barbara enunciatione *Plavis* dicta. id nominis ad fontem usque suum porrexit. Ab hoc autem suburbano ponte ripa ulteriori, leni ambitu ducta ad stadia tria decurrit; cujus margo summus, ubi cespes minimus, pedibus circiter quindecim ab aqua, quæ nullo diluvio tumefacta sit, assurgit. Urbica verò ripa huic opposita longè altior. Clivus ipse submœnianus est, qui ad octo ferè stadiorum circuitum Theatri instar nonnihil ultra semicirculum incurvatur, fluminisque decursum; qui & ipse lato deflexu ad imum Clivi marginem plurimum contorquetur, excipit; ut ab occasu in prospectu, ante ipsa mœnia delabatur, quibus plurima incumbunt ædificia; Pars ultima ulterioris ripæ campus est *Nundinarius*. Hinc autem ultra urbis, & suburbii clivum, subsidet ad altitudinem *Nundinarii*, campus alter, qui *Lambiolus* nuncupatur. Intervallum inter hujusmodi campos pro

A Theatri ipsius arena, glarea est trium & amplius stadiorum quoquoversum; in qua ludi hujusmodi sæpe fiunt, quod Primarius fluvii alveus ad omnem imbrium effusionem sedem mutat, assiduisque am- 61
bagibus, ut quadrigæ circum metas, modo huc, modo illuc transfertur, plurimisque divortiis, modo hic, modo illic, ad alveum redeuntibus divaricatur. Rarissimum autem est loco hoc totum amnem in unum colligi, quod ego, cujus ædes omnium maxime Theatro huic imminent, nunquam adhuc multorum annorum curriculo factum animadverti. Causa vero hujusmodi discessionis Glarea ipsa est tum plurima, tum infida, passim B vero subsidet aqua ad incredibilem altitudinem; sic minimo quoque impulsu, quæ supernè est, cedit, atque ita quotidie ad impetuosi fluminis momentum quodlibet volutatur. Perdurat autem hæc ambiguitas alvei ad xiv. circiter milliaria, quibus vallis nostra latiùs panditur, donec projectura *Victoriani* montis veluti promontorium quoddam exporrecta in ripam *Gardani* Montis, qui ad ripam alteram sub *Cesiana* consurgit incursare propemodum meditetur. In hoc xiv. milliariorum tractu ab Aquilonari ripa amnes, rivique perennis aquæ in *Anaxum* influunt, à primo lapide *Orivasianus*, C inde *Michelinus*, & paulò pòst *Chrysalis*, ac demum *Corduvius* octavo ab urbe lapide. *Corduvius* inquam, quem recentiores *Cordibolum* appellarunt, *Anaxo* similis, magno tamen intervallo similis. Nam quamvis & ipse sit ratium patiens, & grandiores etiam taleas præcipueque Larignas suggerat, numero tamen longè inferiore cedere cogitur. Hujus quoque fluminis vectigal a *Bellunensi* Antistite recipitur. Hoc autem patitur incommodum, quod propter saxorum moles, quibus passim fluvius oppletus est, & subaquaneas cautes, crepidinesque tota ripa continuas, expectandus sit auctus pluviarum beneficio, si materia commodi sit deducenda; 62
D quamvis duorum vix ab *Anaxo* milliariorum intervallo, influente in eum *Mysio*; qui & ipse iisdem ligneis auctus materiis neque non serris, & ædificiis aliis instructus, sociam operam præbet. Insignis est eo etiam nomine *Corduvius*, quod ad triginta in Septentrionem milliaria ex altissimis *Alpibus* emissus ad duodecimum usque ab *Anaxo* milliarium, ubi pagus nobilis *Agortes* nomine, quem nonnulli antiquum *Agentum* putant æris, ferri, chalybis, auri etiamnum, atque argenti metallofodinas opulentas admodum subministrat. Majores nostri nomen illi a *Cordua* inditum prædicabant. Vi- E cus is olim fuit prope *Vedanam Carthusianorum* celeberrimum Heremitorium, quem vicum incumbens *Corduvii* alveo mons solo subter excavato, subita ruina discissus corruens oppresserit, oppletoque ulteriore alveo, qui *Corduvium* sub D. *Petri Suspiriani* specula in *Mysium* deducebat, lacu illo relicto, cujus piscatu aluntur proximi Heremitæ, coactus postea sit sub scissi montis radice iter aliorsum vertere, & angustis, volubilibusque anfractibus, vix ad *Bribanum* pagum, *Mysium* operarum socium assecutus, quo in comitatum accepto, unanimes ad *Anaxi* auctoritatem se conferant. Mons autem ille diffractus *Martinianus* no- F mine celsissima & formidabili crepidine surrectus omnibus adhuc terrori est, tum ingentes saxorum disjectorum moles, quæ ultra stadia quindecim quoquoversum dissiliere, & totos circum agros oppressere, inutilesque, & vepribus vix idoneos reddidere, fragoris illius manifestissima sunt indicia.

Prudens prætereibo quorumdam commenta, qui fluvium hunc *Cordubium* appellare volunt, propterea quod ob rapidissimum cursum, & immanes 63
undarum in asperrimas cautes incursantium strepitus dubium transeundi cor hominum reddere videan-

deantur. Et, ne ulla unquam ætate nugæ desint, *Caprilem* alii Satyrum comminiscuntur, a quo nomen loco in *Alpibus* celebri supra vicum *Agortem*, eum scilicet *Plabeæ Anaxi* filiæ amore captum, cum Nympham obsequio nullo sibi conciliare potuisset, ad vim conversum cursu eam insectatum, quæ cum pudicitiam suam conservatura in *Cuniacam* speculam in ipsum fluvium assurgentem profugisset, importunissimo Satyri urgente cursu, ne in manus ejus incideret, celsissima de scopuli illius crepidine præcipitem se dedisse, caputque prius quam subjectas patris aquas attingeret, cautibus allisisse extinctamque extemplo in porrectas Patris manus decidisse *Jovem* amarissima Patris querimonia lacrymisque commotum, ut qualicunque patrem consolatione deliniret, *Anaxi* nomen in *Plabeam* commutasse, honorisque hujusmodi decretum in æterna fata retulisse. Caprilem verò addunt tanti sceleris sibi conscium, cùm vitam odio habere cœpisset, pectus sibi dissecuisse, corque manibus suis avulsum, in *Plabeam* immersisse, neque ita tamen emori potuisse, qui Semideus esset. In montium igitur suorum asperitatem regressum, mærore, & lacrymis confectum intabuisse. tamen ea parte quæ mortalitati erat obnoxia, adeo ut in fluvium delituerit, Deos misericordia motos nomen Fluvio *Cardibalum* ὅτι τὴν καρδίαν ἀπέβαλεν a pœna, quam de se sumpserat imposuisse, &, ut amatæ tandem *Plabeæ* admisceretur, indulsisse. Non sum verò nescius fabulas in rem seriam inductas apud severiores homines esse reprehen-
64 sioni obnoxias; sed hæc nisi tractentur, & pro fabulis suo pretio venditentur, imbecilliora interdum ingenia in errorem solent adducere. Vt verò nostrum iter *Feltriam* versus ire peragamus, duodecimo circiter stadio a *Corduvii* trajectu *Pissalcella* rivus est fluvii non indignus nomine, inde ad vigesimum stadium *Cauranus* amnis sublicio ponte superatur. Aqua hæc altissima angustaque latens Vallecula subterfluit, locisque plerisque cataractis occluditur, donec intumescat multæ ligneæ materiæ deducendæ utilis. ab hoc ponte a dextra iter est *Feltriam*, a læva *Victorianus* mons sibi totus insurgit qui amne ab ortu *Cauriano*, modicoque campo, ab Occasu *Sona*, qui *Feltrianum* suburbium lambit, a Meridie *Anaxo*, qui costas montis extremas assiduo lancinat incursu, a Septentrione via cingitur militari. Hæc usque *Feltriam* via *Norica*. trans amnem verò nostrum, ubi *Belluno* digressi Pontem in imo suburbio transierimus ad decimum progressi stadium via ripensi *Tauricum* amnem invenimus, qui quidem perpetui amnis nomen nunquam amitteret, nisi per aliquot stadia Canicularibus diebus, infra *Calliopem* vicum, & *Castalionem* secessum meum, dum studet æstus intolerabilis cavere vim sub altiori glarea plerisque locis absconderetur. Oritur is in ima valle, ultra Divi *Mammantis* ædem in *Calliopeo* jugo sitam, aqua multa inter inaccessas crepidines prosiliente; Inde *Mammæo* accepto fonte quadraginta plurimum stadiorum itinere confecto, eis vicum *Visiomas* defluit in *Anaxum* duodecimo circiter a Ponte *Bellunensi* stadio. Vltra *Visiomas* *Ciconia* statim est multæ vastationis, amnis qui de proximis emissus Vallibus, quæ ad ædis *Castalioneæ* curam pertinent magna ubique riparum rui-
65 na diluviorum tempore agros imminuit, qui demum accepto in gremium *Contissa* rivo bene magno infra *Visomias* ipsas *Tauricæ* conjunctus *Anaxo* commiscetur. A *Visomiis* eodem ripensi tractu ad XV. circiter stadia, *Cæsia* est in ipso ripæ margine, inde ad quartum *Limana* amnis. Neque negarim *Limanam* pagum dictum, qui *Limanæ* adhæreat, qui de agro meo, & cohærentium ad unamquamque pluviam partem aliquam delimat.

A Ultra *Limanam* eadem amnensi via stadiis vix tribus Divi *Felicis* ædes est, ubi navibus fluvialibus trajectus, quæ toto flumine contis non remis a puppe tantum suppelluntur, commodus præcipuè *Agorstinis* descendentibus in *Taurisanum* agrum per *Ubaldinas* fauces: inde ad octavum Stadium *Lartes*. Fluvius ipse quoque marginibus iniquus, & agris maximè contumeliosus. Huic imminet *Farra* alia in clivo præalto supra *Lartem* edito. Inde *Melum* in surrecto colle positum, inde *Lintiaci* uterque vicus amne suo præditus, qui proximum in *Anaxum* influunt. Infra quidem *Melum Terchæ*, infra *Lintiacos Rhemuntia*. *Melum* ipsum in colle suo
B supra ripam *Anaxi* conspicuum populo admodum civili sub auspiciis nobilitatis *Georgiæ* in Rep. *Veneta* Clarissimæ degunt, cujus familiæ Castellum *Zumellæ* nuncupatum ad stadia quattuor est manifestum jurisdictionis insigne. E regione *Meli* ostium est *Corduvii* in *Anaxum* defluentis, & hic trajectus *Anaxo* similis priori, sed non usque adeo frequentatus. Hinc ad stadia circiter XXV. *Cesiana* est. *Cesiana* autem suos agnoscit dominos, indigenas, & antiquos. Frequentissimus hic Trajectus, & ratium & mercium omnium, quæ *Anaxo* vectantur. vectigal exigitur a *Feltrensibus* modo, olim ducentesimo anno a
C *Cesianis* dominis. Sub Colliculo, vel clivo po- 66
tiùs cui *Cesiana* incumbit crepido quædam asperrimi saxi ad ripam excavata supra fluvium exporrigitur, sub qua Gurges profundissimus, feréque accidit toto anni tempore, ut unda per infirmam glaream latè expatiata alveo quantumvis distante, ubi ventum est e regione crepidinis totius aquæ vis in eam rapiatur. & in saxa ipsa incursare contendat profunditate, vorticeque gurgitis omnia devorantibus, ubi opus & labor exercitoribus ad dexteram ripam quanto fieri conatu potest rates impellere marginemque objectæ Glareæ corradere quod nunquam tanto studio, nixuque fit, ut al-
D terum a læva ratis latus non desideat, & vectores alluvione, quæ supra ratem insilit vel ad genua usque perfundat. Evitata autem crepidini tam periculosa. XV. stadiorum spatio ad *Victorianum* Promuntorium pervenitur. Vbi aliquantulum patefacta jam Valle D. *Victoris* ædes & Cœnobium venerabili in summi Clivi vertice conspicuum salutatur. & *Sona Feltrianus* amnis in Comitatum accipitur, ab hoc ostio reducta est in vallem *Feltria* per stadia circiter XXV. mox per montium anfractus alternante valle per quadraginta stadia volutatione anguinea cursu tamen sedatiore fluvius ad
E *Querquanum* scopulum appelletur. Hæc navigatio satis lepida cum nullius hic cautis sese objiciat incursatio. Medio hoc itinere *Castellum novum*, ita enim appellatur, viam intra se admittit, e cujus regione ab altera fluminis ripa Turris inter aquæ marginem, & surrecta saxa consurgit, alveo tam angusto, ut a muro Castelli ad turrim oppositam Catena ferrea belli tempore transmitti possit, quæ ratium transitum prohibeat. Hic verò locus tanti momenti est, ut ei a Dominio *Veneto* præfectus ex nobilitate selectus tertio quoque anno 67
destinetur. A *Cesiana*, uti dictum, per totam hanc Vallem nulla solicitudine, metuve naviga-
F retur nisi ad stad. circiter XII. infra *Castellum novum*, *Querquanum* Promuntorium de quo supra, scopulum porrigeret, ita obliquatum in latum sinum ut toto fluvio in ambitum propemodum Theatralem recepto, aquam retrorsum ablegare cogatur, ad ambitus, ambagisque istiusmodi exitum consurgunt hinc exporrectæ cautes, inde scopuli, qui angustissima intercapedine totum fluminis impetum recipiunt; Exercitores locum hunc *Portas* nominant. Sed cautes, quæ a dextera sunt, decliviori situ molliorique saxi continui lævigatione

ne constant. Qui verò scopulus a læva est surrectiori crepidine, cautibusque asperioribus, vel ipso visu horribilis. Huc cum appulerunt rates, raro ita plenus est fluvius ut a dextera non urgeant ad ripam & eam cum ingenti glareæ motæ & saxorum attritorum strepitu in sicco perstringant. Hic interim aliquo spatio rates per subaquaneas cautes reptantes vi fluminis impelluntur magna vectorum trepidatione, dum pars ima modò raditur, modò fluctuatione succussuque quodam agitatur, a læva verò periculum est, ne in extantes projecturas impingantur; quare prora sive caput ratis avertendum est, permittendumque ut capite elabente reliquum corpus, nullo nisi alluvionis periculo cautibus allidatur. Hæc veluti *Scylla* est, in qua prætereunda cavendum est, ne ratis impacta dissiliat vinculis abruptis. Sed ubi in latiorem alveum deventum est statim occurrit *Lacunaris* Gurges. altera scilicet *Charybdis*, nonquam *Scyllæ* momento aliquo evitare possis, sed in quam simul ac *portas* evaseris, incidere necesse sit, ita totius fluminis vis recto cursu rapta in alti, sur-
68 rectique montis crepidinem impingit, a cujus asperitate repulsa in vertices & ingentes, & innumeros sese retorquere, & veluti saxo ictus anguis mille voluminibus spiras complicare cogitur, atque hinc accidit ut recto impedito cursu, tota aquæ vis in semetipsam conversa montis oppositi radices olim abroserit, altissimoque nunc Gurgite desederit, & turbinatim instar torti fulminis in imum usque sese circumagat, donec soli tacta duritie resilire, & supervenienti cedere cogatur, & cursum ita suum per ambages continuas evincere conni-tatur. Huc ubi perventum est, aqua ita infida & variæ rates quantacunque sint levitate habiles bona sui parte sub aquas inclinantur, quia tamen plana ratium latitudo violentiæ resistit non ultra pedem, aut ubi plurimum sesquipedem merguntur, idque modò hic, modò illic, succussatione veluti quadam ingluviem eam exsuperantes. Ex his elapsi vorticibus per stadia circiter sena *Querquano* Promuntorio a dextera Vase celebri, vico a læva prætérito, ubi in alta semita aqua fontana tantæ copiæ una eructatione prosilit, ut bene magni fluminis instar multis inserviat operibus, fullonits, & chartaceis, inter has altissimas montium cautes, aqua tamen leni, *Sigusinum* pagum liberiore demum cœli conspectu montes jam cultiores, fertiliora juga, agrosque patentiores offerentem vident, circumvectique a dextera totum *Querquanum* Promuntorium sub *Fenarium* Vicum amnem excipiunt. Post humeros autem Promuntorii *Querquani* vicus ipse est. Nam a Castello antequam ad scopulum, de quo diximus perventum sit, via divertit a fluvio, & post collis ejus tergum per vicum transit in vallem quandam unde totum ambitur Promuntorium. Vicus verò ad Se-
69 ptentrionem deflexus instar oppidi est, insulis toto jugo, & compitis frequens, & aliquot etiam antiquorum memoriis ornatus. ad imum vallis duo amnes in unum coeunt, qui apud *Fenarium* conjuncti statim in *Anaxum* defluunt. Hinc ad *Ripam siccam* stadia conficiuntur circiter quattuor & sexaginta. Medio hoc itinere supra viam alti admodum clivi insidet *Pederubia* pagus, inde *Leonicum* versus vallecula occurrit, cum amne *Colonia*, qui non decidit in *Anaxi* alveum, sed in derivium quod per Catarractam sub *Pederubia* de ipsius *Anaxi* fluctibus excipitur, aggereque firmissimo deductus per *Taurisanum* agrum pluribus aquarum divortiis in latissimam planiciem ad multarum possessionum utilitates effunditur. Inde *Rovigius* pagus, & ab altera fluminis ripa abbatia *Vidoria*. Hinc *Ripa sicca* demum in plano sita, a quo Vico per campum iter est *Taurisium*, centum

A circiter & duodecim stadiorum spatio.

Anaxus verò iter suum longo ambitu flexuosum ad ortum brumalem vertit, planicieque infra Montellum occupata ædicula sanctæ *Mammæ* præterita, amne rabioso recepto *Falectum* versus fluit, qui pagus cum amnensi trajectu *Collis alti* dominis paret, ubi verò *Soligum* amnem de *Fulloniæ* fonte amplo emissum suscepit quietiore mox cursu, sed ambagibus valde tortuosis in *Collis alti* conspectu ludit hac illac, quasi choream ducat, eoque vagandi veluti studio fertur ad *Narvanos*. Hinc quoque canalis alius ex *Anaxo* excipit aquam,
B quam per campum alveo excavato *Taurisium* deducat. A *Narvanis*, paucis sub pago stadiis trajectus est *Scarancina* nomine via, quæ ducit in *Cogienses*, inde alter ultra *Lovadinam*, mox *Macerata* & D. *Pauli* locus, a quo stadia circiter nonaginta trajectus, & portus ille celebris, qui pons 70
Plavius appellatur ubi aqua jam levior lintrium & aliarum Navium onerariarum patiens ultro citroque se navigabilem præbet ad stad. mox. 7. *Salgareda*. inde *Noventa*. Mox *Fossalta*, mox *Donatianum*. mox *turris caliginosa*. & *portus* denique *Jesulanus*. Loca omnia suis instructa trajectibus, atque in hac denique littoris parte *Anaxus* post
C emensa milliaria centum circiter & triginta, a fonte ad ostium amnibus ultra tres & triginta in comitatum acceptis, cautibus tot, scopulis, crepidinibusque superatis in *Hadriaticum* triumphabundus, & opulentus ingreditur. Hic verò dubitassem narrare vobis quasi fidem facturus fabulas, quas de cursu *Plabeæ*, ut nunc vulgi locutionem usurpemus, quem fuisse quondam per *Seravallis* fauces loci ejus aniculæ prædicant; nisi scirem esse homines quosdam ita opiniosos, qui rem oraculi instar enarrent, olim scilicet eam per nuncupatos ad pagum saltus, *Casamattiæ*que & *Sanctæ Crucis* ripam, vadique alti tractus elabi solitam, donec hinc &
D inde colluctabunda inter arctissimas montium angustias ad *Seravallem* emissa aperto demum *Forojuliensium* campo potiretur. Medio mox eo itinere factum, ut magnis surrectarum crepidinum desilientium ruinis interclusa retrocesserit, & in *Bellunensem* agrum, unde diverterat relapsa novum *Arcto* sibi adjuncto, alveum excavarit. In recessu ab antiquiore illo decursu, lacus illos relictos, qui ad *Casamattiam*, & aliquot *ad Pagum* vicos, & viam inter convalles reliquas stagnant, ipsumque tunc *Vadum altum*, nullo neque ingressu, neque egressu intra se contractum in eam qua conspicuus est, profunditatem subsedisse, osten-
E tantur in hujusce rei testimonium veteres aliquot *Seravallensium* tabulæ, quæ quorundam agrorum 71
limites ad veteris *Plabeæ* usque ripam citant. modicæque altitudinis valleculam longo tractu continuam ostentant, sive potiùs latiorem quandam, longéque productam fossam, magnis olim imbrium diluviis delimatam, quam antiquum nostri fluminis alveum fuisse contendunt, & confidentiùs asseverant. Id ego vel negare, vel affirmare nullius momenti esse contenderim. Sed fluminis nostri alveum, uti initio diximus aliquot millium annorum esse, & ab ipso dicere ausim, orbe condito
I ad hanc usque diem eodem, quo labitur alveo perfluxisse confidentissimè contenderim. Id quod ipsa riparum indicat altitudo; ipsique antiquarum, diuturnarumque alluvionum relicti margines, longo modò hac, modò illa parte ductu, clivis benè magnis plana camporum spatia ministrantibus, per gradus quosdam latissimè constratos, & ad culta commodissimos, quo diluviorum auctus nunquam sint amplius ascensuri. Sed utcunque *Seravallenses* de fluvio nostro fabulentur, id asserere possumus totam illam planiciem, quæ nunc inter *Anaxum*, & *Taurisanam* urbem latè jacet lon-

longa nostri fluvii alluvione paulatim oblimatam esse, & adhuc diluviis perfundi pergeret, nisi densis, ac magnis saxorum molibus, aggere juxta *Narvisiam*, utar nunc vulgi vocabulo, producto (ibi enim erumpit in plana) aliorsum fluctum impetuosum flectere cogeretur. Neque sic tamen obsistitur, quia exundante per tempestates *Anaxo Butinica*, unus e *Taurisanis* amnibus, qui per urbem diffunduntur, identidem intumescit, & lapideum in urbe media pontem ad *Bethlemicam* anno Sal. M. D. XII. demolitus est, influxerat enim
72 in eam *Plavius*, quod Cives ipsi ponte mox refecto, marmoreo superaddito titulo posteritati tradere curaverunt. ita enim inscriptum est:

PLABES FLVVIVS CVM INSVETO ET QVODAMMODO PRODIGIOSO INVNDARET INCREMENTO BVTINICAM AMNEM INFLVXIT VRBEM INVASIT PONTEM SVBVERTIT. HIERONYMVS PISAVRVS PRAETOR NE MAXIMIS INTENTVS HAEC ETIAM MINORA NEGLIGERE VIDERETVR RESTITVENDVM CVRAVIT
M. D. XII.

Quin etiam toto illo agro qui a *Narvanis Tarvisium* usque & a *Ripasicca Castrofrancum* versus hinc & inde latè patet, terra passim unius, aut duorum ad summum pedum altitudinem de fossa nitidam, & omni luto purgatam glaream ostentat, argumento satis manifesto, decedente in dies fluvio super inductum mox cespitem, & diuturnitate temporis agrum factum. Cumque, uti dicebamus glarea illa tam purgata continuet; quid mirum si nobilia quædam ingenia *Silim* eundem, atque *Plavium* esse arbitrati sunt? Nam subterraneus ille defluxus commodam habet viam, ut facile possit infra *Castrofrancum* paludem illam influere, quæ *Silis* mater est, & emissarium, quod
73 non de *Sili* tantum ausim affirmare sed & de *Butinica*, & aliis amnibus, & rivis omnibus, qui *Taurisium* ingrediuntur. Verisimile quoque est nostrum hunc eundem amnem in campos effusum ab Orientali etiam latere aliquando planiciem, cui adhuc est infestissimus, latius occupasse, a *Narvanis Opitergium* versus iter detorsisse, ut olim *Vacciolam* usque diffusus est, & *Plavioli* vici fossam visitationis suæ testimonium reliquit, quæ loca non admodum distant a *Seravallensium* finibus, eaque parte crediderim posuisse fines aliquos ad Veteris *Plavii* ripas a *Seravallensibus* agnitos. Non ita tamen ut fateamur tantam aquarum vim, quantam secum trahit *Plavius* per *Casamattiæ* valles, *vadi*que *alti* angustias tam contractas, perque medias *Seravallis* fauces effluxisse. Sed ut ad aggerationem nostram redeamus; non *Taurisanus* tantum campus, sed universa *Venetia*, *Insubria*que, & *Taurinensis* in *Cisalpinis Liguribus* ager aliquot annorum millibus per tot, tantorumque amnium, quibus inundantur alluviones concrevere, mari ad hæc quotidie recedente, invectumque a fluminibus limum in littus aggerente, continentique ita in horas singulas suos proferente fines. Quod ne cuiquam mirum videatur, ut *Ægyptum*, rem quippe uno auctorum omnium testimonio notissimam prætermittam, terram eo modo coagmentatam, spatiosissimos *Indiæ* campos illos *Indi* fluminis alluviones esse pro compertissimo tradit *Arrianus*, ita *Caystrum*, *Lydum*, *Caicum*, *Menandrum*, & *Hermum*, & plerosque alios fluvios insignes, campos a se nominatos habere, quos illi ex superioribus locis limum trahentes terra congesta in solum mox obdurent. Sanè cum philosophiæ darem ope-
74 ram *Patavii*, aquatilisque puteus ad Tonstrinam quandam apud *forum olitorium* foderetur, operis ad certam altitudinem descendentibus arena primum reperta est, inde conchyliosa glarea, quarumcunque pinnarum corticibus refertissima, cre-

A taceum mox terrenum de quo moto demum aquarum scaturigines affluentissimè pullularunt. De hujusmodi vero aggerandi ratione *Polybius* latè historiarum IV. disputat, ubi futurum dicit, ut *Mæotis* palus, quæ tum latissima erat, sæculorum haudquaquam multorum spatio, tota ferè decidentium in eam amnium alluvionibus compleatur, ac mox etiam *Pontus Euxinus* eadem ratione magna sui parte vadosus fiat. Magna enim est longæ ætatis auctoritas in rerum mutatione, & ut Horatius:

Debemur morti nos, nostraque sive receptus;
B *Terra* Neptunus *classes Aquilonibus arcet*
Regis opus sterilisque diu palus, aptaque remis
Vicinas urbes alit, & grave sentit aratrum,
Seu cursu mutavit iniquus frugibus amnis
Doctus iter melius.

Quid vero vos ad vocabulorum mutationes horrescere quodammodo videbamini, qui res ipsas mutari quotidie conspiciatis? Miror autem unde nonnulli unum e *Tiliaventis Anaxum* esse commenti sint; quod *Varramum*, quem *Plinius* in *Anaxum* defluere tradit rivum eum crediderint, qui ad *Concordianas* paludes *Belgradum*, *Varmum*, & *Madrisium* lambit aqua admodum modica & igno-
C bili, paulóque supra *Atisanam* in *Tiliaventum* cadit. Sed enim cùm eruditi omnes tam Historici, quam Chorographi recentiores; qui a linguæ *Latinæ* reparatione claruerunt *Plavium* esse *Plinianum Anaxum* scriptis prodiderint. Difficiléque admodum sit situm fluviorum cum nominibus ætate 75
nostra, immutatis conferre, vel pro certo quidpiam profiteri, confusaque præcipue sint hæc apud ipsum *Plinium*, qui flumina modo a fontibus, modo ab ingressu in maria, modo a viis militaribus enumerat, perinde ac etiam in oppidis recensendis apertissima est in ipsis territorii sui urbibus
D perplexitas, quam ego desultationem appellare soleo; de *Varramo* tantum quærendum est nobis, cum locus notatione dignus sit apud Plinium: Anaxus *quo* Varramus *defluit*, facilis vero conjectura est non alium esse posse quam lacum nostrum *Casamattium*; qui *Carnis* finitimus a Septentrione, Occasuque solus e lacubus in *Anaxum*, *Plavium* quippe nostrum defluit. qua re super narrare mihi solitus erat *Nardinus Celinensis*, vir *Græcè*, *Latinè*que apprime litteratus, & abditarum rerum cognitione insignis *Cælinenses* aniculas suas quaqua *Maniacum* & loca meridiana trans lacus nostri saltus incolunt, cum in bibacem quem-
E piam acerbius invehi vellent imprecari solitas, ut is *Varramum* totum epotaret. Illius enim loci accolæ & *Celinam*, & tres illos *Liquentiæ* fontes, qui flumen id efficiunt de *Casamattio* nostro emanare prædicant, aperta sibi per subterraneos meatus via. Sanè provinciale hoc dicterium ponderis aliquid habere potest ad vicinitatem ipsam indicandam; cum *Belgradus*, *Varmus*, & *Madrisium* longo admodum itinere distet a *Maniaco*, & a *Carnis* ipsis, in quorum regione *Anaxus* oritur, neque oppida illa cum *Cælinensibus* commune quicquam habeant, sed potius maritima sint juxta *Concordiæ* paludes, & *Tiliaventi* hostio vicina. Sed
F nominis originationem puto fidei plus habituram. 76
Nam Lacus istius angulo qui ad Septentrionem spectat, a tergo *Carnorum*, ut *Plinianis* insistam verbis, agro *Bellunensi* juxta lacum vicus admodum nobilis est *Farra* nomine. Hinc suspicio quædam minime contemnenda suboritur primam hujus nominis litteram aliquando *Claudiani* digammi nota scribi solitam, quippe ℲARRA. Imperator enim *Claudius*, ut sæpe dictum, usque adeo digammo illo suo delectatus est, ut cum *Romæ* pomœrium latè porrigeret ad D. *Luciæ* nunc Fa-

num ubi cloaca pluvialibus aquis colligendis, & in *Tyberim* emittendis, inscriptionem rei a se gestæ AMPLIAℲIT TERMINAℲITQVE Digammo notari mandarit. Id tamen ad hunc usque diem bona pars hominum *F.* scriptum arbitrata *Teutonica* pronunciatione, qui finum pro vinum dicunt, & alia hujusmodi legere solent ampliafit, terminafitque. ignari F. digammum V. consonantis sono enunciandum ampliavit, terminavitque, de quibus supra satis meminimus quibus tamen addo liberius veteres fecisse eadem in locutione altera in alterius vicem posita. Quippe *fortunam* quam nunc dicimus, illi originatione incolumi *Vortunam* appellaverunt, quod *Vortuna* a *verto* deduceretur, eaque de causa nunc pilam, nunc rotulam, quibus insisteret ejus Hieroglyphicum statuere. Sed ne tam longè exempla repetamus, a nostratibus argumentum potius captemus, quum apud nos domi multa hujusmodi nascantur. Ab altero istius lacus latere, qua *Seravallem* tenditur, Stagnum distat decem circiter stadiorum intervallo, *Fadum altum* vocant omnes tam accolæ, quam peregrini, quod a profundissima qua
77 conspicuum est altitudine habere nomen dubio procul affirmant omnes, ideoque *Vadum altum* nimirum olim dictum. ita facilè credendum vicum hodie *Farram* aliquando *Varram* appellatum lacui dedisse nomen. Sed quid obsecro dicturi estis, si addidero eodem auctore *Plinio*, hunc eundem lacum *Pisonem* etiam seu *Pisinum* dictum?

Meministis puto illum superius a *Tauriscorum*, & *Liburniæ* totius Chorographia retrogressum ad alios *Norici* fines indicandos, qui scilicet ad magnum *Istrum* tenderent, quos principium sumere ait a tergo *Carnorum*, & *Japidum*, inter hos, & *Bellunensem* agrum *Casamattius* noster lacus circumcluditur. Ibi *Rhætis* jungi *Noricos* tradit *Plinius*, ibi *Viruni* nomen manifestè ponitur; Ibidem *Flavii* mentio fit; Ibidem lacus *Piso*, quamvis plerique codices per *ei* diphthongum faciunt *Peiso*. Sed in hac re nihil jam ad me *Plinius*. ite ad monumenta Reip. vestræ, legite sanctiones, decretaque vestra municipalia Rubrica de piscatoribus primo libri tertii capite lacus hic, qui a tergo *Carnorum* & *Japidum*, inque jugorum *Bellunensium* gremio jacet, qui defluit in *Plavium Pisinus* nuncupatur, quamvis in recens impressis codicibus una plus syllaba, lacus *Lapismus* habeatur, quod apud *Plinium* lacus *Peiso* vel *Pisinus* scribitur. Adhæc, si de nomine quis morosiùs quærat in proxima ejus lacus ripa ad montes qui *Carniam* attingunt Vicus est, qui *Pisonis* fuisse videtur, una detrita littera, & altera Barbara enunciatione vitiata. vulgo enim *Pusois* nomen habet. Satis autem est in re tam implicata, tam recondita, indicium habere aliquod, si non apertæ ve-
78 ritatis, alicujus saltem sed congruæ similitudinis. Neque quidem dè nominum, ut ita dicam, desultatione vobis mirum adeo videri debet, qui videatis hodie quoque vulgo lacum hunc non uno nomine nuncupari, cum alii eum, *lacum ad Pagum*, seu quod malunt quidam, *ad Altum pagum*, alii *Casamattium*, alii *Sanctæ Crucis* vocent, & proximus quisque locus ei a se nomen imponat, imo rarus admodum toto terrarum orbe fluvius, lacusve reperitur, qui non aliquando nomen va-
A riarit. Commemorem ne vobis *Nilum* in *Ægypto* modo *Aquilam*, modo *Oceanum*, modo *Tritona*, modo *Sirin*, modo aliis, atque aliis nominibus appellatum? an *Tybrim Thuscum*, olim *Tymbrin Syracusanorum* advenarum *Oenotriorum* lingua, mox *Tylerinum*? olim *Albulam* nuncupatum, *Danubium Istrum*, *Padum Eridanum*? *Lyrin* in *Campania* nunc *Gargilianum*, recenti *Gallorum* strage nobilitatum *Medoacum* in *Venetia*, nunc *Brentam*? An tot tantosque in *Transpadana* regione lacus *Benacum*, *Verbanum*, *Sebinum*, *Larium*, & plerosque alios hodie longè diversa ab antiquis nuncupatione designamus? Quid Vrbes? nonne ipsæ
B etiam nomen modo hoc, modo illud adoptare consueverunt? Quæ olim *Saturnia*, mox *Valentia*, nunc *Roma* est. & capta millesimo abhinc anno ab *Odoacre Nerulorum* Rege periculum adiit, ne *Odoacria* tunc appellaretur. Servata tamen amicis Regi persuadentibus longe gloriosius, & illustrius fore apud mortales *Romam* captam, quam *Odoacriam* instauratam. Quæ olim *Byzantium*, mox *Romanea*, nunc *Constantinopolis*. Quæ *Ticinum* jam *Papiam*. Quæ *Parthenope* jam *Neapolis*. Sic pleræque aliæ, quas commemorare super- 79
fluum est. Sic regiones denique, provinciæque
C celeberrimæ *Asia*, *Venetia* olim usque ad *Padi* fontem, *Africa*, *Mauritania* cum ceteris cognomenta mutaverunt, & ut ego de locis dicam, quæ de vocum formis Horatius:

Multa renascentur quæ jam cecidere, cadentque
Quæ nunc sunt in honore vocabula.

Verum hic scire velim, an parum vobis verisimile videatur eum, qui campo orbi subjecto *Flaviolæ* nomen dedit a se desumptum, qui nuncupandæ Vrbis viri unius nomine auctor fuerit; qui tot de celebritate sua monumenta toto hujus regionis agro reliquerit, potuisse etiam *Flavio* amni,
D cui late dominaretur nomen immutare. Atqui *Crathis* in *Calabria Turinorum* fluvius ab immerso in eum impurissimo Pastore quodam cognomentum accepit, quod factum est impulsu Arietis, qui amatam a se capram ab eo amplexari ferre non potuerit, & leviori de causa in plerisque aliis demutata nomina reperimus. Eruditi quidem omnes cum veterum historias percurrunt satis habent minimam quamque occasionem deprehendisse, ut fidem adhibeant iis quæ verisimilitudine aliqua hujusmodi nominum mutationes, impositionesve tradant. Vos rem tam manifestam, qui olim *Flavius*
E apud *Romanos*, apud *Euganeos* vetustiores, propterea quod ob rapidissimum cursum retro navigari nequeat, *Anaxus* fuit, *Plavium* nunc esse, & a *C. Flavio Hostilio* clarissimo urbis vestræ lumine *Flavii* nomen accepisse credere contabimini? quod quidem qui persuasum habuerit, rem haudquaquam absurdam credidisse nullo rubore profiteri poterit. Quoniam vero diei acta est pars maxima, vosque forsitan non minus audiendo, quam 80
ego declarando delassati sumus. Tempus est, ut hinc parti finem imponam, rediturus ad vos die crastina solita hora, & loco, ut vos argumento
F superioribus his longe delectabiliore reficiam. Veniant igitur ii qui rerum vetustate afficiuntur, ego non tantum Saxorum inscriptorum moles, sed eorum etiam usum, forte non contemnendum, sum vobis donaturus.

FINIS SERMONIS TERTII ANTIQUITATUM BELLUNENSIUM.

EIVS.

EJUSDEM PIERII DE FLAVIORUM NOBILITATE, ET ANTIQVIS IN AGRO BELLUNENSI MEMORIIS.

SERMO QUARTUS.



Uæ super *Viruni* patriæ nostræ historia, antiquitate, nominis causa, quæque super *Anaxo* flumine nostro peculiari, quoque modo in *Flavium*, & mox in *Plavium* nomen ejus abierit, ubi is oriatur, quo ambitu devolvatur, quæ hinc inde fluenta in comitatum admittat, quot & quantæ ex eo utilitates percipiantur, & ubi denique *Hadriatico* immixtus esse desinat per triduum hoc disseruimus Honoratissimi Cives, neque ignari sumus, in hac tam abditarum rerum inquisitione, multa esse potuisse, quæ propter tot rerum ambiguitates, & opinionum va-
82 riarum aggerationem nonnullis tædii aliquid potiùs attulerint, quam delectationem; sed nihil me retulisse opinor, quod ad earum rerum quas tractandas susceperamus aut fidem facere, aut verisimilitudinem exponere manifestam, minimeque confictam, mihi non videatur. Sed enim si quam ex superioribus sermonibus molestiam concepistis, eam hodie per jucunditatem rerum quas allaturus sum recipio me deleturum. Institutum enim meum est de *Flaviorum* splendore & gloria, uti de patronis nostris, qui erga nos adeo benefici fuerint aliqua delibare; deque multis in agro *Bellunensi* memoriis antiquorum, & aliquot aliis foris & jam non importunè adscitis, plurima quæ cognitu digna sunt vobis indicare. quæ omnia puto non sine delectatione, voluptateque vestra suscipientur. Mox ad celebritatis vestræ sacram quasi ancoram, quippe ad *Lucii* Tertii Pontificis Max. diplomata deveniemus, quamque lata fuerit *Bellunensis* nominis jurisdictio, atque potestas meridiana luce clarius ostendemus. Ut vero *Flavii* nostri, atque adeo reliquorum *Hostiliorum* memorias, quæ temporis injuriam superarunt vobis jam incipiam recensere; ne *Vespasianorum* Impp. domum *Flaviorum* cognomento inclytam, gloriosè nimis videar ostentare, neve sexcentos alios ornatissimos viros, qui nomen hoc olim illustrarunt, quasi *Chrysippi Medeam* huc accersam; recitabo vobis inter ea, quæ præ manibus sunt inscriptionem illam; quæ non procul hinc ad *Maniacum* in *Celinæ* fluminis ripa conspicitur. accipite eam obsecro, & mox An vos *Hostiliorum* pudeat videtote:

83 C. HOSTILIVS ET P. EGNATIVS VEITOR
QVINTÆDECIMÆ LEGIONIS TRIBVNI
P. S. P. Q. R. DIMICANTES PARITER
OCCISI HEIC PARITER IACENT
SINGVLARE POSTERIS EXEMPLVM
ET CARITATIS ET FORTITVDINIS
CILINENSES XXL. DIES ATRATI
LVCSERVNT

In quo quidem titulo quod *Veitor* pro *Victor* notatum sit, ne adeo miremini in nummo etiam argenteo: DIVVS AVGVSTVS VEITORIANVS habetur. *Domitiam Severam C. Hostilii* conjugem legitis in Epigrammate *Bellunensi*; Accipite nunc *Hostiliam Severam L. Hostilii* filiam in *Romano* monumento apud *Trajani* columnam in alveo sacri lavacri D. *Nicolai* æde:

D. M. S. 84
L. HOSTILIO ONESIMO
HOSTILIA SEVERA
PATRI PIISSIMO ET
HOSTILIVS PARTHE
NIO PATRONO.

Sed enim ea magis arbitror placitura, quæ nostrum per agrum quotidie reperiuntur. Numquid obsecro vidistis, quinto abhinc lapide, loco qui *Bolagus* dicitur, *Mausolei* quandam veluti umbram? Extant enim adhuc magni operis vestigia, tumulusque rotunda forma ruderibus obrutus, toto prorsus ædificio verso, sive is fuerit *Felix* Episcopus, is enim juxta proximam ædiculam humi conditus, ut titulus ejus ostendit, sive barbarorum alius, qui nostræ Urbis conditori tantam inviderit celebritatem. Argumentum autem excitati olim eo loco operis inveni ego inscriptionem pulchram, & elegantem, quam situ, calceque obtectam, labore mox meo derasam conspicuum in locum transferendam curavi. Ejus hoc est exemplum:

IOVI O. M. 85
HOSTILIVS
SERTORIANVS
V. S. L. M.

Placet vobis, ut video, concisa & elegans dedicationis figura, quid si litteras videritis illas pulchrè admodum elaboratas, & verè *Romanas?* quantum vestræ huic Regioni gratulabimini, quæ præstantes adeo viros, si non oppidorum conditores, quod pravo quis præditus ingenio fortè conetur inficiari, certè incolas, & cives habere meruerit. Hoc enim nulla cujusquam nobis invidia dempserit, neque inimicorum labefactabit injuria. Sed enim quid notæ litterarum quattuor punctis dissitæ sibi velint quæsierit aliquis. nam superiores illas in apice tituli positas IOVI OPTIMO MAXIMO significare ambigit nemo, inferiores hæ tantum. V. S. L. M. facessere vobis negotium videntur; cum præsertim plerique vestrum sint antiquitatum hujusmodi perquam studiosi, qui notarum earundem inscriptionem alibi etiam observarint, ut *Albæ Juliæ Pannoniæ* oppido, quod ad *Noricos* pertinet legerunt:

FORTVNÆ 86
PVBLICIÆ
VITALIS
V. L. S. M.

Et ibidem loci, quod apposuisse non pigeat:

ÆSCVLAPIO
ETHYGIÆ CE
TERISQ. HVIVSQ.
LOCI SALVTARIB.
C. IVL. FRONTO
NIANVS VET. EX
B. F. COS. LEG. V. M. P.
REDDITIS SIBI LVMI
NIBVS GRAT. AGE. EX
VISO PRO SE ET CARTEIA
MAXIMA COIVG. ET IVL.
FRONTINA FILIA
V. S. L. M.

87 Et in oppido, cui nunc vulgo nomen *Vynez* apud Cœnobitas ejus loci vetus monumentum his litteris insignitum.

INVICTO
MITHRÆ
L. OCTAVIVS
GRATVS
V. L. S. M.

Quarum quidem litterarum multæ nimirum sunt interpretationes, Exponunt enim alii VOTO SOLVTO LIBERO MVNERE; Alii VOTVM SOLVIT LIBERO MVNERE; Alii VOTO SOLENNI LIBERO MVNERE; Alii VIVENS VEL VIVVS SIBI LOCVM MONVMENTI vel MONVMENTO, quæ quidem omnia, unà cum quibusdam aliis Commentationibus habentur in iis *Romanorum* notis, quæ sub *Valerii Probi* titulo prodierunt, quamquam in eo libello multa mihi subditicia, videntur, nullam tamen earum interpretationum improbarim, cùm a veteribus traditæ circumferantur, sed neque illam dissimulabo, quæ in idem sumpta plerisque eruditorum magis adridet Ea. s. VIVENS SIBI LEGAVIT MONVMENTVM
88 quod ideo nonnulli probant, quod quinque alibi notas V. S. L. L. M. VIVENS SIBI LOCVM LEGAVIT MONVMENTO exponi viderunt. Sed illam ego potiùs admiserim quæ est VOTVM SOLVIT LIBENS MERITO, quæ quidem ex aliis antiquorum inscriptionibus desumpta est. Integris enim locutionibus *Romæ* legi in monte *Pincio*, sic nunc vulgo nuncupato:

VOTVM SILVANO
SOLVIT LIBENS
MERITO T. F.
DIADVMENVS
LVRNESIANVS
PRÆGVSTATOR
AVGVSTI

Item alterum *Romæ* trans *Tyberim* apud *Mattheos*

89 SOLI SANCTISSIMO
SACRVM
TI. CLAVDIVS FELIX
ET CLAVDIA HELPIS
ET TI. CLAVDIVS
ALYPVS FIL.
EORVM VOTVM
SOLVERVNT
LIBENS MERITO
CALBIENSES DE
COH. III.

Ex his igitur patet singulares illas notas in *Hostilii* titulo dubio procul significare VOTVM SOLVIT LIBENS MERITO. Quod si alia quoque vultis recitari vobis monumenta, quæ virorum illustrium memoriam in nostram usque diem a temporum injuria vindicarunt, passimque per *Bellunensem* agrum conspiciuntur, ab eo inci-

A piam, quod paucis ante annis *Orcesiis* vico, tertio 90
abhinc lapide repertum est, pulcherrimis quidem litterarum characteribus elegans, sed ornamentis operis *Corinthiaci* artificiosè admodum elaboratis longè formosius. Est verò inscriptio in hunc modum:

B

T. SERTORIO
PROCVLO
II. VIR. I. D. PRÆ
FECTO. III. Q.
FLAMINI VIX.
ANN. XXX. MENS. VI.
OPTIMO FILIO
PARENTES FECE
RVNT H. M.

Sertorianos superius habuistis, nunc *Sertorios* regionem vestram illustrasse conspicitis. Quam speciosa sunt hæc *Romani* Civis cognomenta, quam præ se fert generis antiquitatem, cui *T. Sertorio Proculo* nomen fuerit, qui duumvir, qui juri dicundo Præfectus, qui Tertiùm Quæstor, 91
qui flaminis honore insignis habitus sit. quanto verò mœrore legentium pectora labefactat, cum monumentum id a parentibus factum inspicimus
C optimo filio, qui triginta tantum annos, menses sex vixerit. Verum is nequaquam deplorandus, qui tam insigni familia nobilis, tantæ celebritatis honoribus decoratus vitæ brevitatem memoriæ suæ diuturnitate superavit.

Sed cur *Pæticos* dissimulemus, qui *Neronis Claudii* imperatoris temporibus claruere, fauces eas sortiti, quæ *Plavium* ex arctissimis, confragosisque *Cathorinorum* vallibus erumpentem, per oppositas passim saxorum moles eo usque præcipitatum emittunt? Dominabantur hi *Læbactibus*, nostræ ditionis populis, qui nomen in hanc
D usque diem servavere. Obtinuerant loca eadem etiam *Longareni*, *Octaviani Augusti* familiaritate clari, a quibus vico nomen in hunc diem permansit incolume. *Pætici* verò ab Imperatore *Nerone Claudio* faucium] harum tutelæ præfecti horologium paganis *Læbactibus* magnis saxorum molibus construxerant, castellum in edito clivo muniverant; angustiasque ipsas munitissimo loco custodiebant. Horologium nunc dirutum, disjectumque est, quotidieque tam vastæ saxorum moles huc istuc asportantur. Et nisi Sacello D. *Helenæ* inscriptus Horologii titulus altari dicatus esset, illum ipsum quoque desideraremus. Sed age prælega-
E mus, quæ temporum injuriæ subductæ sunt litteræ:

IN HONOREM 92
CLAVDI
CÆSARIS AVGVS✠
GERMANICI
SEX. PÆTICVS Q. F.
TERTIVS ET
C. PÆTICVS SEX.
FIRMVS
HORILOGIVM CVM SEDIBVS
PAGANIS LÆBACTIBVS
DEDERVNT

F

In inscriptione hac prænomen Imperatoris scalpro sublatum est. ut utrum *Neronis*, an *Tiberii*, an *Domitiani* priùs scriptum fuerit ariolari cogamur. Scimus autem quorumdam Imperatorum nomina, ob invisam publicè eorum memoriam de monumentis deleri solita, senatusque Consulto *Domitiani* titulos ubique eradendos decretum, omnemque ejus memoriam abolendam *Tranquillus* refert, & *Romæ* plerisque locis erasa hujusmodi nomina conspexi. Quis tamen hic noster fuerit in cujus honorem *Pætici* Horologium *Læbactibus* 93
dederunt, ex nummis quærendum fuerit. Opportunè

tunè autem aliquot mecum *Roma* nunc attuli. Quare videamus an ex his integram tituli rationem inveniamus. Hic verò primus notatum habet: TIT. CLAVDIVS CÆSAR AVG. P. M. TR. P. IMP. PP. Ita hic alter, item unus & identidem alius. In his quidem *Claudii* nomen habetur, sed *Germanici* nusquam. inspiciamus igitur ex altero loculo nummos, in quibus *Germanici* nomen est. at hi omnes *Domitiani* faciem habent. & inscriptio profitetur. IMP. CÆS. DOMIT. AVG. GERM. COS. II. Eadem in hoc altero, & in illo & aliis. sed *Claudii* cognomentum hic nusquam. Non igitur *Domitiani* nomen in inscriptione nostra fuit. Sed hos alios e loculis excutiamus. Agnoscitis jam *Neronianos* ex facie At quid scriptum sit prælegamus IMP. NERO CLAVD. CÆS. AVG. GER. P. M. TR. P. Bene habet, habemus hic *Germanicum*, habemus *Neronem*, habemus *Claudium*, At inspiciamus & hos; *Neronis* ejusdem litteræ sunt NERO CLADIVS CÆSAR AVG. GER. P. M. TR. P. IMP. PP. ita hic alius inscriptum habet, ita reliqui ex hoc loculo.

Præterea meministis apud rerum Scriptores legere *Neronem* a Senatu hostem judicatum, *Neronis*que nomen profanum fuisse passim. Vnde etiam e nummis nomen id sublatum contusumque non semel aspexi. Quare nulla mihi reliqua sit dubitatio quin hic NERONIS CLAVDI. scriptum fuerit, cum præsertim locus hic excisus totidem sit litterarum capax, ut circino dimetitus sum. sed anteaquam inscriptionem hanc de manibus
94 amittamus animadvertite dictionem HORILOGIVM secunda syllaba a principio per I, non per O, ut vulgo scribitur notatum. Nimirum ea illis placita est compositio, ut o in i. commutarent. Non procul verò ab Ædicula in qua hæc habetur inscriptio, altera quoque in privatarum ædium pariete quodam juxta viam in hæc verba:

A S C L E P
I O. P. X E
L I V S P O
L I O M O
N I T V S
P O S V I T

Facile autem crediderim *Pæticos* illos, de quibus paulò antè loquebamur, agrum eum omnem obtinuisse, qui ampla satis planicie, a *Fortunæ* vico, qui quinto abhinc lapide est, Monteque *Serva* digressus in peninsulam excurrit, *Plavio* ripas undecimque tribus a Lateribus *Lancinante*.

Nam vico *Polia Pætici* nomen est, quamvis singulis tantum syllabis utrumque nomen in unum enuntietur quippe POL. PÆT. quod ea equorum pascua fuisse significat, quæ *Pæticus* haberet. In altero hujus agri vico, via *Julia* quæ per pontem tribus ab urbe millibus passuum meritoriis pleris-
95 que diversoriis frequens est. in hospitio quodam ad libram Publici vectigalis venerabilis antiquitatis monumentum inspexi, cujus inscriptionem hanc vobis affero:

FILI POSVERVNT MEMO
RIΛM PATPI SVO SΛTV
RNIΛNO POTIO OBI
TO CVM COMPARE SVΛ
VALENTIΛNΛ VOLVSIA.

Latinus hic omnino titulus, sed *Græcis* aliquot litteris sparsim interpositis, quibusdam vix dum exasciatis. Videtis verò placuisse illis A. vocalem ad Λ *Græcè* consonantis effigiem figurare & ΠΑΤΡΙ. litteris penè *Græcis* scribere. Illud etiam inventu rarum prorsa oratione. OBITO qua forma poetæ libentiùs usi, ut apud *Maronem*. Morte obita.

A Sed quoniam video vos tam sitibundos ad hæc inhiare ostendam & alia hujus generis, quæ toto agro vestro neglecta jacent. Et illud monumentum cum primis commemorabo, quod *Chori* II. ab urbe lapide tot lanceis impetitum, diffractumque cernitur; fuit in eo vetustissima quædam inscriptio, qua magna vetustatis injuria sublata altera hæc superinducta est:

T. TVRRANIVS SEVERINVS 96
CONIVGI SVÆ CARISS.
BLICIÆ COSTANTINÆ VIVVS F.

B In quo quidem titulo COSTANTINÆ absque N in prima Syllaba scriptum est. Uti COCERT. pro concertatio in *Neronis* nummo, quem paulo ante attrectabamus, & Cos. pro consul, passim in *Romanorum* monumentis. Neque legisse pigeat, quod *Caneti Alimanæ* meæ vico in Ædicula D. *Blasii* habetur antiquo lapide:

M. IVNI. PAP. MAXIMI
LIVI. D. PRÆCELLIA MAX
IMINA CONIVGI
CARISSIMO. V. F.

C Vltra progressis in vico *Tecliano* Ædicula D. *Teclæ* offert se alterum, specioso nomine *Præcelliæ* monumentum insigne, id ita inscribitur:

C. DVRENIO SECV 97
NDO DORIFERO
OMNIBVS HONORI
BVS M. F
PRÆCELLIA PROCVLA
MARITO OPTIMO

Erant verò Doripheri, si quis hoc curet, Prætoriani milites. Non procul hinc in vico *Zumelis*, *Zamelum* nunc vulgo dicitis, *Præcelliæ* hujus con-
D sanguinei iisdem nominibus *Durenii*. secundi atque *Præcelliæ* conditorium habuere, cujus inscriptio hæc adhuc in platea foroque ipso spectatur:

M. PRÆCEL
LIVS. Q. F.
PAP. VITVLVS
SIBI ET
DVRENIÆ L. F.
SECVNDÆ
VXORI ET SVIS
V. F.

Hos verò *Præcellios Romanos* Cives, atque eos 98
E quidem non ignobiles fuisse volo vobis ex *M. Tull. Ciceronis* epistola comprobare. is enim familiaritatis suæ libro XIII. cum ad *Cæsarem* jam rerum potitum scriberet, *Præcellium* quendam unicè commendavit, *Præcellium Cæsaris* necessarium, suum verò familiarissimum, virique optimi filium, quem adhuc adolescentem propter ejus modestiam, humanitatem, animum, & amorem erga se singularem mirificè diligebat, Addit ad hæc *Præcellium* adolescentis hujus patrem reipsa doctum se intellexisse, didicisseque sibi fuisse semper amicissimum, eumque de illis esse, qui irridere &
F objurgare solitus esset, quod honorificentissimè invitatus a *Cæsare* non ei se conjungeret, versumque illum Euripidis *Ciceroni* identidem objectaret μισῶ σοφιςὴν ὅςις ὐχ αὐτῷ σοφὸς Odi sapientem, qui sibi nihil sapit, quæ dicta volui ut cognoscatis *Præcelliorum* qui ad nos transmigrarunt, prudentiam multis jam abhinc annis scriptorum memoria commendatam. A *Melo* mox *Plavio* ad dexteram transito in colle D. *Martino* sacro, qua fluvius *Corduvius* proximè labitur quinis ad urbe passuum millibus *Turrania* ferè omnis familia uno comprehensa conditorio hujusmodi inscriptionem habet:

99 P. TVRRANIO
P. ANISIO IIII.
VIR TVRIÆ ARI
NIÆ.P.TVRRANIÆ
P. ARINI 7B. OPTI.
ANISI. TVRRANI
VS SECONDVS
V. F.

Quæ ita explicari poteſt *Publio Turranio Publio Aniſio* quartumviro *Turiæ Ariniæ Publiæ Turraniæ Publii Arinii* libertæ optimæ *Aniſius Turranius Secondus* vivens fecit.

Jacet hic lapis ante altare, & aſſiduè pedibus ſacra facientium atteritur, ut multa jam in eo nomina exeſis mediis dictionum partibus aboleri incipiant. Altare autem ſuſtinet columnæ Cippus, in quo ita ſcriptum.

100



Quæ quidem magni alicujus operis indicia ſunt, unde magnas *Turraniorum* opes in hoc agro poſſimus exiſtimare, qui quidem non apud nos tantum, ſed & in reliqua *Venetia* celebres fuerint. Nam & *Vicentiæ*, ut reliqua miſſa faciam ad D. *Felicis*, ita legas:

V. F.
L. TVRRANIVS L. F.
VALENS
SIBI ET
TERENTIÆ. Q. F.
PRISCÆ VXORI
H. M. ET. L. S. H. N. S.

101 Puto vero vos notas has litterarum ſingulis ſingulas punctis diſſitas pleriſque locis obſervaſſe, idque ſibi velle, perinde ac ſi ſcriptum eſſet. HOC MONVMENTVM ET LOCVM SEPVLTVRÆ vel ſepulcri HÆREDES NON SEQVENTVR. cujus rei Horatium Flaccum interpretem habemus, qui libro Sermonum primo Saty. VIII. ſcripſerit:

Hoc miſeræ plebi ſtabat commune ſepulcrum
Pantalabo *ſcurræ*, Nomentano*que nepoti.*
Mille pedes in fronte trecentos cippus in agrum
Hic dabat hæredes monumentum ne ſequerentur.

In eadem urbe *Vicentina* alter ejuſdem *Turraniæ* familiæ titulus his litteris notatus eſt:

V. F.
C. TVRRANIVS
SECVNDI LIB.
EVANTHVS
CONCORD.
C. TVRRANIO
PANTAGATHO ET
C. TVRRANIO
EVTICHO
LIB. OPT.

102 Eſt & apud *M. Tullium*, Epiſtolis ad *Atticum*, hujus familiæ celebritas eo loco quartæ epiſtolæ Q. Frater, ut mihi videtur, quo volumus animo

A eſt in *Pomponiam*, & cum ea nunc in *Arpinati* prædio erat, & ſecum habebat hominem χρηστομαθῆ *D. Turranium*. Quod verò ad familiæ hujus antiquitatem pertinet reliquiæ monumenti *Romæ* ſunt in vico nunc *Regula* nuncupato; in quo nomenclatura eorum eſt, qui *Sergii Galbæ* Imper. Aug. Curatores anni ſecundi, imaginum domus Aug. cultoribus, ſignum libertatis reſtitutæ dedicarunt. inter quos adnotati ſunt *C. Turranius Polybius* & *C. Turranius Florus*. & *Turranium* Tragicum Poetam Naſo celebrat de *Ponto* Eleg. ultima:

B *Muſaque* Turrani *tragicis innixa cothurnis.*

Et quod ad *Turraniam* ſpectat & *Aniciorum* nomen, de quibus mentio ſuperius habita, *Romæ* etiam in æde D. *Mariæ* ad Buſta *Gallica* ſcriptum legi:

TVRRANIÆ ANICIÆ
IVLIANÆ C. F. COIVGI

Quorſum verò, dicet aliquis, tam multa de *Turraniis*? aut ubi de noſtris agitur quid eos *Roma* oportuit accerſitos? Dolor huc me adegit inconſolabilis ob luctuoſam amici mei *M. Antonii Tur-*
C *ranii* memoriam; tametſi decimum jam annum eum deſideramus; qui *Græcis Latiniſ*que litteris eruditiſſimus, philoſophicis, & eloquentiæ ſtudiis admirabilis, humanitate præcipua, probitate incomparabili omnem veterum *Turraniorum* ſplen- 103
dorem, & gloriam ad ſe unus attraxerat; quæ fata impia, ne diu tanta ſæculi felicitate frueremur juvenem admodum magna omnium admiratione Philoſophiam, veram illam inquam, & elegantem *Papiæ* profitentem iniquiſſimè nobis invidere.

Sed noſtra jam proſequamur. Ad primum hinc
D lapidem in ſuburbano Muſeo juxta portam ædiculæ *D. Jacobo* ſacræ fragmentum antiqui monumenti eſt, gentilium id meorum titulo dicatum: in quo cum plurima deſiderentur, litteræ tantum hæ adhuc incolumes vetuſtatis injuriam evaſere:

D. M.
CAPERTI
Æ VALENT
INÆ C. M.
VALERIAN.
COIIVGI

E Intra ædem vero multa ſunt ex quadrato quodam cippo unaquaque ex parte dejecta ſcalpro, ut ne ſyllabæ quidem unius veſtigium ſit relictum, quod integrè legi poſſit. Sed ſi mei me cognominis ſimilitudine delectari patiamini, apponam ex *Alba Julia*, quæ in Ripenſibus *Noricis* eſt, memoriam allatam in hunc modum:

I. O. M. STATVAM 104
C. VALERIVS
VALERIANVS
EX VISV P.

F Non ignoratis autem, ut puto, ex Hiſtoriis *Valerianum* Imp. an. Sal. noſtræ 256. *Decio* ſucceſſiſſe, qui, dum in *Rhætia*, & *Norico* ageret, ab exercitu imperator creatus, & mox Auguſtus factus, unde tot apud noſtros *Valeriani* nominis monumenta.

Sed nimium contamur Urbana recenſere. Nam in D. *Petri* libitinaria porticu Conditorium habemus *Cuſonii* memoria celebre, quod indicio nobis eſt clariſſimas familias hinc migraſſe *Venetias*, inſcriptio ita habet:

D.

D. M.
QVINCTIA MA
XIMA SIBI ET
COIVGI SVO
CVSONIO SEVE
RINO V. F.

105 Ne verò vos hæſitare faciat quod QVINCTIA per CT. ſcriptum eſt, noritis & QVINCTVM, & QVINCTIVM eodem modo pleriſque locis notatum eſſe, & antiqui id fuiſſe moris oſtendit nomenclatura quædam *Romæ* apud *Julium Porcium*, in qua fit mentio *Auguſti Ti. Cæſaris Germanici*, cui honorando adfuerint DOMITIVS AHENOBARBVS. fuit is *Neronis* pater, & cognomentum id calumnioſum duxiſſe *Neronem* apud Hiſtoricos legiſtis, poſt quem adſcripti ſunt F. QVINCTIVS CRISPINVS & T. QVINCTIVS. Sed jam nos ad ſe vocat præclarus ejus monumenti titulus; quem ad ædis primariæ parietem, qui *Aream prætoriam* ſpectat appoſuimus, ſuperioribus annis de Vetuſtis Baſilicæ noſtræ fundamentis erutum in eo nunquid ita ſcriptum meminiſtis?

IMP. CAESARI
M. AVRELIO AN
TONINO AVG.
ARMENIACO
MEDICO PARTHI
COM) NTIF.
MAX.) OT. XX
IMP. III. PP.
DIVIA NINI FIL.
DIVI HADRIANI NE
POTI DIVI TRAIANI
PARTHICI PRONE
POTI DIVI NERVAE
ABNEPOTI
D. D.

106 Placet vobis nimirum *M. Aurelii Antonini* principis optimi conſervata memoria; ſed quod ſexto, ſeptimo, octavo, nono, & decimo verſibus quinque, vel ſex litteræ mediæ deſiderantur, ſolicitati videmini. ſi quid igitur induſtria noſtra conſequi poterimus, ea vos cura liberabimini. Sexto verſu poſt abſolutam locutionem PARTHICO. M. inciſum eſt, puto ſic, non tota videtur, ut commodum ex *Auſonio Gallo* vobiſcum jocer.

Ita defoſſus in quadram lapis quattuor circiter ex hoc verſu notas amiſit. Hic igitur ego primum. MAX. repoſuerim; & quod ſequitur ita ſubſtituendum exiſtimarim, ut legamus PARTHICO MAX. eſt enim uſurpata nuncupatio Maximi, ubi *Parthicum* ponitur. ut in nummo *Severi* PART. MAX. & ſuper eodem *Antonino Capuæ* ad pontem IMP. CÆS. AVG. M. AVRELIVS ANTONINVS PIVS FELIX AVG. PARTHICVS MAX. & reliqua. mox ſubſequatur PONTIFICI MAXIMO. Sed tribus tantum litteris MAX. uti ſcriptum. quia ſubjungendum eſt. TRIB. POT. XX. hoc eſt Tribunitiæ poteſtatis vigeties. Ita enim & nummorum, & aliarum inſcriptionum ſeries depoſcit, & litterarum, quæ deſiderantur numerus ad amuſſim quadrat. Perdifficile verò eſt quid inter litteras IMP. & numerum III. ſupplendum ſit invenire, ſed niſi me aliquot hujuſmodi inſcriptiones fallunt, & ſi Alti menſuræ credimus legendum eſt. IMP. II. COS. III. non enim plurium notarum capax locus eſt. Sed hoc dixerit quiſpiam divinare eſt, aut ex commodo ſuo commentari, neque adeo exſolvere, quod recepi me nolle fabulas fa-
107 bulari. teſtibus igitur opus eſt, ut quod conjectura primùm ſum aſſecutus, re ipſa verum eſſe comprobetur. Opportunè verò mihi præ manibus eſt *Urbani Valeriani* Patrui mei Itinerarium, qui quocunque ſe contulerit, totius antiquitatis vir ſtudioſiſſimus, nihil uſquam, quod ad rerum memoriam faceret, quin excerperet, deſcriberetque præ-

A termiſit. Inter ea igitur, quæ *Mediolani* facere ad antiquitatis cognitionem obſervavit, ex antiquo lapide titulum ejuſdem *M. Aurelii* deſcripſit, ejuſdem *Antonini*, ejuſdem Aug. ejuſdem Pont. Max. ejuſdem Trib. poteſtatis, per quot vices id honoris geſſerit, expreſſo numero. Ibi jam eundem ter Conſulem videbitis, eundem Divi *Antonini* filium, Divi *Hadriani* nepotem, Divi *Trajani Parthici* pronepotem, Divi *Nervæ* abnepotem, ut in noſtro habetur. Sed ipſam inſcriptionem proferamus:

IMP. CÆSARI
M. AVRELIO ANTONIN.
AVGVST. PONTIFICI MAX.
TRIB. POT. XVII. COS. III.
B DIVI ANTONINI PII FIL.
DIVI HADRIANI NEPOT.
DIVI TRAIANI PARTHICI
PRON. DIVI NERVÆ ABN.
AVXVMATES PVBLICE

Hic tamen quia ſcriptum non eſt quotiens Imp. fuerit, fortaſſe quis numerum ejuſmodi ei titulo additum non eſſe ex more crediderit. Age igitur & hoc oſtendamus apud veteres inveniri. 108
Romæ quidem in *Capitolio* ab læva *Romanæ* Curiæ
C ſub exteriore porticu, ubi nunc caput aheneum coloſſæum ex *Commodi* ſtatua præciſum & ruinarum invidiæ præreptum, juxta monumentum eſt hoc titulo notatum.

IMPERATORI CAESARI DIVI TRAIANI
PARTHICI FIL. DIVI NERVAE NEPOTI
TRAIANO HADRIANO AVG. PONTIF.
MAX. TRIBVNIC. POTESTAT. XX.
IMP. II. COS. III PP. MAGISTRI
VICORVM VRBIS REGIONVM XIIII.

Hujus generis, & illud eſt, quod in *Tuſculano Riperiæ* agro *Veronenſi* habetur:

IMP. CAES. AVG. ANTONINI
PII FIL. DIVI HADRIANI NEP.
D DIVI TRAIANI PARTHICI
PRONEP. DIVI NERVAE ABN.
EP. M. AVRELIO ANTO
NINO AVGVSTO ARMENICO
PONT. MAX. TRIB. POTEST.
XVIIII. IMP. II. COS. III.
BENACENSES.

Quod ſi plura hujus generis vultis, in arcu *fori Boarii* legere eſt inter *L. Septimii* titulos. TRIB. POTEST. XII. IMP. XI. COS. III. & in ejuſdem honore in triumphali arcu TRIBVNIC. POTEST. XI. IMP. XI. COS. III. Nullam igitur hæſitationem eſſe reliquam puto; quin reſtituendum in noſtro ſit IMP. II. COS. III. quod anguſta loci brevitas plurium notarum ductus non 109
E admittit. quæ verò ſubſequuntur etſi ipſa etiam interſecta, nullam tamen aggerunt ambiguitatem, verſu igitur nono ANTONINI NOMEN Et decimo HADRIANI nullius controverſia reddendum, quod tam ex imperatoriæ adoptionis ordine, quam ex *Mediolanenſi* Epigrammate manifeſtum. Sed quoniam quæ ad pulcherrimæ hujus inſcriptionis declarationem facere videbantur, ſatis videmur explicaſſe, ne minima quæque colligendo dictioni meæ importuna quadam ſedulitate vel faſtidium, vel odium importem, præteritis aliquot ſermoni finem imponemus. Cum id igitur
F viri *Bellunenſes* habeatis, quod me vobis receperam exhibiturum: De *Belluni* nomine demutationis rationem, adhæc multa antiquitatis veſtræ teſtimonia urbis originem, & conditorem. auſimque dicere me operæpretium meruiſſe, quòd omni ut puto rejecta controverſia vobis eum adinvenerim, & *Flavium* amnem tot annos e memoria mortalium elapſum reſtituerim. Supereſt ut quando flumen veſtrum reperiſtis, & ipſum urbis veſtræ ſi non conditorem omni dubio procul ampliatorem agnoviſtis grato eum animo ſuſcipiatis, marmoreumque illud conditorium C. FLAVII HO-

HOSTILII in quo vestræ urbis historia tam eleganter descripta est, in urbem inferri procuretis, & insigniori aliquo loco supra columnas IV. sustolli decernatis, eosque honores monumento huic habeatis, quos ipsi *Flavio*, si apud vos versatus esset, deferri minime negaretis. Quale enim & quantum ad virtutem incitamentum posteris vestris relicturi estis, cum per vos didicerint, se non ex *Alpinis* cautibus, non ex roboribus iis, quæ frequentia adeo, passim apud nos pullulant, sed ex *Romano* sanguine progenitos, sed *Herculis*
110 nobilitatem universam generi suo primordia dedisse. Vnde enim malit quispiam humano præditus ingenio oriundum se gloriari, quam ab his gentibus, quæ omni virtutum genere, præclaraque rerum egregie gestarum celebritate populos nationesque omnes, ut palam est, antecessere. Sed lætissimum illum, & universæ civitati vestræ jucundissimum diem mihi videre videor, cum indicta solemni pompa conditorium illud transferetis, egoque comes additus ne sine cantu & laudatione *Hostilio* parentetis; honores, quos ut Heroi decernere constitueritis, Carmine hoc qualicunque celebraturus adveniam.

EIVSDEM PIERII VALERIANI, Vrbis Patriæ, Genethliacon.

NOn quia ad ingratas cantarim sæpius aures
Meque diu rerum domini sub acerba retentum
Servitia, in longos nulla mercede labores
Impulerint, nostro pretium e sudore ferentes,
Non quia fors graviora manent, & si quid iniquæ
Sorti aberat vatum, Musarum, & Apollinis *hostis*
A Morinis *usque extremis ad sceptra vocetur*
Romula, *ne qua bonis superet spes artibus olim;*
Idcirco Hostili *factum memorabile* Flavi
Dissimulem, cæcove premi sub carcere in umbris
Perpetiar juvenem egregium, præstantibus ausis
Insignem, patriæ primus qui mœnia nostræ
Signavit, nomenque dedit, quod nulla abolebit
Posteritas, si rite manent sua munera fortes.
Vnde autem primum ingrediar, quid deinde secundum
Expediam? quis erit postremi carminis ordo?
An memorem quotiens Carnorum *e vallibus imis*
Noricis*ve jugis,* Rhætorum *aut montibus imbres*
Bellorum ingruerint, tempestasve atra, Catejis
111 Teutonicis, *tonitruque armata, & sulfure campis*
Perniciem minitata, novam qua verteret urbem,
Cum strage irruerit, muroque invecta recenti
Diluvio fossas, & nondum jacta replerit
Fundamenta lue fœda, illuvieque nefanda
Tantum odii poterat virtus aliena parare
Vt tu impendentis cernens discrimina damni
Nil cunctatus ad hæc juvenum fortissime contra
Teque tuosque omnes pro libertate tuorum
Pro patria, natis, uxoribus, igne penatum
Duxeris haud dubiam in mortem, molesque ruentis
Firmaris pilo longis hastilibus undas
Alpinas *juncto legionum umbone sub ipsos*
Reppuleris fontes, vallem tutatus amœnam
Quantus eras meminisse juvat cum bella cieres
Oppositis ad difficilis certamina Martis
Corporibus caderentque hostes, caderentque tuorum
Agmina: Tu vallo nunquam, aut statione repulsus
Obstares, implens hostili sanguine fossas
Et quotiens motus alicujus præscius Alpes
Prærepto ante loco tacitus superaris & hostes
Incautos ipsis in castris tuta tenentes
Perque nives & aquas, & inaccessas convalles
Aggressus stragem horribilem sub nocte silenti
Edideris, modo luce palam dejeceris arces,
Arces in tumulis altas, cœloque propinquas
Perruptis vastis saxorum molibus imo
Æquaris, prædamque omnem, & captiva Teriscum
A *Corpora militibus sociis donaris habenda.*
Sic vestem & gemmas, tuaque agmina prodigus auro
Barbarico *ditaris erunt, hæc nota per ævum*
Haud ulli reticenda. & ut hostibus inde tremendus
Cæsariem vallis circumsurgentibus auctam
Concuteres, tremerentque tuis de laudibus omnes;
Quid quod eques totiens audaci corde periclum
A patria castrisque procul cum cæde repulsum 112
Sustuleris, pacemque tuis, atque otia terris
Incolumem dederis. Tu bello fortis & acri
Præsentique animo, casusque paratus in omnes
Italiæ *fines tutaris, & oppida condis*
Tu campis titulos, fluvio tu nomina nostro
B *Imponis, tu monstra domas, tu* Norica *mactas*
Prodigia, immanem funestis dentibus aprum
Qui lætos vastabat agros, qui corpora letho
Mille virum dederat, nostris qui vallibus unus
Horror erat, quos non manifesta in morte minaces
Teutonici, Carni*que feri, invictique* Liburni
Terrebant, captave semel statione movebant
Hos fera fulmineis turbabat viribus arma
Se superinjiciens, ferro in penetrabile tergus
Opponens, densas cuneo, servare phalanges
Pervadebat, & uni omnis locus usque patebat.
Omnis ager, nemus omne, juga omnia, robur in armis
Tale & tanta feris inerat violentia sannis.
C *Hic tamen unius lethali concidit ictu*
Hostili & vires majoris fulminis olim
Expertus, non ore tonat, non dente coruscat
Non flatu inflammat segetes, non dura valentum
Membra canumque virumque, & equorum vulnere adacto
Discerpit, spargitve ferox, sed vasta rubenti
Terga volutat humi pilo confossus amaro
Exanimusque jacet uno penetrabilis ictu
Te Flavi *comites læto clamore salutant*
In cœlumque ferunt, laudesque & carmina dicunt
Hostilique secant truncis & marmore nomen
D *Quos autem tibi dat titulos* Sertorius, *armis*
Inclytus, insignis pietate, bonæ unus amator
Indolis. ille tuis pretium virtutibus addens
Te clypeis ornarat, & hasta, & torquibus aureis
Mox alio dux magnanimus te munere dignum
Jam genti, laribusque suis adscripserat, idem 113
Te donarat equo, te Laurentalibus *aris*
Laudarat, validisque viris æquarat honore
Et nunc Flaviolum *de te cognomine campum*
Dicit, datque tuo nomen de nomine Anaxo
At legio Volscorum *omnis,* Latia *omnis, ut unum*
Luctificæ ultorem cladis, conspexerat, unum
Esse virum voluit, qui de virtute recentem
E *Vrbem appellaret. sic vir, sic unus in omen*
Cessit, & unanimi dixerunt voce Virunum
Posteritas quam mox Bellunum *dixit amænam*
Nos tamen ingrati cives tua frusta sub alta
Condita humo latitare diu, cæcaque sinamus
Nocte premi sine laude rogi, sine honore sepulcri
Teque parentem urbis, te nostri sanguinis altum
Auctorem tantis bene gestis rebus abire
Indecorem patiamur, & haud dubitanda professi
Demum illaudatum, ignotumque jacere feramus?
Non ita, sed quoniam tua tandem cognita virtus
Tempore post longo potuit superare protervam
Fortunæ invidiam esque tuæ jam redditus urbi
F *Non eris in cæcis latebris, humilive recessu*
Verum humeris procerum mediam tolleris in urbem
Conspicuoque loco celsus statuere, columnis
Quattuor erectus, structo de marmore cippo
Felicique urbem salvere in secula dices
Omine, eumque tua Bellunum *laude vigebit*
Non humilis, sive hanc veteri cognomine gentes
Sive novo appellare volent, tibi semper honores
Læta cohors juvenum, & florenti ætate puellæ
Instituent circa tumulum tibi munera ponent
Nempe ubi sævitiam scelerati frigoris acrem

Februus *incipiet flatu mollire Favonii*
Orgyaque *lætique chori pro numine* Bacchi
Antiquo de more aderunt, neque Tibia cantum
Festa suum invideat, neque vir, neque fœmina vultum
Ulla suum ostentet, sed velent ora cavatis
Corticibus, sumatque virilem fœmina vestem
Et vir fœminea incedat per compita palla
Plebsque omnis saliant unctos insana per utres
Hi lætas ducent choreas, neque classica, & arma
Cessabunt, hastæque novo conamine in ædes
Adlisæ, admisso de quadrupedante vetusto
Ritu, ubi nulla joco sessoris Ephippia, nullum
Sustentet plantas vinclum, sed sola sub armos
Genua juvent (mos iste tuus) tibi lecta juventus
Insidens in equis solvet sic justa quot annis
Ad tumulum, & monumenta tuo de nomine facta
Hoc autem insigni laxabunt pectora ludo
A *Præstantes virtute viri: namque ordine ducto*
Augustæ quacunque domus sese angulus amplæ
Obtulerit plateæ, pilasve objecerit, illi
Hastam insertabunt, & equo rapiente ferentur
In murum, piceasque trabes in frusta fragoso
Cum sonitu imminuent. Favor hinc plaususque theatri
Non aberit, pannisque albus, quem victor adoptet
Ast alii excussi dorso, nixuque repulsi
Inque fimum immundum revoluti cuncta sedentum
Pectora concutiant risu, & clamoribus altis
Tota theatra sonent, donec fortissimus unus
B *Pluribus effractis valido certamine contis*
Insignem moveat palmam, & tua poegmata circum
Quæ surgent lauris ornata virentibus, atque
Effuso large vinoque & lacte natabunt
Lætus equos agitet, tibi figat præmia lætus.

FINIS SERMONIS QUARTI
ANTIQUITATUM BELLUNENSIUM.

INDEX
MEMORABILIUM.

A.



B

C

In

L.

M.

N.

O.

P.

R.

S.

T.

FINIS.



ANTONII DEVILLE,

Equitis Galli

PORTUS ET URBIS POLÆ ANTIQUITATUM,

UT ET

THYNNORUM PISCATIONIS DESCRIPTIO CURIOSA:

Figuris æneis accuratissimis illustrata.

Editio novissima, à multis erroribus correcta.

Indice locupletissimo Rerum ac Verborum aucta.



LUGDUNI BATAVORUM,

Sumptibus PETRI VANDER Aa,

Bibliopolæ, & Typographi Academiæ atque Civitatis.

AD SERENISSIMUM
PRINCIPEM
REIPUBLICÆ VENETÆ.



RIMITIAS offerri Diis solitum, nec respuunt, exiguas licet & acerbas. Has ego tibi Serenissime Princeps *ab sterili agro* Polensi *decerptas, exhibeo: indicium & spes messis futuræ, majoris certe dum campus fertilior: adest uberrimus, tot civitates* Tui *dominii:* Venetiæ *miraculum mundi, rara, unica, semper famosa, semper gloriosa. Crescet animus & vires, audebo plura; si* Serenitas Tua *influxerit aspectus suos beneficos: probasti jam opera corporis, accipe eodem vultu hæc paucula tentamenta animi. Jussisti ut firmarem* Polam *arce, permitte, ut memorem scripto, & ea, quæ distantia eripit visui, relatione appropinquent animo. Magna referam, dum* Tua *referam, laus tota* Tua *erit: nam & res, & scriptor* Tuus, *& fructus* Tui *erunt: forsan etiam hinc aliquando ampla messis; si radiis* Tuæ *Benignitatis foveris & campum & cultorem,*

Devotissimum &
humillimum Servum

Antonium Deville.

DESCRIPTIO
PORTUS ET URBIS POLÆ.

Portus. ENTVM à *Venetiis* millibus recipitur in ſinum mare *Adriaticum*, qui duobus in terram millibus protenſus portum facit *Polenſem*, ad oſtium ſexcentos paſſus latum interius creſcit latitudo, ſecura navigii cujuslibet ſtatio, ut quæ nulla unquam agitatur procella: nam ejus ingreſſus, qui ad occaſum, longo *Breonum Scopulo* manet coopertus, reliqua continenti clauduntur, ſicque nulli directo flatu poſſunt ſævire venti, & ſemper æquum quieſcit mare. Altæ ſunt ejus aquæ, ita ut quælibet onerata navis, etiam & majores, quæ *Galiones*, uſque ad littus natent, & ſcalam ubicunque apponere poſſint; commodum ſanè ad oneranda, & exoneranda navigia, fundus ancorarum tenaciſſimus, nec ſinit arare ferrum; reliqua navigantibus neceſſaria ſuppeditat locus. Fons. In extremo portus, viginti à mari paſſibus, ſcaturit perpetuus, & abundans potabilis aquæ fons: Ligna. ligna non deſunt, nam denſis ſylvetis operiuntur vicini colles, in quibus volenti ad uſum licet ſcindere. Piſces. *Piſcium* feraciſſimæ ſunt aquæ, præſertim Thynni. *Thynnorum*, quos ſtatis temporibus, Auguſti ſcilicet, & Septembris menſibus, numeroſa copia piſcantur: Cancri. *Cancrorum* ad nauſeam: reliquos omnis generis piſces non nomino, quibus toto anno abundat.

Quatuor in hoc portu ab aquis emergunt Scopuli. *Scopuli* floribus, & herbis virentibus ſemper amœni, tres in rectam lineam in tranſverſum conſtituti, quorum medius, qui Sancti Andreæ. *Sancti Andreæ*, major aliis plus quam quadringentorum paſſuum circuitu extenditur, figura *Rhomboide*. In hoc arcem quatuor propugnaculorum ſtruere ſtatutum à *Sereniſſima Republica* ad portus ſecuritatem: hæc enim ingreſſum optime cuſtodiet: quia licet quatuor ſint aditus cum tres ſint *Scopuli*, tamen per unum ſolum, latum ducentorum paſſuum, majores naves ingredi poſſunt, ſcilicet à *Scopulo Sancti Andreæ*; ad illum, qui Sancti Petri. *Sancti Petri* vocatur, qui ad ſiniſtram: quamvis minores, & ipſæ triremes ad dextram, à *Sancto Andrea* ad Sanctæ Catharinæ. *Scopulum* alium *Sanctæ Catharinæ* tranſire poſſint, præſertim dum turget mare. Alii duo aditus, qui ad continentem immeabiles ſunt propter brevitatem profunditatis. Quartus *Scopulus*, Olivarum. qui olivarum, ab arboribus, quibus eſt conſitus, nomen, terræ propinquior, & paulo minor circuitu *Sancti Andreæ*.

Polá. Jacet ad littus in extremo portus *Pola* civitas antiqua, *Romanorum* colonia, *Julia pietas* olim à *Julio Octaviano Auguſto* Cæſare dicta, priſcum *Colchorum* ædificium, qui adverſus *Medeam* immiſſi fuerant, votorum impotes, & fugæ deſperatione ſolliciti. *Vide figuram Pag. 3.* A quibus fabricata. *Græcorum* quidem lingua *Exulum*, *Colchorum* verò ſermone *Polam* appellavere locum; Quando. Annis mille ducentis viginti ante natum *Chriſtum* fabricatum indicant hiſtoriæ, ſtat tamen poſt tot ſæcula pluribus ſuperborum ædificiorum reliquiis ſpectabilis, media Muri. ambitur mari: muris circumdata debilibus, qui nihil vetuſti ſapiunt, crediderim facile, aut nullos fuiſſe tempore *Romanorum*, aut ſæpius dirutos, cum nulla appareant veſtigia: pars, quæ ad terram duplici cingitur muro, exterior tamen multo humilior eſt interiori, ab hoc ſex paſſibus diſſitus, quem nos falſabragam nominamus, aliquæ in hoc pomœrio attollunt ſe turres nullo ordine diſpoſitæ, earum forma nec antiquis, nec noſtris ſimilis, ſuſpicor dum tormentorum uſus incepit, fabricatas: nam & feneſtræ emittendis globis aliquæ, & primæ, & foramina metallis ſuſtentandis in eis viſuntur, unde utriuſque temporis participes eſſe quilibet aſſentietur. Quatuor ad mare ſunt portæ, inæqualibus diſtantiis invicem poſitæ, Portæ. altera, ubi minus frequens acceſſus, clauſa manet, ad terram duæ, quæ fonti vicina, & quæ, *Rata*, vel melius dixerim, *Aurata*. Epiſcopatum habet hæc civitas reditu non adeo divitem, dignitate tamen Epiſcopi *Julij Sarraceni Vicentini* clarum. Epiſcopatus.

Præter Cathedralem Eccleſiam, quæ jam corruiſſet, niſi labentem reparaſſet zelus Epiſcopi, ſunt & plures aliæ minores, una ritu *Græco* culta, cujus generis multæ deſertæ. Cathedralis Eccleſia.

Conventus Monachorum duo, unus *Franciſcanorum*, alius *S. Auguſtini Beatæ Virgini* Sacrum, uno, aut altero Monacho habitatum ob penuriam loci. Conventus

Præterea Monacharum clauſtrum unum, quod *Divi Theodori*, multis virginibus non minus religioſis, quam nobilibus cultum.

Palatium Comitis, ſeu Prætoris ruinam minitatur habitantibus præſentem, ni promptum afferatur remedium, Palatium Comitis. ſimiliter & pleræque pene omnes domus privatæ, quæ neglectæ longo tempore guttantibus pluviis, Domus privatæ. trabes, laquearia corrupta, exeſi muri, ſemideſtructæ pendent; huic aëris noxius halitus, qui haurientes diuturnis Aër noxius. morbis affligit, præſertim æſtate cum ardentiori ſole incaleſcit, tunc corpora aperta poris abunde ſuſcipiunt vapores putridos calore rarefactos: nam & aër incluſus in fœtidis locis facile corrumpitur, dum ventis, aut reſpiratione agitatus non renovatur, & intima corporum penetrat propter ſubtilitatem, unde putreſcit ſanguis, vitiatur cerebrum, nec credo, quam vulgus affert cauſam, vapores è lacu vicino elevatos: nam cum hic ſit potius lacuna, quam lacus, cum Lacus. major ejus diameter viginti paſſus non excedat, non poteſt hæc pauca aqua, quæ pluvia, tantam malignitatem aëris generare: videmus enim plures civitates ſanis populis habitatas, quæ foſſis majoribus illo lacu aqua quieſcente plenis circumdantur, aliàs vaſtis lacubus, ſi non vis, quas fluvii & mare ambiunt. Hæc non ad me, à me dicta ſufficiant.

In medio hujus civitatis clementer aſſurgit collis centum ſupra maris planum pedibus elevatus. Mons. Hic ſitum quondam civitatis Caſtellum; reſtat adhuc ambitus muri circa terram, quæ Caſtellum vetus. planitiem facit in vertice, ſupra quam, qui erat, deſtructus eſt. Forma licet deformis ad ovatam accedit, cujus longior diameter paſſuum octuaginta quatuor, brevior ſeptuaginta quatuor. Turres aliquæ ſemidirutæ ægrè adhuc ſtabant, non ob vetuſtatem, ſed ob malam ſtructuram, has ſolo æquavimus, ut & alias nullius uſus parietinas: planum fecimus locum arci novæ fabricandæ, Arx nova quæ licet in auguſtiſſimo ſitu parva cogatur, *Vide figuram Pag. 5.* venuſtate, ornamentis, & ſecuritate nulli cedit. Quatuor habet propugnacula, quæ ex neceſſitate quadratiacuta defenduntur à lateribus, ſeu fianchis, cortinæ quater latera continent, quæ mediis lunis teguntur, fiet & contreſcarpa, tertium tegmen terreum, habitatio ducentorum



militum commoda, quando neceſſitas, plurium: præterea Præfecti, ſeu Proveditoris, domus, armamentarium, cuſtodiæ, aut excubiarum, & munitionum loci. His ſupereſt platea quadrata exercendis, & inſtruendis militibus apta, & capax, ſub qua ciſternam excavabimus aquis affatim conſervandis. Scias hæc omnia (præter aggeres, & loricam terream) ſtructa eſſe quadrato ingenti lapide: nam viginti millium multi; quaſi omnes decem millium librarum æquant pondus: tantæ moles anſis, ſeu harpaginibus ferreis colligatæ plumbo ſolidantur, ſedent fundamenta ſupra ſaxum vivum, cum quo concatenantur primi lapides; perpetuo duraturum certe hoc opus ſi aliquod poteſt: nam, niſi collabatur totus mons, ruinam nunquam patietur: murus latus pedes duodecim, altus ad angulos propugnaculorum, ubi declivior mons, pedes quadraginta, in medio cortinarum pedes viginti quatuor, non tamen æqualiter præciſè ubique, parva tamen differentia. Agger terreus murum firmabit, ſupra quem lorica terrea, ut aſſolet. Figura ordinaria, modus fabricæ inventum novum, meum, à nullo alio aut dictum, aut ſcriptum: habet enim & venuſtatem architecturæ civilis, & fortitudinem militaris. Tota ordinis *Tuſcanici*, Bancheta, Zocola, Scannum, aut Möevianum, baſis eſt *Tuſcanicæ* columnæ, quam refert altitudo muri, capitulum eſt cingulus muri; Zophorus & Epiſtylium, parapettum: quod coronice, ſeu corona finitur. Totus hic ordo non interruptus uniformiter ambit arcem, ut & ipſas ſpeculas: porta non variat, quæ tribus diſtinguitur oſtiis, majori medio fornicato; duorum, quæ circum unum fictum ad ſymmetriam: quatuor habent columnas interſtitia, lapidis communis, Capitula, Epiſtylia, & reliqua ſuperiora, marmore *Græco* ornantur, *Sanctus Marcus* lapideus auratus cum acroteriis finit opus. Fortiſſimam faciunt multiplicati recinctus, qui latius extenduntur, quo inferiores, & à ſuperiori per gradus defenduntur: nec ideo pluribus egere militibus exiſtimes: nam dum hæc exteriora tuemur, interiora manent ſecura. Nec poterat protendi major fabrica, nam ſcanderent in immenſum fundamenta, deſcendente in præceps rupe, aut expoſitæ remanerent hoſtium telis domus, quæ ſic inhabitabiles tempore belli, pro quo conſtructæ.

Structura. Ornamenta. Porta.

Colles. Circumadſtant tres colles, primus *Zaro*, alter *Sancti Michaëlis*, tertius *Arenæ* nuncupati æquales, aut parum altitudine differentes. Primus duobus, aut tribus pedibus colle noſtro humilior, alter



alter quaſi ſex, tertius paulo altior plano, depreſſior tamen arce; hi quadringentis diſſiti paſſibus: ita ut hinc inanes ſint tormentorum iactus contra reſiſtentem molem, nec timendi militi: nam ultra centum quinquaginta paſſus vix agunt contra firmos muros: experientia hoc certum. Hæc erit tutamen civitatis, & provinciæ, cuilibet exercitui terreſtri reſiſtendi capax, totusque portus manebit ſecurus, cum factum erit fortalitium *Scopuli*: nullus enim in eo erit receſſus, qui non ſit tormentis alterutrius expoſitus.

Rectores. Arx à præfecto ſeu providitore regitur: civitas à prætore, quem Comitem vocant, vulgo, *Podeſtà*. Illi cura militiæ, & fabricæ, huic juſtitiæ, & politicæ, juſque ſuum ad plura ſuburbia circumvicina extenditur, ut & campus *Polenſis*, qui nec aſper montibus, nec æquus continua planitie, mollibus variatur collibus, fertilibus olim, ſed plurimos aut negligentia, aut raritas incolarum ſivit in arbuſta ſylveſcere; vireſcunt tamen inter multæ oleæ. Venatui, & aucupio aptus locus, prædæ ferax, Aprorum nimius: nam vaſtant & frumenta, & vineas, paucique venantur eos ob periculum; lepores paſſim occurrunt: Vulpes, Lupi plures, Perdices, Coturnices, Galinagines poſt meſſem fertilibus campis reperiuntur: hyberno tempore Palumbes, Turdus, Merula, Alauda, & reliquæ minores ſclopo, glutine, & retibus per turmas capiuntur. Dum glacies, & nix rigeſcunt, omnes aquæ vicinæ, & multi portus receſſus avibus aquatilibus nigreſcunt, Gaviis, Fulicis, Mergis, Rupicibus Auaſibus: providit natura incuriæ habitantium, & domeſticorum inopiæ multitudine agreſtium. Plebs ruſtica, iners, ſine cultu, & niſi neceſſitas urgeret, etiam neceſſariæ agrorum culturæ averſa: mirum tamen, ſuperabundant, & exportantur frumenta, vina ſufficiunt, quæ delicata, oleum præcipuum redditur: pomorum reliquorum nulla cura, præter paucas ficus, quas credo ſponte natas: Armenta ſolum, quæ uſus cogit, pauca commodo, licet bona ſint paſcua: Sed ad quid? lacticinia ſorbent liquida, & acida, nullus novit coagulare butyrum, caſeum pauci. Eſſet ſanè amœna, & fertilis regio, ſi ars adeſſet: nam cœlum habet temperatum, æqualiter elevantur polus, & æquator: Aeſtas illis plus ſicca, quam calida, hyems mitis, pluviæ initio Autumni, & fine hyemis, reliquo anno nullæ, aut raræ. Aquam ſuppeditant lacus excavati circum villas, turbidam qidem, ſed ſanam credunt, quia excoctam ardore ſolis; Deſtinantur gregibus certi, ob immiſtam immunditiem, alii hominibus, ſed parum intereſt agricolis an ex utroque bibant: tanta illis feritas, ut mollitiem culcitrarum, & tomentorum reſpuant, licet poſſint, ſtratis nudo ſolo pellibus decumbunt, pauperies illis voluntaria, cum divitiis uti neſciant. *Polenſibus* civibus mitior cultus ob conſuetudinem Venetorum.

Campus Polenſis. Venatus. Aucupium. Incolæ quales. Regio qualis. Temperies cœli. Aqua potabilis. Cultus incolarum. Polenſes.



Breonia insula. *Breonia* insula ad ostium portus celebratur saxifodina, ex qua qui cæditur lapis marmore inferior, communi nobilior, multum hujus insulæ habent ædificia *Veneta*, pagus illic exiguus, & campi steriles. E regione ad ripam continentis visitur *Fasana*, intermedium mare campi *Fasanei* dicuntur, portus aut potius refugium majorum navium, piscium abundantissimus locus: nam præter eos, quos populus provinciæ absumit, asportantur innumeri sale, & aceto conditi, Incolæ mendaces, fraudulenti, sibi invicem invidi, proditores, ne credas illis, facile pejerant. *Galesanum* ad terram interior pagus, gens paulo melior, æque deses. *Peroi*, & *Assiguan* villæ paucorum tuguriorum, hæc ad septentrionem *Polæ*. Duobus millibus terrestri itinere ad meridiem colitur templum *Mariæ* virginis *Verudæ*, nomen à loco, ubi portus securus, & frequens triremium, & navium recessus, dehinc porrigitur in mare promontorium, in quo vicus novus ejusdem nominis Promentore, à quo si recedas ad Septentrionem, per duo millia occurret portus *Medullinus*, ad cujus alteram ripam restant multæ reliquiæ Oppidi *Medullini* satis olim frequentis. Aliud illi vicinum est *Pomer*, quem piscatores incolunt; Ostrea, & Leiostrea delicata habet totus hic portus. Alluuntur hæc loca fanatico sinu *Clarner*. Alia ad terram plura sparguntur. *Sissan*, *Lesiguan*, *Lavarigo*. *Montichio*, *Monmaran* Castellum est muris circumdatum, eminentia loci conspicuum, vallem ad radices habet vineis refertam, unde optimum vinum totius regionis, ut sunt incolæ, propter rarum commercium externorum. *Marsana*, *Philippan*, *Carnissa* sunt reliqui pagi dominii aut campi *Polensis*. Vicinus his *Sanctus Vincentius*, dominio nobilissimæ *Grimanorum* familiæ subditus, castello turribus lapideis munito, & Sylva memoranda, quercu, & robore densa, unde materies cæditur ad navigia fabricanda utilissima, quæ se non pandit, non torquetur, non alit termitem, ad palationes æterna. Non nomino *Barbanam*, *Albonam*, *Fianonam*, & alia muris circumdata, quia, licet parum distent, non sunt *Polensis* agri, Vides in hoc parvo circuitu, quot loca, quot Oppida, cur quædam desolata? Idem est solum, quod fuit, eadem cœli temperies, esset sanè & eadem fertilitas, si eadem cultura. Nec dubium est magni momenti locum quondam fuisse, & numeroso populo cultum, hoc testantur tot ædes sacræ circum sparsæ, tot magnifica, quæ adhuc extant *Romanorum* ædificia.

Extra urbem, ut nunc est, aliàs forsan intra, visitur palatium priscum, quadrato lapide structum,

Marginal notes: Breonia insula. — Fasana. — Incolæ quales. — Galesanum — Peroi & Assiguan. — Veruda. — Promentore. — Medullinum. — Pomer. — Fanasiemsinus. — Oppida alia. Moutmaran. — Marsana Philippan, Carnissa. Sanctus Vincentius. — Sylva. — Barbana Albona Fianona. — Theatrum.

ſtructum, muris latis pedum octo, altis nonaginta: Ex inciſo in ſemicirculum monte, atque ex reſidua fabricæ diſtributione, Theatrum fuiſſe ſuſpicor, licet confuſa ſuperſint veſtigia fundamentorum, & pauci erecti muri, nam partem ſuperſtantium non multis abhinc annis accenſus vortex cum horribili ſonitu ſaxa hinc inde ſpargendo, & ad ducentos paſſus expellendo, impetu terribiliſſimo deturbavit: pars reliqua adhuc ſtabat deformis, qua nos uſi ad fabricandam arcem, quia prompta, & aptiſſima eſt materia; & ſic transformatum theatrum in eminentiorem locum tranſtulimus. Sic eſt viciſſitudo rerum, quicquid eſt ſublunare ſuam habet revolutionem. Quod incipit ceſſat, nulla forma ſemper durabilis, materia ſola æternum ſubſtat.

Ruina à vortice.



Porta aurata. Arcus triumphalis.

Subito poſt ingreſſum civitatis ſeſe offert *Porta Rata*, vel potius, ut dixi *Aurata* nuncupanda, hæc arcus eſt triumphalis, ut facile indicant victoriolæ, coronas porrigentes in angulis arcus, & Zoophorus ſculptis trophæis, & curribus triumphalibus ornatus; compago ejus notabilis ob firmitatem, Inſcriptio difficile legitur.

Inſcriptio.

SALVIA, POSTHVMA SERGII. E. SVA. PECVNIA hæc in Zoophoro. pro Acroteriis erant ſtatuæ, quæ deſunt, in quarum baſibus hæc ſunt inſcripta ad dextram. L. SERGIVS. C. F. AED. II VIR. In media L. SERGIVS. LI. LEPIDVS, AED. TR. MIL. LEG. XXIX. Ad ſiniſtram CN. SERGIVS C. F. AED. II VIR. QVINQ. Ordo Corinthius eſt, eximiè laboratus, duæ utrimque ſunt columnæ, altæ pedes quatuordecim, cætera, baſis, Capitulum, Epiſtilia, Corona proportionem habent exactam huic ordini convenientem, ut melius delineatio, quam ſcriptum monſtrat.

Ordo architecturæ.

Templa.

Ad plateam civitatis duo ſatis integra ſtant templa penitus ſimilia, unum horum occupat palatium comitis, & ſola poſtica facies apparet, alterum integrum pene niſi tectum, quod combuſtum oſtendunt rubei, & ſemiexuſti muri. Aſpectus ejus eſt proſtylos, tetraſtylos, modus autem, (qui eſt diſtantia columnarum) ſyſtylos, exterior porticus lata pedum trium, & ſemis, longa quantum latitudo templi, quatuor columnis marmoreis fulcitur, altitudinis viginti duorum pedum & ſemis, quælibet cum capitulo: præter has duæ ad latera, & Auſæ (παραστάδεσ pilaſtrate) in angulis interioribus pronæ, ubi verſuræ templi. Ordo eſt Corinthius; Coronis (aut Corona) tota elaborata, longitudo interior templi pedum viginti ſex, latitudo pedum paulo minus viginti, craſſitudo muri pedis unius, & unciarum trium, intercolumnia quatuor pedum & ſemis, medium tamen qua patet ingreſſus pedum

Vide figura Pag. 11.


Menſuræ.



dum quinque unciarum duarum, pluribus gradibus ascendebatur ad illud, quantis, nescimus, cum nullus supersit. Simile prorsus est alterum huic, ab hoc dissitum quinquaginta octo pedibus & medio : dedicationem inscriptio docet ROMAE ET AUGUSTO. CAESARIS. INVI. F. PAT. PATRIAE hæc in Zoophoro. *Inscriptio.*

Amphitheatrum. *Vide figura Pag. 13.* Majus omnium opus restat Amphitheatrum, ducentis à porta urbis dissitum passibus, existimant multi olim in meditullio civitatis positum, sed non suadeor tantum fuisse ejus ambitum, ut hoc fuerit centrum : nam partem urbis, quæ versus portum jacet, habitatam fuisse, testantur duo illa templa, quæ plus quam sexcentis ab hoc Amphitheatro passibus distant, qui fuissent semidiameter urbis, at ultra illud, nullum ædificii vestigium restat, unde huic opinioni nulla fides, cum nec historiæ talia referant; forsan reliqua mutata loco, hoc certe non mutatum : nam superest adhuc admirandum, incorruptum tot sæculorum injuriis.

A quo factum. *Quando.* A quo factum difficile est assignare : conjicio paulo post tempora *Augusti* fabricatum, quando incepere fieri lapidea cum gradibus ligneis. Ut quod *Statilius Taurus* tempore *Augusti* in *Campo Martio* suis sumptibus extruxit, quod sub *Nerone* combustum : nam quæ antea, lignea tota, ut quod *Curio Tribunicius*, & pluraque alia, quæ *Iulius Cæsar* fabricavit : Unde ante *Augustum* non fuisse certum, cum nec in ipsa *Roma* tale fuerit; paulo post suadeor : nam ipse viginti octo colonias per *Italiam* deduxit, quarum hæc una, quas omnes ornavit variis operibus, Quidni? & circa hoc tempus constructum, cum simile sit illi, quod *Statilius* fecit : nam quæ postea lapidea tota, ut quod *Vespasianus* incepit, & *Titus* absolvit, quicquid sit remanet adhuc integrum quod erat lapideum : gradus lignei periere; unico exteriori muro, qui *Ala* vocatur, ambitur : forma ovata, cujus major diameter passuum octuaginta duorum, & pedum duorum, minor sexaginta octo passuum, & pedum duorum, unde tota circumferentia ducentorum triginta septem passuum. Viginti mille homines in eo commode spectare poterant. Tuscanicus est ordo rusticus, præter ornamenta, quæ levigata, & laborata. Dividitur in arcuum duos ordines: alius supra alium scandit, hi fornicati, in tertio superiori sunt fenestræ quadratæ : ordo quilibet septuaginta duos habet arcus, ut & *Veronensis*, qui in intercolumniis lati sunt passus duos, exceptis duobus oppositis in extremitate longioris diametri, latioribus aliis, scilicet passuum duorum, & semis, altitudo decem & octo, unciarum decem : Columnarum utrimque altitudo pedum decem & novem, unciarum septem; Deinde Zoophori, & Coronicis pedum quinque, unciarum duarum. Secundus ordo ejusdem latitudinis *Descriptio & mensurae.* *Arcus quot & quales.* *Secundus ordo.*



dinis cum primo habet suos arcus, altitudo est pedum decem & septem, & unciarum sex. Altitudo columnarum pedum decem, & novem, basis pedum duorum, ad coronicem, quæ sub fenestris, sunt pedes quinque, cum unciis sex. Altitudo reliqua pedum quindecim, & semis, in hac fenestræ, & fastigium, seu Acroterium, quod habet projecturam duorum pedum ad recipiendam aquam pluvialem è velis, seu velariis derivantem, & in hac crebra foramina minora, per quæ effluebat, sunt & alia majora quadrata, per quæ transmissæ trabes sustinendis funibus velorum firmabantur. Tota interior pars modo vacua est, nam olim specus, seu cryptæ, emittendis feris, ut & portæ, podium, orcheſtra, gradus, seu subsellia, & diazomata, seu præcinctiones, scalæ, aditus, vomitoria, porticus, quæ in summa gradatione, hæc omnia lignea erant. Incisiones adhuc apparent in lapide, in quibus ligna immittebantur.

Tertius ordo.

Partes interiores.

Pars in monte.

Credebam partem, quæ meridiem respicit, terra ex contiguo monte delapsa obrutam: non enim apparet media pars circumferentiæ primi ordinis, sed observavi diligentius nunquam æquum fuisse solum: nam sub superficie terræ latet mons saxeus, qui descendit in decline usque ad arenam, supra hanc inæqualitatem fabricatum fuit *Amphitheatrum*, ut ferebat natura loci: occultabatur hæc declivitas gradationibus, quæ firmius in hac parte, quam alibi, lapideo innixæ fundamento sustentabantur, remanebat æqualis arena, nec apparebat ille defectus contabulationibus necessariis tectus. Talia remansere antiquitatis monumenta, vera magnificentiæ *Romanorum*, & hujus urbis testimonia.

Nescio, qua moti causa aliqui, delendum censuêre *Amphitheatrum*, forsan quia displicent antiqua, sed non sic omnibus, & præsertim huic *Serenissimæ Reipublicæ*, quæ talia non solum non destruit, sed restaurat, ut *Veronense*, quod novum quasi refecit: hæc *Respublica* toto orbe celebris, celebria amat potentissimi sui dominii ornamenta: laudatur provincia dum hæc laudantur: nominatur *Amphitheatrum*, nominatur & *Istria*, & illius princeps: talia conservare, sapit majestatem, destruere, aut extremam necessitatem, aut barbariem. Dices forsan inutilem hanc massam commodam fore materiam ad fabricam arcis *Scopuli Sancti Andreæ* cum notabili sumptus publici levamine. Quantus ille? decem mille ducato-

Cur aliqui deleri volunt.

Restaurat hæc Respublica.

Quia inutilis.

ducatorum? falleris, non tantus, nam pacto jam firmato totius materiei excidium ad quinque mille ducatos non accedet. Quid ergo? *Rempublicam*, cui divitis cognomen, ad hanc inopiam vis reductam, ut quinque mille ducatorum pretio tam venerabile opus evertat? non certe, faciet novum, si opus. Quod si adeo avarus es, pro me es: nam supputa, quantus erit sumptus laborandorum horum lapidum, qui curvi forma, fissi, corruptis angulis, cum longa opera ad regulam, & ad normam redigentur, è lapidicina vero eruti suam formam habebunt, & nullo negotio perficientur. Compara sumptus excavandi, & laborandi novos, cum sumptibus detrudendi, & etiam laborandi, hos semiruptos vetustate lapides, reperies duplo majores hos illis, exacto calculo hoc ego demonstrabo. Exclamas, fortificationi obest nec tolerandum, veniet inimicus, terra implebit, & in eminentissimo illo aggere dispositis tormentis arcem destruet, aut saltem commodum, & tectum castra metandi campum reperiet. Quam bene: facilis tibi videtur repletio tanti vacui, mihi difficillima; nam cum diameter major, sit pedum quater centum & duodecim: minor vero tercentum quadraginta duos, & tota superficies centum decies mille sexies centum triginta septem pedes superficiales, tota soliditas erit pedum cuborum, septies centum quadraginta quinque myriades, & novies mille quater centum viginti octo, cum altitudo sit pedum sexaginta septem, quam duo millia hominum in diebus centum viginti quatuor cum tertia parte diei, (dato quod quilibet una die triginta pedes vix implebunt) pluribus non daretur locus laborandi; nam confunderentur ob multitudinem. Deinde numquid vides tot, & tantas aperturas? quomodo terram continebunt, & murum adeo debilem, unius passus scilicet, ubi est major, ad tantam celsitudinem elevatum vis posse sustinere hanc ponderosam molem terræ recenter effossæ, quis hoc credat? Sed cedo pertinaciæ tuæ, facile, & subito posse impleri, terram sustineri, quid tunc? erit transpositus mons contiguus ad eandem distantiam, quæ jactum excedit, ut diximus, & factus humilior arce, in positura deteriori: nam mons recta, iste agger oblique feriet facies propugnaculi. Scias etiamsi in justa distantia sic emissæ pilæ nihil penetrare, nam resiliunt: hoc notum: ejaculentur ab hac distantia quantum voluerint tormenta, nunquam solidatum hunc nostrum murum evertent. Præterea medium quadrigentorum passuum interponitur intervallum, quod transeundum, ascensus superandus; contrescarpa, mediæ lunæ debellandæ, restat adhuc corpus integrum, vides quam parum juvabit inimico tantus inanis labor. Neque talem castrametationi locum quisquam sanæ mentis eliget: nam totus patet aperturis; egregium tegmen? nec cribrum tam crebrò perforatum; te rete adversus pluviam teget, si hoc adversus tela. præterea plus nocent fragmenta lapidum & sparsa tormentis rudera, quam ipsi globi. Tandem quid damni etiamsi illic castra ponat: certe plus sibi parabit malum quam nobis inferet. Nulla ergo parcimoniæ ratio, nulla nocumenti, nec alia assignatur. Cur ergo tantum opus destruemus, tanto labore constructum? Stet incolarum honos, exterorum admiratio, antiquitatis memoria, *Reipublicæ* ornamentum, conservetur stabile, restauretur æternum duraturum.

[Margin: Non est ratio parcimoniæ. — Quia obest fortificationi. — Refellitur. — Ex Archimede lib. de concid. & sphoroid. pp. 6. — Propter difficultatem. — Propter aperturas. — Nec juvabit inimico. — Arx difficilis accessu. — Nec aptum castra metationi. — Nil damni inferet. — Nulla ratio. — Conclusio.]

THYNNORUM PISCATIO,

AB

ANTONIO DEVILLE

EQUITE GALLO.

AD DOMINICUM MOLINUM

Senatorem Amplissimum.



JUSTUM naturæ regimen contraria sibi invicem succedere voluit, ut mala bonis temperarentur: nam si alterutrum perpetuo duraret, aut nimium tædiosa, aut insuavis laberetur ætas: Continuum laborem nemo feret, nisi otio alternatim reficiatur, nec voluptas sensibilis, dum non interrumpitur. Igitur in actionem, & otium dispensanda est vita, utrumque honestum esse debet, hoc certe etiam jucundum: At non omnibus una voluptas, aliquibus alea, sed sordida, multis venatus, cervi, apri, luporum; At his lapsus equorum præcipitia etiam ipsæ feræ. Aucupio minus periculum, æqualis labor. hæc exercitium mihi videntur, & quidem violentum potius quam ludus, aut otium: cur enim dum corpus aut animus recreandus, molesta misceantur: placet mihi piscatio, hæc quieta, hæc jucunda, honesta etiam, *Thynnorum* dedit occasionem, & locus, & tempus: nam nec qualibet regione, aut mense capiuntur. Portus *Polensis* aptissimus, hic duobus in terram millibus sinuatur, quatuor habet *Scopulos*, circa unum, cui *Sancti Petri* nomen, tres sunt *Thynnorum* piscinæ, in quibus opportunis anni, Augusti, & Septembris mensibus innumeri capiuntur. Sed antequam de modo piscandi dicamus, operæ pretium erit, pauca de eorum natura referre, ut scribunt auctores, & nos experientia novimus. *Thynni* Ἀπὸ τῦ θύειν vel θύνειν dicuntur id est cum impetu ferri. *Gregales* sunt, & fusanei, semel anno pariunt, quidam credunt bis. Coëunt post medium mensis Februarii: pariunt principio Junii, edunt ova condita quasi utriculo, crescit celeriter partus, *Scordula* primum, à *Bysanciis Auxuma*, dein *Thynnus*, post annum *Limarca* nuncupatur, biennio tantum vivit, nulli animali tam velox incrementum: nam ab ovo exiguo, fit novem pedalis, moles plus quam mille librarum, in mediterraneo mari præsertim: nam in hoc sinu pauci sexcentas excedunt libras. Adeo pinguescunt, ut multi dehiscant. In ponto solum parere asserunt quidam: Mas differt à fæmina, eo quod hæc pinnam habet sub ventre *Apharëus* nuncupatam, quæ

[Margin: Otium necessarium. — Verum. — Aucupium. — Piscatio. — Portus Polæ aptus. — Thynnorum piscinæ. — Tempus piscationis. — Thynni unde dicti. — Quales. — Quando coëunt. — Quando pariunt. — Quomodo edunt ova. — Quomodo vocati. — Mangnitudo. — Pinguedo. — Mas]

Descriptio. quæ mari deeſt: dorſo ſolum ſquammati, reliquo læves, medio corpore turgent rotundi, ut eorum circumferentia longitudini æquetur: capite acuminato, ut & cauda, cujus extremum in pinnam lunatam curvatur, ſpinam dorſi habent unicam vertebris ſuis diſtinctam, nullæ aliæ ſpinulæ per carnem miſcentur, dentes minutiſſimos, ſerratos, pectinatim coëuntes; linguam vitulinam: branchias multiplices: Jecur fibratum, quod vulgus pulmonem falſo credit, omnes enim piſces branchias habent pro pulmonibus: *Pars delicatior. μελάγδεον.* venter, in quo pinguedo, & caput propter oculos delicatiſſima, reliqua caro minus, cujus pulpamentum ſeu pars nigra per totam longitudinem extenditur, multum ſunt ſanguinei, *Quo veſcatur.* aliis piſcibus veſcuntur, ut ſolent majorum minores eſſe præda, algam tamen tangunt, *Teporem amant.* gaudent maxime tepore, quo ut potiantur, arenam & littora adeunt, &per ſumma maris innatant, *Aſilo agitantur.* *Aſilo* agitantur *Canis* exortu, qui figitur ſubſpina, ut vermiculus, effigie ſcorpionis, magnitudine aranei, cujus dolore infeſtati, ita exiliunt, ut ſæpe in navigia incidant: *Hyeme latent.* hyeme latent præaltibus gurgitibus uſque ad *Vergiliarum* exortum, aliquando etiam ſe movent tepidis locis pabuli gratia, cum temporis inſolitæ quietes contingunt, præcipue plenilunio, & tunc ſuaviſſimi: quandoque etiam à *Thynnariis* circum *Dormiunt.* retiuntur dum ſtabulantes in petris dormiunt, indicio conſtat cum quieſcentes leviter oculorum *Meant interdiu.* albida pandunt: ita ſopiuntur, ut ne jacta quidem fuſcina excitentur: Interdiu meant, noctu ut plurimum quieſcunt, lævum in latus ſe ad terram admovent, ſic radentes littus portum percurrunt, ut dextra exeant, quod facere propterea dicuntur, quia dextro oculo clarius vident, *Oculus dexter clarior.* lævo hebetius. Ego contra hebetius dextro, clarius lævo, convenientius enim eſt, ut melior *Senectute vitiantur.* oculus ad periculum ſpectet. Senectute vitiantur, & fiunt ad rem ſalſamentariam improbi, declaratur eorum ſenectus duritie, & magnitudine ſquammarum.

Retia. Antequam incipiat tempus piſcationis præparantur retia, ob id congregantur participes lucri, aut damni futuri, inter quos quinque, aut ſex *Principales.* quibus jus eſt piſcinæ, (principales vocant) hi omnes eligunt Oeconomum ſeu Diſpenſatorem *Canevaro græcis. ἀγεχῖ⊙.* (quem *Canevaro* nominant) qui ſumptus neceſſarios miniſtret, notet prædam, diſtribuat ſine fraude, præmium illi unum ſibi eligendum piſcem dum capiuntur. Prope piſcinam ſtat thynnoſcopium pro ſpecula (*Bratanesche*) quod eſt *Bratanesche, θυννοσκόπιον.* lignum quadruplex erectum ſcopulo adfoſſum, & adfixum, tranſverſariis firmatum, quæ gradus faciunt ad aſcenſum. Primum rete laxum extenditur ſtabile, ab ſcopulo ad mare, plumbi ponde*Corte græcis δύκειον. vel melius. ἐχιοδίκτυον.*re infima parte depreſſum, ſuprema ſuberis levitate natans (*Corte*) remanet hoc in aqua toto tempore piſcationis; eſt enim velut ſeptum: duo alia præterea parantur, cujus uſus modo. Jn ſummo thynnoſcopii tota die ſpectat aliquis thynnoſcopus, comittuntur per vices participibus hæ excubiæ, ignari artis peritum aliquem ſufficere in locum ſuum ſolvendo coguntur. Adnectitur ad extremum extrinſecum *Cortis* aliud rete, *Praſſo* (quod duo *Thynnarii* in ſcapha brachiata, (*Braſſere* græcis ἀλειαδεὶς ἀμφίελμα) habent ad nutum expeditum: *Praſſo aliud rete græcis, πεδίβλωφον. Braſſere græcis. ἀλειαδεὶς. ἀμφίελμα.* obſervat inconniventer thynnoſcopus, ubi exundanti aqua agnoſcit turbam venientem, dat ſignum *Thynnariis*, mergitur rete clauditur piſcina, & piſcis, dein voce, & ventilatione panni albi ſignificat participibus, qui in civitate, prædam paratam, adſint auxiliaturi: Si plures *Thynni*, quam viginti quinque, vexillum in ſcapha oſtentat, ſi ad quinquaginta in ſupremo thynnoſcopio elevat. *Signum prædæ.* Interim piſces percurrere piſcinam, gregatim totam luſtrare, egreſſum quærere & eſſet quidem liber exitus per interſtitia retis laxi, ſed credunt obvium machinamentum impenetrabile; *Cur non exeunt è reti laxo.* ſolent enim omnibus apparere ſub aquis ſpecies immenſæ, quæ revera parvulæ ſunt ratione naturali & optica, extenditur iterum aliud rete (*Ton*) juxta paſſum dictum, cujus unum extremum, fune tractum, littus verrit, aliud remulcent ſcaphæ *Corti* contiguum. *Ton græcis. σαγήνη.* At ne inter duo hæc retia ſeſe immittant, ſtat unus in prora, qui agitatione prælongæ haſtæ plumbatæ terret incurrentes. Senſim ſinuando rete deducuntur ad ripam *Thynni*, ubi tandem in anguſtum contractum, tunc conari piſces ſalire, *Deductio ad terram.* reſpergere *Thynnarios*, quiſque ſuum rapere in terram exenterandum, ut habeat interiora, quæ ſunt optima eſca pro piſcandis Auratis linea piſcatoria, branchias etiam auferunt, dein lavant, *Zogna græcis, ὁρμεία.* ordine diſponunt, numerant: mirum, exenterati ſuccutiunt valide, & cor extractum diu palpitat: capiuntur aliquando ad trecentos, ſed minoris ponderis, triginta etiam, & quinquaginta librarum ſinguli, majores ut plurimum ſoli aut pauci. *Quot capitur.* Decima pars debetur Epiſcopo, exceptis duobus, quos voluerint, majoribus certe ſingulis diebus, hos vocant (*per bocca di Santo*) *Decima pars Epiſcopo.* quando copioſa eſt præda, unum aut plures *Thynnos* dat Oeconomus diſpertiendos adſtantibus lætitiæ gratia. *Diſpertit adſtantibus.* Cum agitatur procellis mare *Euro*, *Noto* & *Africo* flantibus, nec noctu nullæ excubiæ, nulli *Thynnarii*, aut quia tunc quieſcunt, *Quando non piſcantur.* aut quia non obſervarentur: Attamen liberum eſt cuique, ubicunque ſua retia tendere, in quæ fortuito involuti *Thynni* ſuffocantur etiam ſub aquis, craſtina die extrahuntur recens mortui: *Suffocantur ſub aqua.* piſcantis ſunt iſti, nec pars ulli, aut decima debetur. Spectant interim lembi hexeres, octiremes multi, eo ordine, quo venere hoc novum obſonium deportaturi *Venetias* avide appetitum: *Portantur Venetias.* ſpectatio illis ſæpe longa, lucri ſpes ingens, ſed ſors incerta. Cum deſunt navigia, aut ſuperabundant, *Thynni* ſale condiuntur, ſicque toto anno ſervantur carnes Thynninæ. *Sale condire, græcis. ταριχεύω. ὠμοτάριχοι* Senes ut diximus inepti: nam maxima pars carnis conſumitur.

Sic oriuntur *Thynni*, ſic creſcunt, ſic capiuntur, miremur ſolertiam ingenii humani, huic cedunt latebræ, calliditas, robur cæterorum animalium, etiam & ipſa Elementa, tantum eſt homini dominium à natura conceſſum. His vaco *Senator Ampliſſime* dum ſeria vacant, cum nihil eſt agendum, melius eſt hoc agere, quam torpere, otium jucundum honeſtus ludus, exercitium non laborioſum deſidiæ ſemper eſt anteferendum. *Concluſio.*


FINIS.

INDEX
RERUM ET VERBORUM
in PORTUS, Urbis POLÆ, & piſcationis THYNNORUM Deſcriptione occurrentium.

FINIS.







ANTIQ
ITALIÆ

T. M. VI
P. IV